Długosz, Jan

Historia Polonica

Handskrift D 1471:1-3

Tillkomstår Slutet av 1500-talet
Digitaliserad år 2016

KUNGL. BIBLIOTEKET
National Library
of Sweden

D. 1471:2

~~I. 11~~

Ant. Coll. t: k. Bibl. 1742
Fol. No 11.

Joannis Longini ſeu Dlugoſsi Annales ſeu Hiſtoria Polonica. Lib. VII _ X.

II.

INCIPI

ANNVS DOM

SIMVS QVI

[illegible]ratus clementissi

[illegible]phis, et impijs

[illegible] suam mansuetatim,

[illegible] prauaricando

[illegible] et barbaram ge

[illegible] antecessoribus aut d

[illegible]castigarat, solit

[illegible] contemnentis ad

[illegible] suae mucrone

[illegible] offensionibus offendim

[illegible] non Cath

[illegible] permisit dissi

[illegible] Tartaro

[illegible] Rex, plurim

[illegible] eorum sub

[illegible] et spem tam mult

[illegible] quasi sedes

[illegible] essent, in O

[illegible] se tum pr

[illegible] ferentia copias

[illegible] exploratoribus

[illegible] Romana cum

[illegible] Orientem occup

[illegible] Regna, cum

[illegible] bellare,

[illegible] in Volham

[illegible] Sarmati

[illegible], inuasit, Ma

[illegible] Lithuanorum fri

[illegible] Mira

[illegible] in Polon

[illegible] vicino

[illegible] deuastat. vndeq

INCIPIT LIBER SEPTIMUS

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

Provocatus clementissimus et optimus Deus Polonorum faedis spurcitiis, et impiis execrandisque facinoribus, quibus contra suam maiestatem per plurimas iniustitias, iniquitates, et abusus praevaricando delinquerant, suscitavit Tartarorum ferorum et barbaram gentem contra illos, et qui superioribus annis aut externis aut domesticis et civilibus bellis eorum delicta castigaverat, solita mansuetudine et pietate, contra percussos et contemnentes ad percussorem benignum converti, fortius indignationis suae mucronem vibravit, gravissime se Polonorum transgressionibus offensum designans, dum iram suam non pesti, non fami, non Catholicorum hominum hostilitati, sed barbarorum permisit desaevire in Polonos rabiei et feritati. Bathi siquidem Tartarorum, ex quo Regnum eorum exortum erat tertius Rex, plurimis Regnis Orientalium et Regibus atque tyrannis eorum subiugatis, supra modum supraque estimationem et spem tam multitudine gentium subiugatarum quam opibus auctus, quasi sedes orientales sibi et populo Tartarico angustae essent, in Occidentem et partes Boreales arma vertit, sperans se tum propter innumeras gentium propriarum et solatia ferentia copias, tum propter Catholicorum Regum, de qua ab exploratoribus certior factus erat, et signanter Ecclesiae Romanae cum imperio discordiam, Occidentem iuxta atque Orientem occupaturum. Primum itaque Russorum amplissima Regna, cum Tartaris antiquam innumerabilem gentem crescerent, bellare, Tartarosque vincere et fugare solita Tanay in Volham Dnieper Dniestr amnes profundissimos, item montes Sarmaticos, quos et Sylvas magnas appellamus, superans, invadit, illaque obterit, et devastat, nonnullos quoque Ruthenorum principes dimicare ausos facili negotio devincit. Mira deinde celeritate in Poloniam venit, et duo oppida in Polonia ea tempestate populosa, Lublin et Zawichost, vicinosque illis districtus, et regiones praedatur, et devastat. Rediensque se ingenti praeda captivorum

utriusque

utriusq sexus ex Polonis et Ruthenis capta, onustum, per viam qua venerat in Russiam redit, captivisq in loca secura deductis, in Poloniā festinanter reversus, Bug et Visla fluminibus Poloniae transitum per glaciem praebentibus, Sendomiriam venit, et tam castro, quam oppido Sandomiriensi undiq, obsidione vallato et tandem expugnato, Coprzivnicensem Abbatem, et omnes fratres domus Coprzivnicensis, ordinis Cisterciensis, et magnum tam Ecclesiasticorum quam saecularium, tam virorum quam matronarum nobilium et plebeiorum utriusq sexus, qui illuc gratia conservandae vitae aut defendendi loci confugerant, numerum occidunt, maximamq stragem in senes et impuberes edunt, paucis puberibus reservatis, quos et ipsos velut vilissima mancipia diris constringunt compedibus, Excidio tam immani apud Sendomiriam edito, per Visliciam et Scarbimiriam nemine resistere auso, versus Cracoviā, ducatum illis, Polonis qui capti fuerant, monstrantibus, pergebant, Sed ex Scarbimiria in dioc. Cracovien, gratia depraedandae, quam ex nobilib et ex ingenuis et agrestibus personis ceperant, praeda, in Sendomiriam redire coeperunt, praedam captam versus metas Tartaricas conducturi, Boleslao pudico Cracoviensi et Sendomiriensi, Duci, et per aetatem et imbecillitatem tam forti hosti resistere non valenti, sed continenti se cum Grzimslawa matre sua clausa in Cracoviensi arce. Vladimirus Palatinus Cracoviensis apud villagium Xalinam, militum et nobilium conventum agit, quem pavor et subita trepidatio discurrentium, et a facie Thartarorum diffugientium, omniaq plus iusto de eorum saevitia et potentia differentium, alibi agi non sinebat, tot et tam insperatis extremisq malis in tam praecipiti omniū discrimine et consternatione, utcunq valeret, visurus. Audiens itaq Tartaros ex Scarbimiria reversos esse, omnes arma sumere et sequi se iubet, et ad futurum praelium cum Tartaris, pro patria, pro coniugibus, pro liberis capessendum, singulos alloquens incendit, aut gloriosam victoriam, aut felicem mortem illos deducens relaturos. Iam Tartari oppidum Polaniecz ad flumē Czarna situm attigissent, et apud villam, quae maior Curseo vocatur, statiua habebant, dum illos Vulodimirus Cracoviensis Palatinus, cum caeteris Cracoviensibus militibus paucis tamen admodum, sed aut vincere, aut mori persuasis consequutus, subito aggressus praelium audacissime conserit. Verum etsi propter subitam inuasionem Vulodimirus magnam caedem in Tartaros ediderit et strenuissime cum illis pugnam gessent, tandem tamen sua paucitate Tartari conspecta, se inuicem cohortati, turma ingenti facta, aciem Polonorum frangunt, Polonosque vincunt. Adolescens tunc clarus et Spectabilis Nicolaus Przedmoiowicz, cum multis alijs fortissime pugnans, pulcherrima morte occubuit. Palatinus Vulodimirus non sibi sed patriae consulturus, ut esset, qui illam tutaretur, incolumis euasit, inter pugnandum tamen omnis captiuorum multitudo in propinquas et contiguas syluas diffugiens se recepit. Poterat tunc Polonus plena victoria de Tartaris potiuisse, sed, dum primis aciebus prostratis Tartarorum, Poloni auidius spolijs insiant, remissius tractando pugnam, gloria triumphi orbati sunt. Tartari etsi apud se victoriam remansisse viderent, strage tamen suorum multiplici, tanquam debellati et victi essent, perculsi, non amplius, nec a nouo et recenti inuadentium exercitu consistere in Polonia, aut praedas agere ausi, citato agmine mouentium suorum Tartarorum ex vulneribus, Sery viam procurantis Cardanza, in Zawichost, et exinde in Szczekow, sine cuiuslibet molestia perueniunt. Ubi in sylua magna quae Stremecz in polonico dicitur, aliquot diebus et noctibus, ut insequentis fallerent, finalem stragem et excidium, quae diuina propiciatione si quis vincere et congredi ausus esset, imminisset, veriti, latuerunt. Exploratoribus demum suis nihil hostile, sed omnia pacifica renunciantibus, sylua Stremecz egressi in Russiam redeunt, et ampliori in supplementum eorum, qui apud Curseo ceciderant, accersito exercitu, repetunt Poloniam, magno fremitu, magnaque ira ultionem de Polonis procita in se strage sumpturi, et partes quas superiori transitu vastauerant, pacifice praetergressi, dum apud Sendomiria duobus diebus statiua habuissent, exercitum suum considerata eius multitudine bifariam dividunt, et minorem quidem partem, ~~cui~~ cuius Kaydamy Ductor et Princeps erat, versus Lanciciam et Cuiaviam Ruthenis quibusdam opido Polonis infestis gressus eorum et itinera dirigentibus transmittunt, qui regiones illas sine aliquo obice crudelissime igne et caedibus vastarunt. Maior pars in qua solus praesidebat Batthi versus Cracoviam populatione latius extensa, contendit, et omnem oram versus Islzam oppidum et flumen Kamiona sitam, caedit et incendio pervastat, cuius et in hodiernum diem monstrantur et extant vestigia, strata enim inter villas Krandorzin et Krzczow Epales prope Islzam consistens, per quam Batthi Tartarorum Imperator ducebat exercitum, via Batthi in hodiernum diem appellatur. Creverant ex superiori certamine cum Tartaris apud Turscomiesto Polonis animi, et Tartarorum quantamcunque multitudinem contra se instauratam vinci posse, aut si id minus processerit, felicius in bello honesta morte defungi, quam domi aut in arce, aut in vijs, sylvis, collibusque turpiter, hosti vastanti patriam delitescere, rati, in campum copias educunt, et Duce suo Boleslao Pudico cum matre Grzimislawa et consorte Kinga apud Cracoviensem arcem relicto, Vlodimirus Palatinus, Clemens Castellanus Cracoviensis, Pacoslaus Palatinus, Jacobus Raczyborowicz Castellanus Sendomiriensis, cum caeteris Baronibus et nobilibus Cracoviensis et Sendomiriensis Ducatuum, Tartaris et eorum potentijs in Chmielnik villa prope Schydlow oppidum sita occurrunt, et nihil Tartarorum multitudine, quam et ab exploratoribus cognoverant, et oculis ipsi perviderant, deterriti, feria secunda in crastino Dominicae Iudica alias quintodecimo Calend. Aprilis, in solis exortu cum Tartaris congrediuntur. Tartari in duas turmas tum ingentes divisi, una tantummodo cum Polonis congressi, alteram paratam stare et pugnanti laborantique succursum facere iusserant, Poloni una acie unaque turma glomerati nullam in subsidijs quae laboranti proferret opem, propter gentium suarum paucitatem reliquerant. Cum prima itaque

Tartarorum turma, acies Polonorum, cuius laeuum cornu Palatinus et Castellanus Cracouienses, dextrū Palatinus et Castellanus Sendomirienses tenebant, fortissime Socijs aliquot dimicans, fortioribus Tartaris et his qui ordines ducebant caesis, eam primum loco cedere, deinde pedem referre, ultimo terga dare coegit. Verum Tartaris ex prima turma in secunda ad subsidia facile se recipientibus, secunda Tartarorum turma, in qua praestantiores bellatores erant, certamen illico iniit, et Polonos priori certamine aut fessos aut vulneratos plurimū obterere coepit. Adnitebantur optimi Duces Vulodimirus Palatinus, Clemens Castellanus Cracouienses, Pacoslaus Palatinus, Jacobus Raciborowicz Castellanus Sendomirienses pro victoria et non tam ducum, quam militum agendo officium, praelium in locis aliquot restituerant, sed tandem et ipsi cum fortissimis et optimis militibus communibus multis vulneribus pugnando pectore adverso confossi cadunt. Quorum occasus a Polonorum militibus aut conspectus, aut vulgatus animos illorum primum perterruit, post fregit, unde ab equitatu Tartarico Ducibus occidentibus obtriti et victi in fugam vertuntur, per quam etsi multi sylvis et notitia itinerū tecti evaserint, maior tamen pars exercitus Poloni in praelio illo gloriosam mortem pro fide, pro patria oppetijt. Inter desideratos vero fuere, Celstinus Sulkowicz de Myedzyrzecz, Albertus Stamporzicz, Nicolaus Vultzowicz, Zeminta Grambina, Sulislaus, militis et adolescentis strenui, et alij multi qui in acie animose et fortiter pugnaverant, et quorum laudem et constantiam universos Polonos commemorare et efferre convenit. A flumine autem Tartar. in regione Tartariae decurrentis, genus hoc atque lingua ad expiandas praevaricationis culpas et scelera Polonorū et caeterorum Christianorū, in conflatoriū deputata, Tartarorū nomen sortitum est. Prius enim gentis ipsa Mongoli appellabantur. A multitudine plerique eos Tartaros vocitari perhibent, lingua eorū enim multitudo Tartar appellatur. Sunt autem Tartari homines impij et tam

animo quam factis crudeles, brevis statura et tibiis, naso
plano et adunco, facie lata et imberbi, oculis brevibus et per
spicacibus, pectore distenso et largo, colore tetri et nigri, corpo
re robusti, lacte equino et carne atque sanguine, cibisque et carni
bus crudis et praesertim milio cruore equino mixto pascuntur,
panis, salis et omnium deliciarum osores, in omnem tamen li
bidinem et illecebram carnalem proclives et praecipites, fri
goris iuxta atque caloris patientes, parco ac parabili conten
ti cibo, in se civiles, benevoli, fideles, veraces, et humani, in
extraneos primum quidem blandi, sed temporis processu vafri,
callidi, et mendaces, ad petendum importuni, ad dan
dum tenacissimi.

Strage et occisione fortissimorum militum apud Chmielnik
iusto Dei occulto suo iudicio permittente, sequuta, in caeterorum
qui in Ducatibus Cracoviensi et Sandomiriensi relicti fuerant,
pectora, tantus pavor et mentis hebetudo irrepsit, ut plures
in Ungariam, alij in Almaniam diffugerent. Caeteri et prae
sertim agrestes cum coniugibus, pignoribus, et pecore, in pa
ludes, sylvas et in invia loca se conderent, ac singuli prout
quemque sors ferebat latebras quaesitum discurrerent, verentes
Tartarorum rabiem nulli aetati vel conditioni parsuram,
Sed et Dux Cracoviensis et Sandomiriensis Boleslaus Pu
dicus suorum caede apud Chmielnik audita, ex arce Craco
viensi, quasi et illic minus tutus foret, cum matre et coniu
ge sua felici Kinga, caeterisque carioribus corporibus et
rebus, et universali Ducali suppellectili ad socerum suum
Belam Regem in Ungariam effugit, Et Tartaris ex post
Ungariam vastantibus per Moraviam in Poloniam rediit,
longo tempore in castro Pieninie prope Sandecz ad fluen
ta Dunaiecz sito commoratus. Tartari autem post cla
dem apud Chmielnik patratam, Cracoviam in die Cine
rum pervenerunt, et eam vacuis hominibus, omnes quippe
in abdita loca diffugerant, reperientes, tam in Ecclesias
quam domos, et quaelibet loca saevientes, die festo Paschali
eam flammis incendunt, Et licet Ecclesiam Sancti An
dreae tunc extra muros civitatis sitam, in quam homines
pauperes et valetudinarij cum suis pignoribus, sarcinis,
et fortunis, in magno numero se receperant, Tartari
expugnare continuassent, credentes illic omnes fortunas
et opes

et opes urbis datas esse, Polonis tamen Calissiam prefatam magna vi magnoque animo defendentibus, ab eius oppugnatione Tartaros incepto irrito recedere, pluribus ex Tartaris super moenia occisis, coegerunt. Feria vero secunda Paschae exercitus alter Tartarorum ex Sendomiriensibus stationibus versus Lanciciam et Cuiaviam directus, regionibus illis et locis per quae ibant ferro et igne vastatis, et tam puberibus quam impuberibus interfectis, Cracoviam rediit, et suo Regi Bathi et altero exercitui, de quo inter Tartaros magnus celebratus fuit plausus, et exultatio, quod incolumibus utrisque et victoribus personalem visionem resumere licerent, sese coniunxit. Vastavit et tunc Tartaricus exercitus versus Lanciciam directus Vitoviensis Monasterium, et omnes sanctimoniales, praeter tres, quae in sylvas effugerant, barbarica occidit rabies, propter quod processu temporis sanctimoniales Monasterij praedicti translatae fuerunt in Busthko Cracoviensis Dioecesis, quasi in locum magis tutum, Abbatia vero Bussen ex Busco translata in Witow. Haec igitur plaga iusto Dei iudicio in populum Christianum caelitus permissa, tremor corpora concussit, timor et hebetudo mentes universos occupavit, ita ut pavidi et stupidi ad invicem se conspicientes et tanquam amentes remedio consolationis sibi mutuo non possent subvenire; fuga igitur, qua nihil tutius arrepta, alij in Ungariam, alij in Slesiam, et in alias provincias abierunt, pauperes vero in sylvas fugerunt, et Boleslaus quidem filius Lestkonis cum matre ad Regem Ungariae, cuius filiam anno gratiae M° CCXXXIX acceperat in uxorem divertit. Sed cum propter Tagarnorum potentiorem insultum tristiorem statum incurrisset, in Moraviam fugiens claustro Cisterciensium commoratur

Urbe Cracoviensi vastata, et incendio consumpta, Bathi Tartarorum Rex cum agminibus suis versus Vratyslaviam, Sane quippe secundam Polonorum urbem magis famosam et insignem duxerat, contendit et per oppidum Ratiborium ducunt agmina fluvium Odra, illic pontes singulos disruptos et exterminatos reperiunt, aut vado aut navigatione, qua Tartari ultra omnes nationes orbis pollent, superant. Unam autem turmam Tartarorum Odram transgressam, et discursione praedandi gratia incautius agentem, Mieczslaus Casimiridis Opoliensis Dux inito certamine superavit, et usque ad internecionem delevit. Sed cum universum Tartarorum agmen necem suorum vindicaturum celerius supervenisset, Dux Opoliensis Mieczslaus multitudine eorum conterritus ad fratrem suum Henricum Vratislaviensem Ducem, filium Ducis Henrici cum barba, quem et ex proprijs et ex auxiliarijs contra Tartaros parare exercitum cognoverat, in Legniczam, ubi Henricus cogebat exercitum diffugit, satius unitus Henrico contra Tartaros, quam proprijs viribus dimicaturus. A Ratiboriensibus statimque Tartari citato cursu ad Vratislaviam applicant, quam cum civis pavore simili quo et Cracovienses unumquemque pervadente, adeo ut magis preciosis tumultuarie et raptim comprehensis, civitatem non solum victualibus, sed et opibus pluribus refertam, certatim quasi Tartari coram adessent diffugiendo reliquissent, milites et gentes Henrici de arce quam tutandam assumpserant egressi, et opes et victualia magna celeritate in castrum inmittunt, et tum demum evacuatam urbem solerti consilio usi, ne Tartari eius vel tectis potiri possent, et de eius conflagratione gloriari, vel illic figere statiua, incendijs flammis incendunt. Exustam autem et tam hominibus quam rebus quibuslibet Tartari reperientes Wratislaviensem urbem vacuam, castrum Vratislaviense circumvallant. Verum cum obsidionem in dies aliquot, expugnatione non tentata, protraxissent, frater Czeslaus ordinis praedicatorum natione Polonus et Monasterij S. Adalberti in Vratislavia primus prior, qui et ipse in castrum Vratislaviense cum fratribus sui ordinis et alijs Christi fidelibus confugerat, oratione cum lacrimis ad Deum effusa, obsidionem depulit eo secundum in oratione persistente columna ignea de caelo demissa super caput eius descendit, et universũ territorium atq; locum civitatis Vratislavien̄ stupendo atq; inenarrabili fulgore illustravit, Quo prodigio Tartarorum pectora adeo in pavorem stuporemq; conversa sunt, ut obsidione soluta fugerent, magis quam discederent. Interim Tartari qui in Cuiaviam iverant, cum his qui de Cracovia venerant, in territorio Vratislaviensi feria secunda Paschae coniuncti, terram igne devastantes, populum sagittis et Rompheis perimentes, in Legniczam proficiscuntur

Tartari et ab exploratoribus proprijs et ab agrestibus, qui in illorum manus incidebant, docti, apud Legnicensem civitatem plures Catholicorum gentes convenisse, illuc ire pergunt, et a Vratislavia versus Legnicense oppidum, omnia in circuitu dantes in flammas, reflectunt iter. Foemina Beata Hedwigis quae in Monasterio Trzebnicensi cum virginibus virginitatem et religionem Cisterciensem professis, morabatur, non tam sibi metuens, quam Sanctimonialibus, ex Trzebnicensi loco neq; arte neq; natura munito, in Crosnam castrũ in confluentia fluviorum Odra et Bobr situm, tam se quam sorores, et universa quae Monasterij erant, item Annam Ducissam filij sui Henrici consortem, et plures alias nobiles foeminas et matronas traduci procuravit, et in illo per omne tempus quo Slesia ora a Tartaris vexata est, quievit. Henricus Dux Vratislaviensis filius eius dum haec aguntur, tam Poloniae maioris, quam Slesiae milites et armigeros, sed et rusticanos et agrestes homines, spe potiunda de Tartaris victoria quamimaxime fretus, in arma coegerat nonnullosq; dato donativo conduxerat, plures voluntarij et cruce signati, tum enim authoritate Apostolica in multis regionibus crux contra Tartaros velut crudeles et publicos Christianae religionis hostes praedicabatur, se illi coniunxerat. Item Mieczslaus

Dux Opoliensis, item Boleslaus Marchio Moraviae filius Dypoldi exulis, et nepos germanus Henrici cum barba ex sorore germana Adleyda, qui Schepolka cognominatus est cum militibus suis, item Pompo de Hosterno magister generalis Cruciferorum de Prussia et fratres militiae ordinis sui laturi in id bellum solatia Henrico advenerant. Quem nec duplex clades in Turszko et Chmielnik Polonis per Tartaros inflicta, nec Tartarorum fortissima et quae dinumerari vix possent agmina, nec suarum gentium paucitas, a futuro certamine revocabant, In quamcunque partem eventus futuri certaminis recideret, sic tam ipse et animo quam voce et sonora in cunctos declaratione portendebat, pluris eam victoriam, maiorisque celebritatis, maiorisque numinis existimans debere, per quam illum occidi in corpore, triumphare in anima contingeret, veriorem sibi et immortalem triumphum et sibi ducens et militibus offerens, si tam se quam illos in praelio pro fide et religione Christiana occumbere feliciter, quam relata victoria vivere et labe aliqua pollui contigisset. Cum Tartaris itaque dimicaturus, priusquam copias ex Legnicza ubi conventus militum agebatur, educeret, tam se, quam universos Barones milites et eos qui ordinum erant ductores, missa solenniter et devote in Ecclesia Beatae Mariae Virginis Legnicensi decantata, viatico sacro, confessione praemissa signari, deinde a matre optima et benedicta Hedwigi Ducissa, ut id bellum fortissime et constanter ageret, animatus est. Quae quamvis illum occisum iri, et suum omnem exercitum clade grandi in futuro certamine victum iri spiritu revelante cognovisset, et tam necem filii quam sui exercitus ruinam uni ex sanctimonialibus, nomine Adelheidi, et magis religiosae et sibi magis familiari praedixisset, non tamen filium ab incepto opere revocabat, aut dehortabatur, sed neque aliquem maerorem aut fletum emisit, vel maestum et turbatum gessit vultum, quinimo eundem hilaritatis tenorem et in pectore et in vultu retinuit, iuxta ac si illum et suum exercitum victorem et incolumem reverti praesensisset, conformans se in singulis et gestu et animo, divino beneplacito, et eius irrefragabili, et semper in optima quaeque dirigentis voluntati.

Ex Legnitzensi oppido Henrico Duci cum suis agminibus in bellum cum Tartaris gerendum egredienti, lapis de vertice Ecclesiae beatae Mariae, in qua pridie pro sua et exercitus sui incolumitate, Maiestati diuinae libamina oblata erant, prolapsus, iuxta caput Henrici Ducis in splendore armorum suorum obequitantis procidit, parumque abfuit quin testam capitis Ducalis non rumperet. Quae res apud omnes aut in religionem versa, aut pro infesto omine, quemadmodum erat, sumpta, futuri discriminis periculum, in quod Dux Henricus et suus exercitus ex conflictu periturus erat, infallibili argumento ostentabat. Suburbana oppidi Legnitzensis praetergressus, in planis et campestribus, quae fluuius Nissa circumfluit, exercitum et acies ordinat, et quadrifariam agmina partitur. Agmen primum tenebant cruce signati voluntariique milites ex variis linguis nationibusque collecti, ad quorum supplementum, quatenus densiores fierent ordines, cum peregrini milites ad id parum sufficientes essent, auri fossores ex oppido Goltperh, illic enim auri fodinae erant, adiuncti sunt. Id Boleslaus Marchionis Moraviae filius ducebat, alterum Cracovienses et Maioris Poloniae milites, quos Sulislaus frater Vladimiri Palatinus olim Cracoviensis praeerat, tertium Opolienses milites, quos Dux Mieczslaus Opoliensis ducebat, quartum Pompo de Hostirno magister generalis Prussiae cum fratribus et militia sua, quintum solus Dux Henricus tenebat, in quo Slesitae et Vratislavienses erant armigeri, et meliores, praestantioresque ex terris maioris Poloniae et Slesiae milites, et nonnulli alii mercede conducti. Totidem erant Tartarorum agmina, sed multo viribus, robore, et frequentia pugnatorum praestantiora, et quorumquodlibet per se omnia Polonorum agmina excedebat. In campo itaque qui bonus campus, sive a soli ubertate, sive quod in omnes partes porrectus et latus est, dum uterque exercitus quinto Idus Aprilis die feria se

cunda

cum dies post Octavas Paschae convenisset, crucesignatorum et voluntariorum militum et aurifossorum exercitus primus pugnam, id enim munus magno studio efflagitatum, permittente Duce Henrico, consequutus fuerat, coepit. Magno impetu ab utraque parte concursum est, et crucesignati atque peregrini milites primos Tartarorum ordines lanceis confregerant, gradumque promovebant. Sed cum gladiis comminus agi res coepisset, crucesignatorum et peregrinorum militum a Tartarorum sagittariis undique circumdata acies, adeo ut illi per catervas Polonorum ab eis succurri sine discrimine non posset, labefactata et deinde multitudine sagittarum, cum et in ea plures nudi et inermes essent, non secus quam si tenera arista a grandine percussa, obtrita est, ubi Boleslao Dipoldi Marchionis Moraviae filio, ceterisque primorum ordinum militibus cadentibus, residui qui et ipsi Tartarorum sagittis confecti erant, ad Polonorum agmina refugerunt. Duo deinde Polonorum agmina sub Sulislai militis et Mieczslai Opoliensis Principis consistentia ductu succedunt in pugnam, quam cum tribus agminibus Tartarorum, involumines pro sauciis subire facientium, feliciter et constanter gessisset, stragemque ingentem in Tartaros cum edidisset, Tartarorum acies primum pedem referre, et Poloniis acrius contra perculsos instantibus, mox etiam verti in fugam coactae sunt. Quidam interea de Tartarorum agminibus et an Ruthenicae vel Tartaricae nationis esset, incertum habetur, celerrimo et vago passu hinc inde circa utrasque acies discurrens, terribilem utrumque exercitum dissona adhortans lingua, edebat clamorem, et Polonica quidem lingua vociferabatur, biegaicie biegaicie id est fugite fugite, Polonis ingerens formidinem et pavorem, Tartarica vero lingua Tartaros ad pugnam et perseverantiam hortabatur. Ad hanc vocem Dux Opoliensis Mieczslaus, non hostem, sed proprium et amicum, et ex compassione non vafricie credens ista vociferatum esse, deserto praelio fugit, magnamque militum com

praeym

praecipue qui sibi in tertio agmine parebant, catervati in similem fugam traxit. Quo ex eorum visu et aliorum relatione ad se perlato, Henricus Dux ingemiscens lamentari coepit dicens, Gorzey sie nam stalo, id est magna afflictio accidit nobis. Nihil tamen Mieczsla~~us~~ui fuga et eorum qui sub agmine suo erant deterritus, quartam suam aciem ex melioribus et fortissimis pugnatoribus compositam in praelium subducit, et tres acies Tartarorum a prioribus Polonorum Ducibus acriter debellatas, et dissipatas, fortius quo potest prosternit, ac obtruncat, fugamque capessere impellit. Sed quarta Tartarorum acies in qua Rex Bathy erat, omnibus tribus maior, superveniens pugnamque in integrum restituit, et laborantibus atque dissipatis Tartaris opem fert, terribilique impetu in Polonos invehitur. Sed non referentibus Polonis pedem, pro victoria quoque consequenda annitentibus, bellum acerrimum aliquanto tempore durabat inter utrosque, in quo primoribus Tartaris magna ex parte caesis, non longe aberat, ut Poloni plena victoria potirentur, iam siquidem Tartari ordinibus eorum varie fractis spectare ceperant in fugam. Erat in Tartarorum exercitu inter alia signa vexillum perimmane in quo tale signum X depictum videbatur, in summitate vero hastilis vexilli imago capitis tetri et nigerrimi cum mento barbato habebatur. Signifer itaque illius vexilli Tartaris ad unius stadij spacium pedem referentibus, in fugamque proruentibus, caput quod hastili supereminebat, fortius quo poterat quatere cepit, de quo illico vapor, fumus, et nebula, tam faetidissima exhalavit, in totumque Polonorum exercitum se superfudit, ut prae horrendo et intolerabili foetore pugnantes Poloni paene exanimati et extincti, et ad pugnandum imbelles et invalidi redderentur. Constat siquidem Tartaros ab origine sua et usque praesens in tempus divinandi, auguriandi, incantandi artes et studia semper in bellis et extra usos fuisse, et illam etiam in certamine cum Polonis tunc gesto exercuisse, nec inter barbaras nationes altera reperitur, quae ut sunt sortilegiis, divinationibus, et incantationibus quantum haec, cum quid agendum est, magis confidat. Tartarorum itaque exercitus intelligens Polonos iam fere victores, ex nebula, fumo, et faetore magno pavore et quasi quadam desperatione percussos esse, clamore horrido sublato, in Polonos se vertit, et aciebus eorum quae in id tempus integrae erant, disruptis, strage magna, in qua Boleslaus Dux Opoliensis Marchionis Moraviae filius dictus Sobiepolka cum multis aliis insignibus militibus fuso cruore necatus est, et Pompo Cruciferorum Magister de Prussia cum suis magna clade obrutus, Polonorum residuum agmen in fugam vertit. Henricum tamen Ducem fortissime pugnantem nondum suus exercitus deseruerat, ceteris tamen Polonis fuga lapsis, ita a Tartaris corona circumfusus est, ut a tergo et fronte caederetur. Non obiit tamen pugnam omisit, sed obvios quosque interimendo Tartaros penetrare eorum multitudinem nitebatur, facile tamen paucitas a multitudine absumpta et obruta est. Iam circa Ducem Henricum non nisi quatuor milites versabantur, Sulislaus frater Vladimiri Palatini Cracoviensis, apud Chmielioviis, Clemens Palatinus Glogoviensis, Conradus Conradowicz, et Ioannes Iwanowicz, aliis itaque certamini intentis, Hi quatuor Ducem Henricum ne in discrimen necis incurreret, quanta possunt vi et conatu ex acie et praelio educunt, et penetratis hostibus ordinibus principem incolumem servaturi, quo minus acerba minusque faeda principe servato clades esset, ad fugiendum se disponunt. Respondisset forsitan eorum proposito effectus, sed Ducalis equus multis sauciatus vulneribus subsistebat, Dux itaque Henricus ex insignibus regentibus, per Tartaros veloci concursu consecutus, cum tribus militibus, quarto Ioanne Iwanowicz, ab illis segregato, vallatus est, cum quibus suis tantummodo tribus stipatus militibus aliquanto tempore decertabat, Et licet Ioannes Iwanowicz equum recentem a Rosczlao cubiculario Ducali receptum

Duci penetratis hostium cuneis exhibuisset, Dux quoque Henricus illo assumpto Joannem Iwanowicz qui sibi viam inter hostes praeparabat sequutus, evadere adnixus esset, Joanne tamen Iwanowicz in ipso cursu vulnerato, et nihilominus evadente, Duci Henrico cursus et evasio intercipitur, et tertio a Tartaris vallatur. Omni itaque spe quatenus evaderet destitutus, animatusque iterum nunc dextra nunc sinistra contra Tartaros audacissime dimicat. Verum dum manu dextra elevata, Tartarum sibi obviam ferire vellet, ab altero Tartaro lancea sub axilla transfixus ex equo demisso brachio moribundus defluxit. Quem Tartari clamore ingenti et vocum monstrorum strepitu sublato capiunt, et extra aciem in locum, quantum geminatus est balistae iactus, pertractum, framea caput abscindunt, corpus insignibus et omnibus detractum nudum relinquunt. Sed et magna Baronum et nobilium Poloniae multitudo in praelio huiusmodi pro fide et defensione religionis Christianae felici martyrio consumpta. Inter quos et superius retulimus Sulislaus frater Vladimiri Palatini Cracoviensis, Clemens Palatinus Glogoviensis, Conradus Conradowicz, Stephanus de Wierzbna, et Andreas filius suus, Clemens Andreae filius de Pelczincza, Thomas Piotrowicz, Petrus Kuza fuerunt magis clari et insignes.

Quam quidem universam cladem et filii mortem beata Hedvigis in Crosna degens per spiritum ea qua acciderat hora cognoscens, Adelheidi virgini revelavit. Nota. Joannes Iwanowicz consequentibus eum novem Tartaris, dum fugiendo duobus suis armigeris, et Luzmanno militi duos similiter familiares habenti, iunctus et aggregatus, in novem Tartaros suos persequutores, in quodam vico a loco praelii uno miliari distanti, se reficientes, quamvis xij vulneribus transfossus erat, et octo ex illis occisis nonum pro captivo servavit, ordinem quoque praedicatorum, praedicto tempore ingressus religiosi et devoti, quod in tam grandi discrimine a domino caeli protectus fuerit, vitam egit. Mieczslaus vero Dux de Oppol cum paucis evadens in castrum confugit Legniczensi; indignus cui laurea martirij cum tot militibus pro fide Christi contigisset

Maxima Victoria de Duce Henrico et suo exercitu, caeterisque Ducibus suis auxiliatoribus Tartari potiti, laeti spolijs et vnicuiusque occiso quatenus numerus interemptorum sciri posset, vna auricula abscissa, novem grandes saccos usque ad summum auriculis replent. Et Ducis Henrici capite in hastam longiorem erecto, ad Legniczense castrum, oppidum enim metu Tartarorum exustum fuerat, applicant, caputque Ducis Henrici castrensibus ostentant, et per interpretem quatenus sibi Duce suo Henrico victo et occiso castrum aperirent, mandant. Sed a castrensibus, convenienti responso edito, qui pro uno interfecto Duce, plures illius Duces filij optimi Ducis Henrici superessent, vastatis et incensis his, quae circa Legnicz sunt, villis, in Othmuchow se conferunt, ubi quindecim diebus continuando stativa omnem per circuitum regionem vastant, et exurunt. Exinde Ratiboriensem oram adeunt, et in Bolesicsko diebus octo demorati, in Moraviam cum magna caede secedunt. Corpus Ducis Henrici post dies plures Tartaris Ratiboriam abeuntibus ad sepulturam quaesitum, dum inter cadavera eo quod testa truncum esset, dignosci non posset, relicta sua Ducissa Anna signum dante, quod in pede laevo sex digitos haberet, tandem repertum est, et in Vratislaviam deductum. In Ecclesia Sancti Jacobi apud fratres minores solutis omnibus quae tanti principis et athletae Dei funeri solemnia erant, in chori medio sepultum. In eodem insuper Sancti Jacobi Monasterio corpora Pomponis Magistri Prussiae, et fratrum suorum, Clementis Palatini Glogoviensis, Sulislai fratris Vladimiri Palatini Cracoviensis, Conradi Conradowicz, Stephani de Virbna et filij sui Andreae, Clementis, Thomae Piotrkowicz, Petri Dusza, et aliorum humata sunt. Faemina benedicta Hedwigis Henrici cum barba Ducis Wratislaviensis relicta, dum ad se nuntius tristis, occisionis filij Henrici et totius sui exercitus denuncians, perlatus esset, omnem animi maternum motum in potestate habuit et neque lacrimas emisit, sed nec tristem vultum gessit, Ducissam insuper Annam filij sui Henrici relictam, et Sanctimoniales tam ingenti dolore afflictas ut pene mortuae crederentur, a fletu et lamentatione cohibebat, asserens casum cladis illius ex Dei voluntate quae sibi ante innotuerat procedentem, grate potius quam moleste ferri oportere. Tunc quoque exultans spiritu, elevata in Deum devotione depromebat. Glorifico te inquit clementissime Deus quod talem filium te donante genuerim, qui in omni vita sua debitum semper mihi praestitit honorem, charitatem, et famulatum, neque unquam praestitit se mihi aut molestum aut offensivum, quem etsi pro conditione mortalis huius et caducae vitae optarem semper mihi vivere et incolumem esse, magis tamen de illo glorior et exulto quod per suum sanguinem pro te et tua religione effusum, redditus est tibi suo creatori, cuius animam supplex et prostrata tuae Maiestati humiliter commendo. Corpus Boleslai Dipoldi filij Marchionis Moraviae in Lubensi Monasterio in conversorum Choro sepultum est. Super caetera corpora fidelium quae in praelij loco sepulturae mandata sunt, Ecclesia in hanc etiam diem durans constructa. Cladis Tartaricae magnitudo et acerbitas etiam ex literis Summi Pontificis potest deprehendi. ita enim in literis Apostolicis, Crucem datam pro subsidio Poloniae contra Tartaros, scriptum reperimus. Cor ro varia sunt et diversa et admodum gravissima quae sine interpositione animum nostrum premunt, videlicet urgens negocium terrae sanctae, instans tribulatio Ecclesiae, et miserabilis status imperij Romani, sed ut verum fateamur, istorum omnium et nostri etiam obliviscimur, dum persequutionem Tartarorum cogitamus, nam pensamus ne per huiusmodi Tartaros pereat quod absit nomen nostrum nostris temporibus Christianorum, consideratio sola omnia ossa nostra confringit, medullas exsicat, corpus macerat, spiritus et virtutes extenuat, tantumque nobis affert angustias et dolores, quod in extasi quodam modo positi nescimus quo nos vertere debeamus

Non minor caedes et strages fidelium per Tartaros in ipso eorum in Moraviam ingressu sequuta est, Rege siquidem Wenceslao Bohemiae, in castris et tutis locis se continente, Tartari per omnem Moraviam libere grassati uno et amplius mense tam incendijs qua caedibus et varijs cruciatibus, nemine aut resistere, aut ferre audente opem, in Moravos debacchati sunt. Statiua autem illis iuxta Olomunez habentibus, Dux unus Tartarorum apud suos tam genere quam armis vir magni precij, cum paucis suis ad moenia urbis incautius progressus, a militibus Moraviae, suis cum deserentibus, captus est, Captivatori cuius ob virtutis insigne, et stella pro armis et castrum Sternbarch a Wenceslao Duce Bohemiae donata. Cuius captivitas dum in Tartarorum exercitu vulgata esset, magnus rumor et eiulatus de captivitate tanti Ducis in castris eorum, etiam ab Olomucensibus exaudiebatur. Cuius liberationem, dum nec terroribus nec aliorum captivorum relaxatione efficere valuissent, desertoribus suis, et sui corporis custodibus Olomucensibus traditis, quasi Olomucenses magis in eos quam Tartari animadversuri essent, ab Olomunez discedunt, et septimis castris Ungariam perveniunt, ac illam flammis et incendijs atque caedibus crudelissime pessundant.

Audiens Bela Hungariae Rex Tartarorum Duces Batsy et Haydanum cum pluribus legionibus et innumerabilibus catervis, Tartarorum bigas quadrigas uxores pignora et imbellem aetatem, pluraque impedimenta secum ducentibus, regnum suum Ungariae introijsse et illud in magna iam parte pervastasse: Ex omni Regno suo militibus et bellatoribus versus flumen Crisza, tam ex equite quam pedite convenire iussis, in campum una cum Colomano nepote suo germano, et Curiensibus militibusq suis descendit, Ad quem cum frequens Baronum et pugnatorum numerus in magna multitudine, etiam magister templariorum cum fratribus ordinis sui confluxisset, etiam Canonici Pontifices videlicet Matthias Strigonien. Ugrinus Colocen. Archiepiscopi, Gregorius Jauriensis Episcopus et fere universi Ungarorum Episcopi cum arcubus et turmis armatis, signisq extensis, quasi ad bella armaq gerenda, non ad sacrificia pro delictis Dominum expiandis offerenda, ordinem suscepissent, convenerunt, Invasionem autem nocturnalem Bela Rex a Tartaris veritus, exercitum suum omnem in spatium coarctavit angustum, et per plures dies illic tenuit stativa, sub quibus Tartarorum princeps Bathy, tabernacula Ungarorum, denunciantibus exploratoribus, compressa et coarctata intelligens, primoribus sui exercitus convocatis, nullam industriam, nullam prudentiam, nullam militaris disciplinae peritiam, in Ungaris, qui se tam arctis spatiis in stando compresserant, docet, ipsosq in pugnam crastina die invadendam animat, corporaq curari iubet, Cumq altera illuxisset dies, ordinatis arcubus, in Ungaros irruit, Et quamvis aliquanto tempore primae Ungarorum acies restitissent, et fortissime dimicassent, ad extremum tamen abundanti Tartarorum multitudine conflictae et caesae sunt, quibus cadentibus caetera omnis multitudo Ungarorum in fugam dilapsa est, maior autem fugientium pars Tartaris persequentibus in paludem intrare coacta aqua et luto suffocata perijt. Ubi duo Archiepiscopi Strigoniensis et Colocensis, et Gregorius Jauriensis Episcopus, cum magna multitudine sacerdotum extincti, quibus sacrius fuit, si unumq populum pijs votis lachrimis et precibus in sacris actionibus commovando commendari tremendae maiestati divinae.

quam attingi gressibus, et obumbrari noctis densisque in castris. Unde factum est ut qui uno agmine ibant ad vetitam pugnam uno interitu involverentur ad paenam. Non solum autem pontifices et sacerdotes caeterosque Ecclesiasticos viros, sed et plerosque milites et pugnatores mortis metu fugientes, palus huiusmodi limosa dum nec progredi, nec stare aut fugere, sed nec in hostes committi, et honeste fundere animam, luto obliti et capti liceret, extinxit. In ea clade magister templi cum plurimis militibus sui ordinis, item Baronum et militum Ungariae insignis ordo occisi. Ambo tamen principes dum suos cecidisse, et Tartaros praevaluisse animadverterent, ex praelio diffugiunt, et Bela quidem Ungariae Rex fugiendo in Austriam divertit, et illic in castro quodam se per plura tempora condidit. Colomannus vero nepos Regius fugiendo in oppidum Pesth pervenit. Ubi notabilem exercitum ex Ungaris et advenis collectum offendens, magnopere illi discessionem dispersionemque asserens eius adversus Tartarum potentiam tenues esse vires persuasit. Verum cum sedare non posset, agrestis enim et inculta multitudo nulla sana consilia accipiebat, in Austriam et ipse divertit, et in quodam castro latuit, expost vero in Zagrabiam venit.

Victoria de Rege Bela et suis exercitibus Batsy Tartarorum Dux relata in magnam superbiam, audaciamque erectus, victorem exercitum versus Pesth duxit. Ille enim maxima advenisse Christianorum agmina ab exploratoribus suis convenisse audierat. Praelio autem ab utrisque inito, tribus diebus acerrime pugnatum est. Et quamvis Ungari caeterique Christiani pro victoria adnixi fuissent, tertia tamen die ad vesperam cessit Tartaris, ex occulto iudicio Dei, victoria, et reliquiae miserabilis et miserandi exercitus a Tartaris absque ullo pietatis respectu deletae. Centum et amplius Christianorum millia eo praelio per triduum interfecta, ad oppida, vicos, et rura per Tartaros discursum est, et omnis sexus, omnis conditio, omnis aetas trucidata, Et licet Sacerdotes et Monachi caeterique Ecclesiastici cum processionibus et reliquiis Sanctorum illorum placaturi furiam, eorum adventum exciperent, Tartari tamen omnibus Ecclesiasticis et ministris Dei crudelissime cruciatis, vasa Ecclesiae concupiscibilia suis nefariis usibus applicantes, reliquias Sanctorum passim per terram dispergebant, Ecclesiasque incendebant, Oppidumque etiam Pestiense spoliatum ignibus subjecerunt, et dum nonnulli Oppidani caeterique qui se ex fuga receperant in multitudinem decem milliū hominum ad Monasterium praedicatorum confugissent, et illic se tutos defensione interposita putarent, Tartarorum rabies Monasterium impugnare adorsa, faciliter illud conquirit, et omnia illa decem hominum millia promiscui sexus igne involuit, et extinxit. Dum demum in castra Tartarica plura captivorum millia ex Ungaris et foeminis eorum adducta fuisset, mulieres Tartaricae saevissima crudelitate in omnes mulieres Ungaricas, quae speciem aut formositatem aliquā habere videbantur usae, aut illas interficiebant, aut naso, labiisque et auribus, ut deformes efficerentur, truncabant, veriti ne viri earum specie et forma capti, ipsis contemptis, alienigenis adhaererent Sed et pueri Tartarorum matribus eos informantibus et instigantibus in pueros et adolescentes captivorum Ungarorum saeviebant, fuste semel atque iterum capita eorum usque ad cerebri effusionem verberando, usque Tartaricus puer efficiebatur commendabilior, qui fortius et uno ictu Christianum puerum usque in mortem cecidisset

Clade Ungarica vulgata adeo vicinas Alamanorum regiones terror pervaserat, ut etiam Romanorū Imperator Fridericus, a summo sollicitatus ut ferret opem Christianis, pontifice, non de resistendo, sed de transfugiendo et latitando cogitationes versaret

REx Bela de ossibus Sanctorum curam gerens misit in Albam regalem, et corpus Beati Stephani cum aliorum Sanctorum ossibus et clenodiis vestibus ornamentisque Ecclesiae per consortem suam Mariam reginam et filium parvulum bernum ad regiones maritimas ad Spoletū trāsmisit. Reginam multae nobilis matronae sequutae sunt ex Ungaria.

Sub hoc tempore Rex Colomannus moritur, et in Monasterio Praedicatorum apud Czasmam sepelitur

Post obitum Henrici Cracoviensis et Wratislaviensis, ac maioris Poloniae Ducis, a Tartaris in praelio Legnicensi occisi, Barones et milites Cracovienses, Sendomirienses et Lublinenses, qui cladi Tartaricae superfuerant, terras praefatas Boleslao Calvo filio Henrici commendaverunt, subiicientes se et terras praefatas eius ditioni et potestati. Qui earum possessionem nactus Clementem filium Stanislai de Ruszcza Palatinum Cracoviensem constituens, caeteras quoque dignitates, officia et magistratus in alios Barones et milites distribuit. Aegre id ferens Conradus Masoviae Dux et spretum se a Cracoviensibus Baronibus dolens, ulcisci iniuriam suam quamprimum statuit. Conventumque ob id, assumptis tribus filiis Boleslao, Casimiro, et Semovito, assumpto et Andrea Plocensi Episcopo, caeterisque Consiliariis et primatibus suorum principatuum, conventum personalem cum Swantopelkom Pomeraniae Duce agit, implorans illius contra Boleslaum Calvum, Wratislavienses et Cracovienses milites solatia. Is etsi se de personali auxilio ferendo variis allegatis causis excusasset, gentium tamen suarum agmen se missurum spopondit, et in tempore constituto misit

Ungarorum Rege Bela et exercitu eius Tartari conflicto et profligato, universoque regno Ungarorum pervastato, sedes suas, quasi regnum illud in perpetuam haereditatem accepturi, in Ungaria ponunt, et in campestribus inter Strigonium et Iaurinum sitis, planiciem proportionatam et in omnes partes aequaliter porrectam habentibus stativa figunt, tabernaculaque in morem suum erecta, sum et pro quolibet tabernaculo speciali fovea disposita constituunt. Ubi prope biennium immorati, Ungariam pro parte maiori agrestibus tyrannidem eorum ferre non valentibus redigunt in solitudinem, et desolationem. Sed nec furor domini contra Cracoviensem urbem quievit, sed manus adhuc eius super eam extenta. Bela siquidem Rege debellato, agmen Tartarorum per Scepusiensem oram citato et celerrimo cursu in Cracoviam venit, et habitatores eiusque illius inermes et imparatos reperiens, graviorem priore caedem tamen in eos quam in Polonos residuos, nulli conditioni vel sexui deferens fecit. Unde et quendam Sacerdotem, inclusum, cui Bathy Rex in palmis vitam concesserat contulerat occiderunt, et spoliatis urbis reliquijs per Oswiecimensem regionem in Ungariam ad stativa quae in Saio dum armantur redijt, quorum numerus et magnitudo etiam ex ipsis stativijs potest aestimari. Ad Tartarorum rabiem etiam bestiarum rabies accessit, aquilae, lupi, et vulpes in Ungaria grege facto homines solitarios gradientes invadunt, et vivos crudelibus victibus devorant, et dilacerant. Adeo insuper Sanomicas terras Tartari per hiemalem suam mansionem et praedas spoliaque in solitudinē redegerant ut prae famis angustia matres puerorum suorum carnibus vescerentur et plerique pulvere cuiusdam montis pro farina utentes miserabilem vitam utcunque duxerant. Tantus autem timor accidit super omnes posthac incolas, ut quilibet aestimaret ex eorum insultu qualibet die sibi mortem imminere, et terram cum populo perituram, et hic timor multis annis nobiles et ignobiles satis angariavit et afflixit

Altera Cracoviensis urbis per Tartaros facta vastatione Conradus Masoviae Dux cognita, sciens nepotem suum Boleslaum pudicum Cracoviensem Ducem in Ungariā deinde Moraviam a facie Tartarorum transfugisse, et praesentiens Cracovienses, Sendomirienses, Wratislavienses et Opolienses milites, ipsum quoque Henricum Ducem Wratislaviensem, Ducis Boleslai pudici auxiliatorem in bello cum Tartaris gestis occubuisse, et Cracoviensis ac Sendomiriensis provincias pene vacuas esse, occasione temporis invitatus, maximo quoque affectus dolore Boleslaum calvū filium Henrici Wratislaviensis, in dictos principatus successisse, inducit in animum, ut illas iuris sui faciat. Exercitu itaque ex Masovia et Cuiavia militibus, item ex militibus Pomeraniae sibi per Swantopelkum Ducem Pomeraniae missis, item ex auxiliarijs Ruthenis et Lithuanis, quanto fortiori poterat, congesto, advenit, et utramque provinciam Cracoviensem videlicet et Sendomiriensem, omnesque arces et munitiones illarū, omnibus se ultro illius potestati, et regimini, cum Ducem suum Boleslaum pudicum amplius crediderint non venturum, dedentibus occupavit. Zegotha siquidem de byenibus cum sua societate et genealogia illi adhaesit, Clemens vero de Ruszcza Palatinus Cracoviensis supradictus, et alij, castrum, quod Skala dicitur, intraverunt, volentes illud defendere nomine Boleslai Ducis Wratislaviensis

Conradus vero omissa castri Shala expugnatione, castrum in Cracovia aedificat, incipiens ab Ecclesia beati Vencislai, a sanctuario altaris beati Thomae, tendens ad Ecclesiam Sancti Gereonis, et inde usq; ad Ecclesiam beatae Mariae rotundam, rebusq; taliter dispositis in Mazouiam est reversus. Interim Boleslaus Calvus iniuriam rescissurus, congregatis suis et nonnullis Teutonicis Cracoviam accedit, dumq; castri munitionem non posset expugnare, Conradus cum exercitu validiori supervenit, cum quo non ausus pugnare recessit. Clemente Palatino in castro Shala relicto.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS

Possessionem plenam Cracoviensis Sendomiriensis et Lublinensis Ducatuum, Conradus Masoviae et Cuiaviae Dux nactus, graves illico universis imponit exactiones, easq; et per se et per officiales ac praefectos suos omni miseratione neglecta exigit et extorquet, et non solum cives et oppidanos agrestesq; colonos, sed et clerum militesq; insolitis dacijs ac tributis affligit, ad aedificationem novorum castrorum et instaurationem veterum omnes passim impellit, ratus occupationem praefatorum Ducatuum non nisi per subditorum, ne ad calcitrandum prorumperent afflictionem et tyrannidem sibi posse fieri diuturnam. Qua propter vociferatio et clamor tribulatorum per singula loca audiebatur, quaerentium se post miserabilem vastationem et caedem, post clades et strages frequentes, per Tartaros factas, miserabilius et calamitosius a proprijs opprimi et gravari. Missi extemplo in Ungariam et Moraviam crebri perquisitores et nuntij, qui Boleslaum pudicum Ducem Cracoviensem et Sendomiriensem reperirent, et repertum reducerent, afflictae et oppressae multipliciter patriae subventurum. Interim vero Conradus ipse Dux castrum Shala, quod Clemens Palatinus cum suis defendebat, obsidere et expugnare coepit. Sed Clemens Palatinus videns sibi et suis periculum imminere, et nullum auxilium Boleslai Calvi superesse, reconciliationem et gratiam eius petiit, et obtinuit, et Shala illi tradito eius se dominio subiecit. Quo tradito et Clemente, et omnium militum Cracoviensium sociatate ad suam ditionem fide interveniente

veniente

venientis adunata, castrum in Cracovia, quod idem Conradus erexerat, funditus est destructum. Talibusque rebus gestis et huiusmodi ordine compositis, et magistratibus atque beneficiis in milites distributis, in terram suam reversus, per annum in pace quievit.

Sed nec in maioris Poloniae et Slesiae terris, res quietae erant, ob saeviciam Boleslai Calvi filii Henrici occisi a Tartaris primogeniti, militibus in defectionem et rebellionem versis. Reliquerat siquidem Henricus maioris Poloniae et Wratislaviensis Dux a Tartaris occisus quatuor filios, videlicet Boleslaum, Henricum, Conradum, et Wladislaum, et quinque filias videlicet Hedwigim, Agnetem, Constantiam, Elizabeth, et Gertrudim, ex eadem matre Anna videlicet filia Przemislai alias Otthocari Bohemiae Regis susceptos. Occisionemque patris Henrici apud Legnicz sequuta, duo natu minores Conradus et Wladislaus procurante optima et solerti eorum avia Beata Hedwigi, literis apud Parisios operam dabant, Boleslaus et Henricus natu maiores militiam agebant. Verum cum Boleslaus Calvus vocatus plurimas et intolerabiles oppressiones in militares et subditos maioris Poloniae ageret et quoslibet Theutonicos et advenas quantumcunque pannosos et viles Polonorum optimatibus praeferret, Barones, milites et nobiles maioris Poloniae universi, et signanter Bogumilus Dirszicrayus Palatinus Posnaniensis, Ciecumirus Gnesnensis, Thomas Posnaniensis, Castellani, Damarathus iudex Posnaniensis, cuius principatum et dominium saevum quidem et crudele, et quod se ab eo contemptum, et in largitionibus donationibus et magistratuum atque dignitatum distributionibus neglectum iri, cum tamen in Alemanos effusus et liberalis foret, adverterent, pertaesi, Conventu apud Posnaniam habito, ad Przemislaum et Boleslaum Duces filios Wladislai Otthonis dominos suos et haeredes naturales in castro Usczie, quod unicum illis restabat, Nihil enim per Swantopelkonem Pomeraniae Ducem eorum avunculum fraude paulo ante intercaeptum tenebatur, hactenus demoratos respiciunt, et Boleslao Wratislaviensi fratribusque suis filiis Henrici occisi a Tartaris desertis, Przemislaum et Boleslaum filios Wladislai Otthonis, in Principes et dominos reassumunt, quorum iugum et non ferendum, quo eos Boleslaus filius Henrici occisi a Tartaris affecerat, excutiunt, et omnia castra, munitiones, atque civitates illis praesentant. Sed et castrum Przemanth cuius praefectus cum illis solus sentire distulerat, conquirunt, et Ducibus suis Premislao et Boleslao consignant. Quam quidem maioris Poloniae terrarum defectionem Boleslaus Calvus Slesiae Dux una cum fratribus suis Henrico, Conrado et Vladislao, filiis Henrici a Tartaris occisi, iubente et persuadente optima avia Beata Hedwigi quae terrarum illarum noverat virum suum Henricum cum barba possessionem non legittime contraxisse, non solum aequo animo tulit, sed et successu temporis cum Przemislao, cui Ducatus Gnesnensis, Boleslao Calissiensi tenente, contigerat, affinitatem iunxit, et sororem suam germanam in Monasterio Trzibnicensi se continentem non tamen professam Elisabeth nomine matrimonio copulavit.

Swantopelcus Pomeraniae Dux vir plurimum versutus vafer et callidus, et qui dolis cum esset ex Cracoviensi Ducatu de genere Gryffonum oriundus, sibi Pomeraniae Ducatum, praefecturam tunc illic nomine Lestconis albi Cracoviensis, Sendomirien̄, et Pomeraniae Ducis agens, quaesierat, considerans fratres Cruciferos per Conradum Masoviae Ducem contra Prutenos gentiles et Polonis infestos et graves hostes accersitos, et quibus Nyeschowen̄ et Chelmensem terras donatione inconditionali, ut sibi et suis posteris Prussia subiugata redderetur, contulerat, sub brevi tempore crevisse, et civitates atque castra videlicet Thorun, Chelm, Cristburg, Elbing, Balgam, Visenburg, Bartenstein, Brunsberg, et Heilsberg caeterasque munitiones, cum suffragio et adiutorio Ducis Masoviae Conradi et filii sui Casimiri qui in omnes expeditiones cum sua gente cum Cruciferis ibat aedificasse, et primoribus Pruthenorum deletis reliquos Pruthenos ad susceptionem lavacrum regenerationis et baptismi coegisse, vehementer sibi, et Ducatui suo Pomeraniae, per tyrannidem et dolum occupato, ne et ipse aliquando illo per Cruciferos exueretur, timere coepit, et multis cogitationibus vexatus et distentus, adversari Cruciferorum profectui et fortunae dum tenera adhuc essent eorum vires, constituit. Et quod facilius conficiat, omnes Pruthenorum nationes tam Neophitas quam idolatras, ad suum propositum inclinat, baptisatosque ritus nefarios resumere inducit. Propter quod uno die omnes Neophiti

ad idololatriam

ad idolatriam recursi, tam Polonos quam Almanos, et quoslibet Catholicos in Prussia demorantes, iubente Swantopelcone nefarie exterminat, et strage miserabili edita, omnia castra et munitiones praeter Balgam et Elbing, quae Cruciferi aedificaverant, interfectis defensoribus conquirunt, ac Ducem Swantopelconem in Ducem et dominum assumunt, astringentes se sibi in omnibus, quaecunque iuberet, parituros. Obsessa itaque erant et terrestria et aquatica supra Vislam per Swantopelconem itinera, et omnes transeuntes, si praesertim, qui ditionis Cruciferorum erant, aut trucidabantur, aut captivabantur. Et licet Nuntius Apostolicus Guilhelmus Episcopus Mutinensis per Innocentium quartum ad sedandum huiusmodi malum, missus authoritate Apostolica, Swantopelconem crebris literis et nuncijs monuisset, quatenus tam execrabili captum omitteret, sed ille maiori obstinatia indutus, cum exercitu Pomeranico et Prutenico in terram Chelmensem adveniens, omnem igne ac spolijs vastavit, et quatuor millia hominum aut gladio extinxit, aut cepit, nihilque in terra Chelmensi integrum praeter tria castra, Thorun, Chelm, et Radzin, quae conquirere non potuit, reliquit. Pro eodem insuper tempore per praefatum Guilhelmum Episcopum Mutinensem, qui postea in summum Pontificem promotus, Alexander quartus nominabatur, universam terram Prussiae in tres Episcopatus videlicet Varmiensem, Sambiensem, et Pomezaniensem distinxit. Numerus Christianorum a Swantopelcone Duce Pomeraniae et suis interfectorum vix poterat aestimari. Itaque sub unius decennij spatio et Tartarica et Prutenica clades pervenerat, et quod Tartarus attingere non potuit, Prutenus delevit.

Dux Austriae Fridericus districtum Znoymensem cum valido exercitu vastans et conflagrans incendijs, magnam ex Moravia praedam in Austriam detulit, illamque omnem inter milites dispartijt, nullam passus ob indulgentiam aut ad usitatem.

Cum integro fere biennio Sedes Apostolica vacasset, Cardinales apud Ananiam utrumque collecti, Simbaldum Genuensem Archidiaconum in Papam eligunt, qui Innocentius quartus appellatus est, qui anno secundo Pontificatus sui, conatus Friderici Imperatoris, quos benignitate paterna sanare non poterat, oppressurus, in Franciam se contulit, et Lugduni Concilium celebravit

Iobus

Idibus Marcij Vislaus Cracoviensis Episcopus cum annis duodecim in Cathedra Cracoviensi praesedisset, et ad promovendam Canonizationem beati Stanislai Cracoviensis Episcopi, multa miraculorum sublimitate iam tunc refulgentis segnis et tardus foret, moritur et in Ecclesia Cracoviensi sepelitur. Cuius etiam torpor et segnities Falislao Domicello et militi Cracoviensi per quietem monstratus est, Videbatur enim sibi quod ad Ecclesiam maiorem Cracoviensem gratia audiendi divina properans, Vislaum Episcopum in pede montis, indumentis pontificalibus se spoliantem offendisset, vehementer miratus quid sibi expoliatio ipsa vellet, tacitus cogitabat. Cuius occultis cogitationibus Episcopus Vislaus respondens inquit, Non mireris inquit, si Pontificalibus exspolior, et ingredi Ecclesiam meam vetor, quoniam cum annis xij Pontifex eius fuerim, nunquam Canonisationem beatissimi Stanislai promovere curavi, et me in hanc muscipulam successor meus Prandotha cavdat, tu illum meo nomine admone; Successit siquidem sibi praefatus Prandotha Archidiaconus Cracoviensis et Canonicus Sandomiriensis de domo Odrouanges, et villa Bialaczow ortus ab omnibus eligentibus, quod nunquam vel raro contigit via Scrutinij concorditer electus, et in die Beati Urbani consecratus a Fulcone Gnesnensi de mandato Innocentij Papae quarti. Praefatus Vislaus Episcopus cum esset vir providus et discretus, controversiam quae inter tres Episcopos Cracovienses praedecessores suos, et quosdam milites, occasione villae Chinow annis multis duraverat, compta ab eisdem militibus villa vicina Bulownno pro sexaginta marcis argenti, et sex bobus et uno dextrario, perpetuo sopivit et terminavit. Redditus Episcopatus Cracoviensis utiliter instruxit, rexit, et auxit, libertatem Ecclesiae defendit, et tranquillam conservavit, principes terrae in concordia custodivit, turres tres Ecclesiae Beati Wenceslai erexit, et plumbo texit, centum marcas argenti Capitulo Cracoviensi legavit, In villa patrimonij sui Kosczielecz Ecclesiam de muro in honorem Sancti Adalberti sumptuose fabricavit, Fratribus suis germanis subventionem facturus, et eorum relevaturus necessitatem, in sylvis et merricijs Radlowiensibus duas villas Tabannam et Drocheza locari non sine mutilatione bonorum Ecclesiae concessit. Quorum pronepotes ex huiusmodi duabus villis procreatio illis largitus

ius universand

ius vniversarum Sylvarum Radlouiensium sibi vendicabant, vendicassentque nisi Sbigneus Cracouiensis Episcopus eorum pertinacem insolentiam iure terrestri refrenasset, perpetuorumque limitum disterminatione.

Bathy Dux Tartarorum in Stationibus Strigoniensibus cum media parte exercitus remanente, Caydanus recepta altera parte exercitus iuit contra Strigonium, et tam arcem quam ciuitate expugnata, multos illic mortales peremit, et quamplurima tulit spolia. Ad albam regalem applicans Vngaris egregie vrbem tutantibus, exclusus, discessit, et in partes Zagrabium peruenit. Quo audito Bela Rex ex Zagrabiensi regione diffugit, comitantibus illum Stephano Zagrabiensi, et Stephano Vaciensi, Bartholomeo Quinqueecclesiensi Episcopis et aliis Ecclesiasticis, et Baronibus primoribus, videlicet Dionysio Bano, Vuta comiti Curiae, Matthaeo magistro tauernicorum, et Orlando magistro agazonum, et peruenit in Spalitum. Sed nec ibi se tutum putans consistere peruenit cum vxore et omnibus suis in Tragurium. Caydan autem Vngariae Regem Belam in omnia loca quacunque diuerterit insequuturus, Slauonia primum magnam captiuorum ex Vngaris multitudinem, quam in eundo ceperat, crudelissime se inspectante, in plana decollatam, necari fecit, et exinde Croatiam ingressus ad Spalitum peruenit, et quoscunque extra moenia vrbis reperit, trucidauit. Vngari autem qui in ciuitatem confugerant, et quorum multitudinem vix ciuitas capiebat, actum de se putantes, maximo metu perculsi, suam et coniugum, et pignorum mortem, qua si exemplo capienda foret vrbs, deplorabant. Sed Tartarus paululum illic moratus intelligens Regem Belam quem quaerebat in vlteriora discessisse, in Tragurium profectus. Sed cum illic quoque repulsus foret, apud Croatiam et Dalmatiam aliquot mensibus immoratus, in Bosniensi regione, inde simul cum Bathy et suis Tartaris qui cum eo remanserant, adeunt, expost Seruiam et Bulgariam intrant, et data licentia omni captiuorum multitudini vt redirent in sua, glomeratos omnes et iam castra Tartarica exeuntes, crudelissime velut oues perimunt. Bela Rex ab exploratoribus certior factus Tartaros ex Vngaria discessisse, in Vngariam cum suis reuersus est. Sed cladem Tartaricam hiemalem mox famis horrida in annum tertium, famem

vero

certo luporum rabies catervatim discurrentium, et obvios quosq etiam armatos et repugnantes invadentium, et devorantium sequuta, qui cadaverum quae Tartarica immanitas occiderat sollicitati illecebra, esuriem suam cadaveribus non extantibus per vivos homines explebant. Sicq integro triennio Ungarorum regnum ferro fame et luporum rictu vehementissime attrita sunt, et in eam necessitatem adducta ut bobus equis caeterisq pecoribus deficientibus, aratri iugo se homines subijcerent, et sic agriculturam exercerent

Pridie Calendas Aprilis Paulus primus Posnaniensis Episcopus anno tertio et triginta sede Posnaniensi administrata moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Post cuius obitum Boguphalus Cantor Posnaniensis et Canonicus Cracoviensis, nobilis Polonus de domo Roza per electionem Canonicam substituitur Calendis Maij, Cuius Electio Idibus Junij per Fulconem Archiepiscopum Gnesnensem fuit confirmata. Et ipse Boguphalus electus et confirmatus in Trascino in Presbiterum promotus, in die vero Sancti Laurentij per Fulconem Archiepiscopum ad Pontificij ordinem in Gnesnensi Ecclesia consecratus

Przemislaus primus maioris Poloniae et Posnaniensis Dux cultum divinum in suis principatibus aucturus, in villa sua Ducali Ouinska prope fluvium Wartha sita, monasterium Sanctimonialium ordinis Cistercien. fundat, et lateribus coctis tam Ecclesiam quam Monasterium et habitationes pro Sanctimonialibus fabricat, Ecclesiamq Monasterij in honorem virginis benedictae Mariae et Sancti Joannis Baptistae dedicari procurat, monasteriumq praedictum villis et introitibus Ducalibus dotat. Fluvius autem qui vocatur Struga Ouinenska per medium Monasterij decurrit, fluens ad coquinam, et ad alias Monasterij officinas. In quo sunt duo molendina, unum intra septa Monasterij, aliud in parte superiori ante Monasterium. Cuius nunc Abbatissa est Catherina de Gbornik filia Nicolai Skora Castellani olim Calisiensis nobilis de domo Habdank

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS TERCIVS.

Omnium Cracoviensium et Sendomiriensium Baronum atq; militum Conradus Masoviae Dux dignoscens esse animos a se, et in Ducis Boleslai Pudici impotis sui obedientia et subiectione, tum propter suam oppressionem et tyrannidem, tum propter Boleslai Pudici, quod verus et legittimus haeres esset, affectionem et charitatem, gliscentem defectionem, intellexerat siquidem Boleslaum Pudicum cum nonnullis Ungarorum militibus reversurum esse, satagens rescindere, in mense Iunio Cracoviam advenit, ubi honeste et obedienter susceptus, primos et praecipuos Cracoviensium et Sendomiriensium Barones, et signanter Clementem Palatinum Cracoviensem de domo et familia Gryffonum, conventum apud Scarbimiriense oppidum, quasi rebus publicis provisurus, commenta doli in pectore vergens, quatenus militibus Cracoviensibus exterminatis Cracoviam posset iure perpetuo sine scrupulo retractationis possidere, tertio Calendas Iulij indicit, Ubi cum omnes convenissent, secundum occultam malitiae definitionem, dat suis signum milites Cracovienses captivandi, Nemerza Przibislaus Wawrzinczowicz, Witek Burnowicz, Swidrias Sulcovius de Mirzwiecz, Nicolaus Jaszko, Sandech de Chodcza, et alij simpliciores cum eis captivantur, et vinculis constricti Masoviam deducuntur, et in arctam custodiam retruduntur. Clemens vero Palatinus Cracoviensis cum fratribus Sulcovio Theodoro et alijs de medio captivantium in Ungariam aufugerunt, a Rege protegendi. Captivi autem et diversis inclusi ergastulis in Masovia cum mensibus duobus captivitatem praefatam perpessi fuissent, compedibus ferreis confractis, sub noctis intempestae caligine illam singuli evaserunt, et Clemens Palatinus Cracoviensis ex Ungaria revertitur captivorum solutione audita, divina enim miseratio non deserens praesumentes de se praedictos viros captivos prima die Augusti a vinculis absolutos illaesos fecit abire, Qui omnes cum Clementi Palatino Cracoviam venientes tam arcem quam civitatem, expulsis et caesis inde Conradi praesidibus, in suam redigunt potestatem, Adveniente quoque Boleslao Pudico Duce suo cum consorte sua Kinga ex Ungaria et Moravia, cum magno plausu et iocunditate occurrunt, et consentiente atque rogante Prandotha Cracoviensi Episcopo ipsum in Ducem et dominum, iureiurando illi praestito, assumunt. Quorum exemplum caeteri nobiles et armigeri Cracovienses, quibus castra et munitiones Conradus Masoviae Dux commiserat, sequuti, sibi castra et munitiones pacti vitam et veniam reddunt. Quo rumore Conradus Masoviae Dux exercitus versus Cracoviam, stipatus gentibus multis Masovitis Litthvanis Jaczwingis et caeteris barbaris promovisset. Et cum pugnandi copiam Boleslaus Pudicus non faceret, maenia defendere contentus, Conradus Dux Masoviae Ecclesiam Sancti Andreae extra muros Cracovienses sitam, et Sancti Georgii in castro incastellat, et fossatis vallisque dispositis valido imposito praesidio, castello Sancti Andreae, Bogutsa milite Cracoviensi, sic armiger erat, commendato, in Masoviam cum potentiori mox exercitu reversurus discedit. Post cuius discessum castellum Sancti Andreae per Bogutsam eius praesidem Boleslao Pudico redditum est, et omnis hostilitas, quae Cracoviensi urbi superimpendebat, amota. Vocato itaque Duce Mieczslao Opoliensi, qui Henricum Wratislaviensem Ducem in praelio Tartarico deseruerat, vocato Przemislao Posnaniensi Duce, vocatis Litthvanis, et Jaczwingis, in sui solatium Conradus praefatus Masoviae Dux et filius suus Casimirus terram Sendomiriensem hostiliter ingrediuntur. Quibus Dux Boleslaus Pudicus Cracoviensis, cum militibus suis Cracoviensibus et Sendomiriensibus, et signanter Clemente Palatino Cracoviensi iam ex Ungaria reverso, et Floriano Palatino Sendomiriensi et nonnullis Ungarorum militibus ipsi subsidio occurrit, et octavo Calendas Junii praelium committit. In quo etsi Conradus Dux Masoviae tam numero quam robore militum multo superior esset, Boleslaus tamen Pudicus Cracoviensis Dux qui iustius arma induerat, et pro quo sine intermissione Sacrificia et Supplicationes fiebant ad Deum, Conradum Ducem et suum exercitum, divinitate propitia confregit, et debellavit, et pluribus occisis, pluribusque vulneratis, ipsum etiam Ducem Conradum, Ecclesiae

Cracoviens.

Cracoviensi et suo Antistiti Prandotha, quod eius consilio et industria Ducatum Cracoviensem sibi quaerebatur ademptum, saeva et crudelia minitanti, et filium suum Casimirum, item Mieczslaum Ducem Opoliensem, Przemyslaum Oswianensem Ducem in turpem fugam egit. Boleslaus pudicus obtenta victoria modeste usus, plures captivos solvit, caeteris munificum se gessit, exercitus suus magna praeda variarum nationum ditatus, victor reversus, residuas munitiones quae pro Conrado Duce Masoviae in Cracoviensi et Sendomiriensi Ducatibus tenebantur, aut deditione accepit, aut vi expugnavit. Videsne qualis fuerit fides in pectore Conradi Masoviae Principis, qui prius crudelitate, tyrannideque olim in Cristino Palatino Plocensi, caecato et iugulato, in Arnolfo milite occiso, item in Joanne Cancellario suo et Scholastico Plocensi et Wladislaviensi crudeliter suspenso parum contentus, nullas exhorrebat carnificationes, dummodo pupillum et nepotem germanum ex sua sorte et haereditate deiceret. Turpes haec et pestiferae luis et perniciosi exempli, ut unde mansuetudo disciplina debuerat prodire, et fidei puritas clarescere, ibi fides et aequitas naufragium patiebantur. Discant itaque posteri abstinere, a Principibus cuius fidei sordent tot signis, totque iniuriis crudelibus prodita, suppliciorum sibi et posteris suis inurens ignominiam et labem sempiternam. Sequuto huiusmodi victorioso triumpho milites Cracovienses priori assumptione Boleslai filii Lestconis non contenti, iterum illum in suum Ducem assumunt, et Prandotha Cracoviensi Episcopo cooperante, cum in Ecclesia Cracoviensi solenniter in cathedra expolita argento circumfusum inthronizant.

Theodricus Cruciferorum de Prussia Marsalcus, considerans potentiam Suantopelki Pomeraniae Ducis ex assistentia Ruthenorum roboratam, et connexionem mutuam, se et ordinem suum fratrum, et penitus exterminatum fore, vocatis senioribus de ordine, quid facto opus sit consultat. Et nemini quidem placebat aperta vi cum multam gentem haberet, cum illo in dimicationem venire

periculum

periculumque eundem incidere. Itaque consensu omnium decretum est, ut particularibus praeliis et incursionibus vexaretur, primumque castri sui, quod Zartawicza vocabatur, clandestina et nocturnalis tentaretur interceptio. Itaque iuxta eam deliberationem praefatus Theodricus in vigilia Sanctae Barbarae cum viginti quatuor tantummodo viris ad castrum Zartawicza perveniens, scalis appositis cum negligentius custodiretur, illud conscendit, et firmioribus locis atque turribus occupatis, caesis vigilibus, cum caeteris quinquaginta numero viris erat illis a noctis medio usque ad Solis ortum certamen, quos cum partim occidissent, partim in deditionem accepissent, reliquo etiam omni deposito, quod illic Swantopelcus servabat, sed et corpore quodam sancto, quod quidem Sanctae Barbarae ferunt, potiti sunt, quam etsi nonnulli astruant eam fuisse quae in Antiochia martyrio consummata, nonnulli tradunt aliam in Pomerania eiusdem nominis fuisse, et tam virginitate quam caeteris virtuosis operibus sanctitatem meruisse, quae res ut caetera, scriptorum penuria in caliginem vel potius oblivionem versa, quid veritatis contineat parum constat. Swantopelcus etsi tam suorum quam Ruthenorum fultus suffragio castrum Zartawicza obsidione cinxisset, sub ipso tamen obsidionis tempore dum expugnatio illius non procederet, in Chelmensem terram cum medietate exercitus descendens, medietate apud Zartawiczam relicta, per Theodricum Marsalcum et Casimirum Cuiaviae Ducem, filium Conradi Masoviae Ducis victus, et castris utrisque exutus est. Dux insuper maioris Poloniae Przemislaus a Theodrico Marsalco et Casimiro Cuiaviae Duce rogatus, cum potentia gentium suarum advenit, et potentiis unitis primum ad castrum Wissegrad in terra Pomerania situm processum est, quo expugnato etiam omnis terra Pomerania vastata atque flammis exusta est, et magna multitudo virorum et faeminarum in captivitatem ducta. Exinde et ad castrum Nakel, quod Swantopelk sub Ducibus maioris Poloniae Premislao et Boleslao interceperat ventum, quod illico Pomerani vitam tantummodo cum paucis rebus pacti, Premislao et Boleslao Ducibus tradiderunt, a quibus quidem Ducibus castrum

Zbaszyn

Zbaszin eo anno erectum et constructum est. Swantopelk autem et Polonorum et Cruciferorum potentiam veritus, ne potentijs unitis sua sequeretur ex Pomerania expulsio, cum Theodorico Marsalco et Cruciferis per operam Wilhelmi legati apostolici in concordiam redijt, filiumque Mestuinum, item Wiciaslaum comitem, et Wimarum Burgravium obsides dedit. Qua concordia celebrata Cruciferi omnibus captivis Swantopelko redditis, castrum Zartawicza nullatenus reddere voluerunt, propter cuius restitutionem concordia per Swantopelkonem fuit principaliter acceptata

Przemislaus maioris Poloniae Dux cum fratre suo iuniore Boleslao et genitrice eorum Helinga, Michonino praeposito et Monasterio ac ordini Sancti Sepulchri dominici Hierosolimitani, hospitali Sancti Joannis in Gnezna de consensu Fulconis Archiepiscopi et sui Capituli Gnesnensis subijciunt, et conferunt curam et administrationem egenorum, et regimen temporalium eiusdem hospitalis committentes, quarta die mensis Maij Ordinantes et statuentes ut in praefato hospitalis domo cuncta languida et miserabilis foveantur persona, et aliqui scholares pauperes, et quod singulis magister praefatae domus teneatur providere de necessarijs et expensis

Plocensis civitas altera vice per Pruthenos ignibus in castrum Plocense cadentibus una cum Monasterio et domo fratrum praedicatorum, sed et terra Masoviae in circuitu civitatis Plocensis in magna parte per eosdem Pruthenos depopulatur et vastatur

Fæmina nobilissima et illustris Hedwigis Ducissa Vratislaviensis, Henrici cum barba relicta, magna et eminenti in vita pollens sanctitate, septimo Idus Octobris moritur, et in Trzebnicensi Monasterio a se et viro suo fundato et dotato sepelitur. Cuius corpus quod in vita erocleum et exangue abstinentijs et inedijs confectum erat, in morte splendidum apparuit, speciem habens corporis glorificati, qua beati Stanislai Martyris canonisationem in spiritu praevidens futuram,

et in loco

et in loco Monasterij Trzebnicensis, in parte laeva chori altare illi dicandum fore praedixerat, monentibus sororibus, ut locum illum magna devotione incolerent, asserens maximo Sanctorum illum consecrari oportere, quae omnia prout praedixerat evenerunt. Haec per annos octo et viginti caelibem vitam ducens ab omni illecebra carnem et spiritum custodivit, et quod humanis stupendum est sensibus, inter spinas thori maritalis una cum eodem Illustrissimo suo marito Henrico sicut lilium germinavit, et tanquam aurum in medio incendiorum probata, voluptatum ignibus per totum tempus praedictum aestuata non est.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVARTVS

Cladem suam apud Suchodol acceptam Conradus Masoviae Dux ulturus, Lithuanos, Pruthenos, et Jaczwingos contra nepotem suum Boleslaum pudicum Cracoviensem Ducem, a quo conflictus fuerat, et contra terras suas prece et pretio subornat. Qui terram Lublinensem in copiosa multitudine equitum et peditum ingressi, ipsam usque ad flumen Vistula, nullo ferente opem, barbarico more, crudeliter omnes Catholicas inflammando Ecclesias, item Szczegthovium et Lukhovium destruendo vastarunt, et praedam ingentem tam hominum utriusque sexus venia venditionis, quam pecorum, et rerum in terras suas transportarunt et abegerunt. Ab eo quoque tempore terra Lublinensis tam nobilibus et militibus quam agrestibus et colonis optime locata et possessa, caepit redigi in solitudinem et desertationem. Sed et in caeteras vicinas regiones in similem vastationem barbaricam experirentur, tantus pavor incussus est, tantaque trepidatio Sandomirienses milites caepit, ut Boleslao pudico Cracoviensi Duci suo proprio domino et naturali haerede deserto, deditionem universi, Duci Masoviae Conrado, quem noverant barbaros in Lublinensem terram subduxisse, ultro facerent. In Spirando tam vero Cracoviensem Episcopum, quod cum caeteris Sandomiriae militibus sentire noluit, et Duci Cracoviensi Boleslao pudico, puro, fideli et uniformi tenore adhaesit,

Conradus

Conradiq Ducis conatibus perseuerant: constantia restitit, Conradus ipse ex furoreq vehementi~~m~~ omnibus missis armigeris curias Episcopales in terra Sendomiriensi consistentes videlicet Tarsensem, quae nunc Bodzancinensis appellatur, Lelouensem, et Cunouensem primum spoliatas incendit, et villas praefatorum trium destructuum multiplici spolio afflixit, et omnem praedam ex curijs et villis Episcopalibus congestam in Masouiam abegit. Prandotha autem Cracouiensis Episcopus vir pectoris Heroici, nihil huiusmodi incendijs et spolijs consternatus, a fide et subiectione Boleslai Pudici auelli non potuit, quin etiam Ducem Masouiae Conradum praedictum censuris Ecclesiasticis et anathemate sua authoritate suisq processu excommunicari et anathematisari ab vniuersa Polonorum Ecclesia mandauit, Cuius processus et censuras Fulko, qui et Pelka, Gnesnensis Archiepiscopus indicta ob id apud Lanciciam Synodo confirmans, mandauit Ducem Masouiae Conradum, velut violentum bonorum Cracouiensis Ecclesiae raptorem et incendiarium atq iniustum inuasorem, omnibus prouincialibus Episcopis consentientibus et laudantibus anathematizatum in singulis Ecclesijs denunciari, et pro excommunicato et anathematizato haberi

Ordinem Praedicatorum Conradus Masouiae Dux in dominijs et terris Masouiae plantaturus, fratribus ordinis eiusdem e conuentu et domo Cracouiensi Sanctae Trinitatis petitis et acceptis, Ecclesiam et Monasterium sub titulo Sanctae Trinitatis in suburbanis ciuitatis Plocensis fundat, illicq fratres praedicatores locat

Ruthenorum et Kyouiensis Princeps Daniel terrae Lublinensis solitudine et desertatione comperta, exercitualiter in Lublin adueniens, tam arcem quam ciuitatem capit, et vniuersam terram Lublinensem sibi appropriat et vsurpat. Et quo sibi et suis posterjs diuturnior sit illius occupatio, turrim rotundam ex coctis lateribus in castri medio habentem in summitate circuitum et propugnacula mira celeritate aedificat, castrumq

et s

et civitatem fossis et vallis profundis fortificat, et omnes Lublinenses terrae militares et inhabitatores sibi parere coegit

Przemislaus maioris Poloniae Dux cum fratre suo Duce Boleslao et matre Hedvigi Monasterium fratrum praedicatorum transfert de Srodka in civitatem Posnaniensem ad Ecclesiam Parochialem Sancti Gothardi de consensu Boguphali Episcopi Posnaniensis. In cuius recompensam Ecclesiam Beat. Alberti contulit Episcopo Posnaniensi, cum iure patronatus. Qui etiam Przemislaus Dux filiam Ducis Slesiae sibi iungit matrimonio

Conradus Masoviae Dux vastatione terrae Lublinensis parum satiatus, in Cracoviensem terram forti iterum inducto exercitu, nova castra, novasque munitiones erigit, illisque militum praesidia imponit. Quae dum eo discedente per Cracovienses milites fuissent, expulsis praesidiis aut sponte se dedentibus occupata, Conradus Masoviae Dux iterum rediens nonnulla expugnavit et diruit, expugnata, Cracoviensem Ducem Boleslaum Pudicum nepotem suum et terras suas tam per se quam per barbaras gentes multifarie conquassando. Miserabilisque tunc erat terrarum Cracoviensium Sendomiriensium et Lublinensium conditio, et externo a barbaris, et domestico a propriis bello vexatis

Ad indignationem et apertam hostilitatem Prutheni barbari contra Conradum Masoviae Ducem versi, quasi illi, prae eorum assistentia et labore, quibus illi in devastatione terrae Lublinensis contra nepotem suum Boleslaum Pudicum Cracoviensem et Sendomiriensem Ducem adiuverant, parum iusta retributione respondisset, equestri exercitu comparato terras suas Masoviae, Swantopelkone praefecto Pomeraniae ad id illos perhienti, scientes Conradum Ducem cum praestantioribus militibus in terra Cracoviensi conquisitione occupatum esse, invadunt, et caedibus spoliisque agrestes affectos, etiam oppida et rura incendunt, et usque ad Czirsow grassantur. Cumque iam multiplicem praedam

Somnu

Dominium propriumq; suum debentes regredi disponerent, a militibus Masouiensibus et Lanciciensibus circa Czechonow tertio Idus Julij invasi, et praelio conserto licet acriter restitissent conflicti et oppressi sunt, et nongentis cadentibus, evadentibus castris, caeteri effugerunt, praeda omnis hosti excussa, agrestibusque qui et ipsi ad vincendum suas operas navaverant reddita est.

Beata Hedwigi relicta olim Henrici cum barba Ducis Wratislaviensis in caelestis mansionis migrante, nepotes eius filij Henrici a Tartaris occisi, cum essent quatuor numero, et duo militia, duo literis intenderent, Wratislaviensem Ducatum in duas tantummodo sortes dividunt, Wratislaviensem videlicet et Legnicensem, ea spe et conditione, ut quoniam Conradus et Boleslaus natu minores in sortem clericalem, iam enim Conrado in Subdiaconum promoto Episcopatus Bambergensis, Boleslao Archiepiscopatus Salczburgensis destinati fuerant, credebantur transituri, Conradus in sorte et portione, qua Boleslao, Wladislaus in sorte qua Henrico obvenirent includerentur, ex morte aut resignatione ipsorum sortes praefatas perpetuo possessuri. Missis itaque sortibus Boleslao Wratislaviensis, Henrico Legnicensis portio contigit, Qua quidem divisione celebrata et tandem literis firmata, Ducissa Anna praefatorum Ducum genitrix, Thoma Wratislaviensi Episcopo assumpto Boleslaum in Wratislaviensem sortem, Henricum in Legnicensem induxit, Sed Boleslaus vocatus Calvus post divisionem taliter celebratam paenitere coepit, et Legnicensem sortem existimans praestantiorem, cernensque iam existens Conradum fratrem sua portionis consortem velut Subdiaconum, et in Bambergensem Episcopum [illegible] promovendum nunquam esse repetiturum, sortes cum fratre Henrico commutat, et Legnicensi sorte acceptâ cedit de Wratislaviensi Henrico, de quo etiam [illegible] literis [illegible] nova confecta sunt. Verum Conradus interim filius Henrici occisi a Tartaris, sortem clericalem fastidiens, studio et Episcopatu deserto, in patriam redit, et de sorte Legnicensi alteram cum Boleslao divisionem expetebat celebrari. Quae etsi Boleslaus Calvus blanda primum dederit responsa, sperans illius animum temporis passu consilio meliori sanari, Conrado tamen perseverante in proposito, illum a se, negata portione, exclusit, qui ad alterum fratrem Henricum se contulit, a quo benigne et habitus et tractatus est. Vuladislaus vero qui in consortium Henrico cesserat, in Salczburgensem Archiepiscopum promotus Ducatum Vratislaviensem Henrico fratri integrum et immutilatum reliquit

Ordo Templariorum subito in variis regionibus Christianorum destruitur, mirantibus universis, quomodo tam magni domini sic insperate poterant opprimi, et extingui, qui ducentis annis et ultra cum magna felicitate duraverat.

Temerata concordia et amicitia quam Swantopelkus Pomeraniae cum fratribus cruciferis pepigerat, violato, venit Swantopelkus cum Litbuanis, Jaczwingis, et Pruthenis magno exercitu glomeratus in Culmensem terram, illamque afficit caede, incendio, et praeda horribili, et animas innumeras personarum in Chelmensi terra captas, perpetuam servitutem experturas, secum duxit, Cruciferi vero deliberabant qualiter possent et praedam de hostium manibus excutere, et victoria potiri. Et Theodorico quidem antiquo Marsalco suas et hostium metienti vires placebat certamen ex ingenio et caute agi, et non nisi medietate hostium paludem transgressa, reliquam medietatem a tergo, ut primi extremis adiutorio esse possint, invadi, in quam sententiam omnes prudentiores ibat. Verum novus Marsalcus Berlwinus non probabat ut asserens barbaros si adorti in fronte non fuerint, omnes captivos omnemque praedam facile abducturos. Quod consilium a maiori parte approbatum, caeteris tamen renitentibus, dum exequi pergunt, barbarosque iam flumen Ossa transgressos consequuntur, ad quorum conspectum plerique barbari in arces et munitiones cum captivis et praeda se recipiunt. Swantopelkus vero cum caeteris, cruciferorum paucitate conspecta, pugna inita, cruciferos ad paludem quae Reuszin dicitur, confligit, Marsaloque interempto vix viginti effugientibus, caeteros omnes trucidant, Sed et exercitum qui cruciferis in auxilium ex Thorun post venerat, prima victoria potiti, aggressi vincunt, et prosternunt, magnaque hilaritate et tripudio ovantes praedis et spoliis interfectorum onusti in propria victores redeunt

Non secus barbarorum victoria ex cruciferis relata, quam propria, Swantopelkus Pomerania Dux exhilaratus, ad Kemham advocatum nonnullosque Culmenses cives nuncios mittit, literasque scribit rogans praemiumque promittens, ut castro Chelmensi recepto, ad quod illis pro beneplacito patebat introitus, filium suum Msczugium, caeterosque obsides solverent, sibique redderent. Quod cum se facturos Kemha advocatus, caeterique cives Chelmenses spopondissent, unus ex servitoribus cruciferorum Joannes vulneribus in praelio confectus, proditionem intelligens, crucifero castrum Chelm tenenti indicat. Quo avisamento capitaneus sumpto, Kemham advocatum, et cives castrum ingredi volentes excludit, et in castrum Zartawicza noctu Msczugium filium Swantopelkonis, et alios obsides vinctos, omnibus si muttire auderent, interminatus mortem, transportat. Intelligens autem Swantopelkus dolos suos, quos in liberationem filij et obsidum machinatus fuerat, detectos esse, Culmensem civitatem et Zartawiciam missis clandestinis quibusdam suis satellitibus, procurauit igne immisso conflagrari. Vallatus quoque Pruthenorum Lituanorum et Jaczwingorum multitudine, in Cuiaviensem terram venit, et eam fidelesque Christianos, suo et barbarorum brachio, illi ac Polonis propterea magis quam cruciferis infestus, quod Casimirum Ducem Cuiaviensem filium Conradi Masoviae Ducis omnes expeditiones contra se et suos cum cruciferis frequentare noverat, vastat, et opprimit, pluribusque interfectis, plures etiam in miserabilem captivitatem deduxit, et universam terram Cuiaviensem per incendia et stragem barbaricam perdidit, et vastavit. Cumque Apostolicus legatus Wilhelmus Mutinensis Episcopus et scriptis et nuntijs Swantopelkonem super his corriperet, ille stomachando respondit, se a persequutione hostium suorum et praesertim Cuiaviae Ducis et Polonorum, nedum propter Apostolicum legatum sed nec propter solum Papam cessaturum, et nisi sibi filius obses cum caeteris redderetur, comminatus est se omnibus conatibus tam

Polonos, quam Cruciferos bello vexaturum, Et continuo in Culmensi terra aedificant castrum Zantir ad ripas Vislae et nullam navim inspoliatam vehi sinunt, Cruciferi tot malis angustiati Samborio fratri germano Swantopelkonis, castrum Zartawiczam per eos interceptum, si Swantopelkus cum eis initam pacem servaturum, et barbaris se suffragia non ministraturum, assecuraret, offerebant resignaturos. Sed dum Swantopelkus et castri Zartawicze et filii restitutionem requireret, Cruciferi filium Swantopelkonis in Austriam per triginta armigeros, quos illuc Dux Austriae Fridericus in solatium miserat, transmittunt. Swantopelk liberationem filii effecturus, quiescere non valens, in terra Pomerania castrum novum Swiecze ad fluenta Vislae, ubi Visla fortissimos et rabidos edit vortices, ut navigationem omnem impediret, construere caepit. Casimirus vero Dux Cuiaviae et Poppo magister alias Pesinnus cum Cruciferis et gentibus non paucis Swantopelconem ab operis novi constructione repulissent, in navibus adveniunt, et multa in destructionem novorum aedificiorum aedificando insuper aliud castrum Putirbork erigentes Swiecze molliti, cepto inito desistunt. Swantopelkus et Swiecze consurat, et Zantir militibus et victualibus implet

ANNVS DOMINI MILLESIMꝰ DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVINTVS

Ad libertatem Ecclesiis Cracoviensi et Posnaniensi per Wladislaum Ottonis, Ducali munificentia largitam, rescindendam, Barones et militares maioris Poloniae universi solo huno re arcti conspirant, magnoque illam studiis et interpellationibus apud Przemislaum et Boleslaum Maioris Poloniae Duces precantur cassari. Quae etsi nulli eorum afferebat praeiudicium, vel gravamen, offendebantur tamen quam maxime Ecclesiasticas sortes, villas, et praedia, liberas effici, suis consistentibus sub gravi servitute, et tributis altius tamen Posnaniensis Ecclesiae libertati erant infixi, in quam monetalia iura Ducalia de moneta iure suo et imagine fabricanda erant transfusa. Przemislaus vero et Boleslaus maioris Poloniae Duces, Baronum et militarium suorum, nullis precationibus, nullis instantiis, frangi, et ad propositum eorum molliri poterant, turpe rati principis et parentis sui privilegium in Dei honorem et Ecclesiasticam libertatem emanatum, violatum iri, cum violatio ipsa et divinitati contumeliam, et ipsis inureret dedecus sempiternum. Confutatis itaque et reiectis eorum frivolis instantiis, libertatem Ecclesiis, a genitore eorum Vladislao Ottonis donatam, ne a quoquam posset in posterum revocari in ambiguum, suis specialibus literis et innovant, et corroborant, et in foris civitatum et castellorum, praeconum voce iubent illam firmam et illibatam censeri, ab omnibusque suis subditis intemerate custodiri. Conventu deinde generali et curia solenni apud Gnesnam indicto, Przemislaus Dux natu maior, fratrem suum Boleslaum iuniorem in crastino beati Adalberti in Gnesnensi Ecclesia Fulcone Archiepiscopo missam solenniter decantante, sub praesentia Boguphali Posnaniensis Episcopi, et multorum Poloniae maiorum procerum militari cingit baltheo, et variis ludis atque choreis celebratis, Athletis diversa largitus est munera.

CAZIMIRUS Cuiaviae et Lanciciae Dux filius Conradi Masoviae Ducis copiis maioribus quibus poterat contractis, in terram Culmensem advenit, et cum fratre Poppone crucifero, nonnullisque aliis Cruciferis, item cum Henrico Lichtenstein, item Druschlitz pincerna sive Ducis Austriae Friderici erat, et pauciis quibusdam aliis peregrinis, qui ex Austria Cruciferis gratia praedicatae crucis in auxilium venerant, ordinatis aciebus Pomeraniam ingrediuntur, vastationem di Chelmensis, et Cuiaviensis terris Swantopelconi digna vicissitudinem refusuri. Et Swantopelk quidem cum suis Pomeranis, cum Casimiro et Cruciferis decernere non ausus, Ruthenos, quos in sui solatium acciverat, praestolabatur. Interim Casimirus Dux cum Cruciferis et peregrinis militibus plurima novem diebus in Pomerania exurens, praedam magnam ex Pomerania ducebat. Quem Swantopelcus Ruthenis advenientibus consequutus, et a fronte et tergo invadit. Henricus Lichtensky et Druselitz pincerna, praeda in Pomerania capta praecedenti, ante signa ibant, quos Pomerani et Rutheni facili negotio fundunt fugantque. Swantopelcus cum totis cohortibus in Casimirum et Cruciferos acrio animosi et constanter invectus est, ut nonnulli disiectis ordinibus in praecipitem se darent fugam, Erat Duci Casimiro miles quidam signifer Martinus Cruswiciensis, sic sua adhortatione milites in loco continuit. Confortatisque, pugna acerrime pugnatum, et in utraque parte pedem referente, Henricus Lichtstein cum nonnullis de Austria superveniunt. Drusslitz enim pincerna non nisi in eorum fugam sistere potuit, Swantopelcique exercitum a tergo invasit, Itaque in momento Swantopelcus, cum suis contritus est, et mille quingentis occisis, caeteri aut capti, aut fuga dilapsi sunt. Sub eo quoque tempore Monasterium de Oliua, cum suis Grangijs spoliatum et vastatum est, et a Pomeranis et a Prutenis.

Innocentius Papa quartus Lugduni concilium celebrat, quod dum in festo beati Joannis Baptistae inceptum esset, ad octauam natiuitatis Mariae virginis, quae primum illic instituta est, durauit. In quo multa utilia condita sunt, In processu autem concilij hoc est xvi Calend. Augusti, Innocentius Papa approbante Concilio Fridericum Romanorum Imperatorem ut hostem Ecclesiae condemnauit, ipsumque tam ab imperio quam a regno Siciliae, Apuliae, et Calabriae deposuit, et priuauit et omnes Vasallos a iuramento fidelitatis absoluit, Depositionis autem causae quatuor assignantur tamen, una fuit periurij quia non seruauit iuramentum quod Ecclesiae fecerat, tam de imperio, quam de regno Siciliae ratione feudi, secunda causa fuit sacrilegij quia procurauit capi Cardinales et Praelatos venientes ad Concilium, Tertia quia notatus fuit de haeresi, quarta quia sex annis non soluit censum Ecclesiae de regno Siciliae, Idem etiam Papa Innocentius Regem Portugaliae, Baronibus petentibus ab administratione deposuit, quia negligens erat in iustitia facienda, unde regnum peribat, et substitutus est loco eius frater suus Alphonsus, qui erat Comes Boloniae.

Cristianus Culmensis Episcopus cum annis quinque et viginti Culmensem rexisset Ecclesiam moritur, et in Culmensi Ecclesia sepelitur, nobilis de domo et familia. Cui Innocentius Papa quartus tunc in Lugduno agens nuntijs et literis Conradi Mazouiae Ducis rogatus et sollicitatus, Henricum Episcopum Armatanum titularem fratrem ordinis Praedicatorum virtuti illius et probitati deliberatius, quinto Idus Januarij, Pontificatus sui anno tertio substituit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS

Grauem et iratum animum Conradus Mazouiae Dux contra nepotem suum Boleslaum pudicum Cracouiensem Ducem gerens, tum quod ab eo in Suchodol conflictus et fugatus fuit, tum quod illum a Cracouiensis Ducatus possessione detraxerat, magnis aestibus in vindictam et vicissitudinem rependendam aspirabat, Exulceratum quoque saepe animum consors sua Ducissa Agasia muliebribus prouocabat exacerbationibus, suadens et instigans, ut opprobrium cladis in Suchodol accepta, propter quam authoritas sua elanguerat, excuteret, et non sineret esse inultam. Lithuanis itaque barbaris sibi solatia praebentibus, terras et principatus in potiori sui Boleslai Pudici Cracoviensis Ducis, et suarum terrarum et Lithuanicarum stipatus auxilio invadit, Cui Boleslaus Pudicus in ipsos suos resistentiam facturus cum Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus in Zarzisow alias Jaroschin occurrit, Et licet copias suas inferiores quam hostiles animadverteret, pugnam conserit, et fortiae duro inter utrosque durante praelio Conradus Boleslaum superat et confligit, multisque de Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus adverso pectore tandem cadentibus, multi a Conrado capti sunt. Boleslaus Dux Pudicus cum paucis ne vivus in potestatem patrui sui Ducis Conradi, a quo se extrema passurum non ignorabat, incideret, fuga elapsus est. Et Conradus vastata vicina regione, opprobrium acceptum resarcire contentus, in Mazoviam cum praeda redijt. Pauco quoque tempore transacto cum gentibus tantummodo suis, sciens vires Ducis Boleslai a se fractas esse, in Cracoviensem terram, habens in comitatu suo filium suum Casimirum Cuiaviae et Lanciciae Ducem, item generum suum Mieczslaum Opoliensem Ducem, advenit, et tria loca, volens expugnationi castrorum et civitatum vacare, civibus Cracoviensibus sibi deditionem facere aspernantibus, incastellat, Et primum quidem castrum in loco contra Cracoviensem arcem et civitatem, in loco ubi Rudaua Vislam ingreditur, aliud prope Monasterium Tsiniecensi, supra ripam, et Sandecio suis militibus praesidio commendat, tertium in Zelow aedificat, et illud Duci Mieczslawo Oppoliensi genero suo dat in tenutam. Sed Conrado ex Cracoviensibus oris in Mazovienses divertenti, Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux cum militibus castrum in Tsinczensi rupe expugnat et conquirit, aliud vero quod in faucibus Rudaua et Visla erectum erat per deditionem accepit, militibus qui in praesidio eius erant verentibus, ne instar illorum de Tsinczensi rupe, vivi in potestatem Boleslai Ducis venirent. Contigit non longe post Mieczslaum Opoliensem Ducem generum Conradi, liberis non relictis mori. Cuius morte vulgata castrum Zelowiense quod Mieczslai nomine tenebatur, Boleslao Pudico Cracoviensi Duci illico redditur, et omnes Conradi Mazoviae Ducis labores et machinamenta reciderunt in irritum. In sortem autem Mieczslai Ducis Oppoliensis Vladislaus germanus eius successit, Ducatumque

Opoliensem ex integro possidere caepit. Pruthenis barbaris in Masoviam ingredientibus et hostiliter suo more terram circa Ciechanow vastantibus, occurrunt Mazovienses, et Lanciciensis milites, et congressu inito confligunt Pruthenis, et nongentis occisis, caeteri aut evasere per fugam, aut venere in captivitatem. Ad suggestionem insuper et petitionem Conradi Ducis Mazoviae Lithuani terram Sendomiriensem silenti agmine ingressi, oppidum Opatow et vicina eius praedantur.

Opizo Abbas de Mesano Innocentij Papae quarti in Poloniam et Prussiam nuncius ex Lugdunensi concilio missus, pluribus Apostolicis fultus facultatibus Cracoviam advenit, et exinde Prussiam Pomeraniamque transyt. Swantopelkonem Pomeraniae Ducem Casimiro Cuiaviensi Duci et Cruciferis fratribus inquietando pollentem, cum Pruthenis et Barbaris contra Christianos non sentire, neque ulla publica vel occulta inire conventicula, a censuris quibus erat per Episcopum Mutinensem etiam Apostolicum nuntium ligatus per annos aliquot, absolvit, et pecunias denarij Sancti Petri in singulis Dioecesibus Ecclesiae Poloniae per annos aliquot recollectas accipiens, ad Papam Innocentium redyt. Qui anno eodem Lugduni Sanctum Edmundum Confessorem Cantuariensem Archiepiscopum de Anglia Canonizat. Ipsius insuper Innocentij Papae Electores imperij parentes mandato, Henricum Lantgravium Ducem Thuringiae cognominatum Raspe, filium beatae Elizabeth in imperatorem eligunt, cuius electioni obviat et adversatur Fridericus filius Conradi Imperatoris depositi, quem pater ante in Almania Regem ordinaverat. Claritatem et praeeminentiam regalis nominis atque fastigij Daniel Ruthenorum Kyoviensis et Drohiczinensis Dux atque Monarcha, et qui prisca tempestate divitijs, terris, gentibus, sagacitate, et industria pollens, inter Ruthenorum Principes celebrior habebatur, adepturus, intelligens Opizonem Abbatem de Mesano, Apostolicae Sedis legatum Poloniam advenisse, largisque facultatibus Apostolicis praeditum esse, missis ad illum notabilibus nuntijs, etiam munera magnae importantiae per illos sibi transmittit, Rogans ut ipsum in Ruthenorum Regem authoritate Apostolica creabat, coronet, atque inungat, offerens se cum omnibus Russorum terris suae ditioni subiectis, Graecorum ritu derelicto, in obedientiam et communionem universalis Ecclesiae Romanae et sui summi pontificis transiturum, et tam Ruthenorum quam aliorum Catholicorum terras a Tartarorum invasione potenter et animose protecturum. Exhilaratus admodum his nuntiis eaque legatione Opizo Legatus Apostolicus, et credens exurgentibus rebus fidei et religionis Christianae conducere, si quoque beate et feliciter legationis suae officium obtenturum fore, si Daniele Drohicensi Duce in Ruthenorum Regem erecto, plures et insignes provinciae atque regiones, innumerabiles quoque animae ex caligine Ruthenica erepta in Catholicae fidei redirent puritatem, nuntiis Danielis Ducis benigne appellatis, et bene de ingressu suae legationis sperare iussis, illos ad Danielem Ducem remittit, pollicens se propediem venturum, et illum si erroribus Graecorum desertis, veram Catholicorum religionem cum terris et populis suis complexus fuerit, in Ruthenorum Regem coronaturum. Et licet Pontifices Poloniae et signanter Prandotha Cracoviensis Antistes, promissa tam temeraria Danieli Duci et suis nuntiis facta rescindi Opizoni legato Apostolico multis, variis argumentis persuaderent, quippe qui probe naturam et mores Danielis Ducis et eius fluxam vaframque fidem optime cognoscentes, certo certius sciebant Danielem Ducem his promissionibus temeratis, et religionem nostram et summos Pontifices ac ipsi Legato Opizoni fallaciter illusurum, Legatus tamen Apostolicus Opizo sive fidei et religioni Christianae optime consulturus, sive legationem suam ex coronatione [illegible] illustraturus, sive quod Pontifices Poloniae parum fideliter et magis ex invidia aestimabat dissuasionem ingessisse, a sententia dimoveri non potuit, sed in Drohiczin quae tunc Ducis Danielis principalis sedes erat provinci ino, Ducem praefatum Danielem astanti Principum et Baronum Russiae ad id specialiter invitata et accersita multitudine, in castro Drohiczin in Regem super Russiam coronat, et inungit, praefato Duce Daniele solenniter promittente et se iuramento in manibus praefati Opizonis legati adstringente, se cum omnibus Principibus et Baronibus terris et dominiis suis, fidem, ritum et caeremonias Romanae Ecclesiae, de caetero fideliter et sincere secuturum, et Innocentio quarto, summo Pontifici Romano, eiusque successoribus pariturum. Misit et ad gentem Tartarorum convertendam, a suaque furia mitigandam fratres praedicatores, et minores, zelum Dei habentes, inter quos duo erant principales ex praedicatoribus, frater Alexius Lombardus ex minoribus frater Joannes de Plano. Jam siquidem praefati Tartari totam Persidem et Assiriam, item totam Turchiam, quae antidicta est Armenia maior, ubi et Asia minor, armis et crudeli tyrannide occupaverant, antiquis tyrannis et habitatoribus partim necatis, partim ejectis, aut in suum ritum et linguam vium traductis

Fame miserabili, Culmen, Pomeraniam et Prussiae terras premente, adeo ut plerique Cruciferi inedia extinguerentur, miles Wydzga Czyrstin ex Cracoviensi terra, de domo et nobilitate, quae Jamna dicitur, ortum ducens, ordinem Cruciferorum ingressurus, tres magnas naves, vino, melle, tritico, lardo, frumento, butyro, caeterisque victualibus oneratas, per aquas Vislae, trecenta vero pecora, videlicet boves, porcos, item armenta, item equos per terram usque in Thorun transmisit, gratissimum laborantibus fame remedium, unus solus posthac ordinem in omni munere et benignam susceptionem, laudabiliter in illo perseverans, defunctus est. Attulit etiam tunc secum magnum pondus auri in montibus Polonicis versus Ungariam sitis et supra villam Lanczsko positis quaesitum et totum in ordinem contulit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS

Maioris Poloniae Duces Przemislaus et Boleslaus consensu apud Posnaniam suorum Consiliariorum medio, terrarum maioris Poloniae celebrant exaequo divisionem. Cessit autem minori natu Boleslao Calisiensis Ducatus a fluvio Prozna usque ad Przemantz, castro etiam Przemantz incluso, et abinde usque ad fluvium Vartham et Moszinam, et paludem quae Sepno vocatur et Odra termino fluvio. Przemislao vero natu maiori Gnesnensis et Posnaniensis cesserunt terrae cum suis castris et appendiis, divisioque ipsa etiam iuramento interposito et Anathemate per Boguphalum Posnaniensem Episcopum in violatorem, duce utroque petente, et se summittente, lato, quasi quodam duplici funiculo difficulter rumpendo firmata est

Boleslaus Legnicensis Dux, maioris Poloniae Ducatus, quos pater suus Henricus tenuerat, velut sui iuris essent, repetiturus, super Odram, novum castrum Copaniczam aedificat, Contra quem Premislaus et Boleslaus maioris Poloniae Duces exercitualiter, aedificationem castri Copanicza prohibituri, egressi, per communes Barones, ne inter fratres et affines propinquos horrendum intervenirent certamen, pacificantur. Et castris Santkoh, Medzirzecz, et Zbaszyn datis Boleslao Legnicensi pacificantur nova munitione castri Copanicza demolleta.

Barnin Slauorum seu Cassubitarum Dux, castrum Santkoh quod tunc a Boleslao Legnicensi Caluo Duce tenebatur, praetendens suum esse, collecto exercitu obsidet, et vehementer oppugnat, Successisset quoque illius expugnatio propter paucitatem defendentium, et victualium defectum, nisi Przemislaus Calisiensis et Posnaniensis Dux, qui Boleslai Legnicensis sororem germanam habebat pro consorte, festinus cum gentibus accurrisset, tulissetque laborantibus et iam in deditionem castri propendentibus, opem. Accelerant et Boleslaus Legnicensis cuius castrum erat adventare cum copijs Et Barnyn Dux Cassubitarum utriusque veritus potentiam, obsidione soluta, destitit, nec apposuit amplius redire. Boleslaus autem Legnicensis, Ducis Przemislai Posnaniensis et Calisiensis commendata fide et probitate, etiam sibi castrum Santkoh perpetua largitione donavit, vel potius reddidit

Non tulit et Boleslaus Calisiensis Dux frater Przemislonis, iniuriam et ignominiam suae sortis, quam illi Casimirus Cuiauiensis et Lanciciensis Dux filius Conradi Masouiae, Monasterium Ladense ad flumen Vartha situm incastellando, occupauerat, sed cum militia sua illud aggressus conquirit, praesidioque quod Casimirus imposuerat, depulso, et vallis, fossatis, et aminiculis propugnaculis disiectis et demolletis, locum Monachis restituit.

Matura aetate et continua frequentatione bellorum, Conradus Masouiae, Cuiauiensis, Lanciciensis, Siradiensis Dux, confectus, qui in omni vita sua ad consequendam Poloniae Monarchiam aspirauerat, et ob id nepoti suo Duci Cracouiensi Boleslao Pudico plurima bella mouerat moritur, et in Plocensi maiori Ecclesia sepelitur, Duos filios Casimirum et Semouitum relinquens. Inter quos subita contentio super relictis paternis principatibus exoritur. Vix enim patris corpore sepulturae mandato, dum adhuc funeri suo, velut a sua Agasia et filius natu minor Semouitus

insta

iusta persolverent, Casimirus natu maior Siradiensi castrū, item Spicimirz et Roszprzam ex improviso occupavit, et occupata detinuit, moleste ferens quod Conradus pater propensiori charitate Semovito affectus, Plocensem illum sedem et Mazoviae ducatū obtinere vivens iusserat

Secundo Magistro Cruciferorum Lipino alias Popon absumpto, tertius Henricus de Vida successit, qui in Pomerania terra castrum Cristburg construens, illud fratribus et militibus commisit, conatus temerarios Swantopelconis Pomeraniae Ducis facilius repressurus. Verum Swantopelk tempore oportuno explorato, castrum Cristborh per insidias nocte intercepit, et Cruciferorum partim necato partim captivato praesidio, suum illi imposuit. Violatis insuper paces induciis plurimos ex Cruciferis circa Golub cepit aut extinxit, Suo deinde et barbarorum exercitu congregato terram Cuiaviensem Casimiri Ducis hostiliter ingressus, neq. impuberibus, neq. foeminis miserendū duxit, sed ferro et incendio omnia devastans, magna praeda onustus, in castrum suum Swiecze se recepit. Eo autem Cuiaviā vastanti, aliud castrum a Magistro Henrico et fratribus e regione castri Cristborh extructum est. Ad quod oppugnandum conquirendumq., exercitus suus cum curribus et propugnaculis accedens, certamine inito superatus et in fugam versus, Cruciferi curribus et commeatibus rebusq. plurimis potiti, Eam cladem ultum iri Swantopelkus satagens, novo exercitu congregato, nonnullas copias, ad lacessendum Cruciferos, qui erant in castro Cristborh transmittet. Qua certamine cum Cruciferis inito, a Cruciferis ex castro Cristborg victi, dum ad Swantopelkonis stativa refugerent, clamore incomposito, quem fugiendo edebant, adeo Swantopelkonis perterruerunt exercitum, ut tabernaculis relictis, trans alteram ripam Vistla, absorbentibus nonnullos undis, diffugeret. Exercitus vero Cruciferorum in terram Pomeraniae descendens, gravem vastationem per caedes et incendia infert, sub qua vastatione omnibus horreis et Grangiis Monasterij de Oliva concrematis, et tam equis quam pecoribus abductis, monasterium praedictum extrema egestate damnatū est

ANNꝰ DNI MILLꝰ DVCENTESIMꝰ QVADRAGESIMꝰ OCTAVVS

Magna tranquillitas, certaque pax, Conrado Mazoviae Duce excedente e vita, terris Cracoviensibus, Sendomiriensibus, et Lublinensibus, qui illas et per se et per barbaras gentes Lithuanos atque Ruthenos infestare solitus erat, reddita est. Ducis quoque Boleslai pudici, praecipuo hoste et adversario sublato, thronus firmatus. Capitque exinde Boleslaus pudicus Cracoviensis Dux collapsa et deformata erigere, et instaurare diruta, et tam apud Polonorum Duces, quam vicinas nationes et regna, propter nobilitatem suam, morum elegantiam, et virtutum praestantiam, magnus et celebris haberi. Secutus autem est parentem suum Conradum Mazoviae Ducem filius eius Boleslaus, et rebus absumitur humanis.

Cracoviensibus et Sendomiriensibus otio quietatis, atrox et civile bellum in Sleziana ora coepit. Boleslaus enim Calvus Legnicensis Dux magno furore actus, quod et de portione meliori Ducatus Vratislaviensis, quae sibi ex sorte debebatur, Legnicensem ratus meliorem, Henrico fratri sponte cesserat, et quod Conradus alter frater sua portione consors, subdiaconatu ad quem promotus, et Bambergensi Episcopatu, ad quem promovendus erat, desertis, militari statu induto, portionis Legnicensis dimidium repetebat, Henrico qui Vladislaum Archiepiscopum Salzburgensem habebat consortem ex integro retinenti, bellum Henrico Vratislaviensi et Conrado fratri apud Henricum hospitato movet, Et Saxonibus stipendio conductis in solatium accersitis, Vratislaviensem Ducatum, Henrico Wratislaviensi Duci, quod vires illi ad decernendum tenues erant, vitanti conflictum, spoliis et incendiis et qualibet hostilitate vastat et invadit. Apud novum quoque forum plebe promiscua ad Ecclesiam confugienti quingentos hominis sedari flamma consumunt, deinde ad civitatem Vratislaviensem, quae tum primum Henrici Ducis industria a Theutonicis disponi et iure Teutonico locari coeperat, accedens, eam tribus mensibus continua obsidione premebat. Quae etsi tunc in muris et propugnaculis languida atque nonnulla extitisset, obsidionem tamen Boleslai Calvi Legnicensis non solum fortiter tulit, sed etiam per frequentes eruptiones exercitum suum multifariis damnis molestavit, adeo ut Boleslaus ab illius obsidione acceptorecto recedere cogeretur.

Iacobus Leodiensis Archidiaconus ex Lugduno a Papa Innocentio quarto, in Poloniam, Pomeraniam, et Prussiam nuntius missus, in Poloniam advenit, et negocia sibi a Sede Apostolica commissa, confecturus, Synodum apud Vratislaviam agit. Ad quam cum Fulco Gnesnensis Archiepiscopus, Prandotha Cracoviensis, Boguphalus Posnaniensis, Thomas Vratislaviensis, Michael Vladislaviensis, Andreas Plocensis, Nanckerus Lubucensis, Henricus Culmensis, Poloniae Ecclesiae et Gnesnensis provinciae Episcopi, cum suarum Ecclesiarum Capitulis convenissent, Iacobus Leodiensis Archidiaconus, nuntius Apostolicus, quantis sedes Apostolica et eius Praesul Innocentius quartus, ex diuturna guerra inter ipsum et Fridericum Imperatorem pro defensione libertatis Ecclesiasticae afflicta sit calamitatibus, in quantas difficultates et debita prolapsa, quantis circumdata angustijs, longo sermone edixit, nomineque Romanae Ecclesiae et Innocentij quarti medietatem omnium redditunm per tres annos continuos, pro subventione ab Ecclesia Polonica magno studio flagitare coepit, asserens impium et crudelem fore filium, qui in tam evidenti necessitate afflictae et angustiatae matri subvenire detractet. Pontifices autem Poloniae Ecclesiae varijs consultationibus habitis ad subveniendum Ecclesiae Romanae et Innocentio quarto de quinta parte suarum Ecclesiarum et beneficiorum sui cleri per triennium, medietas enim onerosa videbatur, se submittunt. Et quo subventio ipsa in summi Pontificis conspectu gratior foret atque commendabilior, pro universo triennio subventionem ipsam quintae partis in constituto die celerrime conferunt, et summo Pontifici per Gotfridum Paenitentiarium Apostolicum collectam pecuniam et in aurum redactam transmittunt, pro quo Pontificibus et clero Poloniae ab Innocentio quarto gratiae in publico habitae sunt.

Ieiunij moderatio.

Habebatur autem in universo regno Poloniae observantia vetus et consuetudo ab exordio susceptae fidei in eam usque diem, in morem primitivae Ecclesiae, et ritum, quem Orientalis Ecclesia servare non desijt, pro legittima sanctione custodita, ieiunium quadragesimale a Dominica Septuagesima incipere et in diem Paschae continuare. Quae a pluribus saepenumero praevaricata personis, multarum discordiarum inter clerum et saecularem populum afferebat seminarium et fomentum. Sacerdotibus et Ecclesiarum Parochialium rectoribus, transgressores, aut publica aut gravi poenitentia, aut censura mulctantibus, aut Ecclesiae ingressum denegantibus, Laicis e contrario opponentibus, consuetudinem et observantiam praefatam ab Ecclesia Romana, contraria consuetudine et observantia in singulis regnis, terris, et provinciis Romanae Ecclesiae subditis, abolitam fore, et se ad illam more aliorum Catholicorum non teneri. Pluribus itaque diebus in praefata Vratislaviensi Dieta, per Jacobum Apostolicum nuntium et Pontifices Poloniae, eorumque clerum, modo rei huiusmodi ventilato, Jacobus Apostolicus nuntius praedictus de consilio et assensu Pontificum, et Cleri, Ecclesiae Polonicae consuetudinem et observantiam, praedictas multas difficultates et scandala parientem, authoritate Apostolica sustulit, et tam Ecclesiasticis, quam saecularibus personis usum carnium ad Cinerum diem exclusive, contraria consuetudine Polonicae Ecclesiae, et institutione primitivae Ecclesiae non obstante, concessit. Ab eo quoque tempore Septuagesima Dominica a Polonis Vetus carnis privium denominationem, quam et hodiernus retinet, accepit.

Venceslaus Bohemiae Rex qui ob sinistri oculi defluxum et carentiam Monoculus appellatus est, senio grandaevus, et aliis, tam hostili odio et livore, procurantibus et foventibus huiusmodi odia Baronibus Bohemiae, et signanter Stiborio, cognominato ob singularem industriam Mudra Glowa ut est sapientis testa, insectatus est, ut Venceslaus Rex a filio Przemyslao angustiatus et constrictus regnum illi resignaret, tribus sibi tantummodo castris videlicet Sunnychow, Lokieth et Bonti sibi reservatis. Verum dum nec sic furor filii Premislai, et consulentium sibi quiesceret, sed Premislaus Vigi Berszonem de Osech alias Rizemburg eo quod cum patre contra illum sensisset, capitali prosequens odio, etiam Pontem castrum, quod Borszo a patre tenebat, obsidione vallaret, Borszo cum Baronibus de Suuambech et Lenberg et aliquibus de Misna, castra Premislai nocte invadens percussit, pluribusque interfectis Premislaum et omnes suos in turpem fugam egit. Rex interim Venceslaus et Bohemorum et

Austrialium adiutus assistentia, occupatum a filio regnum recuperat, et filium ad se in Tirskow venientem captivat et carceri includit, Suorum vero Consiliariorum capita in monte Petrino trabe iussit decuti. Inter quos etiam caput Stiborij Mudrachlowa de Schimbork et Thomaczow, qui in sua sapientia adeo confidentiam habuisse asseritur, ut Deum posse se in consilium suum assumere gloriaretur, trabe decussum est. Przemislaus vero filius post vincliatus, et per Barones patri reconciliatus, calcitrare erubuit, et patre concedente in Moravia ad patris mortem gessit principatum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS NONVS

Divisionem terrarum et Ducatuum, Przemislaus Gnesnensis et Posnaniensis Dux, inter se et Boleslaum germanum suum Ducem Calisiensem superiori tempore celebratam inficiatus, castrum et civitatem Posnaniensem iuxta Calisiam maiorem Posnaniensem multa diligentia atque impensa, variisque aedificiis, fossatis, et propugnaculis extruxit et consummavit Et fratri suo Boleslao Duci Calisiensi accersito, consignato ei Gnesnensi Ducatu, ac castris oppidisque Bnin Grzedcz seu Gedrz Buckow, Ostrow, Nakiel, Usce, Czarnkow, et Srem, castrum et Ducatum Calisiensem ab illo in perpetuam possessionem accepit, novamque divisionem inter se et Boleslaum fratrem suum non ex aequo, aut Consiliariorum arbitrio, sed ex sensu proprio, seniori irritata, Boleslao natu minore adversari non audente, multis viris improbantibus, celebravit, meliora quaeque in suam sortem approprians, et infecunda et quaeque deteriora Boleslao fratri relinquens. Conicit et in vincula praefatus Przemislaus Posnaniensis Dux Thomam Castellanum Posnaniensem, et Thomislaum Pincernam, filiumque eius Sandivogium nobiles de domo Nalancz, astruens illos ad se et fratrem suum Boleslaum de maioris Polonia Ducatibus eiciendum, et ad tradendum Ducatus praefatos Boleslao Legnicensi conspirasse, quos in castro Gnesnensi, aliquanto tempore ferreis cathenis tenuit constrictos.

Boleslaus calvus, Legnicensis Dux, sortem, quae sibi primum obtigerat, et de qua sponte sua Henrico germano suo cesserat, Ducatum videlicet Wratislaviensem repetiturus, Saxonibus et Teutonicis catervisq peregrinis militibus, quos pretio in sui solatium conduxerat, adiutus, civium Wratislaviensis castra tantummodo ac munitiones tueri contentos, Boleslaus Legnicensis, fortem et numerosum ducens exercitum, oppida et rura vastat, et incendit, et praedam magnam pecorum et captivorum in terram Legnicensem abducit, Terra autem pervastata etiam civitatem Wratislaviensem secunda obsidione constringit, Aliquanto autem tempore in eius obsidione demoratus, plurimbus damnis per eruptionib. et invasionib. eorum, qui babulatum se conferebant, exceptis, in Legnicensem Ducatum, fremens et tristis, quod duabus expeditionibus nihil prospere gessisset, redijt. Quum in Legniczam redeuntem Barones sui et militib. captivant, et incarcerant, Post sa de sinceritate facienda sponsionem faciens, dimissus in libertatem, castra Teutonicis vendit, ut liberius proprios vastaret, suam captivitatem satagens ultum iri. Donat insuper castrum Lubusch Archiepiscopo Maudburgensi ea conditione ut sibi ingentibus transmittat solatia. Quibus agentib. Przemislaus Posnaniensis Dux gener suus, qui sororem suam germanam habebat in consortem, ipsum velut delirantem detinuit, et sub honesta custodia servavit captivatum

Nicolaus Pragensis Epus apud Wenceslaum novellum Bohemiae Regem, per aemulos famae et nominis sui accusatus, quod et ipse cum filio Regis Przemislao sensisset, et ipsum ad rebellandum patri, subornasset, iussu Wenceslai Regis captus est, propter quod interdictum Ecclesiasticum in universa Pragensi Dioecesi, quousq in libertatem redijt, fuit observatum

Bruno Olomucensis, dignitati sacerdotij neglecta, oppidum Ratiboriensi, ob quasdam simultates et inimicitias cum Wladislao Duce Ratiboriensi, obsidione cingens expugnat, et

tem

tam Ecclesias, quam Monasteria et oppidum incendio conflagrat. Ad castrum etiam Rathboriense machinas admovit, sed inde repulsus, turpiter abiit. Post tractatus autem varios pro pace inter ipsos habitos, Vladislaus Dux oppidum Rathboriense tribus millibus marcarum a Brunone Episcopo redemit.

Francorum Rex Ludovicus pro liberatione terrae sanctae cruce, cum suis Episcopis Baronibus et Principibus transfretaturus, iter transmarinum, et in die Ascensionis domini ex Cipro, ubi integra hyeme hibernaverat, navem conscendens, navigansque portum et civitatem Damiatae capit. Ultra vero ad expugnandum Saracenos procedens, obviam habent multitudinem Saracenorum, in passibus strictis, ubi multi de suis occiduntur. Inter quos fuit et frater suus Robertus, cuius nimia celeritate clades ipsa acciderat. Ludovicus vero Franciae Rex cum pluribus suis capitur, et cum captivitatem annis quinque pertulisset, data pecunia se ipsum et omnes in libertatem vindicavit.

Andreas Plocensis Episcopus dictus Cracoviensis cum annis undecim sedisset, febribus maceratus die decima septima Januarij moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur, Cui Petrus cognominatus brevis Canonicus Plocensis per electionem in Canonicam via compromissi celebratam successit, a Fulcone Gnesnensi Archiepiscopo apud Calisz, Casimiro et Semovito Ducibus Masoviae illum promoventibus confirmatus et consecratus.

Claruit sub hoc tempore in Lombardia, vita, doctrina, atque miraculis Beatus Petrus de ordine praedicatorum natione Veronensis, sed in territorio Mediolanensi ab Haereticis, Deum tantummodo visibilium, daemonem vero invisibilium creatorem astruentibus, velut sectae eorum damnator occisus, magnis coepit coruscare miraculis.

Innocentius Papa quartus, Albertum Episcopum, olim Armacanum, tunc vero in Archiepiscopum Prussiae promotum, ad Danielem Russiae Ducem, obedientiam sibi et Ecclesiae Romanae ab eo praestari requirens, mittit. Sed Dux callidus et rebellis, neque requisitioni Apostolicae paruit, neque se fidum, sed hostem Ecclesiae Romanae egit, legatumque Apostolicum sine honore dimisit.

Henricus Lantgravius et Dux Thuringiae, cognominatus Raspe, filius beatae Elysabeth, mandato Innocentii Papae ab Electoribus imperii, post Friderici depositionem, in Regem Romanorum electus, moritur. Et ex mandato eiusdem Summi Pontificis Innocentii, electores ad electionem alterius Regis procedentes, Guilhelmum alias Vuilhelmum Comitem Holandiae in Regem Romanorum et Imperatorem futurum eligunt

Adunato Cruciferi qui Balgam et Elbing castra et oppidam in Prussia observabant, non mediocri ex propriis militibus et forensibus exercitu, Prutenorum regionem Natanga hostiliter ingressi, tam flammis quam caedibus gravissime vexarant. Vastatione autem peracta dum redirent, a Prutenis ingnarorum locorum oportunitate circumsepti, dum neque effugiendi, neque acie iusta dimicandi spacium foret, barbaris, qui et ipsi plures numero erant, instantibus, se hostibus Marsalco Duce exercitus, et Henrico Crucifero, nequicquam improbantibus, dediderunt. A quibus omnes ad unum trucidati atque deleti sunt, circa villam vocatam Vuithe, ubi etiam non mediocris alia caesa est a Barbaris Christianorum multitudo

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVINQVAGESIMVS

Crebrescentibus stupendis et magnificis miraculis, quae clementia Salvatoris per Beati Stanislai Pontificis Cracoviensis gloriosa merita, Polonorum genti in earum cladium et afflictionum, quibus et a Tartaris et civilibus bellis attrita est, lenimen, operari dignata est, Boleslaus Pudicus Dux et Prandota Episcopus Cracoviensis, ferventes ambo devotionis viri, nuntios, Magistrum Jacobum Decretorum Doctorem Decanum Cracoviensem, ortum de Skarzissow, humilis quidem sortis, et staturae infimae et exiguae, sed magnae et rarae doctrinae, prudentiae, et facunditatis virum, et Magistrum Gerardum Canonicum Cracoviensem, fratrem Boguslaum ordinis praedicatorum Subpriorem Domus Cracoviensis, in Lugdunum ad Innocentium Papam miracula ipsa expositoros transmittunt. Quae etsi Summus Pontifex Innocentius nocentio in facie Consistorij publici, per magistri Jacobi de Starzeschow Decani Cracoviensis organum, graviter et diserte fuissent enarrata, Summus tamen Pontifex gravitatem in rebus similibus a Sede Apostolica custodiri solitam observans, Archiepiscopo Gnesnensi, Wratislaviensi Episcopo, et Abbati de Lubens, examen miraculorum beati Stanislai per literas speciales mandat et committit, iubens illis singulariter et iniungens, quatenus propter diuturnam et longaevam earum rerum, quae de passione et martirio beati Stanislai Episcopi Cracoviensis ferebantur, protelationem, militem quendam centenarium, Radlho hic erat, cum omni diligentia et sollicitudine examinaret. Qui etsi Sanctum Stanislaum non noverit, eos tamen qui illum noverant, pro comperto habebatur novisse, et illisque referentibus, vitae beati viri puritatem et conversationis innocentiam et religiosam per omnem aevum traductam, ordinem et causam martirij, et miracula quae in vita et morte operatus est, plenarie didicisse. Cuius commissionis tale extat exemplar

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio fratri Jacobo Vuilletren, ordinis fratrum minorum Salutem et Apostolicam benedictionem.

Licet venerabili olim fratre nostro Episcopo Cracoviensi et dilectis filijs Capitulo et clero Cracoviensis Civitatis et Dioecesis, suis nobis literis intimantibus, quod mirabilis Deus in sanctis suis, piae memoriae Stanislao Cracoviensi Episcopo tot et tantis dat coruscare miraculis, ut illius Sanctitas apertis indicijs comprobetur, et ipsius inter alios Sanctos non invocari suffragia est indignum, Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Gnesnensi, Episcopo Wratislaviensi, dilecto filio Abbati de Lubens Cisterciensis Ordinis, Wratislaviensis Dioecesis dederimus nostris literis in mandatis, ut assumptis sibi viris religiosis et Deum timentibus, de virtute morum et veritate signorum, operibus videlicet et miraculis, diligentissime inquirentes, quae invenirent, nobis suis literis fideliter intimarent, ipsisque in negotio huiusmodi procedentibus, et rescribentibus nobis, nos fidem adhibeamus ut convenit proposito eorundem. Quia tamen in tanto negotio, est gravitate ac maturitate praevia procedendum, te ad partes transmittentes easdem, discretioni tuae auctoritate praesentium, in virtute obedientiae sanctae iniungimus, ut a dictis inquisitoribus si superstites et praesentes in provincia fuerint, an sic processerint, sicut sub ipsorum sigillis recepimus, perscruteris, et ipsorum actorum exempla ad maiorem certitudinem tecum portes, facias praesentari tibi eos qui dicuntur fuisse a diversis infirmitatibus liberati, quos et quot poteris, ac illos duos centenarios, si superstites fuerint, de quibus mentio est in actis quae dicuntur ab aliquibus accepisse, vel eorum alterum, qui sanctum noverunt eundem, et de ipsius clara et honesta conversatione, dum viveret, audiverunt. Inquisiturus ab ipsis, an ita sit, et inspecturus. Ac solemnem devotionem populi et famam communem super martirio et causa martirij, nec non et sanctitate ipsius inquiras. Insuper utrum Cracoviensis Dioecesis, paganis et Ruthenis schismaticis sit confinis, ut per hoc ex ipsorum contiguo lucrum provenire valeat animarum. Adhaec librum Chronicorum quod ad capitulum pertinens ad rigorem innovatum, ex Archivo Ducis Poloniae editum, et etiam librum annalium et Epitaphiorum considera diligenter. Et his summatim sub obtestatione iuramenti, ubi tibi visum fuerit, coram praedictis inquisitoribus praestiti, plenius intellectis, si aliqui testes super praedictis vel novis articulis tibi fuerint praesentati, eos iuratos, secundum formam recipiendorum testium praedictorum, recipias, et diligenter examinare procures, et sic instructus ad nos, ut per te super his instruamur plene, revertaris. Datum Perusii septimo Calend. Julij Pontificatus nostri anno nono

Danorum Rex Henricus illustris, cum velut natu maior, patre mortuo in regnum et solium paternum successisset, annis aliquot illud iuste pie et religiose administrasset, a fratre iuniore Abel nomine, Regnum et dominationem ambiente, tam Regno privatur, quam vita. Cum nonnullis siquidem scelestis viris in necem Regis et fratris sui tenerrime illum diligentis affectu conspirans, ipsum rapit, captumque marinis suffocat undis, regnumque

Illud

Mero invadit. Facinus tamen tam detestandum altitonanti Deo, neq; principatus neq; vita fuere illi diuturna, Prussonibus enim, subiugari illos vi satagens, bellum anno insequenti inferens, praelio inito ab illis occisus, et vitam et regnum amisit

Duabus expeditionibus contra Ducem Henricum Vratislaviensem germanum, suumq; Ducatum superioribus annis institutis, Boleslaus Calvus Legnicensis Dux, tertiam addidit, et aestate anni sequentis multis stipendio conductis militibus, tertio et Ducatum Vratislaviensem vastavit, et civitatem obsedit, pluribusq; conatibus eius oppugnationi curam et cogitationem impendit. Sed tam militum Ducis Henrici, quam civium forti resistentia tertio repulsus, dum in Legnicz fremens redivit, singula igni vastavit. A militibus autem Teutonicis quos conduxerat, pro mercede promissa vexatus, omnibus equis, armis, fortunis, et clenodijs se exuit, et mercenarijs militibus semiplenum stipendium persolvit, propterque et in suo Legnicensi, et Vratislaviensi Ducatibus plura fuerunt nova loca per praedones et eos quibus solutio facta non fuerat, incastellata. Multis autem Boleslaus Legnicensis pressus incommodis, castrum suum Lubusense Joanni et Ottoni Marchionibus Brandeburgensibus, in levi pecuniarum quantitate, ea etiam spe illectus, quod Brandeburgenses Marchiones illum suis gentibus contra fratres Henricum et Conradum adiuvare se astrinxerant, obligat. Ab eoq; tempore castrum et districtus ipse a Polonorum regno iniuste alienatus, ad Marchionatum Brandeburgensem transiit. Verum dum nec sic, longo bello, rebus suis, debitis et aere alieno involutus, providisset, a proprijs militibus desertus et contemptus, a mercenarijs vero, quibus non exsolverat, caeterisq; praedonibus, castra nova occupantibus, adeo exinanitus et in egestatem pene extremam detrusus est, quod frequentius pedibus quam equo vectus, omnibus destitutus familiaribus, uno tantummodo Surrano fistulatore miserrime associatus, et stipe aliena nutritus passim vagaretur. Ab Henrici quoq; fratris sui militibus captus

et in vincula

et in vincula apud Wratislaviense castrum coniectus, iubente Henrico fratre, et calamitatem ignominiamque fraternam secus quam propriam, pijs abhorrente praecordijs dimissus, in Legnicz se recepit, et contra fratres suos Henricum et Conradum machinari non destitit. Et pro excutienda egestate, qua tenebatur, oppida Lubaniam et Gorlizam in sua sorte consistentes, in summis gravibus pecuniarijs. Baronibus et subditis Saxo tradidit, et insaevijsset, ducatumque suum tor catione diripsit enormi. Quae omnia beata Hedwigis ava sua dum viveret nonnullis timoratis personis praedixerat, ducatibus Slesiae et fratribus per Bolislaum Legnicensem Ducem fore inferenda

Fridericus quartus Romanorum Imperator ab imperio et Siciliae Regno per Innocentium quartum sententialiter depositus, ex Italia ubi plures clades et infortunia perpessus, Apuliam veniens gravi aegritudine apud Fiorsolem pressus, sine paenitentia et in anathematis vinculo moritur, quem fertur Manfredus filius eius naturalis, Regnum Siciliae et thesauros paternos ambiens, uno secretario Imperatoris conscio, ne ex infirmitate qua detinebatur convalesceret, cussino super faciem eius posito suffocasse. Qui etiam Manfredus morte Friderici sequuta, dominium Regni usurpare et occupare coepit, a quo illum Conradus Rex filius legitimus Friderici de filia Joannis Regis Hierosolimitani susceptus, et quem Siciliae Barones singulari prosequebantur favori, deiecit. Hic Fridericus Petrum de Vineis Cancellarium suum et omnium rerum suarum fidelem et solertissimum curatorem, vigint. notabilibus curialibus, conspiratione contra illum ex livore facta, Imperatori Friderico illum de certis et enormibus criminibus, pari relatione, unoque tenore separatim accusantibus, fidem praestans, utroque lumine excaecavit. Qua accusatione tandem discussa, cum illum innocentem comperisset, vehementer doluit. Petrus vero de Vineis privationem luminum impatientius ferens, caput ad petram allidens, miserabiliter expirat. Qui post caecationem Imperatori reconciliatus, in dolo consuluit, ut ad rescindendam egestatem, qua laborabat extremam, omnium Clenodiorum in imperio et regno

Siciliae

Sed dux conditentium Ecclesiarum attulerit meditatum. Qui cum id consilium fuisset executus, exprobrant illi in faciem Petrus de Ginris, quod non sincere, sed livorose et vafre illud sibi praebuisset consilium, praecipitaturumque illum ad Dei indignationem et furorem, et supplicium suae deceptionis de eo sumpturum

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS

Opoliensis Dux Wladislaus sororem suam germanam Ducissam Iudittam, relictam olim fratris sui Mieczslai Ratiboriensis Ducis, et filiam Conradi Masoviae Ducis orbam et sterilem, pro quingentis marcis argenti, quas in Ratiboriensem Ducatum ~~ratione dotis~~ pro dote a Conrado Masoviae Duce patre suo intulerat, soluturus, quatenus villas et possessiones in Ratiboriensi Ducatu ratione dotis et dotalicij eidem Iudithae Ducissae inscriptas, ab obligatione, et eiusdem Ducissae tenuta absolveret, terram Rudensem a principali castro et civitate Ruda denominatam, quae nunc Wieluniensis ad amoenos irriguos et perennes fontes in basso et lacunoso solo translata, cum Ruda in editiori loco cuius terreno sterili et aquosa esset, appellatur, quam tempore quo Premislaus et Boleslaus filij Wladislai Otthonis ab Henrico cum barba Slezia Duce de terris maioris Poloniae pulsi de conniventia eiusdem Ducis Henrici cum barba occupaverat, intelligens sibi possessionem eius fieri non posse diuturnam, praefatae Ducissae Iudithae sorori suae fratri Casimiro Cuiaviensi et Lanciciensi Duci, tradere disponit in dotis suae possessionem. Cum autem de eo inter Wladislaum Opoliensem, et Casimirum Cuiaviensem et Lanciciensem, fratrem relictae Mieczslai Ratiboriensis conveniret, advenisset, Premislaus Posnaniensis et Calisiensis Dux de his certior per amicorum avisamenta factus, ne notabilis portio haereditatis suae ex contractu huiusmodi, ampliori alterationem contraheret, cum expedita militum manu versus Rudam castrum advenit. Et tardantibus Nuncijs et gentibus Ducis Cuiaviensis et Lanciciensis Casimiri ad possessionem illius apprehendendam tempestive venire, Premislaus Posnaniensis et Calisiensis Dux castrum Rudense vacuum reperiens, gentes enim Ducis Opoliensis Wladislai iam de illo diffiserant, solo tenutario cum paucis ad tradendum illud Casimiro Cuiaviensi et Lanciciensi Duci relicto, in possessionem

illius

~~intravit~~ illius intravit, et in obedientiam ac subiectionem eius singulis militibus terrae Rudensis sponte venientibus, terram Rudensem extunc pacifice velut sortem sui patrimonii legitimam possidere coepit. Quo agnito gentes Casimiri Cuiaviensis et Lanciciensis Ducis, qui terrae insculi pro castro Rudensi possidendo advenerant, abierunt retrorsum concito cursu, veriti ne Premislaus Posnaniensis et Calisiensis Dux illos invaderet, Dux etiam Uladislaus Opoliensis ademptum sibi Rudensem Ducatum aequo animo tulit, nec illum nunc aut iniuria a Premislao, sciens se illum violenter et praeter aequitatem possedisse, repetiit. Opoli autem sua Ducissa Iuditha Mieczslai vidua, dotis summam argento parato Henrico Vratislaviensi Duci, qui illam in consortem acceperat, et filium Henricum filiamque Hedvigim ex ea susceperat, exsolvit. Sed et cum Premislao Posnaniensi et Calisiensi Duce affinitatem iunxit, et sororem eius Eufemiam accepit, in consortem, nuptiis cum magna subditorum solemnitate in Posnania celebratis

Miraculis beatissimi Stanislai Cracoviensis Episcopi et Martyris per Commissarios Apostolicos, Gnesnensem venerabili et Archiepiscopum, Vratislaviensem Episcopum, et Abbatem de Lubens cum magna et exacta gravitate examinatis, et in librum scriptum redactis, priores huius negotii nuntii videlicet Magister Iacobus de Skarzissow Decretorum Doctor Decanus, et Magister Gerardus Canonicus Cracovienses Canonisationem beati viri apud Innocentium quartum sollicitaturi, ad curiam Romanam per praenotatum Episcopum et Capitulum Cracoviense, sumptibus datis provisi, altera vice transmittuntur, Et ut res ipsa facilius transigi et obtineri posset, nuntiis praefatis nonnulli fratres Praedicatores, et Minores, de Monasteriis et domibus Cracoviensibus, in literis divinis eruditi, et zelum Dei habentes adiuncti sunt.

In villagio et vici Bochnya, quinque a Cracovia milliaribus distanti, sal durum et compactum, quod extrahitur in petribus grossis in plerisque locis adeo candidum ut Crystalli speciem videntibus praebeat, cuius et hactenus habetur uberrimus usus, repertum est, et oppidum locatum, Ecclesia quoque parochialis in honorem Sancti Nicolai Confessoris erecta, et a Boleslao Pudico liberaliter dotata est. Qua quidem salis repertio beatae foeminae Kunegundi Ducissae Boleslai Pudici Cracoviensis Ducis consortis, meritis, iam tunc fulgentis virtutum iubar ascripta est

Boleslaus Calvus Legnicensis Dux, filius Henrici a Tartaris tatis occisi, bellum sibi a Conrado fratre germano, ob non praestitam contingentem eum portionem, ratus quandoque imminere, Et in Ioannem filium Mirzonis Castellani Crosnensis hominis ditissimi captum, et castrum Olmanz, et ex terris quibus pecuniam debebat, pecunia mulctandum tradit. Quare adeo omnium Poloniae Baronū in suo Legnicensi Ducatu animi ab eo alienati et sibi infensi fuerunt ut castrum Crosnam et oppidum, caeteraque quae in eorum potestate erant munitiones, Conradi fratri suo et adversario traderent, et in illius se conferrent ditionem, Boleslao Calvo deserto, tirannidem sua in dies amplius grassante peresi.

Viola genere et natione Bulgara Ducissa de Opol moritur

Spoliaturi fines Polonorum quidam ex castro Lubusz latrunculi, in campestria castri Zbaszyn perveniunt, et gregem pecorum haud mediocrem nacti etiam pastorem ne facinus fugiens denunciaret, simul cum pecore apprehendunt. At ille tam se quam pecus a se custoditum in libertatem vindicaturus, Si vos inquit praedatum venistis, ampla potestas vobis praeda, si pecus meum inviolatum fuerit, pro indicio contingere. Laetis illis et incolumitatem tam sibi quam pecori pollicentibus, Castrum, ait, Zbaszin gentibus ad illud excubias pro sua vice, per vices enim custodiri solitum, tarde venientibus, a tribus tantummodo et his pauperibus et inertibus custoditur. Illo, si quid audaciae vobis est facile fungi poteritis. Qui capta praeda omissa, e vestigio ad castrum perveniunt et pro custodia castri se venisse, quemadmodum a pastore docti fuerant, mentiti, ad castrum cum favore intromissi, castrum occupant, et eos, quos illic repererant, vinciunt. Cuius facti noctu novitas, cum ad Premislaum Posnaniensem et Calisiensem Ducem altero ex quo contigerat die festinantissime delata fuisset, nihil rei atrocitate, qua alium pavore perculisset, motus, festinus et ipse cum parva suorum Civiumque tantummodo manu, tam nobilibus quam agrestibus se celeriter sequi iussis, ad Zbaszyn pervenit, et se eorum obsidionis occupatoribus monstravit. Qua illi exterriti, cum et castrum victualium inops esset, et nemo obsessis opem laturus speraretur, vita tantummodo a Principe impetrata castrum dedunt, priusque deditio ipsa facta est, quam illius milites veram obsidionem efficere consequerentur. Sed et gratiae illi a latrunculis ingentes actae sunt, quod illis vitam scelere eorum demeritam sua supplicatione donaverint

In maxima egestate et prope desperatione Cruciferis expela de apud Nattagam regionem suscepta constitutis, Marchio Brandeburgensis, item Episcopus Morszburgensis, item Comes Henricus de Swarczburg cum gentium armatarum solatijs adveniunt, et Prutenos superiori victoria exultantes, strage sequentium edita, adeo atterunt, domantque, et quinque Prutenicae regiones armis subacta etiam fidem Christi profiteri et idola relinquere coactae sunt, videlicet Pomezani, Cummij, Pogezani, Barthini, et Nattagini, sub quo tempore quarto Magistro Prussiae Hermanno de Salcza obeunte, frater Conradus Lantgravius Thuringiae in Magistrum suffectus est.

Henricus alias Heidenricus qui et Albertus olim Armacanus, tunc vero Culmensis Episcopus Ecclesiae suae Culmensis bonum regimen et residentiam Canonicorum assiduam ordinaturus, cum esset frater ordinis praedicatorum, Ecclesiam praedictam Culmensem in dei beatae Mariae Magdalenae de saeculari in regularem transfert, et Canonicis praelatisque saecularibus amotis et consentientibus Collegium Canonicorum regularium in illa instituit, qui bona temporalia habentes, in commune etiam domicilium haberent unum et mensam eandem.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS

Secessionem militarium et subditorum suorum Boleslaus Calvus Legnicensis Dux, quod se deserto fratri et adversario suo Conrado adhaeserant, Crosnamque et alias munitiones tradiderant, vehementi furore incitatus, non a desertoribus tantummodo suis, sed etiam a Conrado fratre poenas secessionis huiusmodi et contemptus exigere coepit, Conradumque fratrem nihil aliud quam sortem suam ab eo repetentem pessimum castigare deinde occidere, pacificus enim erat Princeps et tum ob mansuetudinem tum ob paupertatem iniuriae opportunus, carnificesque quibus id munus delegat, precio et promisso subornat. Conradus autem Dux insidias sibi a fratre Boleslao Legnicensi comparatas declinaturus, ad Premislaum Posnaniensem et Calisiensem Ducem, in quo, et in altero germano Henrico Duce Wratislaviensi, plus quam in Boleslao

reponebat

respondebat Spiri dimisit, petens sibi ingredi, et se in patrimonii sui sortem cum fratribus recipi, a quo non solum benigne exceptus, sed etiam comiter et honeste habitus est, et beneficio restitutionis sua in portionem suam servare iussus. Primum itaque Premislaus Posnaniensis et Calisiensis Dux ad Boleslaum calvum Legnicensem, et Henricum Vratislaviensem Duces nuntios mittit, qui rogarent, et instarent germano eorum Conrado ex paternis principatibus sortem tribuerent, ipsumque de caetero in commune omnium [illegible], exulem et stipe aliena victum quaeritantem non sinerent. Henricus autem Vratislaviensis Dux, etsi de sorte Conradum contingente nihil se habere respondit, obtulit tamen se apud Boleslaum Calvum Legnicensem Ducem, qui et suam et Conradi portionem occupavit, enixius quo posset de reddenda Conrado portione intercessurum. Boleslaus vero Legnicensis Dux cum summo modo Przemislonis legationi asperum et iniquum dedisset responsum, asserens Conradum fratrem suum quod tonsura clericali et officio subdiaconatus relictis, Episcopatu etiam Bambergensi neglecto, in saecularem militiam migraverit, indignum cui sors paterna debeatur. Premislaus Posnaniensis et Calisiensis Dux tam de suo quam fratris sui Boleslai Gnesnensis Ducis collecto pedestri et equestri exercitu, in Ducatum Legnicensem, et terras a Boleslao Calvo possessas habens secum Conradum Ducem, venit, et castrum Bithom supra flumen Odram prope Glogoviam construxit, illudque praesidio forti militum suorum imposito fossatis quoque vallis, et turribus munitum Duci Conrado tradidit, non prius a vexatione totius Ducatus Legnicensis, donec sibi a qua per fratrem Boleslaum reddatur portio, quieturus. Sub ipsius autem castri constructionis tempore Boleslaus calvus Legnicensis Dux incautius speculatum quid Premislai Ducis exercitus ageret, progressus, a militibus Przemislonis excubias agentibus captus, et Duci Przemislao praesentatus et vincula coniectus est, quae postea custodibus pecunia corruptis evasit. Consummato autem castro Bithum Premislaus Dux nobilibus Posnaniam reversus, sororem suam Salomeam Conrado Duci praefato desponsat in uxorem, et magnificas Fulcone Archiepiscopo Gnesnensi, Boguphalo Posnaniensi Episcopo et Baronibus terrarum ſuarum praeſentibus celebrat nuptias. Ubi Thomam Caſtellanum Poſnanienſem, Thomiſlaum pincernam, filiumque eius Sandivogium acceptâ cautione, quod dolo quolibet circumſcripto, ſibi et fratri ſuo Boleslao Duci Gneſnenſi ſinceros fideleſque ſe praeſtabunt, a captivitate abſolvit. In die autem Sancti Stephani Protomartyris anni eiuſdem praefatus Premiſlaus Dux generum ſuum Conradum, in Poſnanienſi Eccleſia Boguphalo Epiſcopo agente divina, baltheo inſignivit militari, et plura illi in clenodijs aureis et diamatis contulit decora.

Nuntij Cracovienſis Eccleſiae videlicet Magiſter Iacobus de Skarziſſow Decanus, et Magiſter Gerardus Canonicus Cracovienſes, ad procurandam Canonizationem beati Stanislai Cracovienſis Epiſcopi in Lugdunum, ubi tunc enim Innocentius quartus tenebat ſedem, miſſi, etſi grandia miracula ſtupendaque opera viri Dei Stanislai coram Papa Innocentio et in conſiſtorio publico organis proprijs diſertè et ſplendide enunciaſſent, examen inſuper teſtium per Commiſſarios Apoſtolicos factum, et in ſcriptis redactum oſtendiſſent, cura quoque et ſollicitudine ingenti, et Ioannē Gaietanum tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem ad videndum examen teſtium deputatum, et Innocentium Papam de conſumando Canonizationis munere vexarent, pluribus Cardinalibus propter vetuſtatem, et longinquitatem temporis de veritate miraculorum haeſitantibus, maioraque Sanctitatis Beati Stanislai experimenta poſcentibus, Nuntij negotio infecto in Poloniam redire ab Innocentio Papa iuſſi, nova mandata Commiſſarijs Apoſtolicis afferunt, quibus mandabatur, ut ſcrupuloſius vitam, genus, martiriū et meritum beati Stanislai, cuius quoque miracula et ab hijs quos iam examinaverant, et ab alijs inveſtigarent, et per nova ſcripta ſedem Apoſtolicam certiorem facerent. Non intulit huiuſcemodi dilatio viro excellenti et optimo Prandotae Cracovienſi Epiſcopo, quae alium deſperare coegiſſet, faſtidium, ſed plenus fervore et zelo, et priores teſtes, et plures alios novos, Quidham tamen praecipui militum centenariū apud Commiſſarios Apoſtolicos induxit, et altiori indagine illos examinari, dictaque illorum in ſcriptū redigi procurant, et dimidium fere anni

in conficiendo huiusmodi examinationis negocio, singula per
se curans, et adiens absumpsit. Discedit etiam Innocentius Papa
ex Lugduno, ubi annis novem fuerat commoratus, et in Italiam
veniens apud Perusium consedit, et Beatum Petrum novum
Martirem ab Haereticis in Lombardia occisum, illic canoniza
uit, et ad intuendum regnum Napuliae contra Manfredū
eius occupatorē, magnū exercitū comparabat

Fratribus Cruciferis terram Pomeraniae vastantibus,
dum illis Pomeranorum exercitus, suas depopulationis
prohibiturus occurrisset, praelio conserto victus ab illis est,
et Monasterium Oliva gravibus spolijs affectum, coge
baturq; Dux Pomeraniae Swantopelcus per pacis sufferen
tiam bellum suspendere. Expost vero Swantopelcus Pome
raniae Dux videns se aetate et bellis attritum fore per me
dium Jacobi Leodiensis Archidiaconi Apostolici Nuntij
pacem perpetuā cum Cruciferis di Prussia firmavit

Sleziano bello Barnim Dux inferioris Pomeraniae
aggressus Przemislaum Posnaniensem et Calisiensem Du
cem occupatum, castrum Drizen, quod in sorte Przemislai
tenebatur, invadit et sopitis nocte vigilibus comprehendit.
Sed Przemislaus, rebus Slesiae ordinatis et compositis, post
annos minoris spacium cum exercitu forti adveniens illud
oppugnat, et favore divino conquirit. Militis quoq; provinc
defensione et custodia relictos rebus omnibus quae habe
bantur in praedam militibus suis datis, captivat

Ungariae Rex Bella valido ex Ungaris et Cu
manis, qui genus a Tartaris ducunt, quiq; Tartaris in
regionis suas ex Ungaria abeuntibus, in Pannonijs con
siderant, collecto exercitu, Moraviam, Austriam, et Sti
riam, sibi illas asserens iure esse vastat, et multa strage
in populo edita etiam maximam multitudinē utriusq; se
xus ex terris praedictis in perpetuam abducit servitutē,
Bohemiae Rege Wenceslao Moravis non ferente opem.
Cuius filius Premislaus Margaritam filiam Leupoldi Ducis
Austriae relictam Henrici filij Friderici Imperatoris duxit uxo
rem, quae cum sterilis esset unam de virginibus eius sequaci
bus filiam Baronis di Kuring nomine accepit in concubinā,
ex qua filium generans nomen illi Nicolaus imposuit, et
illi Opaviensem Ducatum quem Mislawo Ratiboriensi
Duci mortuo violenter occupavit dat in sortem. Ex quo Opa
vienses et Ratiborienses moderni Duces traxerunt suum ortum.

Mendog Lithuaniae Dux cum solio fratrum Ordinis Cruciferorum domus Teutonicae inductus, et qui praefatis fratribus Cruciferis de Prussia aliquot terras Lithuanicas donatione perpetua inscripserat, fidem simulate recepit Christianam, et Nuntios ad Innocentium Papam quartum mittit, nuntiis Magistri et Cruciferorum de Prussia nuntios adiunctos, petens coronam et profitens se Catholicam accepisse puritatem. In cuius favorem Papa Innocentius fratrem Henricum quondam provincialem Poloniae, et Officialem Armacanum, tunc vero Episcopum Culmensem mittit in Lituaniam, qui veniens cum aliis Episcopis de Riga Mendogum in regem consecrat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVINQVAGESIMVS TERTIVS

Secundario examine super vita, causa et ordine Martyrii et magnificis ac famosis miraculis, aliisque omnibus, quae ad consumationem Canonizationis viri Beati Stanislai Cracoviensis Episcopi conducere videbantur, rite et iuste expeditis, priores Nuntii Magister Jacobus de Skarzeszow Decanus, et Magister Gerardus Canonicus, per praedictos Episcopum et Capitulum Cracoviense ad summum Pontificem Innocentium quartum, iam ex Galliis egressum, et in Italia residentem, suis et totius cleri Dioecesis Cracoviensis, qui in id opus gratuito, quoties requirebatur, conferebat, sumptibus, qui negotio ipsi sufficerent, abunde provisi, tertio remittuntur. Qui cum Innocentium Papam in Perusio offendissent, novum illi de vita, martyrio, et miraculis beati Stanislai, suorum commissariorum exhibent examen, nova omnium Praelatorum Poloniae Ecclesiarum offerunt scripta et testimonia, et pro illorum ampliori firmitate etiam testes vivos et praesentes, viros insignes inducunt, in quos aut per merita Beati Stanislai collata fuere miracula, aut qui eos, quibus conferebantur, viderant, et noverant, a pluribus languoribus illos detinentibus sanatos. Iam plures dies Nuntii Cracoviensis Ecclesiae in solicitando negotio exegerant, et veluti omnibus difficultatibus et impedimentis functi, alacres laborum suorum finem gloriosum propediem, de quo illos Joannes Caietanus

Cardinalis Commissarius certos faciebat, peracturi degebant, Cum subito eodem Joanne Caietano Cardinali referente audiunt, rem certam et claram nullaque fuscam caligine, de quo Cardinalis ipse grandi commovebatur admiratione et indignatione ad infectum et pene ad desperationem recidisse. Reginaldo Episcopo Cardinali Hostiensi viro magnae gravitatis et prudentiae, cui et nonnulli Cardinales authoritatem illius, non suum iudicium sequuti, assentiebantur, Canonizationem viri Dei Stanislai propter diuturnitatem et moram temporis, a die Martirij sui transfluxi pertinaciter obsistente, et indignum atque incredibile indicante, ut claritas tam illustris martirij et tam insignis sanctitatis, si vera et non simulata existeret, tanto tempore Sedem Apostolicam et Ecclesiasticam universalem latuisset. Commissarium itaque suum Joannem Caietanum Cardinalem Nuntij Cracovienses Ecclesiae quid facto opus esset consultantibus, inspiratus ille, licet ut postea referre solebat, fortuito se loqui crederet, respondit. Necessarium habet Sanctus vir Stanislaus post tot quae eum egisse compertum est, unum finale, si Canonizationem suam perfici velit, operari miraculum ut discordes in unam et concordem impellat sententiam, Hi enim qui obsistunt, non nisi novo signo, cum singula alia, quasi vetustati aboleuissent, in dubium revocent ad consensum poterunt induci. Quid agerent Nuntij Cracovienses Ecclesiae, et procuratores Canonizationis viri Dei Stanislai, quo gradum verterent, quem patronum et suffragatorem sui negotij adirent, quid ad consummationem operis adderent, quo Summus Pontifex et Cardinales moveri in Canonizationem possent, nesciebant. Restabat unum ut deseri se a Christo et viro beato Stanislao, pro illius Ecclesia et veritate passo, non posse, tenacissime confiderent, qui vero gloriosi Martiris sui Stanislai Canonizationis gloriam in difficultari permisit, ut illam illustriorem novis prodigijs declaratam efficeret. Re itaque Canonisationis viri Dei Stanislai languidata, et penes ab omni cura excidente et dilapsa, Reginaldus Cardinalis Episcopus Hostiensis praedictus, Canonisationis viri Dei Stanislai praecipuus hostis et adversarius, cuius etiam sententijs et consilijs propter notam hominis in utraque scientia solertia et probitatem Papa Innocentius deferebat, gravi adeo morbo correptus est, ut tam suo quam Phisicorum iudicio propinquam sibi mortem imminere speraret. In qua, cum dies aliquot laboravit, vigilanti illi et in camera privata existenti solitario, Beatus Stanislaus in Pontificali amictu cum magno splendore apparuit. et in grabato iacenti, de visione et ignotae personae et insoliti fulgoris stupenti vir Dei Stanislaus ait, Agnoscis me? Qui tremens ac stupens, et verba vix formans, non agnosco, respondit, quaeso tamen quis sis, qui cum tanta luce clausis etiam ianuis cubiculum meum intravisse videris. Cui ille, Ego sum, ait, Stanislaus Cracoviensis Episcopus, pro nomine Jesu Christi eiusque Ecclesia et veritate glorioso martirio a Boleslao Polonorum Rege damnatus. Cui tu te adversarium non recte de vita martirio et miraculis meis, propterea divinitate a me patratis sentiendo constituisti. Ad quem Regnaldus Cardinalis spiritu resumpto, Ignosce, ait, mihi, et ignorantiae meae Praesul sanctissime, et veniam praestare digneris, fortiorem promotorem Canonizationis tuae, quam impeditorem pertuleras habiturus. Cui vir Dei Stanislaus, Ut me, inquit, in conspectu Dei et Sanctorum glorificationem et sanctificationem martirio, quod expassi, consequutum esse agnoscas, a grabato et aegritudine, quibus detineris, valens et incolumis illico consurge, eamque ne Canonizationi meae de caetero adverseris, quam non in meam amplitudinem et gloriam tantummodo, qua ego iam plenissime in videndo Deum perfruor, sed in omnium fidelium salutem et profectum, divina decreverunt consumare clementia. Cardinali Regnaldo, omnia quae iubebantur, expleturum se pollicenti, visio disparuit. Qui accersitis servis, sterni sibi equum quo ad Palatium Papale vehatur, imperat. Qui etsi illum primum delirare credidissent, eo tamen sine adiutore et de lecto surgente, et equum conscendente, in magnam et ipsi extasim de subita sui domini convalescentia versi, illum usque ad Papale Palatium iucundi comittantur. Innocentius denique Papa Regnaldum Cardinalem venisse, et plene sanum, quem prope horā

moriturū

mortuum speraverat, intelligens, etiam adventanti occurrit, et quomodo ad bonam valetudinem tam subito rediret sollicite inquirit. Cui Reginaldus Cardinalis, Beatissimus inquit Martyr Dei Stanislaus Cracoviensis Episcopus, cuius ego Canonizationis apud tuam Sanctitatem fui impeditor, hac eadem hora mihi cum claritate vix ferenda apparuit, et ignorantia meae facinore benigne correpto etiam mihi in evidentissimum suae Sanctitatis signum, sanitatem, qua me ex homine paulo ante infirmo et ad mortem indicato pollere vides restituit et beneficium pro iniuria rependit, interminatus etiam ultionem si illius Canonizationi obstitero. Habere itaque ignorantia mea apud te resurgento, et in viri beatissimi Stanislai Canonizationem pronus eo, et pro Canonizatione illius supplex ad pedes tuos ne diutius illam differas procumbo, intercessionem etiam suam, prolapsu in terram testatus. Id miraculum dum in Perusinorum urbe grandi et celebri sermone vulgatum esset, et omnium mentes et pectora, Polonorum praecipue, et Nunciorum atque Procuratorum Canonizationis viri Dei, gaudio immenso opplesset, omnes virum Dei Stanislaum certatim Canonizatione dignissimum depromebant. Sed et Papa Innocentius, caetusque Cardinalium, miraculi, quod in Reginaldo Cardinali acciderat, prodigio permoti, omnibus impedimentis, quae interponebantur, circumscriptis, et quasi quodam solicitatis, virum Dei Stanislaum, in sua Sanctitate gloriosum et magnificum Canonizandum decernunt, et diem Nativitatis Beatae Mariae, quae tempori, quo ea agebantur, vicinior erat, in Assisio, illuc enim Innocentius Papa versus Napoliam exercitum ducturus, venturus erat, constituunt, ita verbum Joannis Gaitani Cardinalis ad Nuntios Cracoviensis Ecclesiae fortuito prolatum in effectum prodiit. Verificari autem et defendi ea res potest, si quis illam fabulosam aut commenticiam putet, per literam originalem, per praefatum Joannem Gaitanum Cardinalem praenotata Episcopo et Capitulo Cracoviensi in Pergameno scriptam, per nos frequentibus visam et contrectatam, in scriniis Ecclesiae Cracoviensis reposita, cuius talis est exemplar

Venerabili in Christo patri et amico charissimo
Episcopo Cracouien. et eiusdem Ecclesiae Capitulo, Fra
ter Joannes miseratione diuina tituli Sancti Laurentij
in Lucina Presbiter Cardinalis Salutem

Et Polonorum Regem glorioso laudum venerari preconio, qui finitimum gregem oculis dominici di insigni decorant martire Stanislao. O iocundum diuinae pietatis indiciu[m] Qui Boleslaus vincendo vincitur, dum ex eius crudeli ministerio Prothomartir Poloniae egregius mirifice ministratur. Gratulatur Cracouia se tantis prodigiorum feliciter illustratam splendoribus, et ita coruscantibus insignitam vndique miraculis, quorum multitudinis sufficiens est acervus. Laetitur Ecclesia Cathedralis cui iustis titulis et bona fide Cunlibam Sancti preciosam totaliter appropriant cum praescriptione longi temporis, ex cuius sideri praesentia non solum accreuerit loco sanctitas, sed ex crebra populi confluentia fama facunditas et honoris. Gaudete vos et exultatis specialiter, qui quadriennio iam elapso pro tanti patris Canonisatione totis viribus laborastis, vt ascriberetur Sanctorum Cathalogo, Procuratorem constituimus ad hoc Ecclesiae vestrae praepositum, virum oculatae discretionis, et omni circumspectione prouidum, qui constanter laborauit, et fideliter in cura prosequendo negocium, nixus toto. Sed quot afflictionibus et angustijs affectus extiterit in ipsa prosequutione cum Collega sibi deputato non est nobis facultas praesentibus exprimere, quoniam lingua deficeret, nec sufficeret calamus, nec Algoricus inuentor Algorismi cum suis variarum extractionibus, aduersitatis, quas passi sunt, posset efficaciter exarare. Nam si liceret obuiantium negotio per acutos obices et dentatas obiectiones seriatim per ordinem prout se habet veritas distinguendo describere, vix haberetur numerus in millenario, tantas difficultates audientium, qui pro monstruosis rerum prolixitatibus vellet fiduciam narrantibus adhibere. Frequenter enim contigit, quod consumatum vel quasi conclusis probabilibus estimabatur negociu[m], et tunc ex obrupto inuenit tempestas

stas inspectiva processus habiti, quae de facto consumpsit, quod ratio praedixerat consumatum hic Saturni motus experti sunt, per effectum, qui Planeta dicitur malevolus, procedens et revertens ordine retrogrado, Et sic longanimiter exercuerunt circa studium, quod multum profecti sunt et parum profecerunt intra triennium non habenti bravium cursu suo. Tandem vero cum redijsset frater Jacobus legatus fidelis et vigoris firma sanitas vix obtenta fuit ad referendum particulari audientia, quamvis ipse vidisset curatos et examinasset inquisitores primarios qui protestarant in omnibus fide bona. Nos vero finaliter stupefacti de tanta congerie probationum non admissa, Praeposito Procuratori diximus quasi parabolice, Necessarium habet Sanctus vir, verum finaliter operari miraculum, quod discordantes in miraculis mirabiliter faciat concordare, et factum est. Ita quod ubi pestis gravior ibi salus est suborta propinquior, Et subito prius discordes conversi sunt unanimiter ad concordatam concordiam, decernentes conformiter talem virum Canonizatione dignissimum, et per ea quae fecit miracula, quorum extat luculenta probatio, veraciter esse Sanctum.

Jam praefatum Procuratorem et collegam ipsius pro sua multiplici diligentia vestrae dilectioni recommendamus multipliciter, nam nostra interest, quod honorentur, qui nobis astiterunt in agone certaminis, et quod tractentur per vos tanquam benemeriti saltem pro nostro nomine reverenter. Quicquid enim honoris, favoris, vel gratiae, dictis amicis nostris tum pro sua probitate, tum pro nostro precamine per vos exhibitum fuerit, nobis impensum esse generaliter estimabimus, et ad Ecclesiae vestrae defensionem, et conservationem in suis iuribus, nostram vobis excelsam potentiam et diligentiam ipsorum iustitiam liberaliter praesentamus. Valete in Domino Jesu Christo.

Natalis dominae nrā excellentissimae virginis Mariae adveniente die, Summus Pontifex Innocentius cum Collegio Cardinalium, et multitudine Praelatorum, in Basilicam Sancti Francisci in Assisio, in qua suum, et suorum

sororum

Sociorum corpora recondita sunt, ex Palatio, Canonizationem beati viri Stanislai Cracoviensis Episcopi expliturus descendit, illamq; multitudine plebis, quae futura viri Dei Canonizatione divulgata, pene ex omni Italia confluxerat, refertam reperit. Quo in Ecclesia praefata, missam agente solenniter, divina etiam pietas agni caelestis ipsi Summo Pontifici Innocentio, quanti meriti Sanctus Canonizandus apud se esset, innotuit. Adolescens enim quidam ex Assisio in ipso articulo Canonizationis praefatae defunctus ad Ecclesiam Sancti Francisci parentibus, fratribus et massarijs magno eiulatu mortuum illum lugentibus, inferebatur, aut tumulandus, aut meritis Sancti Canonizandi vivificandus, Propinquis itaq; et cognatis pro eius resuscitatione observationes et votis assiduas emittentibus, Innocentius Papa ante altare cui insistebat prostratus, Fudit cum fiducia orationem suam in haec verba

> Omnipotens et clementissime Deus, si ea quae de viro Beato Stanislao Cracoviensi Pontifice martyre tuo, in nostro conspectu enarrata sunt, vera per omnia, quemadmodum humana habet credulitas, probantur, declara quaeso hodierna die novum Sanctum a me Canonizandum, novo signo

Vix Pontifex Summus orandi finem fecerat, et mortuus nunciatur illi surrexisse. Tunc itaq; mirum in modum omnibus et stupentibus et gaudentibus, ardentisq; cereos et luminaria accensa ad Ecclesiam [illegible] gestantibus, Summus Pontifex Missarum solennia prosequitur. Quibus expletis, Sermone in longum de vita, martirio, et miraculis Beati Stanislai recitato, ambonem conscendens, virum Beatissimum Stanislaum martyrem et gloriosum Cracoviensium Pontificem canonizat, et Sanctorum Cathalogo ascribit. Mandans eius festum viij Idus Maij ab universa Catholica Ecclesia inter praeclaras Martyrum festivitates cum debita veneratione venerari. Praesentibus autem omnibus unum annum et dies xL de indulgentia largitus est, et orationem de Sancto Stanislao tangens in ea ipsius sanctitatis merita edidit, et per se publi-

cavit

pronunciarent quae incipit, Populum tuum quaesumus intercedente Beato Stanislao &c. Fabricata insuper est et in Sancti Stanislai honorem, et illius Canonizationis memoriam, in latere Ecclesiae S. Francisci in edito loco capella, a nobis aliquoties visa, in qua Martyrium suum gloriosum desculptum

Litera Canonizationis tales et habentur et leguntur.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, et aliis Ecclesiarum Praelatis ad quos literae istae pervenerint Salutem et Apostolicam benedictionem.

Olim, a gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, ac ab eorum cordibus infidelitatis gelida hyeme recedente, vernalis ex eo successit amoenitas, ex dulcissimorum florum venustate decora; Ecclesiae prius desertae ac sterili filii devotionis praecipui valloque constantiae praemuniti nascuntur, qui ut flores primaevi diffusam spirant suavitatem odoris, et uberiores per Dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis. Sicque filiorum sibi multitudine innumera, suique loco a mari usque ad mare tentorii dilatatis, infra ipsius pullulant terminos vox terroris gemitus et dolores, dum sacra multis annis Tyrannorum crudelitate, idolis exterminio tradita, ad lamenta poenitentiae, suffragante illo, cuius stupenda sunt opera, mirifice se convertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa Ecclesia, quod probrosa detrimenta sterilitatis abjiciens, salubria incrementa fertilitatis suscipit, ac nuptiali foedere nunc illi gratiosa conjungitur, a quo priusquam esset assumpta, de gentibus innuerat se desertam. Laetetur igitur, aemulaque sua de terrestri civitate Hierusalem Synagoga, vindicavit dudum sibi huiusmodi sterilitatis incommoda infingenti, secura respondeat, quod iam suae prolis faecunditati, caelestis muri Hierusalem cicatrix obducitur, et quae antiqui habitatores vacua domicilii reliquerunt, ipsa suae universitatis illustrabit praesentia, filii postmodum refectioni sui atque integritati gaudente. Porro in huiusmodi exuberante laetitia, in valle miseriae morantium terra, requiem possit sibi polliceri continuam, cuius vita est, ad incursus inimicorum ingentia bella, exterorum castra militia super terram, ac in praedicta Ecclesia quae mater est cunctorum fidelium, maternae conditionis expers existeret, si solitas in partu quorundam filiorum suorum iratorum parientium molestias non subiret, interdum instauratur quodam modo sibi adversitas opportuna. Sicut in passione piae memoriae Beati Stanislai Cracoviensis Episcopi, cuius meritis praefata refulget Ecclesia, patuit evidenter. Cum enim idem in sortem pontificalis ministerii digne vocatus a Domino, super gregis sibi commissi prudenter custodiam vigilaret, hostium sagaciter explorans insidias, malignantium anticipans consilia, aemulique nostri deprimendos laqueos ipsius cauti vecordia dissolvebat, semper pro suis omnibus cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo, ut si quem gravi forte deprehenderet tempore incursum, mox ubere consolationis adiecto, cum erigeret desolatum, et quem in bono proficientem adverteret, gratulationis ubere confortaret, ut non minus per haec deficientibus, quam proficientibus subditis se claris indiciis ostenderet esse matrem. Verum cum non sine interna mentis angustia Regem Polonorum nomine Boleslaum intantum horrendis voluptatibus subiici, carnisque infamibus illecebris cerneret enervari, ut in passionis ignominia tractus, et in humanis contumeliis asserens corpus suum, mulierum mamillis, avulsis propriis eximel liberis, catulos apponeret miserabiliter educandos, in execrandam fomen malitiam, et iniquitati eiusdem praefatus Pontifex per dissimulationem videretur favere, postquam a praemissis flagitiis sedula et paterna correctione avocare non potuit, in ipsum

consulti

consulte medicinalem Petri gladium exeruit, et in spiritu lenitatis, sperans ut percussus doloris ad penitentiam se in humilitate rediret, dominum exercituum suppliciter requirendo. Sed ipse, induratus cordis predicationem exhorrens, et increpationem abominans disciplinae, immo malleum velut stipulam reputans, non solum nulla penitudine se correxit, verum etiam ad peiora in super damnationis cumulum promotus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, iussit pontificalibus indutum antistitem per suos satellites diris corporis cruciatibus deputari. Sed ipsi quoties in eum irruere tentant, toties compuncti, toties mansuescunt prostrati, et tunc idem Rex sua insaniens impetuosius tyrannidis manus in eum convertit sacrilegas, sponsum e gremio sponsae, pastorem abstrahit ab ovili, patrem inter filios amplexus, et filium in visceribus piis obtrunca~~t~~vit maternis, faciens irritatus atrocitate ferali, ipsius pro dolor corpus inhumaniter in frusta concidi, velut singulis membrorum partibus pena infligi deberentur. Sed ille apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non solum rutilantibus, huiusmodi sanctissimi corporis partes, splendoribus illustravit, verum etiam ipsum nullo in eo cicatricis apparente vestigio, integritati restituens, aquilarum illarum presidio miraculose a ferarum morsibus praeservavit. Gustato denique acerrime ob zelum iustitiae talis passionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur consumptus, ecce ut lucifer oritur, et quasi meridianus fulgor in firmamento consurgit, propter quod eius favorem in suis nonnulli necessitatibus devotissime deprecantur. Ipse quidem de fossis securus dormit, requiescit, et non est qui eum ipsum exterreat, nec mirum, quia civitatem illam honoris et gloria corona insignitus inhabitat, ubi est mansio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens quod delectat. Verum ne militans Ecclesia de tali ac tanto patrono sibi subtracto inconsolabiliter quasi gemitus singultuosos emitteret, si beneficiorum ipsius affluentia eam non contingeret saepius delectabiliter irrigari, ecce glorioſus in Sanctis ſuis Dominus, volens eius etiam patris plenitudinem gloriae in terris exprimere manifeſtius, et praeſtolanti Eccleſiae grata conferre ſuper hoc venerationis remedia, tot et tantis fecit ipſum famoſis miraculis coruſcare, de quibus facta nobis et fratribus noſtris prout debuit per teſtes idoneos plena fides extitit, quod eius inter Sanctos caeteros implorari fiduciam ſubſidium reputavimus merito non indignum, nam mortuis vita, lumen caecis, auditus ſurdis, ſermo mutis, claudis greſſus, epilepticis cerebri robur, et daemoniacis, immundis ab eis victis ſpiritibus, corporum requies ad eius invocationem nominis caeleſti dextera ſubito conferuntur, Propter quod indignum huiuſmodi rutilantem lucernam ſub modio periculoſe abſcondi contingeret, quam idem Dominus tot magnificis ſignis revelatis diſpoſuit ſuper Eccleſiae candelabrum honorifice collocari, praeſertim cum ex hoc ignorantium cordium propellantur tenebrae, confundatur perverſum haereticorum dogma, et fidelium beata credulitas augeatur, Eorundem fratrum, necnon et praelatorum tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium communicato conſilio, praedictum beatum Staniſlaum Epiſcopum digne Sanctorum Cathalogo duximus aſcribendum, Quocirca Univerſitati veſtrae per Apoſtolica ſcripta diſtricte praecipiendo mandamus, quatenus octavo Idus Maij die videlicet quo mortis abſolutus vinculo aeternis perhenniter ad fontem ſupernae prodijt voluptatis, feſtum eiuſdem prout miranda ipſius meritorum magnitudo exigit celebretis, et faciatis ſolenniter celebrari, ut vobis de theſauris caeleſtibus eius pia interceſſione ſumat, quod ipſe praeſtante Chriſto percepiſſe dignoſcitur, et poſſideri perpetuo gloriatur Caelitum ut univerſitati fidelium inviſibilis aulae conſequendi debitas ex commiſſa nobis poteſtate deſuper propitiante Domino ſit facultas, quinimo et ut nomen Domini exaltetur altiſſimi, ſi ſponte ſuam venerabilem ſepulturam, fidelium procurrentibus acceſſibus frequentari, o

mnibus

omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad dictam sepulturam in indicato festo et usque ad octavas ipsius causa devotionis accesserint, annuatim ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, authoritate confisi, unum annum et quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis ad praedictam sepulturam infra eiusdem festi quindenam, quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia, misericorditer relaxamus Datum Assisij XV Calend. Octobris, Pontificatus nostri año undecimo.

Premislaus Posnaniensis et Calisiensis Dux a Fulcone Gnesnensi Archiepiscopo frequenti castigatione argutus, in germanum suum Boleslaum, quem quasi vitae et Principatus sui insidiatorem captivaverat, diutius detinuerat, ipsum in die festo Paschae a captivitate absolvit, et reconciliatione plena per Fulconem Archiepiscopum celebrata, nova etiam divisio Principatuum inter illos per medium eiusdem Archiepiscopi Fulconis et Baronum communi consensu apud Gedcz castrum Sabbato confecta est, per quam Gnesna, Calisz, terra Rudensis alias Vielunensis, Pyzdri, Sroda, Bnin, Birkow, Gedcz, et Lobrozska, Boleslao Duci largitis, Posnaniensem civitatem et terram cum ceteris eius appendiis solus ipse Przemislaus Dux possedit, ab eoque tempore in unione et concordia fraterna unus alteri deferens uterque vixit

Innocentius Papa quartus Monasterium Sanctimonialium ordinis Sancti Benedicti in Dioecesi Cracoviensi situm, quod Clemens de Clinwantow Comes de domo et familia Griffonum Castellanus Cracoviensis ex facultatibus propriis muro coctili construxerat, fundaverat, et dotaverat, confirmat, Cuius quidem Clementis Comitis Castellani, et sua consortis Raczslavae corpora in Sacristia dicti Monasterij specialibus distincta Mausoleis sepulta requiescunt

Quinto Idus Februarij Boguphalus Posnaniensis Episcopus vir doctus et literarum amator, libris insignibus, quorum multitudine abundabat, Ecclesiam sua Posnaniensi largitus, in praedio Episcopatus sui Solecz cum annis decem et hebdomadis sex, diebus quindecim vixisset in Pontificali sede, moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Cuius chorum priori propter varias rimas deposito, novo et pulcherrimo muro a fundamentis largiori firmatum, secundo sui Pontificatus anno erexerat. Post cuius mortem Capitularis congregatione pro die Dominica Oculi indicta, facto in Petrum Praepositum, Petrum Decanum, Gerardum Scholasticum Posnanienses compromisso, praedictum Petrum Decanum genere nobilem de domo Prawdzicorum et virum pium, et religione et devotione rarum, per viam compromissi eligunt in pastorem. Cuius electionem Fulco Gnesnensis Archiepiscopus confirmare negavit. Erat enim sibi ab Hugone Cardinali et Apostolicae sedis per universam Germaniam, et Poloniam legato, Episcoporum confirmatio interdicta, Capitulum vero Posnaniense Nuntiis ad Hugonem Cardinalem etiam altera vice, dum primi capti et spoliati essent, missis, qui et mandatum ad Gnesnensem Archiepiscopum de confirmando suo electo et literas quibus prohibitionem suam de non confirmandis Episcopis Poloniae Ecclesiae revocabat, retulissent, in termino tamen ad confirmandum electum eorum, eis in Slawno per Fulconem Archiepiscopum Gnesnensem praefixo, Theophilo de Cuszaszli, Archidiacono Gnesnensi, et Canonico Posnaniensi, et Joanne Archidiacono Posnaniensi electioni sua, quoniam spreti et non vocati essent, se opponentibus, confirmatio ipsa fuit tunc intermissa. Opizo tamen Abbas de Mezano, Apostolicae sedis altera vice in Polonia nuntius, partes dissidentes ad se in Wratislaviam evocans, pacem et concordiam inter illos composuit, et Petrum Decanum Posnaniensem, cuius electionem, etiam adversarii praefati, agente Opizone apostolico nuntio probaverant, Fulconi Archiepiscopo confirmandum et consecrandum transmisit. Qui confirmatione illi impensa, etiam Ivonem, et Vitum Polonum fratrem ordinis praedicatorum pro Lituanis in Episcopum nominatum apud villam Koszolow consecrat. Posnaniensem Episcopum Boguphalum, Petrus Plocensis Episcopus secutus Andream morte absumptus, praepositum Plocensem Rolch cognominatum habuit successorem, cum annis quinque in Pontificatu Plocensi sedisset. Praefatus autem Andreas genere nobilis erat de domo taurorum, a Fulcone Gnesnensi Archiepiscopo, Ducibus Masoviae Semovito et Casimiro illius electionem probantibus apud Gnesnam confirmatus et consecratus.

Bela Pannoniorum Rex alteram in Moravios cum Vngaris et Cumanis agens expeditionem, universam Moraviam, fortioribus castris et civitatibus exceptis, incendiis, caedibus et spoliis, nullo resistentiam opponente vastavit, et pluribus Sanctorum aedibus, campanis, ornamentis, et aliis Ecclesiarum decoribus ipsas spolians, in Vngariam opima secum ferens spolia rediit. Quo quidem novo vulgato tumultus Premislaum Bohemiae Regem et universos Bohemos Cumanorum crudelitatem perhorrentes, metus invasit, ut in singulis castris et civitatibus munitis duplicarentur custodiae, et Pragensis civitas novis muris, novisque restaurarentur munitionibus, suburbanis etiam ne hosti adiumento essent demollitis, et suburbiorum habitatoribus in civitatem Pragensem translatis, et tam castrum Pragense quam civitas ad tolerandum angustias obsidionis, victualium copia ditatum fulcirentur.

Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux et Polonorum Monarcha, Bela Vngariae Rege socero suo sollicitante, et deprecante, cum potentiis gentium equestrium et pedestrium, habens in suo comitatu Danielem Ducem Russiae, et solatia Ruthenica, Moraviam ingressus ipsam populatur, spoliis et incendiis, et magna multitudo captivorum utriusque sexus ex Moravia et regione Opaviensi, quae amplius vastabatur, in Poloniam et Russiam deducta est.

Decimo Calendas Octobris Venceslaus Bohemiae

hemiae Rex cognominatus Monoculus, alterum enim
oculum cum esset venandi cupidus feram agitando,
e ramo arboris excussum perdiderat, apud Pragam
moritur, cum annis quatuor et viginti, mensibus octo
regnasset, et in Monasterio Sancti Francisci quod vivus
fundaverat sepelitur. Cui quamvis unicus filius eius
Przemysl successisset, non tamen se Bohemiae Regem sed
Ducem aliquanto tempore nominavit. Hic magni ardo
ris et devotionis in Sanctum Dei Martyrem Stanislaum
Cracoviensem Episcopum existens, missis ad Prando
tham Cracoviensem Episcopum nuntijs, eius reliquias
nondum ex tumulo levatas sibi donari magna preca
tione obtinuit. Et Pragam allatas solenni omnium Eccle
siarum et ordinum processione, Scholis illis ad lapidem
septimum obviam euntibus cum magna reverentia excepit,
et in maiori Pragensi Ecclesia locatas argento vestivit.

Annus Sit apud Polonos insignis et beatis
simi Martyris Stanislai Cracoviensis Episcopi, quae
Septuaginta quinq; et centum annis neglecta erat, Cano
nisatione, et duorum sub uno pene tempore Posnaniensis
videlicet et Plocensis Pontificum morte, et nunquam
alias apud Polonos visa alluvione. Noctu siquidem
et interdiu a festo Paschae usq; ad diem vicesimam quin
tam Julij caelo imbres et continuas effundente in Po
lonorum regionibus pluvias, tanta aquarum moles et in
undatio crevit, ut in quibuslibet vallibus et humilibus locis
aut amnibus proximis frumenta cooperirent, et agri atq;
campi iuxta atq; amnes navigabiles forent, quaereban
tur editiora loca quae frumenta collecta susciperent.
Ea quoq; inundatione et Lithuanorum infestatione Vi
sliensis terra ad solitudinem et desolationem redacta est

ANNVS DOMINI MILLESI
MVS DVCENTESIMVS QVIN
QVAGESIMVS QVARTVS

Cracoviensis Ecclesiae Nuntiis videlicet Magistro Jacobo de Skarzisow Decano, et Rostumino Canonico Cracoviensibus, fratribus etiam Praedicatoribus et Minoribus ex curia Romana redeuntibus, et literas Canonisationis beatissimi Stanislai secum ferentibus, Cracoviensem urbem ingressuris, omnis plebs obviam effusa est. Prandotha quoque Cracoviensis Episcopus et universus clerus, processione omnium urbis Cracoviensis Ecclesiarum, honore illos excepit, Digni prorsus quibus honos ille velut Athletis et triumphatoribus et longa peregrinatione fessis, publicumque commodum referentibus impenderetur. Felicissimi certe quibus labor ille et praemiorum fructus in eorum dies et tempora servatus obtigit. Ad levandum autem ossa Sancti Stanislai de tumulo octavam diem Maij quo festum eiusdem a Pontifice Romano celebrari sancitum est, Prandotha Episcopus indicat, et per universam Poloniam Ecclesiam praedicari et divulgari ordinavit. Ad quem diem advenientes ex omnibus Polonorum regionibus, sed et ex Ungariae Regno tanta multitudo plebis utriusque sexus in Cracoviensem convenit urbem, ut homines advenas urbs tanta non caperet, sed et in campis quasi quidam greges turbae consisterent. Convenerant insuper ad huiusmodi solemnitatem elevationis ossium Sanctorum explendam, plures Polonicae Ecclesiae sedium antistites videlicet Fulco Gnesnensis Archiepiscopus, Opizo Abbas de Mezano Apostolicus nuntius, Prandotha Cracoviensis, Thomas Vuratislaviensis, Vuolimirus Vuladislaviensis, Andreas Plocensis, Bernardus Ruthenorum, Vitus Lithuanorum Episcopi. Item Abbates, Praepositi, Canonici, caeterique Praelati et Ecclesiarum Parochialium Rectores, et universi religiosi ex Cracoviensi civitate et Dioecesi et aliarum Poloniae Ecclesiae Dioecesium, Petrum Posnaniensem adversa valetudo, Chelmensem vero, Lubucensem et Camenensem Episcopos occupatio retraxerat. Convenerant et Principes Polonorum videlicet Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis

ensis

viensis Dux, qui tunc velut Monarcha Poloniae habebatur. Przemislaus maioris Poloniae et Posnaniensis, Casimirus Cuiaviensis et Lanciciensis, Semovitus Masoviae, et Wladislaus Opoliensis Duces, sub quorum praesentia et populi multitudine infinita, ossa viri Sanctissimi Stanislai ex tumulo prope portam meridionalem in Ecclesia Cracoviensi consistente, a Pontificibus qui convenerant, vino lota levata sunt, et populo plaudente atque vociferante, patrociniumque Sancti Stanislai implorante ostensa, et in Ecclesias Cathedrales, et alias principaliores Ecclesias Collegiatas, conventuales, et parochiales, portio illorum, capite, brachijs, et alijs insignioribus apud Cracoviensem Ecclesiam, cum cineribus sacri corporis remanentibus distributa.

Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis, et Wladislaus Opoliensis, et Ratiboriensis, Duces, moleste ferentes, Oppaviense oppidum et districtum a Bohemis et Rege eorum Venceslao mortuo occupatos esse, exercitu et de proprio milite et externo collecto, Ruthenorum etiam Principibus Boleslao pudico ferentibus solatia, terram Oppaviensem hostiliter ingressi, eam totam spolijs flammis et caedibus vastarunt, et omnibus oppidis atque villis exustis, cum praeda tam hominum utriusque sexus, quam pecorum et variarum rerum in propria incolumes revertuntur

Sed et inter caeteros Polonorum Duces, aut odia aut bella conserta erant. Nam et Casimirus Cuiaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux fratrem suum germanum Semovitum Masoviae Ducem et uxorem eius Pertrundim captivat, captos in Siradia detinet. Et Premislaus Posnaniensis, Boleslaus Calisiensis germani, et Conradus Slesiae Dux gener eorum, terram Wratislaviensem Henrici Ducis hostiliter et cum exercitibus terrarum suarum, quod Henricus Dux Wratislaviensis mediam sortem Ducatuum olim Henrici a Tartaris occisi obtinens, Conrado fratri suo neq illius portionem aliquam dabat, neq ut ab altero fratre Boleslao Calvo Legnicensi daretur instabat. Item quia Premislaum Ducem Posnaniensem de quinquaginta marcis argenti pro quodam Theutonico capto et dimisso obligatas non solverat, hostiliter vastabant. Omnibus autem villis et oppidis circa Olischniczam, Sirzow, Trzebniczam, Cirquiczam, et circa omnia montana usq ad flumen Vidava duo a Vratislauia distante milliari pervastatis, et in praedam expositis, etiam vado in flumine Odra reperto, in alteram partem fluminis Odrae transgressi, magna vi et numero pecorum et spoliorum potiti, singula nullo obsistente in maioris Poloniae terras deducunt. In hac autem vastatione, omnibus Ecclesiarum et Monasteriorum villis et oppidis, Ducum sincero mandato suus honos suaq libertas servata sunt, providerantq Duces adhibitis custodibus, ne quisquam de militibus villas Ecclesiarum et Monasteriorum aut eorum homines et possessiones in aliquo vel offenderet, vel contingeret. Casum hunc e bello eaq vastatione et expeditione Opizo Abbas de Mesano Apostolicus nuntius vehementer querelans, quod eo in Vratislauia agente et demorante spoliata et vastata terra Vratislauiensi, in sui et Apostolicae Sedis vituperium et contumeliam attentata fuerit, in Premislaum Posnaniensem Ducem excommunicationis sententiam promulgat. Nec ea contentus, etiam terram Posnaniensem Premislai Ducis, Ecclesiasticos fines, non iurisdictionis et potestatis suae, sed et modestiae transgressus, supponit interdicto. Quod cum sex et viginti diebus continuatum fuisset, tandem Nuntius Sedis Apostolicae Opizo Abbas a nuntiis Premislai Ducis requisitus, et eorum allegationibus convictus, et sententiam in Ducem latam sustulit, et interdictum veritus ne res in notitiam summi Pontificis deducerentur, per appellationem, quae sibi nomine Premislai Ducis intimabatur, relaxavit.

Contagione quadam bellica nec Slesiae Duces quieti erant. Conradus namq Slesiae dux in castro Bitom per Premislaum Posnaniensem Ducem sibi aedificato consistens, et portionem patrimonii sui, neq a Boleslao Legnicensi neq ab Henrico Vratislauiensi Ducibus exigere valens, Ducem Henricum Vratislauiensem fratrem germanum, per praedia et curias suas incursitans deambulantem captivat, quem etsi honeste servavit, et magis se erga illum germanum quam hostem egerit, non tamen ab eo prius dimissus est, donec obsides dedit quod aut portionem suam a Duce Boleslao calvo Legnicensi repeteret, aut si id efficere non poterit, sui Ducatus Wratislaviensis portionem sibi bona fide praestabit

Quarto Calendas Junij Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis Dux in villa sua Ducali Krzyzanowicze supra Nidam sita Cracoviensis Dioecesis Monasterium Sanctimonialium ordinis Praemonstratensis fundat, ecclesiamque de petra alba fabricat. Confert eidem Monasterio in dotem villas Krzyzanowicze, Conary, Lisnyza, kowali Sarbkow, Glierzanow, Kobylniki, Solnik, Wolya, Grzbiowska, Swiboszowicze, Costrzy, Bierzatowicze et Tunowicz, libertans gravitatis praefatas ab omnibus Datijs, expeditionibus, et tributis.

Petrus Posnaniensis Episcopus vir religiosus et devotus, dum octavo Calendas Maij Apoplexia gravi laborare coepisset, quinta die eiusdem mensis Maij moritur et in Ecclesia Posnaniensi sepelitur, cum anno uno mensibus duobus sedisset. In cuius locum Boguphalus tertius de Czircelin, nobilis generis Polonus de domo Rosa, per electionem Canonicorum via compromissi sexto die Junij celebratam, quam Fulco Gnesnensis Archiepiscopus in Curzilow confirmavit, suffectus est, et anno sequenti in Landensi Monasterio consecratus. Apud Posnaniam insuper Hedwigis Swantopelconis Pomeraniae Ducis filia, et Primislai et Boleslai ~~maioris~~ Poloniae ducum genitrix, diem obijt, et in Ecclesia maiori Gnesnensi sepelitur. Consors vero Primislai Ducis Posnaniensis Elizabeth, filia Henrici Slesiae Ducis a Tartaris occisi geminas filias uno partu enixa est.

Petrus dictus brevis Plocensis Episcopus, cum annis quinque sedisset, moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur, cui Andreas dictus Czyolek Praepositus Plocensis nobilis generis de domo et familia Taurorum, alias Ciolkonum per electionem Canonicam capitularem succedit, a Fulcone Gnesnensi Archiepiscopo, Semovito et Casimiro Ducibus Masoviae illi familiaribus apud Gnesnensem Ecclesiam confirmatus et consecratus.

Papa Innocentius quartus, cum ex Perusio Neapolim

cu exercitu

cum exercitu Regnum Neapoli contra Manfredum eius post mortem Conradi filii Friderici persecutoris Ecclesiae, occupatoribus defensurus advenisset, et tempore aliquanto Neapoli constitisset, infirmatus celeriter sexto Idus Augusti moritur, et in maiori Ecclesia Sanct. Laurentii honore debito sepelitur, cum annis undecim et sex mensibus Papatum gessisset. Post cuius mortem Raginaldus Cardinalis Episcopus Hostiensis, qui Canonizationi beatissimi Stanislai Cracoviensis Episcopi et Martiris gloriosi adversatus fuerat, et quem idem Sanctus de languore gravissimo subito curaverat, natione Campanus de Anania, in summum Pontificem assumitur, et Alexander quartus nominatur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS

Frequentes et diversas vexationes per Conradum Ducis Henrici Slesiae Ducis a Tartaris occisi filium ob negatam patrimonii portionem, tum per se ex castro Bithom, tum per Premislaum et Boleslaum maioris Poloniae Duces et contingentes pro Conrado Duce velut genero suo interpositas, Boleslaus Calvus Legnicensis, et Henricus Vratislaviensis Duces, cum et a propriis militibus saepenumero ob eam iniuriam carperentur, laederentur, apud Glogoviam vocato Conrado Duce fratre agunt conventum, ubi post aliquot tractatus, pro pace et concordia interpositos, cum causa Ducis Conradi suapte in clara esset iustitia, Thomae Vratislaviensis Episcopi et Baronum communium arbitrio, Dux Boleslaus Legnicensis, quamvis multipliciter detrectans et resistens, et Henricum Vratislaviensem iuxta ac se ad eandem aequam Conrado sortem deberi asserens, convincitur ut solus ipse Legnicensem Ducatum cum Conrado velut portionis suae consorte dividat, Henricum vero Vratislaviensem Ducem, cum frater alius germanus Wladislaus Salczburgensis Episcopus, cum quo illi consortium principatus contigit, vivus extet, ad largiendum aliquid Conrado de sorte sua non teneri. Quo quidem decreto Boleslaus Legnicensis Dux adductus, Legnicensem Ducatum cum Conrado, data Conrado Glogovia, sibi vero

Legnicza

Lignicza resignata, non sine anxietate et exacerbatione resentiens, ex aequo dividit. Conradus atque Glogoviam sortitus et tributa, quae variis villis et oppidis in Lignicensi et Vratislaviensi Ducatibus imposuerat, relaxat, et obsides Duci Henrico Vratislaviensi restituit

Mendog Dux Lithuaniae in Regem Lithuaniae opera fratrum Cruciferorum authoritate Innocentii Papae quarti eo anno erectus, oppido Lublin tunc ligneo existente, factisque in eius circuitu multis praedis et spoliis, plurimos captivos ducens, in Lithuaniam remeavit. Erectio autem sua in Lithuaniae Regem, dolo et astu fratrum Cruciferorum ex radice avaritiae procurata, brevi in seculo durans tempore, disperiit, postquam Magister Prussiae et ordo terras Lithuaniae et Samogitiae ab eo sibi donatas et inscriptas dari expetebant

Ora Seditia vix quietata, rursum in Pomerania bellum refulsit. Swantopelcus siquidem Pomeraniae Dux pacem pati non valens, Msczuginum filium suum qui apud Cruciferos fratres de Prussia annis aliquot obses erat, cum exercitu versus maiorem Poloniam, terras in potum exsotere infestaturum transmittit. Qui in nocte diem Sancti Michaelis praecedente ad Nakiel perveniens, castrum Nakiel, quod a Premislao Duce Posnaniensi in sua sorte pacifice tenebatur, et quod Swantopelcus asserebat, infra terminos Pomeraniae consistere, minus probe, nec cum ab avunculo germano quicquam hostile Przemislaus aut sui verebantur, custoditum, aggressus comprehendit. Uno ex balistariis et defensoribus castri, pecunia a Swantopelcone corruptis, tradimento et ingenio suo pro comprehensione castri praefati operam navante. Quod cum Premislao Posnaniensi Duci nunciatum est, paucis interpositis diebus cum fratre Boleslao Calisiensi, et gentibus utriusque Ducatus, illuc se pergit, et castrum Nakiel obsidione cingit. Cui in subsidium Casimirus Cuiaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux, cum gentibus terrarum suarum personaliter, Boleslaus vero pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis Dux, mille milites, Semovitus vero Conradi Mazoviae Dux octingentos in solatium misit. Verum cum castrum Nakiel et situ et munitione difficilem expugnationem portenderet, Pomeranis ad defensionem illius a Msczugio in multiplicato numero relictis, strenue resistentibus, Premislaus Dux Posnaniensis sano fretus consilio, aliud novum castrum e regione castri artigeri versus occidentem infra dies paucos aedificat, et vallis fossatisq. ac victualium copia fulcitum, fortissimum de suis militibus, qui egressum et ingressum Pomeranorum ex castro antiquo arcerent, ratus, et erat, facilius illius conquisitionem provenire, praesidium imponit, et soluta obsidione etiam solacia remittit. Crebri itaq. inter Polonos et Pomeranos agebantur conflictus, et fere diebus singulis ab utrisq. excursiones facientibus certamina, diverso Marte, nunc Polonis, nunc Pomeranis cadentibus. Poloni inter desideratos, duos milites Jaroslaum Srebrni et Hermanu(m), velut magis insignes amiserant

BOHEMIAE Dux Premislaus alias Ottocarus treugarum induciis cum Bela Ungariae Rege sibi et terris suis hoste infesto, nactus, exercitu de Bohemis et Moravis comparato, habens in comitatu suo Brunonem Pragensem Episcopum, item Marchionem Brandeburgensem, item Marchionem de Merano, item Ducem Austriae, item Henricum Culmensem, Anselmum Cumiensem, et Olomucensem Episcopos, in Prussiam quam veteres Ulmirugiam vocavere, contra barbaros militiam aduenit, ad quam et crucem per summum Pontificem mandatam per Opizonem Abbatem Apostolicum in Polonia et Prussiae partibus nuntium praedicata, et munda, quam callido et vafro ingenio fratres Cruciferi locando in illa Duces, comites, Barones, milites, pro cuiusq. praeeminentia, et illorum acta et stirpes, per Heroldos sub omni tempore, quo ad ascendendum residebant, laudibus plurimis et magis efferendo, adivit, et barbaris in abditiora loca secedentibus et decernere non ausis, Dux ipse Premislaus Bohemiae Pruthenos in Samiens. regione propter vastationem igni et gladio illatam deditionem facientes, per Pragensem Episcopum Brunonem suu(m), illis nomine imposito baptizat, In ipsius insuper perpetuam memoriam Cruciferi novam civitatem prope mare Baltheum et in flumine Pregor, quam Regium montem, in Premislai Ducis Bohemiae, quamvis tunc non Rex sed filius Regis existeret. Item aliam Brunsberg in qua Ecclesia Varmiensis Cathedralis sita est, in memoriam Brunonis Episcop. Pragensis constituunt. Premislao autem Bohemiae Duce cum sua comitiva ex Prussia ~~descendenti~~ discedenti, reliquarum regionum Pruthenis, in Samienses Pruthenos, quod in mediis eorum hostibus se dediderant, magno debachantur furore, et terram Sambiensem hostili et valido agmine ingressi, incendijs caedibusque cuncta foedarunt, atque e regione castri Kinsberg novam munitionem, quae a Cruciferis Vilow vocata est, erexerunt. Tuncque Conrado magistro Prussiae nono Calendas Augusti obeunte. Hevardus de Herzberch in officium succedit, secundum alios vero Poppo de Osterna

Jacobus Archidiaconus Leodiensis, Apostolicus nuntius et legatus, qui postea in Romanum Pontificem promotus, Urbanus quartus vocabatur, in Prussiam veniens, atrox bellum annis undecim inter Swantopelkonem Pomeraniae Ducem et fratres Cruciferos gestum interrumpit, et per aequas conditiones pacem perpetuam ordinat, quae a parte utraque fuit deinceps et custodita et servata.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS

Tardius quam animo destinaverat Przemislaus Posnaniensis Dux castri Nakiel a Swantopelkone Duce Pomeraniae intercepti expugnationem cunctatus fuisse, alteram ob eam rem expediendam, suis et Boleslai Calisiensis Ducis germani sui terris expeditionem indicit, Casimiro etiam super Cuiaviensis. Lanciciensis. et Siradiensis. Duce, Swantopelkoni odio infesto, personale suffragium ferente; ad Nakiel perveniunt, expugnationem castri Nakiel intercepti maturaturus. Stragem autem militum, si impugnare pergeret, aut ignominiam si coepto irrito resiliret, veritus, et itineribus nocturnis ad castrum Raczense quod a Swantopelkone tenebatur, et in quod plures militares cives et agrestes ex Pomeranis cum personis, rebus, et fortunis, pro comperto habebat confugisse, antelucano tempore pervenit et castrum illud Raczansko, singulis qui in illo erant existentibus in sopore, oppugnare coepit. Quibus a somno expergefactis, tantus pavor, alijs castrum captum, alijs hostes iam intra castrum, alijs iam turres et quaeque optima loca occupasse vociferantibus, iniectus est, ut militibus Premislai et Casimiri ignis castro in locis frequentibus adhibentibus, ad stationes Ducum per medias flammas exilientes, se in potestatem eorum traderent. Caeteri igni-

invalescenti

invalescente, dum pergunt fugere, a flammis miserabiliter fuere vorati. Castrum omne praeter res quae foveis et celariis mandatae fuerant, conflagratione periit

Clade suorum et castri Raczansz conflagratione Swantopelkus irritatus, vires Premislao Duci repressurus, adsuosque qui in castro antiquo Nakel a militibus Premislai in novo castro Nakel consistentibus obsidebantur, victualia allaturus, in quadragesima medio cum omni potentia gentium suarum, Duces Premislaum et Boleslaum maioris Poloniae, et Casimirum Cuiaviae, post castri Raczansz expugnationem in sua remeasse cognoscens, in quadrigis victualia ferens, versus Nakel advenit, et victualibus non sine suorum cede et discrimine ad suos in castrum antiquum illatis, omnes vires et industriam ad conquisitionem castri novi Nakel, licet illud valido militum praesidio fultum nosset, intendit. Primumque lignis aridis et pinosis comportatis, fossata lignis huiusmodi implere, et aggeres ex lignis constituere, ligna quoque ipsa incendere et per illa flamma crescente novum castrum Nakel conflagrare intendebat. Verum cum una lignorum ad fossata importatio vix superficie tenus fossata implesset, coeptum perfecturus gentes suas ad comportandum ampliorem et ad opus perficiendum sufficientem lignorum materiam, in sylvam propinquiorem transmittet. Sub quo tempore spatio requiescendi dato, milites Premislai ex castro novo certatim descendentes, ignem adhibito omnes strues invectas antiquam alia adiicerentur consumunt, et longum Swantopelconis laborem inflammatione huiusmodi dissolvunt. At ille milites in stationibus eo die desidere, corporaque curare, altera vero die ad tertiam horam armatos adesse iubens, cum milites dicto paruissent, ab omni parte novum castrum expugnare adortus est. Milites sui ex scutis testudine facta, fossatis transgressis, etiam ad latera castri perveniunt, illaque praescindere, et ignem supponere, caeteris illos telis, bombardis, machinis, et fundis ligneis quae sprocze vocantur protegentibus et castrum novum eiusque defensores lacessentibus conantur. Sed non minor fuit Premislai militibus ardor, pro defensione, quam Swantopelconis pro impugnatione. Itaque viginti ex eis qui propius accesserant occisi, et plures vulnerati, caeteri ne periculo involverentur, fugere et expugnationem intermittere coacti sunt. Swantopelk ex impugnatione tentata, caedem suorum referens, vario astu mentis excruciatus, dum nulla spes proposito suo affulsisset, gemens, tristis, et confusus ad Pomerania redijt.

Altero deinde exercitu Swantopelk congesto, in Nakel clam et noctu advenit, apertis et iustis pugnis non proficientibus, arte et astu in Polonos, et eos qui novum castrum Nakel observabant, usurus. Se itaque cum eo quem secum adduxerat equitum et peditum exercitu, in montanis locis, quae haud longe a castro novo sita erant, velut in insidijs collocans, quid fieri velit, per fidum nuntium nocte in castrum antiquum penetrantem, ad suos, et eos, qui in castro antiquo erant, demandat. Primo itaque mane diei subsequentis milites Swantopelconis eruptione ex castro novo in pugnam provocatis certamen cum illis conserunt, et fugere se velut victos simulantes Polonorum milites velut devictis hostibus alacres usque ad insidias perducunt. Ex quibus Swantopelcus cum omnibus suis copijs quae secum advenerant consurgit, et Polonorum militibus se ostendit. Extemplo et hi qui se simulaverant fugere, ex fuga conversi in Polonos invehuntur, et Poloni a tergo et fronte circumventi, velut quaedam victima in medio nunc ab his nunc ab illis caeduntur. Sed nec tunc Polonis animus defuit, ex desperatione siquidem in furorem versi magna strage in hostibus edita, ad extremum omnes aut trucidati sunt, aut capti non incruentam hosti relinquentes victoriam. Captus est inter alios Mscislaus miles, qui multis probitatis ostensis decoris, incumbentem prosternendo hostem videns, Swantopelcone iubente ut sibi ferro parcerent, captus est, et cum alijs in Pomeraniam deductus. Clades autem haec captivorum Premislai militum qui in castro novo residui erant, quamvis illam superne spectarent, animos non imminuit, quinimmo Caduceatoribus a Swantopelcone missis, ut castrum dederent, ferox dederunt responsum, plures captis et desideratis, qui laetitiam de clade fallaciter quaesita inultam fore non sinent, in castro Premislai superesse.

Swantopelk Pomeraniae Dux etsi victoria potitus, ex Nakel recessisset, fortius tamen et crudelius bellum pro unius castri iniuste possessi occupatione ratus, inter se et nepotes suos, eorumque auxiliarios scripturum, per fratrem Poponem, Polonus hic natione erat, genere nobilis, et Cracovita, qui ordinem Cruciferorum assumpserat, Swantopelconi et Premislao per maternam lineam sanguine iunctus, egit, ut Premislaum Ducem ad reconciliationem mutuam secum induceret, Sed neque Premislaus Dux, monenti illum Popone, reconciliationem cum Swantopelkone aspernatus, conventum apud villam Lezinam in vigilia Beati Jacobi Apostoli cum Swantopelkone tenuit, Ubi in praedictum Poponem a Principe utroque, pleno facto compromisso, frater Popo praedictus, exploratam habens Swantopelkonis voluntatem pronunciavit compromissi authoritate, ut Swantopelkus Pomeraniae Dux castrum Nakiel quod iniuste nepoti suo Duci Premislao Posnaniensi interceptum, sequenti die Sancti Jacobi restituat, et omnes captivos libertati restituat. Premislaus vero Posnaniensis Dux Swantopelkoni quingentas marcas pro expensis factis, et castri Raczansz demolitioni in certis terminis partitis, interim obsidibus solvat. Qua pronunciatione ab utroque Principe accepta, ad Nakiel itum est, et iureiurando interposito, quod alter in alterius terrarum et castrorum occupationem aspirare non debeat avunculus et nepos osculo facto reconciliantur, et castrum antiquum Nakiel per Swantopelkum Premislao Duci, cum ambo illud pacificati iunctis dextris ingressi fuissent, resignatur, novum vero per Premislaum Ducem incendio deletum est. Accepit et tunc Swantopelkus a Duce Premislao novem adolescentes nobiles pro obsidibus, videlicet Dirsicraium et Dobrogostium, filios Vincentij, Vuladimirum Pramota, Jacobum Boguphali de Czyrnelin, Janussium Dobiessowicz de Pnew, Samsonem Gniewomirowicz, Derslaum Jaroczewicz, Mroczkonem Przeczslawicz, et Sandivogium Zbylutowicz, qui apud illum comiter tractati demoratique sunt, quousque sibi de quingentis marcis argenti a Duce Premislao praestita est solutio effectualis

Pomeranico bello, quod pro castro Nakiel a Swantopelkone Pomeraniae Duce intercepto tam animis quam odiis infestis, integro fere biennio inter proprios gestum est, per compositionem extincto, in Slesia rursum bellum ausu sacrilego Ducis calvi Legnicensis renatum est. Qui quasi iacturam quam Conrado fratri Duci Glogoviensi dimidium Legnicensis Ducatus dari datus pertulirat

rat instauraturus, patrum suorum nonnullorū Regū et Principum Poloniae itinera prava sectaturus, dum minus prospere bella cum saecularibus acta successissent, cum Ecclesiasticis, et plus utilitatis, minus impensae et dispendij habiturus, gerere coepit. Thomam secundum Vratyslaviensem Episcopum virum et pro pontificali excellentia, et pro vitae sanctimonia, quae inter caeteros Poloniae Ecclesiae Pontifices splendebat, et publico et privato officio sibi venerandum, in Rocha praedio Abbatis Sanctae Mariae de arena, in quod novam Ecclesiam dedicaturus advenerat, quiescentem, nocte cum suis Theutonicis, quorū fraude et consilio in id facinus ferebatur, supervenientes, cum Bogusslao praeposito, et Hevardo Canonico Vratislaviensibus. Sexta Octobris die captivat, omnesque res, equos, vestimenta, et fortunas Episcopales illic secum convectas, diripit, et non nisi camisiola una, in qua dormitaverat, tectum, equo imponit, Quem cum Satrapae sui Teutonici didicissent equitandi, iam enim aevi grandaevus erat, usum non habere, equo cui insidebat transmutato, in alterum equum trotantem illum, ampliorem laborem et dolorem sibi advehi transponunt. Unus deinde latrunculus caeteris omnibus Teutonicis Satrapis, nuditatem illius, et dentium, qui ex frigida aura causatus est, stridorem irridentibus, misertus, vetusta et angulata tunica, vestibusque suis veteribus, ne rigore hyemis consumeretur, illum vestit, ac sic tectum in castrum Boleslai Vulgo nomine perducunt, et tam Episcopum quam praepositum et Canonicum secum una captivos, Duce Boleslao iubente, qui decimarum manipularium, quae Episcopo et universo clero Vratyslaviensi, more patrio Poloniae in campis manipulatim de omni grano solvebantur, in fertonales transmutationē et decem millium Marcarū solutionē a Thoma Episcopo exigebat, in carcerem et catenas coniiciunt. Id scelus horrendum dum nemo inveniretur qui rescinderet, Dux enim Vratyslaviensis severitas sive mansuetudo, sive pusillanimitas id faciebat nam et a nonnullis de consilio ad capiendum Episcopum dato insimulatus est, a Capitulo Vratislauiensi quatenus de liberando Episcopo nauaret operam rogatus, rem silentio et dissimulatione absoluit. Fulco Gnesnensis Archiepiscopus prouincialibus Poloniæ Episcopis ad Synodum in Lanciciam indictam, celerrime coactis, sumpta deliberatione, et Alexandrum Papam de facinore in Thomam Episcopum, Boguslaum Præpositum, et Gebardum Canonicum Vratislauienses, per Boleslaum Legnicensem Ducem patrato, literis totius Ecclesiæ Poloniæ et celeri nuntio auisat, et quid Apostolicus agendum censeat consultat. Et nihilominus contra Boleslaum Ducem Legnicensem et sui sceleris complices, censuras grauiores promulgat, Vratislauiensemque Diœcesim Ecclesiastico supponit interdicto. In omnibus itaque Ecclesijs prouinciæ Gnesnensis infra Missarum solennia post communionem finita, et Psalmus Deus laudem meam ne tacueris, procumbentibus ministris Dei in terram, et Oratio, Exaudi quæsumus Domine Ecclesiam non solum Paganorum percussionibus attritam, sed etiam Christianorum prauitatibus afflictam, usque ad finem sonantibus in unam partem campanis, agebantur, et Dux Boleslaus Legnicensis recitata sua crudelitate denuntiabatur anathematisatus. Sed et Papa Alexander literis Episcoporum Poloniæ et nuntij relatione in vehementem turbationem super nouitate quæ acciderat motus, Gnesnensi Archiepiscopo, et Cracouiensi, et Vladislauiensi Episcopis dedit in mandatis, ut Boleslaum Legnicensem de relaxando Thoma Episcopo Vratislauiensi apostolica authoritate requirerent, et abnuentem, personam suam et sui facinoris complicum censuris, terram vero suam interdicti sententijs percellerent, qui omnia ut iubebantur sunt exequuti.

OCTAVA MENSIS Augusti Michael Episcopus Vladislauiensis annis quadraginta in Pontificatu exactis, senectute bona plenus moritur, et in Ecclesia veteri Vladislauiensi sepelitur. In cuius locum Vuolimirus Præpositus Cruswicensis et Canonicus Vladislauiensis Ducum Semouiti et Casimiri Masouiæ Cancellarius, per electionem Canonicam suffectus est, et per Alexandrum quartum Ducibus præfatis illum promouentibus confirmatus nobilis genere de domo Bolestaw

Boleslaus

BOLESLAVS Gnesnensis et Calissiensis Dux, et frater Premislai Posnaniensis, Belae Vngariae Regis, fratris germani beatae Elizabeth filiam nomine Jolentam, quae a Polonis Helena nuncupabatur, conciliante nuptias huiusmodi Duce Cracoviensi et Sandomiriensi Boleslao Pudico ducit uxorem, et solennitas nuptiarum huiusmodi Cracoviae acta est, Praefata enim Jolenta in curia Ducissae Kingae consortis Ducis Boleslai Pudici sororis suae germanae ex Vngaria traducta, nutrita erat pluribus diebus sub praesentia multarum insignium personarum.

ROMANORVM rex Guilhelmus alias Vulhinus Comes Holandiae, in Frisones detrectantes imperium expeditionem agens, ab eisdem Frisonibus subiectioni et imperata facturis se pollicentibus occiditur. Dum autem Electores pro alterius electione convenissent, discordem celebrarunt electionem. Vna siquidem pars eligit Alphonsum Regem Castellae, altera Richardum Comitem Cornubiae et fratrem Regis Angliae. Qui cum esset ditissimus ab Archiepiscopo Coloniensi suo electore coronatus, regnum Almaniae pro magna parte obtinuit, Duravit autem quaestio huius Scismatis multis annis, nec terminata fuit nisi amborum morte sequuta, pro qua infinita pecunia ab utroque expensa est. Sed praecipue a Rege Alphonso viro animoso et honorem omnibus praeferenti, qui regnum suum Castellae, dissidio huiusmodi durante, multis thesauris exuxit, Ambo autem sibi de imperio contendentes, Sed et Guilhelmus Comes Holandiae pro brevitate temporis quo regnaverunt, nihil egerunt memoria dignum, et hi caruerunt imperiali benedictione

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SESTIMVS

Captivitatis suae continuos angores squaloresque Thomas Vuratislaviensis, a Boleslao Calvo Legnicensi (id enim cognomen post facinus in Episcopum patratum sortitus erat), ex castro enim Vulay in Legniczam deductus, et in terram proiectus censuris Ecclesiasticis et authoritate summi Pontificis et Episcoporum Polonicae Ecclesiae, arctioribus compedibus

pedibus vinciebatur, aliquando finiri desperans, cum et in virum pessimum Ducem Boleslaum Calvum Legnicensem, ob id lata sententia excommunicationis, quas ille velut stipulam reputans, saeviens in Episcopum et sua captivitatis consortis, Boguphalum Praepositum et Echardum Canonicum debacchabatur, nullam liberationem effectura sperarentur, cum Boleslao Calvo captivatore suo pacificatur, et commutationem decimarum manipularium non in sua tantummodo Legnicensi sorte, sed in universa Wratislaviensi Dioecesi in fertonalis, Capitulo suo Wratislaviensi irrequisito, Gnesnensi insuper Archiepiscopo Metropolitano suo, et Episcopis Poloniae Ecclesiae comprovincialibus suis, qui pro illius libertate et substantias et sanguinem parebant se effusuros, inconsultis, duorumque millium Marcarum argenti solutionem, praeter pannos scarlatinos, a Boguphalo Praeposito et Ecgardo Canonico exactos, pollicetur, medietate pecuniae per prius soluta, de residua vero medietate et promisso de transmutandis decimis manipularibus in fertonalis implendo, filiis nobilium et scultetorum suorum datis obsidibus, in festo Paschae, a captivitate, cum sua captivitatis consortibus, Praeposito, et Ecardo Canonico solutus est. Saevitiam autem tam factam in Thomam Episcopum, Boguphalum Praepositum, et Eccardum Canonicum Wratislavienses commissam et factam, apud obtrectatores suos levaturus, non in Henricum solummodo Wratislaviensem, sed et in Conradum Glogoviensem Duces germanos, eorumque consiliarios et fautores, invitum animi iniuria mortuum est, retorquebat, licet decimarum manipularium in fertonalis transmutatio etiam pro terris eorum obtenta, patrati sceleris reos consentienti suspitione argueret. Nihil itaque mirum si providentia divina ulciscens scelera patrum in tertiam et quartam generationem, Principes Silesiae qui est regni Poloniae haeredes ex lumbis et stirpe Regum Poloniae provenientes, de regno ipso fierent extorres. Qui se variis sceleribus et praesertim caede et captivitate et sanguine Pontificum, et Sacerdotum, decimarum usurpatione inquinaverant, et alienigenas eiusdem regni fecit haeredes.

Recen.

RECENTI scelere quo in Christos Domini Thomam Episcopum, Boguphalum Praepositum et Heraldum Canonicum Vuratislauienses Boleslaus Caluus Legnicensis Dux sacrilegas manus iniiciens usus fuerat, aliud adiecturus germanum suum Conradum Glogouiensem Ducem ad se in Legniczam, verbo quidem ut secum conveniret, re autem, ut captum Ducatu Glogouiensi exuat, invitat. Qui etsi a nonnullis Boleslai Calui satellitibus certior factus, ad quam eorundem et opprimere consilium vocaretur, venire repromittens, plures pro munimento secum in Legniczam iturus assumit, quorum maiori parte in sylua Legnicensi, oppido vicina relicta, ipse cum expedita aliorum, quibus insidias sibi a Boleslao Caluo structas patefecerat, et quid illos agere vellet instruxerat, manu in Legnicz pervenit. Et Boleslao quoque Caluo benignum demonstrante vultum exceptus, et in Legnicense castrum perductus. Videns Teutonicos Boleslai Calui milites turres et quaeque superiora maenia et cacumina occupasse, facinus in se per Boleslaum Caluum committendum anticipat, et Boleslaum Caluum antiquam in superna turri ubi capi Conradus debuerat, ascensus, captiuat, et extra portam castri antiquam milites Boleslai ex supernis possent decurrere deductum, ad eos, qui se in sylua operiebantur, militibus Boleslai sequi non audentibus, transportat, et abinde illum lento passu in Glogouiam deducit, et arctae custodiae mancipat, nec prius dimisit donec omnem pecuniam per Thomam Episcopum Vuratislauiensem datam et eandem ab eo praedantem praedatus exigeret.

CRACOVIENSIS Prandotha, et Vuolmiri Vuladislauiensis Episcoporum literis, Alexander Papa quartus certior factus Boleslaum Caluum Legnicensem Ducem et monita Apostolica contemptui, et censuras ab eo fulminatas ludibrio habuisse, neque Thomam Episcopum Vuratislauiensem, et Praepositum Boguphalum, Heraldumque Canonicum relaxare, adhuc enim tunc illos Caluus Legnicensis Boleslaus carcere clausos et compedibus astrictos tenebat, in captivitate, insolentiam et temeritatem Boleslai Calvi Legnicensis virga Apostolica compressurus, vexillum crucis contra praefatum Boleslaum Calvum, et terras suas velut contra Ethnicum, et fidei et religionis Catholicae hostem, decernit. Gnesnensi quoque et Magdeburgensi Archiepiscopis dedit per speciales literas, facinus in Thomam Vratislaviensem Episcopum per Boleslaum Calvum admissum declarantes in mandatis quatenus per Poloniam et Germaniam Crucem huiusmodi praedicent, et omnes Catholicos Reges, Principes, Comites, Barones, et quoslibet fideles, in praefati Boleslai Legnicensis Ducis et suorum subditorum exterminium inducerent et animarent. Quo mandato Fulco Gnesnensis Archiepiscopus accepto, altera apud Lanciciam pro die Sancti Calixti Synodo provinciali instituta, Prandotha Cracoviensi, Thoma Vratislaviensi, qui iam tunc per pacta captivitatem evaserat, Bogupalo Posnaniensi, Volimiro Vladislaviensi, Andrea Plocensi et Vuilhelmo Lubucensi, Episcopis, multisque Abbatibus et Praelatis Ecclesiae Polonicae convenientibus, mandatum Apostolicum omnibus intimat, crucemque contra Calvum Boleslaum praedicat, et illam mandat auctoritate Apostolica ab omnibus Episcopis sua pariter praedicari. Arguitus est et tunc Thomas Episcopus Vratislaviensis praedictus ab omni Polonica Ecclesia, quod pactionem factam tam exemplo pessimo quam re in transmutatione decimarum manipularium in fertonales, violando et libertatem Ecclesiae et laudabilem Poloniae patriae qua prospera apud exteras nationes celebris habebatur, consuetudinem consenserit. Qui et metum, qui in virum constantem cadere poterat, et multiplices passiones suas quas pertulerat allegans, spoponderat, se, licet non impleverit promissa de transmutandis manipularibus decimis in fertonales, nullo unquam tempore servaturum. Apostolicarum autem literarum ad Gnesnensem et Magdeburgensem Archiepiscopos de praedicanda contra Calvum Boleslaum cruce, quarum originalibus apud Ecclesiam Beatae Mariae Sendomiriensem, Cracoviensis Dioecesis nos vidimus, tale extat exemplar.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei
Venerabilibus fratribus Archiepiscopo ~~Gnesnen~~
Magdeburgensi, eiusque suffraganeis Salutem et
Apostolicam benedictionem

Non absque multa cordis amaritudine iamdudum accepimus, quod Venerabili fratri nostro Episcopo Wratislaviensi ad villam Gorca suae Diocesis, ubi quandam erat consecraturus Ecclesiam, divertenti, Nobilis vir Boleslaus Dux Silesiae associatis sibi quibusdam iniquitatis filijs, eundem Episcopum, Praepositum, et Gerhardum Presbyterum Canonicorum Wratislaviensium, capere, ausu sacrilego non expavit. Episcopum ipsum ad quoddam castrum suum, reverentia Pontificali postposita, ferre nudum abducens, degustaturum ibidem angustias carcerales. Propter quod de ipsius Ducis, prout ad nostrum spectat officium, saluti solliciti, per venerabiles fratres nostros Gnesnensem Archiepiscopum, nec non Lubucensem et Wratislaviensem Episcopos moneri eum mandavimus, ut ipsos ac etiam alios cum eis captos, absque difficultate qualibet, pristinae restituens libertati, eos libere abire permitteret, de ablatis rebus et irrogatis iniurijs ipsi Episcopo et Ecclesiae, restitutionem et satisfactionem plenariam impensurus. Verum eodem Duce tam salutaria parvipendente monita, ac eligente in suo scelere perire potius quam parere, praefati Archiepiscopus et Episcopi prout a nobis in mandatis acceperant, ipsum et omnes eius in hac iniquitate consiliarios et fautores excommunicatos facientes publice nunciare, supposuerunt, terram ipsius, nec non et locum ad quem ipsum declinare contingeret, quamdiu ibi esset, Ecclesiastico interdicto. Spe tamen eis quam nobis per hoc proposita, quod ipse sic percussus, dolens, ad percutientem se cum devotione recurreret, congrua culpae suae remedia requirendo, praesertim cum salubrem nonnunquam sibi doloris immensitas inveniat medicinam. Porro idem Dux, Ecclesiae malleum velut stipulam reputans, adhuc in sua perseverat obfirmatus malitia, omnino contempta Ecclesiae disciplina, Et quod ad cumulum suae ~~Ecclesiae~~ damnationis magis accedit, eos nunc validioribus, quam

prius

prinus, pannis afficit, et tormentis, pedes enim ipsius Episcopi qui calceati esse debent in Evangelium pacis ferreis compedibus alligantur, et qui gregem suum sacrae praedicationibus alere debent reficere, nunc in dirissimo carceris ergastulo detinetur, interdicto sibi capellani sui suffragio, cui conscientiam suam in confessione pandere valeat, et cum quo possit interdum saltem Missarum officia celebrare. Et quidem cum et nos illius iniuria vulneraverat, et non levem nobis impressura maestitiam ad providendum contra Ducem ipsum acrius nos invitat, Nam verisimilitudo non tolerat, ut patiente tanto Ecclesiae membro, caput non langueat, aut expers doloris existat. Si ergo commissum est nobis, licet indignis, et curam gregis Dominici sollicitam gerere, et medelam sauciatis vulneribus adhibere, quomodo Ducem ipsum per mortalis campos, per iter mortis ultra patiemur discurrere; quin ipsum ad pascua salutis reducamus? Cumque infirmus salutaria respuat, quaerat noxia, et plerumque desideriis contrariis urgeatur, quomodo Ducem ipsum tanquam laborantem phrenesi imperite relinquemus voluntatis arbitrio, quin ipsi quantumcunque invito amara salutis pocula propinemus, ut id ad curam sanitatis fuisse cognoscat, quod infirmus non poterat praesentire. Sane postquam idem obstinatus spiritualem medicinam respuit, postquam Petri gladium prout convenit non attendit, quid superest, nisi ut extrahatur materialis gladius contra ipsum. Et ut quod leni medicamine voluntatis induci non potuit, poena saltem formidinis pertrahatur invitus. Et habitatores Poloniae filios speciales relinquimus exposito belli discrimini, quod ex tam detestabili facto, ipsorum imminet regioni, erat enim in tam enormi excessu patientia nostra tanta, ut et negligentis nomen aspiat et patientis nomen perdat. Et quidem quantumcunque ob generositatem ipsius, et suorum progenitorum merita hactenus distulissemus eidem, id tamen ulterius non patitur praedicti criminis magnitudo, accusat enim ipsum carcer, arguunt vincula, et contra ipsum Deum et homines provocat ad vindictam. Caeterum more pii patris qui sententiam cito convertit in veniam, et redire cupit filium non perire, adhuc experiri volentes, si de fragmentis conscientiae suae, quae velut lagena figuli est grandi contritione confracta, aliqua testa permanserit devotionis igniculi retentiva, Universitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attente, in virtute obedientiae vobis districte praecipiendo mandamus, quatenus praefatum Ducem super liberatione ipsius Episcopi, et aliorum, nec non et super praemissis omnibus moneatis seu moneri faciatis efficaciter et induci. Qui si monitis vestris quod absit pertinaciter aures obturaverit, cordis sui, extunc singuli vestrum in suis civitatibus et Dioecesibus pro liberatione eiusdem Episcopi contra Ducem ipsum, iuxta datam vobis a Deo prudentiam, per se vel alios viros ad Sacerdotes praedicetis verbum Crucis. Nos enim omnibus vere paenitentibus, contritis, et confessis, qui ad praedicationem vestram crucem susceperint et in propriis personis liberationem huiusmodi fuerint prosequuti, illam suorum peccatorum veniam elargimur, quae in terrae Sanctae subsidium personaliter accedentibus in generali Concilio est concessa, Debent enim ad liberationem huiusmodi, fideles Christi non remissi, sed ferventes et voluntarij reperiri, qua per detentionem ipsius illi gravis irrogatur iniuria, cuius obligatione fungitur, et cuius se ministros honorari se asserunt atque Sperni Datum Laterani tertio Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio, Anno vero nativitatis Domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Sexto

Vrbem suam Cracouiensem Boleslaus pudicus Cracouiensis et Sendomiriensis Dux ad incrementa quae sub Polonis et iure Polonico assequi non poterat, prudentius / ius illi largitur Srzedien seu Teutonicum, Advocatumque in ea constituit, qui urbis situm, et domus, passim et sine lege sine ordine consistentes transferat et transmutat, Et circo urbis primum ordinato, etiam plateas illius proportionabiliter et ex aequo distinguit

Alexander Papa quartus novam religionem mendicantium de poenitentia beatorum Martyrum intitulatam instituit, Cuius fratres et Professores Cracoviam advenientes, Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis Dux benigne appellatos suscepit, Et Ecclesia in Sancti Marci Evangelistae honorem de novo fundata, illis locum Cracoviae contulit, et sumptus pro Monasterij et Ecclesiae aedificatione dedit.

Pridie Nonas Iunij In Posnaniensi castro nobilis et illustris Princeps Premislaus Posnaniensis Dux, filius Vladislai Ottonis Ducis maioris Poloniae, post quindecim dierum decursum, quibus ab aegritudine oppressus languebat,

transiuit

trigesimum et sextum annum tantummodo agens moritur. Funusque suum in Ecclesia maiori Posnaniensi cum cineribus Regum et Principum Poloniae iusto honore et lugubri omnium militum comploratu sepultum est. Hic inter Principes Poloniae sui temporis mitissimus, et super aetatem prudens, duas praecipue virtutes continentiam videlicet et iustitiam summa cura summoque studio sectatus, cilicina veste in diebus Quadragesimae, ut caro serviret spiritui, et cerevisia parum sapida aut vino limphato utebatur. In pronunciando vero sententias et lites dirimenda, tam modestus, tam iustus, ut utraque pars eius probaret decretum. Nemo illum unquam vidit aut ebrium aut iratum, aut gestu, indumento, sermone, aut opere superbum. Sacra caena Domini duodecim pauperum ablutis et deosculatis pedibus, quemlibet novo panno vestiebat. Media nocte quod illi ceremoniale iam et quasi ex debiti necessitate consuetudinarium factum fuerat, dum a familiaribus quiescere putaretur, consurgens, cursum horarum virginis gloriosae, quibus finitis psalmos aliquos et orationes quas didicerat depromebat. Contulit Ecclesiae Gnesnensi villam Czernelin, Posnaniensi Buk, praeter libertates, quibus utraque Baronibus ei adversantibus, et magnis praerogativis extulerat. Quatuor ex consorte sua Elizabeth filias, videlicet Constantiam, Veronicam, Offham, et Eufrosinam relinquit. Ea tamen consors sua Elizabeth, dum in morte viri gravida esset, filium posthumum in die Sancti Calixti, cui in patris sanctitatem et memoriam, Boguphalus Posnaniensis Episcopus in baptismate nomen paternum Przemysl indiderat, omnibus suis subditis de virili prole magna iocunditate ovantibus effudit. Hunc principem Baschko Custos Posnaniensis in suis scriptis et annalibus plurima laude celebrat

Pridie Calendas Februarij Cracoviae et in universis Polonorum urbibus et regionibus grandis terrae motus apud Polonos rei huiusmodi insuetos, pro monstro, et religionis habitus, editus est tertiam hora

Bohemiae Dux Przemislaus, Bavariam hostiliter multis Baronibus Bohemiae, expeditionem ipsam, cum causas iustas non haberet, improbantibus, ingressus, cum eam usq. in Lanczhut praedis et rapinis vastasset, vix Duce Premislao cum modica parte exercitus pontem in flumine Enio transgresso, militibus qui sequebantur confracto ponte in flumine praecipiti, ab undis, paucis nare scientibus, enatantibus vorati sunt. Omnis vero reliquus exercitus suus qui nondum pontem et flumen superaverat, a Bavaris paucis sequentibus deletus est, et Bavari tam victoria quam omnibus spoliis et impedimentis potiti. Dux ipse Premislaus cum paucis, nam et illi qui pontem transierant, a Bavaris infestati, trucidabantur, aut capiebantur, incolumis fugiendo evasit. Nonnulli ex Bohemis, qui in oppidum Mulendorff Archiepiscopi Salzburgensis diffugerant, tandem a Bavaris illic obsessi dimissi aequis conditionibus inter Premislaum Bohemiae et Bavariae Duces, pax sancita est

Quintadecima mensis Augusti nonam hora Beatus Iaczko fratrum ordinis Praedicatorum, genere nobilis Polonus, ex districtu Oppoliensi ex villa Lanka, post multos labores et opera, et in dilatatione fidei Christianae et salute animarum apud Poloniam et Russiam assidue exhibita, et patratione multorum et stupendorum miraculorum, inter quae illud extat insigne, quod apud Vissegradensi oppidum deficiente navigio strata super undas cappa et consocia cum tribus fratribus sui ordinis, videlicet Floriano, Godino et Benedicto, universo populo Vissegradensi inspectante, Vislam fluvium sicco vestigio tranavit, in Caenobio Sanctae Trinitatis Cracoviae relligiosissime, devotissimeq. vita exivit ad patriam claritatis aeternae in multo fulgore, a matre misericordiae canente Ibo mihi ad montem Myrrhae et Angelico coetu prosequente, quemadmodum virgini devotae religiosaeq. Sanctimoniali Premislaviae in Zwierzyniensi Monasterio professae per visum, in mortis praefati Sancti Iaczkonis monstratum est, decedit. et a Prandotha ardente Cracoviensi Episcopo et populi multitudine in eodem Caenobio Sanctae Trinitatis sepelitur. Tantis autem et tam frequentibus

prodigijs

prodigiis illum et in vita et post mortem insignire et glorificare dignatus est altissimus, et non solum dignus sed etiam dignissimus, si prodigia ipsa neglectum a Polonis et a notitia Summi Pontificis suppressum iri non contigisset, canonizatione videatur. Quinq. Monasteriorum sui ordinis, videlicet in Frisach ubi fratrem Hermannum Teutonicum reliquit, in Cracovia cui solus praeerat, in Praga, quod fratri Hieronimo, in Wratislavia quod fratri Ceslao et fratri Godino, in Gdansk quod fratri Benedicto commendaverat, primarius fundator.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS

Landensem Castellaniam, a Casimiro Cuiaviensi, Lanciciensi, et Siradiensi Duce, qui illius, annis aliquot iniustus occupator extiterat, Boleslaus Gnesnensis et Calisiensis Dux, ad illius enim Ducatus sortem digno sciebatur pertinere, repetiturus, post multas altercationes, invasiones, et terrarum hinc inde vastationes, per quas agricultura deperibat, et damna invalescebant, solitudinem terris latura, expeditionem contra Cuiaviam indicit, et de omnibus terris maioris Poloniae, etiam fratris sui Przemislai pridem mortui, qua fratre obeunte sui velut tutoris parebant imperio, in notabili equestrium et pedestrium multitudine convenientibus, Boleslaus Dux Cuiaviam invadit, et oppidum, castrumq. Juni Vladislaviam, quod primum sibi Cuiaviam ingredienti occurrebat, obsidione cingit, et fortius quo potest omni genere et ingenio impugnat. Cui velut confoederato Vartislaus Boguslai, Slaviae et Cassubitarum Dux cum potentia suarum gentium personali latenus auxilium adduxit. Quod Casimirus Cuiaviensis Dux considerans, vastationem principatus sui, et periculum, quod oppido et castro obsessis imminebat, aversurus. Neq. enim si cum Boleslao decerneret, parem se fore confidebat, copiae insuper gentium suarum adhuc in arma cogendae erant, missis ca

duceatoribus

duciatoribus, pacem a Boleslao deposcit, offerens se et Castellaniam Landensem male occupatam redditurum, et castrum in Landensi quod supra aedificaverat, destructo praesidio militari demoliturum. Ad quae exequenda, Boleslao Calisiensi oblatas pacis conditiones velut aequas non abnuente, dies constituitur, et pactum literis et sigillis, stipulationeque manuali firmatur. Boleslaus quoque Calisiensis credens hostem suum Casimirum Cuiaviensem pactis staturum, et agrum et oppidum obsidione solvens, in propria redijt. Verum Casimirus Cuiaviensis hostem se fefellisse, et ex agra obsidioneque deduxisse gloriatus, nihil eorum quae pactus erat, implevit.

Quinta die Aprilis Lanciciae Fulco Gnesnensis Archiepiscopus vir grandaevus literatus et religione plenus, cum annis quatuor et viginti, in Sella Metropolitica sedisset, post morbum, ex quo languebat, moritur, et in Ecclesiam Gnesnensem deductus, iusto honore tumulatur. Ad substituendum autem alterum Archiepiscopum, dum Capitulares die vicesima Maij indicta convenissent, Ianussium Praepositum Gnesnensem genere Polonum et nobilem, concordibus votis eligunt in pastorem. Qui pro obtinenda sua electionis confirmatione Henricum Decanum Posnaniensem, Egidium Archidiaconum Lanciciensem, et Przibislaum Canonicos Gnesnenses ad urbem transmisit. Intelligens autem propter constitutionem novam Ecclesijs Cathedralibus obrogam, nisi praesentialiter veniret, promotionem suam et confirmationem sequi non posse, ad Alexandrum tertium Romam se personaliter fatigavit, confirmationemque suam, faciliter feria sexta ante Dominicam Invocavit, obtinuit. Atque in ipsa Dominica Invocavit Roma consecratus, Poloniam incolu redijt, Henrico Decano Posnaniensi, et Przibislao Canonico Gnesnensi comitibus suis itineris, in Lombardia peste absumptis.

Cracoviensis et Sendomiriensis Dux Boleslaus Pudicus, sexto Nonas Martij apud villam Korczin omnium suarum terrarum egit conventum, ad quem non solum Prandotha Cracoviensis Episcopus et

Barones ac proceres Cracoviensis et Sandomiriensis terrarum, sed Casimirus Cuiaviensis, Lanciciensis et Siradiensis et Semouitus Masoviae Duces, Boleslai pudici fratres patrueles germani personaliter cum suis Consiliariis rogati advenerant. Tractatus autem illic disserendi non de bello hostibus inferendo, non de finibus propugnandis, non de quaestu augendo, sed de rebus honorem Dei et salutem proximorum concernentibus erant. Tractant siquidem prius principes, et ut se in suis desideriis, qua in eo felix sua consors Kinga accendebat, longo gestas se tempore asseruit, ut Monasterium virginum, cum nullum in terris suis haberentur, honorem divinum aucturus, et Baronum ac Nobilium suorum filiabus conditionem infirma, vel pannosa, aut connubia aspernaturis, provisurus. Satisfacturus insuper sororis sua Salomeae Gallaciae quondam reginae precibus, petentis se et propositum suum, Casimiri et Semouiti Ducum fratrum suorum, item dotha Episcopi et Baronum congregatorum consiliis iuvari. Omnibus autem intentionem suam magna laude magnaque commendatione certatim efferentibus, Zawichostensis oppidi, locus aptissimus visus est, qui rem destinatam et ab omnibus laudatam expleat. Oppidum itaque Zawichostense et villas Ducales quinque et viginti ad illud pertinentes, et nonnullas alias Sandomiriensi oppido vicinas, praedia insuper, lacus, et theolonia, quae pro sexaginta virginibus possent sufficere, novo virginum Monasterio in dotem donat, litterisque Ducalibus donationem perpetuat, decernens villas et oppidum a se donatas sempiterno tempore debere esse liberas, et ab omni Regum, Ducum, et dominorum temporalium iurisditione, exactione, et tributo immunes. Suis deinde sumptibus et Ecclesiam et Monasterium, habitationemque famulabus Dei aedificat et consumat. Religionemque Monialium Sancti Damiani ordinis Sancti Francisci, quam in praesentiarum Sanctae Clarae vocitamus, in locum a se fundatum et dotatum inducit. Quam quidem Sanctam Claram Alexander Papa quarto anno immediate praecedenti, Sanctorum Cathalogo ascripserat, religioque ipsa nomine mutato Sanctae Clarae appellata. Ideo autem Boleslaus pudicus fratres suos patrueles

Casimiri

Casimirum Cuiaviensem, et Semovitum Masoviae in id consilium adhibuit, ut fundatio et dotatio Monasterij praedicti Zawichostensis, eorum approbatione et consensu validior fieret, atque solidior. Cum enim sterilis atque orbus esset, et successio Ducatuum si absumpto Casimiro Cuiaviensi, et Semovito Mazoviae et filijs eorum successio deberetur, operaepretium visum est, successores in rem approbationem facturos, ne irritari aut rescindi, sterilitatis, aut quouis alio colore posset, acciri. Quo sequendum rigore confecto pia mater Boleslai pudici Grzimislawa qua et ipsa fundandi Monasterij praefati Zawichostensis ardorem sedula admonitione incusserat, defuncta est, et in Monasterio fratrum minorum in Zawichost sepulta, duobus et triginta annis in viduitate exactis.

Anno eodem motus terrae per vniversam Poloniam exortus est, ex quo successu temporis Polonia regio, guerris, dissensionibus, et plurimis incommodis vexata est. Item quoque motus terrae in Bohemia, et Russia, et Vngaria. +

Stromatus Lithuaniae Dux partem terrae Mazoviae circa Czyrnin depraedatus est, et castrum Ozimow conquirens, viros et pubescentes occidit, impuberes vero igni concremavit et plures faeminei sexus personas in captiuitatem abduxit, maximam et crudelem plusquam barbaricam in Catholicos exercens tyrannidem et impietatem

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVINQVAGESIMVS NONVS

Warcislaus Slavorum et Cassubitarum Dux iniurias suas frequenter a Swantopelcone Pomeraniae Duci; sibi et terris suis irrogatas ulturus, congregato ex omnibus subditis suis exercitu, habens insuper Ducis Calisiensis Boleslai sibi confaederati gentium et militum ex praedictorum solatia pro praesenti necessitate sua, a Boleslao pro Calisiensi transmissa, habens insuper in suo comitatu Episcopum Caminensem, Vuolimirum, qui iniurias sibi tam in villis Episcopatus sui illic consistentibus, quam manipularibus decimis illatas aequo propulsaturus advenerat, in terram Pomeraniae praefati Swantopelconis hostiliter advenit, eamque incendiis caedibus et depopulationibus vastare coepit. In Slupsk autem perveniens, ut expeditius vastationi terrae hostilis intenderet, impedimenta, et sarcinas, et pro custodia illarum Episcopum Caminensem cum aliqua parte copiarum in statione Slupensi relinquens, ipse cum delectis et expeditis militibus ad vastandum ire pergit. Quo Swantopelk ab exploratoribus comperto, Vuartislaum quidem Cassubitarum Ducem reputans cum illo decernere periculosum, grassari in subditos et tecta sua, praedasque et spolia agere permittens, ipse in Episcopum Caminensem et milites ad impedimentorum et sarcinarum custodiam a Vuarcislao relictos, cum gentibus irruit, et incautos opprimens, et debellans, Episcopo Caminensi cum paucis fuga elapso, caeteros omnes aut occidit, aut captivat, omnibusque spoliis potitus, priusquam a Vuarcislao et eius exercitu adiri posset, in castra et munitiones plus lucri spoliis quam ex hostili vastatione damni consequutus se recepit

VICEM vastationis terrae suae Cuiaviensis per Boleslaum Calisiensem et Vuarcislaum Cassubitarum Duces, infortunio eiusdem Ducis Vuarcislai quod ad Slupensis stationis a Swantopelko pertulerat, accepto, Casimirus Cuiaviensis Lanciciae et Siradiae Dux repensurus, terram Calisiensem cum omnibus suis potentiis clandestinus ingressus, quanta potest ampliori saevitia in eius destructionem debacchatur. Quod cum pervenisset nuntium Boleslaus pius Calisiensis Dux ex Calis in Posnaniam iter faciens comperisset, ex medio itinere reversus, triginta tantummodo militibus in locis quae praeibat recollectis cum curialibus et familiaribus suis, agrestibusque quibus pecus ereptum erat, Casimirum Ducem et exercitum suum praeda onustum et pecus agentem insectatur. Quem in pinoso nemore qui Solcz dicitur inter oppidum Archiepiscopale et Calmam alias Clomram militarem villam situm, consequutus, neque suam paucitatem neque hostilium multitudinem pensi habens, in Casimiri Cuiaviensis exercitum, concione per prius et in pugnam et in mortem animatis, a tergo irruit, et postremis aciebus debellatis, primis fortem et numerosum exercitum Boleslai Calisiensis, tum tegmine opponentibus arboribus, quantus fuerit, dignosci non posset, existimantibus, in fugam vertit. Multis itaque caesis, multis nihilominus captivatis, Duce Cuiaviensi per fugam evadente denti, et praeter omnes host. excussa, et agrestibus reddita est. Et Boleslai Calisiensis Ducis exercitus trecentis equis caeterisq spolijs hostilibus potitus. Sed et Palatinus Cuiauiensis Wiercinus, licet saucius, viuus in potestatem Boleslai Calisiensis Ducis, cum certis nobilibus fugam exercentibus venit. Referebant postea milites Casimiri Cuiauiensis, tanto se pauore, dum illos Boleslaus Calisiensis inuaderet, correptos fuisse, ut circa singulas nemoris arbores, ingentes hostiles copias arbitrarentur. Consistere non quierunt, tamen hac clade perculsus Casimirus Cuiauiensis Dux, Sterraboldum Cruswiciensem, et Nicolaum Calisiensem Palatinos, Simonem presbyterum fratrem Sterraboldi Palatini Cruswiciensis, pluresq alios nobiles, in colloquium euocatos, captiuos suos in Solkonensi clade captos liberaturus captiuat, et in oppido Palogi ad Ducatum et dominium Boleslai Calisiensis Ducis pertinente, nouum castrum aedificat, et per milites, in illius praesidium a se locatos, vicinam oram spolijs et direptionibus infestat. Tulit autem Boleslaus Calisiensis Dux tot et tantas Casimiri in se et suos depromptas iniurias, sed die sexta Octobris cum Boleslao Pudico Cracouiensi et Sendomiriensi Duce patrueli, fratre Ruthenorum et Comanorum habentem solatia, et Semouito Masouiae Duce germano eiusdem Casimiri Cuiauiensis Ducis fratre oblatissetis suorum Ducatuum iniusti finis, merito illum infestum et exosum habentibus, et qui contra Casimirum Cuiauiensem velut communem pestem et publicum hostem foedus et societatem pepigerant. Item cum Romano filio Danielis Regis Russiae, quem in sui solatium Semouitus Dux Masouiae cum Ruthenorum exercitu adduxerat, terram Lanciciensem eiusdem Casimiri Ducis Cuiauiensis ingressus, in eius exterminium et vastitatem, tam incendijs quam spolijs et caedibus saeuiebat. Uniuersa autem Lanciciensi terra in miserabilem solitudinem et calamitatem etiam hostibus complorandam redacta, castrum in illa aedificarant, et vallis, fossatisq et victualibus munitum illud in fidem et potestatem Semouiti Masouiae Ducis commendatur. Quibus rebus Casimirus Cuiauiensis Dux qui alias et in factis et verbis superbo fastu tumebat, adeo humiliatus est, ut missis legatis sufferentias pacis ad diem Beati Andreae Apostoli duraturas a Ducibus praestandas expeteret, et in eodem Sancti Andreae die iuxta communium Baronum arbitrorum decretum, et castris occupatis et finibus se cessurum, et imperata a Baronibus se iureiurando spopondit impleturum.

Duodecimo Calend. Januarij Hedwigis Ducissa consors Boleslai Legnicensis Ducis et filia Comitis de Anhalt obijt

Exemplum Boleslai pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis Boleslaus pius Calisiensis Dux sequutus, alterum in civitate Gnesnensi foeminarum Monasterium Minoristarum seu Sanctae Clarae fundat, et villis, praedijs et introitibus ex fisco Ducali liberaliter dotat et libertat.

Principatibus suis Lanciciensi Cuiaviensi Casimirus Dux non contentus castrum Raciasz cum suo districtu ab Ecclesia Vladislaviensi et Episcopo Vuolimiro auferens, per iniuriam occupat et suae applicat ditioni. Vuolimirus autem Episcopus Vladislaviensis tam gravem iniuriam non ferens, Casimirum Cuiaviensem Ducem excommunicat, et terras suas Ecclesiastico subijcit interdicto. Confestimque ne per Ducem Casimirum impeti posset, Dioecesim suam egressus, in Cracoviensi Dioecesi apud Lagow morabatur. Dux autem Casimirus, cum in Episcopum non posset, in bona sua saevire caepit, et plures curias suas cum horreis et frumentis sub tempore Quadragesimali igni consumpsit.

Gnesnensis Ecclesiae electus Jannussius literis Nunciorum suorum Henrici Decani Posnaniensis, Egidij Archidiaconi Lanciciensis, et Przibislai Canonicorum Gnesnensium doctus, confirmationem suam ob statutum Alexandri Papae quarti, quo cavebatur quemlibet in sedem Metropolitanam electum, conspectui summi Pontificis praesentari oportere, in curiam personaliter transijt. Ubi repraesentatione summo Pontifici facta iuxta ante Dominicam Invocavit facta, et electio sua confirmata est, et ipse mandato Papae in illa die Dominica Invocavit consecratus, tarditatem priorem celeritate subsequenti Papa Alixandro pendente. In redeundo a curia eo incolumi evadente, nuntios suos Henricum Decanum Posnaniensem, et Przibislaum Canonicum Gnesnensem in Lombardia pestis absumpsit.

Expertes erant Cracovienses et Sandomirienses terrae cladium, quae inter Principes Poloniae agebantur, Sed hac quoque rursus in bellum atrox et plusquam civile bellorum [illegible], sive [illegible] actionis Germana; sive fatorum invidia

innuda id cauget, rarum et certum est, p extracta sunt.
Advenit namq; in illas statim post festum Beati Andreae Apo-
stoli, Tartarorum ingens exercitus, plures de solis Tartaris
quorum Nogay et Telebuga erant Duces, continens legiones
Hunc Ruthenorum et Lithuanorum Duces per suas gentis
et copias ingentiores fecerant. Qui dum Vistulam et caete-
ros fluvios gelida hyeme et glaciebus induratos facili
transissent, subito Sandomiriam perveniunt, et oppido San-
domiriensi incensis, Ecclesiisq; conflagratis, Sandomirien-
se castrum, in quod fere universa Sandomiriensis regio
cum coniugibus, pueris et fortunis Tartarorum adven-
tu vulgato, confugerat, corona cingunt, et nec ad quiescen-
dum aut colligendum animos ex subito pavore spacio
dato, illud nocte et interdiu oppugnant. A quo dum milites
Poloniae bvardio et resistentia repulsi fuerint, Vuasillko Dux
frater Danielis Regis Russiae germanus, Leo insuper et
Romanus filii Danielis, iidem videntes castri Sando-
miriensis difficilem et periculosam expugnationem exi-
stere, caduceatores ad Petrum de Crampa militem San-
domiriensem tunc Capitaneum mittunt, persuadentes ne
cum uxore, et filiis aliisq; omnibus eos qui in arcem ad se
confluxerant, servare posset, perdere et extrema pati con-
tendat, humiliatusq; potius, et tributum a Tartaris impo-
situm penditurus, in Tartarorum castra securus, quam
resistentiam de caetero facturus adveniat. Neq; per ca-
duceatores depromere contenti, etiam ipsi personaliter Pe-
trum de Crampa Capitaneum conveniunt, et iisdem quae
a caduceatoribus dictaverant, et amplioribus, illum velut
virum simplicem, et Ruthenicae vetustatis atq; fraudis pa-
rum gnarum, instatum, et circumvenientem, tam sibi quam
omnibus qui in castro erant securitate data, et quo magis
illis fidei inesset, treugis induciis aliquot pacta, in stativa tan-
dem Tartarorum, haud procul a castro consistentia, per
ingenuum fratrem Sbigneum et alios Poloniae milites magis
insignes illum cunctantem perduxerunt. Ubi cum Tartarorum
Ducibus adoratis, tributum solitum, quemadmodum inter
eum et Russiae Duces convenerat, penditurum obtulisset, nec
oblatione, nec adulatione, Tartari ad misericordiam moti, tam
Petrum de Crampa Capitaneum Sandomiriensem quam Sbigneum
fratrem suum et omnes milites Polonorum, qui secum una advenerant,
ferociter a Ruthenorum Ducibus quaerentes proditos, hospitali vio-
lata

lata fide captivant, et spoliatos verberatosque ad ultimum caesos capiti obtruncant. Cum valido deinde concursu et clamore ad castrum irruerent, quod vel solo imbellis agrestium infantium et matronarum turba, Capitaneum suum et alios suos milites et defensores audiens crudeli supplicio cruciatos, perterrita, castrum facile, non enim a quoquam defendebatur, irrupit, et omnes prius illic repertos, virginibus tantummodo et ingenuis matronis, pro explenda libidine reservatis, saevissime trucidant. Castroque rebus omnibus spoliato et incenso, clericosque, hominibus, quibus aliquorum feritas pepercerat, ad undas fluminis Vistulae grege facto impulsos, quia iam dexterae caedi defatigatae essent, aquis suffocant. Sed et homines languidos et valetudinarios ad Ecclesiam Sanctae Mariae confugientes laceratos necant. Fertur tantum tunc Christiani et Poloni cruoris barbarica rabie fusum, ut ex colle, in quo arx sita erat, in Vistulam fluvium more rivorum, quasi quodam torrente defluxerit. Ea caede Cracoviam perlata, Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux vehementi dolore manantibus lacrimis affectus, dum ad resistendum Tartarorum potentiis se imparem nosset, arce Cracoviensi in custodiam et defensionem Clementis Castellani Cracoviensis et militum atque civium Cracoviensium, qui omnes se in illam cum uxoribus infantibus et quibuslibet rebus contulerant, commendata, cum Kinga Ducissa et consorte sua in Ungariam abiit, illicque aliquanto degit tempore quousque intellexit Tartaros in sua redisse. Qui clade et spoliis Sandomiriensibus non contenti, Ruthenorum Ducibus et hominibus ducatum praestantibus, Cracoviam adeunt, quam etsi reperissent vacuam, in tecta tamen et homines valetudinarios qui fugere non poterant, ferro saeviunt. Multis quoque ex agrestibus utriusque sexus, in eundo et redeundo caesis, aut captivatis, in reditu insuper properi, multisque spoliis onusti, miserabilem secum captivorum ducentes turbam, miserabiles ejulatus et fletus emittentium, quod parentes, patriam et penates suos, amplius non essent visuri, in Tartariam nullam resistentiam experti, onusti praeda ingenti, tribus mensibus Poloniam populati, sub quibus plurimi captivi fuerant apud illos redempti, revertuntur. Multo maiori clade, maiorique caede et spolio in Polonos et Poloniam debacchati, quam dederunt milites Cracovienses et Sandomirienses ad Tursko et

Chmielh

Chmielik et Henricum Ducem Slesiae et Legniczam, non sine suorum strage et incruenta victoria, ante annos circiter decem octo conflixerant. Corpora eorum, qui in Castro Sendomiriensi fuere caesi, in Ecclesia et Cimeterio Sanctae Mariae Sendomiriensis condita sunt, et Ecclesiae illi, nuntiis Boleslai pudici Cracoviensis et Sendomiriensis Ducis, Prandotae Episcopi et Ecclesiae Cracoviensis, videlicet Bodzantha Decano, et Alberto Canonico Sendomiriensi interpellantibus, et quanta fidelium caedes per Tartaros illic edita fuerit, declarantibus, par indulgentia, quam Ecclesia Sanctae Mariae ad Martyres de urbe habet, per Alexandrum quartum concessa, Quam Polonicus populus magnam indulgentiam vocans, tanto cultu, tantaque veneratione, extunc et modo prosequitur, ut ad inveniendum illas, pro die secunda Junii, quasi etiam reliquias Martyrum tunc a Tartaris occisorum honoraturus, singulis annis, quod nemini alteri Ecclesiae in Polonia regno contingere, in multitudine frequentissima accurrat.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS SEXAGESIMUS

Mendolphus alias Mendog sive Mindati Lithuanorum Princeps et quem fratres Cruciferi de Prussia frequentibus in Lithuania crebris expeditionibus usi, primum fidem Catholicam cum nonnullis Ruthenis et Lithuanis suscipere, deinde se Regem gerere induxerant, sub eodem anno quo Baptismi lavacro renatus erat, cum omnibus baptizatis, ad idolatriam et vomitum rediit. Huius Mendolphi, fratres Cruciferi de Prussia plures habent literas, quibus illis et eorum ordini, multipliciter se ab illis et honoratum et adiutum simulate et ficte magis quam iuste et vere astruens, plures terras, quae ditionis suae erant, videlicet Curonensem, Jaczwingorum, Samagitarum, Wirzen, et deinde totam terram Lithuaniae donatione perpetua et irrevocabili largiter, donavit, et inscribit. Potestatis suae in idolatriam reversionis, vel principalis vel accessoria esse causa doloris magnitudo et poenitentia, quod a Cruciferis sive vactus, sive circumventus, tot terrarum donationem, quam rescindere conabatur, fecerat. Valido deinde exercitu ex Lithuanis, Ruthenis, Jaczwingis, Samagitis, et aliis lijs infidelibus nationibus secum sentientibus, qui triginta millia pugnatorum habuisse aestimatus est, congestis, Mazouiae terram hostiliter depopulandam clandestine et insperate ingreditur, et Simouitho Mazouiae Duce, qui nec spatium ad cogendum milites suos in arma habere poterat, pugnam cum tot barbarorum millibus committere propter evidens periculum detrectante. Mendog praefatus, et exercitus suus, in omnem Mazouiae oram, et eius incolas, crudelissime grassatus, et castrum Ploczense et militibus, et civitatem a civibus et defensoribus desertas esse reperiens, succendit. Caetera deinde oppida et villas totius terrae Mazouiae incendijs spolijs et caedibus vastant, et plures utriusque sexus homines captivos in servitutem cum ingenti pecoris praeda in Lithuaniam remisit. Terra autem Mazouiae pervastata, in Prussiam abijt, ubi Cruciferis castra tantummodo et munitiones tueri contentis urbes, quas Cruciferi extruxerant, flamma et caede delet et evertit, et Catholicos omnes illic repertos, caede passim lacerat, et obtruncat. Stragique horribili et ingenti in hominibus, quorum etiam crudelitatem suam et furorem demonstraturus, aspernabatur captivitatem, edita, pecora tantummodo et spolia in Lithuaniam reduxit.

Boleslaus Pius Calisien Dux unam maiorem ex quatuor filiabus Premislai Ducis olim Posnaniensis, germani sui, nomine Constantia, Conrado Marchioni de Brandeburg alias Sgorzelicz, matrimonialiter desponsata, pro dote, quam secum virgo Constantia latura erat, castrum et Castellaniam Santhocensem non sano usus consilio, et integritati Regni Poloniae, cuius ea re laesissima agebatur, parum prospiciens, donat, obligat, et inscribit. Ab eoque tempore castri et Castellaniae Santocensis alienatio exorta, longam palaestram Polonis et Saxonibus utrisque pro illius adeptione et proprietate admitentibus, ex qua et multum sanguinis fusum est, et dispendia sunt inde sequuta in hanc usque diem. Reliquae tres sorores filiae Premislai connubia pertosae, Anna videlicet Veronica et Eufrosina, Trzebnicensis ordinis Cisterciensis primum sorores, deinde propter morum et virtutum praestantiam abbatissa. Ossita vero Gnesnensis Sanctae Clarae a patruo Boleslao Pio Calisiensis, ensi Duci fundatum Monasterium ingressi, feliciter illic obsequijs divinis mancipatae absumptae sunt.

Tartarorum validus exercitus Poloniam magna velocitate ingressus, castro et civitate Sandomiriensi conquisitis, multa hominum utriusque sexus millia illic reperta barbarie trucidant. Captivos pecorum more in Russiam impellens invalidos suffocarunt, foeminas speciosas et adolescentes in servitutem abduxit. Monasterium Zawichostense et Calvimontis vastant ad Cracoviam usque et Bithom, agendo praedam et strages captivitatesque hominum grassantur, et duobus mensibus integris in Polonia commorati, factis multis incendijs cum maxima hominum captorum et rerum praeda, per Russiam, Ruthenis et eorum Ducibus eis solatia ferentibus revertuntur, nullo multitudini Tartaricae audente resistere. Dux enim Boleslaus Cracoviensis in Ungariam se receperat, Prandotha Episcopus Cracoviensis in castrum Ratiboriense, milites et nobiles in arboribus aut sylvis degebant. Ad hanc vastationem Casimirus Cujaviae Dux Tartaros insimulatus est induxisse, quem Poloniae Duces propterea delere conati sunt, et multas ei iniurias et contumelias irrogarunt.

Treugis inter Belam Ungariae Regem ab una et Premislaum Bohemiae Ducem expirantibus, ab utroque in novum bellum occasione Stiriae, quam uterque sibi vendicabat, itum est, et magnis copijs varijsque nationibus gestum. Belam siquidem Ungariae Regem Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux velut gener socerum, Item Lestko niger Siradiensis Dux, Casimiri Cujaviensis et Lanciciensis Ducis filius, quem secum una Boleslaus pudicus in socii solatium adduxerat, Item Daniel Russiae Rex, et filij eius Leo et Romanus, Bulgari insuper Rasciani et Bosnenses, Przemislaum vero Bohemiae Ducem, Henricus Vratislaviensis, Vladislaus Opoliensis Duces, Ulricus Dux Carinthiae, Otto Marchio Brandeburgensis adiuvabant. Belâ autem Ungariae Reg. Moraviam ingressuro, et terram illam quam Bohemiam vastaturo, populationem suorum prohibiturus quarto Idus Julij Przemislaus Bohemiae Dux cum auxiliaribus, prope Thiben, ubi Morava fluvius miscetur Danubio, occurrit, et unam ripam Moravae Ungaris, alteram Bohemis

obsidentibus

observantibus, statim illic utrinque exercitus, usque ad diem Beati Joannis Baptistae, lacessentibus se invicem Ungaris et Bohemis, habiti sunt. A quibus Premyslaus Dux Bohemiae recedens, versus oppidum Lauua ire pergit. Quem Stephanus Belae Regis filius, aliqua parte copiarum a patre impetrata, facilius in itinere oppressurus, aggreditur. Ubi certamine inito Stephani exercitus, cum inferior quam Bohemus esset, cum omnibus Premislai Ducis potentijs decernens fusus fugatusque est, et ad reliquum exercitum quem Bela Ungariae Rex cum Ducibus auxiliaribus in castris continebat accurrens, in flumine Morava plures quam proelio amisit. Treuga deinde aliquot dierum interposita, pax inter Belam Ungariae Regem, et Premyslaum Bohemiae Ducem, per communes Barones tractata, et aequis conditionibus Bela Rege de iure cedente Stiriae composita et conclusa est. addita etiã affinitate quo diuturnior foret.

Andreas Episcopus Plocensis vocatus Gotek cum annos sex sedisset moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur. Cui a Capitulo electus, et Janussio Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus Petrus succedit, dictus et cognominatus Zyedych, nobilis de domo Serpentum, Canonicus Plocensis, de Semoviti et Casimiri Ducum Masoviae consensu

Castri Karszowin in monte Sancti Georgij erectione per Magistrum et Cruciferos Prussiae facta Pruteni et Lithuani barbari vehementer irritati pro illius exterminio, cum quanto maioribus potuerant copijs ire pergunt. Duobus autem exercitibus Prussiae videlicet et Livoniae, qui in defensionem castri advenerant, obviantibus, in die Sanctae Margaretae iuxta flumen Durben in Curlandia confligunt, et magna strage edita, et Henrico de Hornhusen, magistro Livoniae, item Henrico Marsalco Prussiae, et pluribus alijs Cruciferis occisis, ceteris vero in fugam versis, victoria barbari potiuntur, et tam castrum Karszowin, quam Heilsberg maceratis fame defensoribus acquirunt. Ad castrum deinde Kynsberg obsidione promota in ponte quem super flumen Pregor construxerant, plures numero a Cruciferis trucidati, obsidionem residui solvere coacti sunt. Helmericus Sextus Magister Prussiae succedit. Ex huiusmodi autem victoria Pruteni Neophiti in superbiam versi, pro Duce et Capitaneo ad idolatriam fide Christiana relicta, in vigilia Sancti Matthaei apostatarunt, et constituto sibi Glappino pro Duce et Capitaneo, correptis armis in omnes Christianos qui intra fines illorum habitabant, crudelissime saeviunt. Sacerdotes et ministros Christi et quoslibet Christiano charactere insignitos obtruncant, Ecclesiasque quaslibet igne consumunt, Sacramenta contaminant, sacris vasis et vestibus abutuntur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS PRIMVS

Lithuanorum et Ruthenorum, eorumque Principis, quem Cruciferi Regem appellare soliti erant, Mendolphi, enormem populationem et vastationem terris Masoviae et Prussiae illatam, ulturus exercitus Catholicus de terris Regni Poloniae, cruciferis, et Almanis, alijsque cruce signatis collectus, ad inferiores terras Prussiae, ad districtum Notangorum in festo Purificationis Sanctae Mariae, hoc enim aptius tempus stagnis, fluminibus, et paludibus, quibus ora Lithuanica ferax est, caeterisque liberis locis frigore duratis, aptius pro exequendo destinato operi visum est, convenit, et aciebus ordinatis terras Lithuanorum, Samogitarum, Jaczwingorum, et aliorum gentilium et idolatrarum intravit, terras ipsas vastitati et desolationi per caedem et incendia subacturus. Hiis autem quae in principio occurrebant, in stragem et flammas datis, cum residuum iter, quo in interiora Lithuanorum et aliarum nationum per virgetum penetrandum erat, vel devium et pluribus difficultatibus refertum esset, fames quoque pabulorum barbaris frumenta pauca serentibus, et haec ipsa in sylvis et paludibus occultantibus, crederetur tanto exercitui occurrere, quadrigis et impedimentis cum parva militum manu, qui ea tuerentur, relictis, ad inveditulum barbarorum itum est. Sed Lithuani, Rutheni et alij barbari in armis et potentia sua diffisi, animos ad fraudes et dolos converterunt, et ab exploratoribus suis docti, quae esset Catholici exercitus facies, quis tenor, quis ordo, milites qui ad impedimenta et sarcinas remanserant, omnibus copijs invadunt, resistentesque parvo negocio, cum Catholici respectu barbaricae multitudinis pauci forent, fundunt, et in ore gladij fere omnem turbam illic consistentem peri munt, et deleant, sarcinisque Christianorum potiantur. Quod dum Christiani pauci qui fuga evaserant nunciantibus persensissent, ad locum sarcinarum celeriter barbaros occupaturi revertuntur. Erat et barbaris paratus animus pugnam conserendi, propter quod et Christianorum reditum in sarcinarum loco operiebantur. Convenientibus Christianis et Barbaris fit durum certamen inter utrosque, et pluribus Coryphaeis suos adhortantibus, aequo Marte pugnabatur. Et licet magna turma barbarorum cecidissent, Christianis tamen primum pedem referentibus, mox etiam terga vertentibus, barbaris provenit iusto Deo facinora Christianorum plectente, victoria. Qui vicisse contenti, et locum insidiarum incidere veriti, profugientes persequi substiterunt. Quo effectum est, ut clades aliquanto minor, quam pro numero videretur. Cecidit autem in eo iniucundo praelio miles insignis Stinkel de Bitsen, genere Vestfalus, qui barbarorum cuneos transverberans, antequam medietatem attigisset, barbaricis frameis obtritus est. Cecidit et Comes de Reichever, et plures alii militaris et equestris ordinis viri. Sed et non parva multitudo viva in manus barbaricas venit, ex quibus dum iuxta suas nefarias superstitiones, Diis suis pro consequuta victoria oblaturi libamina, unum sorte deposcerent flammis cremandum, et sors in Hirczhalz civem Magdeburgensem cecidisset, beneficio quoque aliquorum barbarorum illum noscentium bis liberatus foret, tertia demum vice, dum illum sors deposceret, sponte se obtulit, et sacrilego ritu cum equo cui insidebat flammis crematus est.

Facta et Sponsione de restituenda Castellania Lamdensi iniuste occupata, Casimiro Cuiaviensi et Lanciciensi et Siradiensi Duci, de quibus inter illum et Boleslaum pium Calisiensem Ducem contractu duplici convenerat, non servanti; praefatus Boleslaus pius Calisiensis Dux, cum maioris Poloniae militibus hostiliter circa festum S. Bartholomei Apostoli terras Cuiaviae intravit, et illas vastare spoliisque afficere coepit. Ad quem etsi Casimirus Cuiaviensis nuntiis missis, restitutionem Castellaniae Lamdensis obtulit, Boleslaus tamen Calisiensis, illusum se iam altera vice respondens, non prius copias ex Cuiavia deduxit, donec medietas castri Lamdensis et castrum quod Casimirus Cuiaviensis aedificaverat, sibi et suis officialibus fuere reddita, et medietas Wolimiro Episcopo Vladislaviensi

Vladislao post sibi a quo tradenda fuit resignata. Sortitur et aliud Casimirus Cuiaviensis praefatus sub eodem tempore infelicitatis elogium. Duo etenim filij sui Lestko niger, et Zemomysl, quos de prima uxore susceperat, noverca sua altera patris sui uxore filia Suantopelci Pomeraniae Ducis. Falsum an verum, pro incomperto habebatur, quod illos veneno tollere conaretur, insimulata, patre discesso Semomysl Lanciciensis. Lestko niger Siradiensis terras et castra, munitionesque earum Baronibus et militibus terrarum praedictarum universali assensu et favore, tyrannidem patris eorum Casimiri, et iniustitias perosi, in eorum subiectionem concedentibus, occupant, et detinebant longo tempore occupata.

Succursum facturus in Prussia clade perculsis, Comes de Barbenge, cum sua militia, Prussiam advenit, et Sambienses caedibus et spolijs afficere coepit. Quem Sambienses in die S. Agnetis aggressi, dum otio suis copijs, comitem ipsum, pluribus suis occisis, captivant. Et postea castrum Heilsbergo obsident, quod magis a fame, quam ab eorum armis expugnatum, Cruciferis ex eo salvis discedentibus, consequuntur. Tria deinde castra, nomen Christianum exosi de terra eorum sident, videlicet Kreuczeborg, Baszberg, et Bartenstein, quae obsessi tanta fame macerati ut etiam dentes amitterent, barbaris dederunt. Quartum vero deinde Reyszl antiquam obsideretur, periculum, quod alij in tribus castris pertulerant, veriti Cruciferi, exustum deserunt.

Secta quaedam flagellatorum quamprimum ex Gallijs et Parisijs manasse ferebatur, errores multiplices et pravitates continens, in Almania mox coalescens, et fermentos suae perversitatis dilatans, etiam ad Poloniae regiones pervenit. Incedebant secundum formam sectam huiusmodi professi processionaliter, velatis capitibus, in claustralium more, corpori usque ad umbilicum denudati, flagellis quoque quadruplici corrigio connodatis et nodos habentibus in extremitatibus, unus alterius dorsum acriter caedebat. Agebant insuper stationes venias, genuflexionibus mirabilibus, cantum eo carmen quilibet iuxta distinctionem suae linguae inventum, cum ex varijs linguis et nationibus collunies ipsa conrecta esset. Mentiri insuper se quamvis non ordinati sed laici essent,

di

Ac quantumcumque enormibus peccatis confessione audita absolvebant, et poenitentiis solenniter introducebant, asserentes sectam suam et Deo placidam existere, et animabus propinquorum suorum etiam damnatorum in inferno existentium, et caelos possidentium, et suis dum obirent afferre maiores consolationes et profectus. Dum autem secta haec primum Cracoviam pervenisset, Ecclesiis visitatis, et velut poenitentiis expletis, illico de Cracovia, si Prandotha Episcopo ni celeriter inde recederent, carcerem illis comminante, se volvit. Sed et in ceteris Poloniae Ecclesiae Dioecesibus, Janussio Archiepiscopo Gnesnensi, et aliis Episcopis Poloniae, eorum errores detegentibus, et Principibus Poloniae, ne quis Polonorum errores huiusmodi sectaretur, sub gravi poena et bonorum confiscatione mandantibus, secta ipsa irrisa et spreta est, apud alia vero Regna igni et gladio deleta, errorque ceteris eius sectatoribus illam deserentibus, et quod laudabatur, execrantibus, subito disperiit.

Casimirus Cuiaviensis Lanciciensis et Siradiensis Dux, vix bello cum Boleslao Pio Calisiensi Duce, restituendo illi Landensem Castellaniam iniuste a se detentam, vix perfunctus, repente aliud aeque temerarium Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi movit, Lelovviensemque districtum usurpans, et suum asserens esse, castrum in colle oppido Lelovviensi proximo aedificat. Quod eo desidente Boleslaus Pudicus conquirit, et in suam redigit ditionem. Et quoniam Casimirus Dux rapere et occupare solitus erat aliena, iusto Dei iudicio promeruit ut perderet propria. Quapropter duo filii praefati Casimiri, Lesthkoniger et Semomisl in illum convergunt, et machinati hostilia Siradiense castrum subito intercipiunt, quibus milites universi Siradienses, spreto patre eorum Casimiro constanter adhaeserunt, tyrannidem patris perosi.

Quintodecimo Calend. Novembris Premislaus Bohemiae Dux, Margaritam Ducissam, contectalem suam, cum qua annos plures in matrimonio exegerat, et propter sterilitatis opprobrium, et quia votum Deo in Quedlinburgo Monasterio fecisse viro primo mortuo insimulata est, dimittit, et repudiat, et Cunegundam filiam Roscislai Ducis Bulgarorum, neptem Belae Ungariae

Regis accepit in uxorem, nuptijs solenniter in Possonio celebratis. Octavo vero Calendas Januarij die qui in natalem domini cadebat, et se in Regem Bohemiae et praefatam Cunigundem novam nuptam in Reginam, per Vernerum Maguntinensem Archiepiscopum procurant Pragae coronari. Vocatus per electores ad imperium, renuit, palam inter suos iactitans, pluris Bohemiae Regnum, quam imperium fore, nondum enim tunc Pragensis sedes excellentiam consequuta erat metropolitanam, sed erat Maguntinensi Archiepiscopo subiecta. Et Bohemiae Rex quoties Regnum vacare contingebat, procreatus et consecratus Archiepiscopi Maguntinensis coronabatur et inungebatur manu.

Octavo Calend. Junij apud Viterbium Alexander Papa quartus, cum annis septem et mensibus duobus sedisset, moritur, et in Ecclesia S. Laurentij Cathedrali Viterbij sepelitur. Cui Urbanus quartus natione Gallicus Trecensis Patriarcha Hierosolimitanus, ex terra sancta reversus, et a Cardinalibus concorditer electus, et in die Decolationis Beati Joannis Baptistae assumptus, succedit, qui exercitum Saracenorum Siciliam devastantium a Manfredo in patrimonium Ecclesiae inmissum, per Cruce signatorum exercitum, fugat, et regnum praefatum Siciliae, Carolo comiti provinciae, fratri Regis Franciae, ut a Manfredo illud reciperet, confert.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS SECVNDVS

Conglutinati in unum Ruthenum et Lithuani iam inter se pactis et liga foederati, cum omnibus potentijs et gentis utriusq. copijs hostiliter per syluas et nemora silenter et clandestine, quo facilius incautos fallerent, et opprimerent, in Mazoviae terras veniunt. Ducem quoque Mazoviae Semovitum Conradi in villa sua et curia Jasrounsko, alias Jasczow, vel Jaszczin, se tunc continentem, antequam fama eorum hostilis ingressus denunciari illi posset, nocte in vigilia beati Joannis Baptistae aggressi, occupant, et tam ipsum Semovitum Ducem, quam filium eius Conradum et milites una praesentes captivant, Ducalemq. suppellectilem diripiunt. Tantum an tum Ruthenorum in Polonos odium tunc expromptum est, et etiam saevirent in victos et deditos. Dux etenim Russiae Suarnus siue Suarno, missus ex sorore Danielis Regis Russiae, in Semovitum Ducem Masoviae truculentius plus quam carnificina debachatus, captum et ligatum, in Ruthenorum enim sortem venerat, capite miserabiliter obtruncat. Pari caede et carnificina in filium suum Conradum usurus, nisi sorte Mendog Duci, et Lithuanis, a quibus servatus, et anno eodem pecunia redemptus est, obvenisset. Baronibus et militibus Masoviae caede suorum Ducum et terrae suae hostili depraedatione ad quam peragendam Rutheni et Lithuani ex Jasowszko egressi se diffuderant, et novitate et atrocitate rei expergefactis, animos tamen non omittunt. Sed tam militaribus quam agrestibus in arma evocatis, alterius Principis indignam caedem ulturi, alterius liberationem effecturi, populationemque agrorum et tectorum suorum exustiones prohibituri, in campum descendunt, etiam cum periculo suo, neque enim respectu multitudinis hostilis instar et aequam habebant aciem, parati decernere. Hostibus itaque Ruthenis et Lithuanis Nonis Augusti in praedio et villa cui nomen Dlugosiedli consequutis, pugnam ineunt, certamineque fervente inter utrosque, quamvis Masoviae milites ad ultimum pro victoria, magnam in hostibus edidissent stragem, ad extremum tamen abundanti hostili multitudine, Masovitis fugere coactis, Ruthenis et Lithuanis cessit victoria, pluribus insignibus militibus Masoviae aut occisis aut captis. Post haec et captivitate Ducum et victoria elati, universam Masoviae oram et maiorem partem Cuiaviae in plures turmas et cuneos effusi peragrant, et hominibus cuiuscunque conditionis partim necatis, partim captis, immensas praedas ex pecore et aliis rebus agunt, et tam oppida quam rura succendunt, onustique praeda captivorum et rerum ingenti, in terras suas redeunt.

Conditionem miserabilem terrae Masoviae in solitudinem pene duplici attritam barbarorum redactam Boleslaus pius Calisiensis Dux miseratus, et precibus Gertrudis Masoviae Ducissae relictae olim Semoviti Ducis Masoviae frequentius repetitis, permotus, cum equestri et pedestri exercitu, architectorumque varia arte numero, et propugnatorum

loca

locorum atque victualium abundantia ad illam in festo S. Michaelis fecerit, reliquiasque eius ad se convenientes colligit, solatur, et quibus potest largitionibus, et donationibus reficit. Ad Plocensem deinde civitatem perveniens, castrum a barbaris exustum et deletum, forti et ingenioso opere readificat, fossatoque et vallis communit, et omnibus rite consummatis relictae Ducis Semoviti et filijs eius Boleslao et Conrado illud praesentat. Nec mediocri ob id efferendus tam laude quam memoria, qui opprobrium Polonicae genti abstulit, et ne natio et ora Mazoviae, a barbaris aut occuparetur, aut prorsus deleretur, sua liberalitate et benigna fatiga et impensa providit.

Signis varijs et prodigijs sanctitatem et splendorem, quibus Beatam Hedwigim Slesiae et Poloniae Ducissam, Henrici cum barba Slesiae et maioris Poloniae Ducis relictam, pro suis operibus et meritis insigniunt altissimus in Poloniae regno, et provintijs vicinis, longe lateque diffundentibus, Principes Slesiae, Vladislaus Salzburgensis Episcopus, Conradus Glogoviensis, Henricus Vratislaviensis, nepotes illius, Thomas Vratislaviensis Episcopus cum clero et Ecclesia sua permoti ad procurandam Canonizationem, impensa collata, Salomonem Archidiaconum Cracoviensem, Magistrum Nicolaum Scholasticum Cracoviensem, et Lewengerbertum Decanum Vuissegrodensem, Canonicos Vratislavienses, ad Urbanum quartum transmittunt. Quorum propositione per organum Salomonis Archidiaconi Cracoviensis in consistorio publico facta, qua genus, vitam, meritum, et miracula in vita et post mortem edita Beatae Hedwigis explicabantur. Urbanus Papa quartus, audita, gravitatem solitam servaturus, Volimirum Episcopum Vladislaviensem et fratrem Simonem ordinis praedicatorum, provincialem Poloniae, pro examinatione vitae et prodigiorum foeminae beatae deputat, et examen sumendum specialibus literis demandat. Continuatum autem fuit examen huiusmodi per Vladislaviensem Episcopum Volimirum et provincialem Poloniae Simonem usque ad annum Domini Millesimum Ducentesimum Sexagesimum quartum, cum anno millesimo Ducentesimo Sexagesimo Secundo Septimo Calendarum Novembrium coepisset.

Ruthenorum, Tartarorum, Lithuanorum, caeterorumque gentilium frequentibus et clandestinis in Ducatus suos irruptionibus

Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis Dux permotus, sanoque providens et praecavens opere, ne barbaris in dominia sua ex insperato irruentibus, ancillae Christi sanctimoniales in Monasterio Zawichostensi, a se fundato et dotato, aliquo a barbaris tractarentur probro vel ludibrio, Zawichostense Monasterium et sanctimoniales in eo degentes, de consilio Prandothae Episcopi Cracoviensis et Baronum suorum in tutiorem locum, qui Skala alias lapis Sanctae Mariae appellatur, tribus milliaribus a Cracoviensi urbe distantem transtulit, et oppido Skala in loco qui Stankow vocitabatur erigendo pro novo Monasterio adiecto etiam priorem donationem de oppidis, villis, decimis, lacubus, censibus, et libertatibus factam novis privilegijs et literis sexto Nonas Martij apud Cracov germana sua Salomea, Regina olim Galliciae, habitum et professionem ordinis et Monasterij praedicti sortita, precibus devotis innovat et confirmat, et incrassaturus priorem dotem villam Zarnowiecze et thelonia, item Ecclesiam Wentrogam cum decimis in Zarnowiecz illi annectit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS TERCIVS

Novam calamitatem, novamque depraedationem Rutheni et Lithuani terris Mazoviae anno superiori et clade apud Dlugosziedle et captivitate eorumque Ducum et militarium atque spolijs et ornamentis affluti, illatam, iterum illuc advenerunt. Sed dum desiderijs et spei eorum non responderet spoliorum quae se consecuturos non dubitabant, omnibus superiori anno incolis Mazoviae, vel in servitutem abductis, vel in loca sylvestria et munita recedentibus, effectis, in Castellaniam Lowiczensem ad Archiepiscopum Gnesnensem pertinentem, quam ab exploratoribus et transfugis didicerant integram esse, se conferunt, atque illuc concito gradu pervenientes, tam villas, quam Archiepiscopalis curias, hominibus et iumentis spoliatas, incendunt, et igni concremant, et praedam satis multiplicem rerum [illegible] et [illegible] in terras suas stomachando et superbiendo referunt. Eadem fere hiemis anni fratrum Cruciferorum de Prussia fuit fortuna, quos Rutheni barbari in castro Vurisemborg aggressi, in Mazoviam castro potiti fugere compellunt,

compellunt quos licet prosequi perseverassent, duce tamen eorum Dunay vulnerato persequutionem omittunt. Castrum demum Crenborg accedunt, quod obsidione per triennium continuata, fratribus Cruciferis, qui ex illo fugerant, trucidatis expugnant

Propiciaturus clemens Dominus Polonis in terra Mazoviae consistentibus, multifarie a barbaris iusto suo permittente iudicio ob multiplicata, et nunquam poenitentia delita scelera, afflictis, Litthuanorumq et Barbarorum in sua virtute dextera gloriantium superbam et durissimam temeritatem compressurus, dissidium intestinum, crudelesq discordias inter illos gliscere primum, mox etiam crescere, et adolescere permisit. Molesta enim et gravis fuit caeteris Litthuaniae Principibus Mendolphi, alias Mendog Litthuanorum Regis, qua sibi summam rerum usurpare conabatur, potentia, rati illam ni abrogaretur in suam calamitatem recidere. Quem primum conviciis apud vulgus, quod avito ritu relicto in Christianorum fidem concesserat, quod terras naturales Litthuanorum aeque sibi et illis communes, Cruciferis inscripserat, lacerant. Expost conspiratione facta Stroynats alias Troynat, secundus post Mendoglum, nepos suus, dominationem et principatum apud Litthuanos occupaturus, illum quiescentem per insidias obtruncat, et omnes filios suos in dolo, et rapit principatum

Quarto Nonas Aprilis frater Hanno de Sangerhausen octavus Prussiae Magister, fundat Monasterium Sancti Nicolai ordinis Praedicatorum in nova Thorun supra fluvium Mabra qui non longe a civitate erupit, Conferens pro dote fratribus domus praefatae in omnibus fluviis, stagnis, lacubus, et paludibus piscandi pro suo usu facultatem.

Solis Eclipsis eo anno in die Beati Dominici proveniens multos tristes in nonnullis regionibus in Bohemia causavit effectus, ubi a grandine et siccitate tanta orta est frugum caristia, et tandem fames, ut multi hominum utriusq sexus fame inedia perierunt

Annis duobus et medio Petrus Plocensis Episcopus, cum in Plocensi sede sedisset moritur, et in Plocensi

Ecclesia

Corbisia tumulatur. Cui Thomas succedit Tomka vocitatus, Canonicus Plocensis, et Ducis Casimiri Cancellarius, per viam compromissi electus, nobilis generis de familia et cognatione Prussorum ortum ducens a Janussio Gnesnensi Archiepiscopo, apud Corbsiam Gnesnensem, faventibus et consentientibus Semovito et Conrado Ducibus Masoviae, confirmatus et benedictus in ordinem Pontificalem.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS QVARTVS

Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux contra Jaczwingos barbaros, Ducatibus suis propter immediatam vicinitatem infestiores, et quod principatus suos frequentius lacessirent, bellum acturus, expeditionem omnibus suis terris indicit, et omnibus copiis apud Zawichost convenientibus, et ipse personaliter in bellum huiusmodi ire pergit. Est autem Jaczwingorum natio versus Aquilonarem plagam Mazoviae Russiae et Lithuaniae contermina sita, cum Pruthenica et Lithuanica lingua magna ex parte habens similitudinem et intelligentiam, populos habens immanes et bellicosos, et tam laudis gloriaeque avidos ut decem ex illis cum centum hostibus decernerent, ea sola spe illectos, quod post mortem et casum scirent suorum carminibus de fortibus factis se laudandos, quae res ~~ll~~ illis in eam perniciem versa, cum pauci a multis facile superarentur, ut sensim natio ipsa fere universa, cladium interiret exterminio, nemine illorum aut iniquam detrectante pugnam, aut pugna conversa fugere perseverante. Boleslaus itaque pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, fines illorum ingressurus, et acies ordinat summa cura, omnia quae disciplinam exigunt militarem providens, et milites pro contione vocatos in pugnam animat, pluribus ante certaminibus per suos milites cum hostibus commissis, expertus, quod cum hoste pertinaci, vincere aut mori destinato, pugnam propediem, neque enim Jaczwingos latentes, ut agri eorum ipsis inhabitantibus popularentur, esset intentus. Adhibuit et Boleslaus praefectos qui et ultimum cogerent agmen, et milites a signis et locis discedere vetarent, tam composito semper incedens densis agminibus, quasi hostes in conspectu forent. Neque illum opinio fefellit. Iaczwingi enim apud quos tunc maior inter Duces Comath Princeps erat, Polonorum audito adventu, in arma alacres insurgunt, et populationem suam prohibituri Polonis obviam veniunt. Decimo etiam Calendarum Julij excubiatores Boleslao denunciant hostes adesse, et eodem die Sole illucescente, adversus Boleslao tenenti stationem, Iaczwingorum se acies ad pugnam paratas ostendunt. Qua visa et Boleslaus Pudicus acies suas educit, et pugnam, alteris in alteros caeca et obstinata mente ruentibus, committit, et aequis viribus aequaque sorte pugna in horas aliquot prolata, cum Iaczwingi vincendi mira pertinacia pro victoria contenderent, Poloni multitudine freti recentes et incolumes in fessorum aut desideratorum locum subduxerint, acies tandem Iaczwingorum succumbit, ubi Princeps eorum Komath pugnam restituturus animosius pugnans a Polonis exquisitis pugionibus confoditur. Neque tamen Duce suo Komath caeso, neque prostrata confertaque acie reliquos Iaczwingos a praelio divertere coegit, sed ad extremum omnes caesi et obtriti sunt. Neque Polonis incruenta victoria fuit, pluribus aut desideratis aut vulnera gravia perpessis. Eo uno praelio omnis fere gens, omnisque natio Iaczwingorum adeo deleta et extincta est, ut paucis et his quidem pauperibus et agrestibus aut valetudinarijs, aut in ditionem Boleslai convenientibus, aut Litthuanis se commigentibus saltimus in nomine quidem Iaczwingorum extet. Terra eorum omni et pecore quo plurimum abundabant, caeteraque eorum suppellectili Boleslaus et exercitus eius potitus. Omnes baptismum suscipere et fidem Christianam profiteri iussit, detrectantes capite mulctari. Papaeque Urbano supplicant et in reliquijs gentis illius religionem Catholicam professis, Episcopatum instituerit, pro Neophytorum confirmatione et stabilimento. De quo in documento argui possimus mandatum Apostolicum Clementis Archiepiscopo super ea re factum habes infrascriptum

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei
Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi
Salutem et Apostolicam benedictionem

Ex parte dilecti filij nobilis viri Bolezlai Cracoviae et Sandomiriae Ducis, Ecclesiae Romanae devoti, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum contra Paganos Jararzonis, qui terris dicti Ducis confines existunt, per te ac suffraganeos tuos praedicari mandaverimus verbum Crucis, et tam per hoc quam etiam per exhortationem dilectorum filiorum minorum fratrum, quasi pro firmo speretur, quod iidem Pagani ad fidem converti debeant Christianam, ipsorumque terra Paganorum eidem Duci sit et asseritur ab Apostolica sede concessa, provideri aliquem ibidem Episcopum faceremus. Ideoque ~~firmi~~fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, eisdem Paganis, postquam ad fidem conversi fuerint Christianam, dummodo terra ipsorum infra alicuius Episcopatus limites non existat, aliquam personam idoneam, authoritate nostra, sine alicuius praeiudicio in Episcopum studeas deputare. Dat. Romae etc.

Nominis divini et ordinis praedicatorum religionem Casimirus Cuiaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux, in suis principatibus aucturus, Monasterium in oppido suo Brzestie Cuiaviensi fundat et erigit, et fratres praedictos a Provinciali Poloniae petitos, et ex Cracoviensi conventu assumptos, in illo locat, curamque illorum Ducali munificentia gerens, Ecclesiam pro illis erectam, calicibus, casulis, ceterisque clenodijs adornat.

Culmensis Episcopus Henricus ordinis praedicatorum frater, Ecclesiam suam Culmensem, quam saecularem repererat, in regularem Canonicorum regularium Beati Augustini transtulisse non contentus, iterum illam in Cruciferorum ordinem Metropolitano suo Gnesnensi Archiepiscopo ignorante, et inconsulto transmutat, et ritu Canonicorum regularium atque habitu abiecto, habitum atque ritum Cruciferorum ordinis Teutonicorum Sanctae Mariae, una cum Capitulo suo Culmensi assumit, Generali tunc Magistro Prussiae Helmerico et fratribus sui ordinis, ipsum et Capitulum suum ad transmutationem huiusmodi, tam prece quam persuasione impellente. Adhibita gratificatione et consensu Anselmi Episcopi Varmiensis tunc Apostolicae sedis in Prussia legati, in Culmine Februarij.

Castrum Bergfrid Prutenis barbarisque obsidentibus, Cruciferorum exercitus adveniens, in barbaros somno pressos irruit, et mille trecentis occisis, reliquos in fugam egit, castrumque Bergfrid, in eo aliquamdiu barbari detinuerant, eisdem abstulit. Reparato novo exercitu et fortiori, Pruteni terram Culmensem ingressi, spoliis ejus et caedibus pervastarunt. Contra quos Helmericus Prussiae Magister, cum Theoderico Marsalco dimicans, occisus succumbit, et barbaris praevalentibus, vires Cruciferorum, quadraginta etiam fratribus cum Magistro et Marsalco cadentibus, attritae sunt. In locum occisi Magistri Helmerici, septimus Magister Ludovicus de Baldensheyn substitutus

Bogussalus Posnaniensis Episcopus miserabilium personarum in civitate Posnaniensi calamitati pia miseratione compassus, hospitale infirmorum sub honore et titulo Sancti Spiritus, extra portas civitatis Posnaniensis fundat, iuxta fluvium Vuartha, cui et dotem aliquam de mensa Episcopali largitur. Tunc etiam Ecclesia Parochialis in civitate Posnaniensi fundata est, in honorem et titulum beatae Mariae Magdalenae.

Non defuit et hoc anno inter Lithuanos, sicut et nos, furor et caedes civilis, et intestina seditio, nam Mendog Rege Lithuaniae cum filiis suis a nepote Strojnath occisis, in solio Vuoisalk filius et Trojnatus consobrinus Mendolsi alias Mendog Lithuanorum Ducis occisi, necnon Mendolsi alterius, in Strojnath principem, qui Mendolso occiso summam rerum et maiorum apud Lithuanos principatum rapuerat, conspirant, et venationis tractantem aggressi, pluribus ante tormentis datis, et Mendolsi patris caede exprobrata cruciatum interimunt, principatum quem morte Mendolsi amiserant, recuperant. Quamvis enim praefatus Vuoyszalk in Monachum Russiae tonsus foret, deserta tamen religione, assumptis sibi Ducibus Lithuaniae in auxilium, patris necem ultum iri cupiens, Strojnath occidit, et sic dominium Lituaniae gerere coepit

Pro firmiori foedere inter Belam Ungariae et Premyslaum alias Ottokarum Bohemiae, Reges, iste glutino, Bela Dux filius Belae Regis Ungariae Cunegundim filiam Othonis tertij Marchionis Brandeburgensis ex Beatrice filia Venceslai et sorore Ottokari sive Przemislai Bohemiae Regum susceptam accepit in uxorem. Sed sponso Bela post biennium mortuo, praefata Cunegundis Duci nupsit Lumburgensi. Alterius germanae suae Methildis coniugium, Barnym Slavorum Dux sortitus est.

Cometes sive sydus crinitum et ignitum, tam largus et mirabilis, qualem nullus mortalium tunc vivens ante viderat, apparuit. Ab oriente enim cum fulgore surgens usque ad medium coeli versus Occidentem, comam perlongam protrahebat. Duravit autem aspectus eius citra tribus mensibus. Primoque ortus sui die Urbanus Papa languere coepit, et ultimo Cometes die, et ipse in Perusio ultima videlicet Septembris die occidit, cum annis tribus, mense uno sedisset. Ut non aliud Cometes ipse quam summi Pontificis vicinam mortem praemisse videretur. In Polonia tamen aliud effectum produxit, eo enim desinente animalium quadrupedum mortalitas sequuta est. Sepulturam autem Urbanus Papa apud Perusium in maiori Ecclesia iusta funeri Cardinalibus solventibus accepit. Qui celebritatem de corpore Christi a praedecessoribus omnibus suis neglectam instituit, Beato Thoma de Aquino Doctore, officium illius tam cognatis adaptante verbis, ut omnes veteris testamenti figuras Sacramentum corporis Christi repraesentantes contineat. Fuit institutio ipsa morte Urbani tunc imperfecta remansit.

Nuntij Priores ad procurandam Beatae Hedwigis Ducissae Poloniae, et Henrici cum barba relictae Canonizationem, videlicet Salomon Archidiaconus, Nicolaus Scholasticus Cracovienses et Berengerius Decanus Vuissegradensis, cum registro examinis testium et literis Commissariorum Apostolicorum Vuolimiri Episcopi Vratislaviensis, et fratris Simonis Provincialis Poloniae; in fine Augusti egressi, Perusium venientes, Urbanum quartum absumptum offenderunt, De quo non mediocriter consternati dolore, cum ocia ad maiorem difficultatem sua negotia viderent morte Urbani recidisse, substiterunt tamen alterius praestolari. Coacti sunt

Quintadecima Decembris Boguphalus Posnaniensis Episcopus in villa suae Ecclesiae Czarzyn alias Czemna moritur, et in Ecclesia Posnaniensi sepelitur. Cum annos decem in pontificatu exegisset, virtutibus, quas sibi Deus Optimus et natura contulerat, abusus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS QVINTVS

Multus et frequens Ruthenorum exercitus de singulis fere Principatuum variorum Russiae Ducum collectus, Suarnone tunc Russiae Duce cives in arma et sollicitante, et urgente, terras Sandomirienses Ducis Boleslai invasit, easque diebus aliquot spolijs rapinis et incendijs affligit. Interim autem Sandomiriensibus Baronibus, Duce etiam suo Boleslao, ne hostis rapta praeda evaderet, non consulto in aciem cum agrestibus, ut speciem maioris exercitus Ruthenis ostenderent, descendunt, et opportunitate capta cum Ruthenos sparsos et pallantes per agros, praedationibus et spolijs operam dantes advertterent, in illos irruunt, et facili negocio paucos pugnam cientes fundunt, et prosternunt. Caeteros metu nimio perculsos, et in fugam conversos captivant, aut interimunt. Magnaque caede in hostes edita, omnibus quae rapuerant recuperatis, insignem de Ruthenis omnibus commeatibus ijs castris, spolijs, potiti, victoriam referunt.

Lestko niger Dux, a patre suo Casimiro Cuiaviensi et Lanciciensi Duce emancipatus, Ducatumque Siradiensem, patre Casimiro concedente pro sua portione sortitus, a Boleslao pudico Cracoviensi et Sandomiriensi Duce, velut frater patruelis germanus ipsius, adoptatur in filium. Qui illum speciali privilegio, et literis, suorum omnium Principatuum haeredem instituit, et ipsum tantummodo sibi, in omnes suas terras, Ducatus, et dominia, mascula virili deficiente sibi et Consiliarijs suis asserebat, Principem successurum decrevit. Qui etiam niger Lestko virginem Gryphinam Rostislaui Ducis Ruthenorum filiam, Duce Boleslao pudico Sandomiriensi affinitatem conciliante, quo terrae suae quietiores essent, accepit in uxorem. Apparatuque in

Siradiam

Jtearum cum magna solemnitate in castro Gnesnensi exactus est. Quod Boleslaus pius sub eo tempore novis et firmissimis aedificiis, universum montem complexus, instauraverat

Nona Januarij Elizabeth relicta olim Przemislai Posnaniensis Ducis, filia Henrici Ducis Slesiae a Tartaris occisi, in villa sua dotali Modrin defuncta, et Posnaniam relata, in maiori Ecclesia sepulta est, faemina rara religionis, et sanctimoniae, in Ecclesias Dei et personas religiosas munifica et liberalis

Conversionis Beati Pauli Apostoli, pro eligendo altero Posnaniensi Episcopo instituta adveniente die; Petrus dictus Pietrzik Praepositus Posnaniensis nobilis generis, filius militis Drogoslai de Sovrcun, de genere et nobilitate Habdank via scrutinij in Episcopum Posnaniensem concorditer electus est, qui etsi electionem suam Janussio Gnesnensi archiepiscopo in Znenia praesentata, eam petiisset confirmari, Janussius tamen Gnesnensis Archiepiscopus favens Falatsa Decano Gnesnensi, quem Boleslaus pius Dux Calisiensis et Gnesnensis, et consors sua Ducissa Helena ad Episcopatum Posnaniensem magnis instantijs promovebant, Pietrziconi electo literarum et praesertim Canonum imperitiam obiecit, Propter quod Decanus Posnaniensis Joannes filius Vostconis militis, veritus ne a Gnesnensi Archiepiscopo Pietrziconis electio cassaretur, in appellationem prorupit, sed intra dies paucos, et suo electo et appellatione desertis, Falatsa Decano Gnesnensi adhaesit. Inter haec Capitulum Posnaniense, Pietrzicone electo languide in sua electionis prosequente, aliam electionem, quod ipsum quoque sacrum sensati factum videbatur, iam enim eligendo Pietrziconem, iure suo erat perfunctum, Pietrzicone electo de iure electionis cedente, celebrans, Joannem Archi~~episcopum~~ diaconum Posnaniensem virum literatum et virtuosum eligit. Is quoque Gnesne Janussium Gnesnensem Archiepiscopum, pro sua electionis confirmatione interpellans, repulsam sed instar passus est, allegante Archiepiscopo, alium electum extare. Cum demum nova appellatione interposita, causa ad Curiam devoluta esset. Qua non obstante Janussius Gnesnensis

Archiepiscopus Falislaum Decanum Posnaniensem in oppido Pyzdry altera appellatione, quam Capitulum Posnaniense a confirmatione et consecratione praefati Falislai interposuerat, et Janussio Gnesnensi Archiepiscopo per Nicolaum Vicarium Posnaniensem vocatum collectam insinuaverat, et confirmavit, et benedixit. Verum cum Papa Clemens quartus, et Falislai confirmati per Gnesnensem Archiepiscopum etiam a suo se praesentis, et Joannis Archidiaconi Posnanien. el. dominum eli sentiret, utraque quoniam tantummodo merum factum et a iure Canonico abhorrens continebat, cassata, Nicolaum Scholasticum Cracoviensem Canonizationis negocium Beatae Hedwigis tunc prosequentem extulit et promovit in Posnaniensem Episcopum, et in Viterbio ubi tunc agebat mandavit consecrari. Sicque tribus de Episcopo Posnaniensi contendentibus, quartus et ipse insuspicabilis, et propositalis completur Scriptura, rapuit diadema, nobilis et natione polonus de domo et familia

Castrum Santhok, neglectu vulgato a militibus Poloniae custoditum, Saxones ingressi comprehendunt, et Conrado Marchioni Brandeburgensi, velut consorti suae Constantiae Premislai Ducis olim Posnaniensis filiae, munus dotale praesentant. Sed Boleslaus pius Calisiensis Dux graviter se captione castri praefati afficiens irritatum, collecto exercitu, ad expugnationem illius contendit. Verum antequam illuc pertingeret, per communes Barones mediatio interponitur, Contra duoque Marchiones cum Boleslao pio convenientes, captatur Conclusio, ut Boleslaus Dux Calisiensis castrum suum Santhok, Conradus vero Marchio alterum castrum suum Drdzen velut sibi despondenda, raptoribus vero et furibus profectum afferentia, demoliat, quod tamen utrique prout inter illos convenerat exequutus est.

Pridie Nonas Septembris Conradus tertius filius Henrici cum barba et Beatae Hedwigis obijt.

Ecclesia Romana dum post obitum Urbani quarti mensibus quinque ob discordiam Cardinalium vacasset, tandem quinta Februarij Guido Fulcodij natione provincialis de villa S. Egidij Cardinalis Episcopus Sabinensis licet absens electus est, et quartus Clemens vocatus, vir magnae probitatis, et exempli, qui omnem statum mundi expertus fuerat, et in quolibet gratiose et virtuose se gessit. Primo quidem uxoratus, coniuge vero defuncta Aniciensis Episcopus, inde Narbonensis Archiepiscopus, per Urbanum quartum in Sabinensem Cardinalem Episcopum promotus. Ad pacificandam Angliam bello aspero inter Henricum Regem et Simonem comitem montis fortis concitato ferventi missus, abinde sub dissimulato habitu Perusium propter guerras et itinera reuersus, vix cum lacrimis Cardinalium vinci potuit, ut Papatum assumeret. Quo assumpto in Viterbium cum curia concessit. Sic vigilys, ieiunys, et orationibus, ac alys bonis operibus intentus, quod multas quas tunc Ecclesia Dei sustinebat tribulationes, Deus suis meritis creditur extinxisse.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS SEXTVS

Iniustam indignamque necem fratris sui Patruelis germani Semouiti Masouiae Ducis in Iaszounsko per Suarnonem Russiae Ducem nepotem ex sorore Danielis Regis Russiae factam, acerbissimo more irrogatam, Boleslaus pudicus Cracouiensis et Sendomiriensis Dux ulturus, frequentes quoque eiusdem Suarnonis in terras Poloniae inuasiones et insultus repressurus, expeditionem omnibus terris suis contra Russiam indicit, quam per Petrum Palatinum Cracouiensem Consiliarys suis id consulentibus administrat. Copys itaque apud Kopierze conuenientibus, in terram Suarnonis itum est. Veritus autem Palatinus Cracouiensis Dux belli ne si qua clades exercitui accideret, aut minus prospere belli successus respondisset, sua id temeritati et negligentiae accidisse insimularetur, nihil nisi de consily sententia egit, et tamen dignitarys una praesentibus et signanter Ianussio Palatino Sendomiriensi, his quoque qui ducebant ordines, de ratione belli singula communicauit. Curam quoque exactam tam de statiuis quam de progressu et pabulatione praestitit, quam quousque feliciter reditum est non remisit. Ingredienti Russiam Polonorum exercitui, et ferventius stativas agenti, Dux Suarno, cum magno Ruthenorum et Tartarorum exercitu, in loco qui Pietha dicitur, feria sexta, decima octava mensis Junij occurrit. Castraque sua haud longe a castris Polonorum, speculaturus eorum potentiam, locat. Et illo quidem die exercitus Polonorum, a praelio, crastinum operiens, abstinet credens diem illum in quem Sanctorum Gervasij et Protasij Martyrum cadebat gloriosa celebritas, et sibi salubrem, et felicem, ac Ruthenis fatalem. Eosi quidem die cum Romano Ruthenorum Duce suisque ingentibus copijs ad oppidum Zawichost feliciter superioribus annis pugnaverant. Sabbato itaque Sanctorum Gervasij et Protasij die illucescente, et Palatinus Cracoviensis Polonos, et Suarno Ruthenos in aciem producit. Et Ruthenis quidem sagittarum imbrem, Polonis tela primum iacientibus infestis animis concursum est, et acriter ab utrisque pugnatum. Superior tamen acies Polonorum esse coepit. et in medios hostes irruita, maximam in hostibus stragem edidit. Suarno etsi non ducis solum, sed et militis opere usus, brachium et labantes suorum acies in aliquot locis restituisset, ad extremum tamen et ipse caesas, et raritatem suorum acies videns, in fugam, ne in Polonorum veniret manus, prosilijt, passim deinde caedes fieri omnibus Ruthenis in fugam versis coepta est, et non pauciores in fuga, quam in certamine, fugientes enim, Poloni in aliquot milliaria prosequebantur, interempti. Magnus et captivorum fuit numerus, quibus Poloni, satiati caede, pepercerant. Castra postea ac Ruthenorum omnis opulentia plena direpta sunt, et biduo in certaminis loco stativis habitis, Suarnonis terra populata incensaque, victorem Polonum exercitum et multiplicem spoliorum variae suppellectilis praedam referentem. Ex qua locupletatus est, Palatinus Cracoviensis, ovans et ipse, quod res ductu suo et auspicijs feliciter gesta fuerit, in Poloniam reduxit. Haec tantem clades adeo Ruthenos exterruit, domuitque ut Po

lonorum

Rutenorum terras posthac annis multis nunquam auderent contingere. Omnium autem hominum iudicio triumphus ipse tunc de Ruthenis relatus, non humanis viribus, cum hostes plusquam in quadruplo excedentes habuerint, sed sola propiciatione Divina, et suffragiis Ecclesiae, pro gente Polona, secularibus et impendentibus tunc sacrificiis, precibus, lachrimis, et observationibus interpellanti, Maxime tamen meritis Beatae Kingae Boleslai Ducis uxoris, creditus est provenisse; Cui oranti et incolumitatem victoriamque Polonicae genti de caelo dari interpellanti, duo viri in albis astiterunt, quorum oraculo de futura victoria Polonis propter suas intercessiones conferenda, certior facta est, et hi Sancti Gervasius et Protasius a nonnullis aestimantur.

Pactis et ordinationi qua Boleslaus Pius Calisiensis et Maioris Poloniae Dux de castro Santhok demoliendo et de caetero non reaedificando, cum Conrado Marchione Brandeburgensi genero suo anno superiore inierat, contraveniens Boleslaus Pius Calisiensis Dux, castrum minus Ducali, altero quod militum et agrestium pro conservando pecore, largioris spacii erat, neglecto, habens secum et pedestrium et equestrium suarum terrarum copias, Saxonum et Conradi Brandeburgensis Marchionis insultum et interruptionem veritus, aedificat, et infra unius mensis spatium affatim omni exercitu materiam aedificationibus qui et ipsi frequentes erant praebentibus, consummat, praesidioque militum castro imposito, et victualibus propugnaculisque proviso discedit. Sed abeunte Conradus Brandeburgensis Marchio prosequutus, castrum Santok obsidione vallavit, et ad illius expugnationem magna vi magnoque ardore animum intendens, adeo illud glebamque eius crudam et recentem tormentis et bombardis conterunt quatiuntque, ut ni succurreretur, expugnatio castri propediem erat futura. Certamen itaque Boleslaus Pius Calisiensis Dux et cum vicino et genero et genero abhorrens, militumque suorum, qui castrum defendebant, saluti et libertati providens, misso ad Conradum Marchionem Barnimbus, facta si spondit et resumpturum et servaturum. Et Conrado Marchione conditionem acceptante; castrum Santoch, dedito praesidio, in mandato Baronum Poloniae et Conradi Marchionis, eiusque exercitu inspectante exustum est.

Lithuanorum, Ruthenorum, et aliarum barbararum nationum exercitus in unum aggregatus, dum alias Poloniae terras timerent attingere, in Mazoviam irruerunt, et partem eam Masoviae quae invastata remanserat, vastant spoliis et incendiis, magnaque capta praeda, Boleslao et Conrado Ducibus exiguas habentibus vires et tantummodo castra et munitiones tueri valentibus, resistentiam non facientibus, in terras suas abeunt, facto etiam in Sloczham insultu

Vicesima prima mensis Septembris die, Prandota Cracoviensis Episcopus, vir vitae admirabilis et Canonizationis beati Stanislai precipuus effector et promotor, omnibus Sacramentis audiendo Missam praemunitus, religiose et devote circa noctis crepusculum moritur, et in Ecclesia Cracoviensi, apud capellam Sanctorum Petri et Pauli sepelitur, cum annos decem et octo in sede Cracoviensi absumpsisset. Electione autem per Praelatos et Canonicos Cracovienses super eligendo futuro Pontifice celebrata, Paulus Canonicus Cracoviensis nobilis genere de domo Poluhosza filius comitis Jaszconis de Przemalow, Boleslai pudici Ducis Cancellarius, concordi electionem per viam compromissi inita ab arbitris septimo die Octobris in Episcopum Suffectus, et anno eodem a Metropolitano Janussio Gnesnensi Archiepiscopo in die Sanctorum

ctorum Simonis et Iudae in Uniejow confirmatus, anno vero sequenti in Lubusz in Dominica Reminiscere in Episcopum per eundem Archiepiscopum consecratus. Cupiebat autem praefatus Prandotha Episcopus Cracoviensis vir sane optimus, et multis virtutibus clarus, dudum dissolvi, et ex hac malorum sentina suum ad creatorem, ubi aevo fruatur sempiterno, proficisci.

Henricus Slesiae et Vratislaviensis Dux filius Henrici a Tartaris occisi, etsi pro omnibus annis ex quo divisio sequuta erat paternorum ducatuum cum germano suo Vladislao Salczburgensi Archiepiscopo, quem sibi portionis habuit consortem, concordem egisset vitam, nonnullis tamen militibus, qui et Henrico praefato toxicum ministrasse insimulati sunt, discordias serentibus, in eam animorum offensam irritationemque proruperat, ut Ducatum Vratislaviensem separare scinderent. Henricus autem Dux propinquam sibi ex diuturno languore et veneno sentiens mortem adesse, fratre Vladislao Archiepiscopo Salczburgensi accito, duplicem prolem, quam ex Iuditha filia Conradi Ducis Mazoviae prima uxore sustulerat, videlicet Henricum filium, et Hedwigim filiam, nondum pubertatis annos transgressos, et consortem secundam Saxoniae Ducis filiam, quam superduxerat prima obeunte, una cum Vratislaviensi Ducatu, obsecrans eorum gerere curam, commendat, omnibusque Sacramentis procuratus decedit, et in Monasterio Sanctae Clarae sepelitur, Nonis Decembris absumptus.

Absumptus est fere sub eodem tempore Schismaticus princeps Daniel Russiae Rex duos filios relinquens videlicet Leonem et Romanum, qui dudum scelere perfidiae in Deum fuerat inquinatus. Qui spondens se Ruthenico ritu abiecto, veram religionem et unionem, atque dogma Catholicae Ecclesiae et Romanae cum omni sua gente sectaturum, adeptus coronam, qua fuit ob eam fidem et devotionem mandato Apostolico insignitus et Rex appellatus, ad vomitum rediens, in Ruthenicum ritum, a Catholica religione apostatans redijt. Extant in Ecclesia Cracoviensi Alexandri quarti, quibus illum de hac apostasia arguit, originalis litterae, quarum tenor talis est.

Alexander Episcopus servus servorum Dei
Danieli Regi Russiae timorem divini nominis et amorem

Inter alia quae nobis ex iniuncto apostolatus incumbunt officio, animarum nos convenit praecipue invigilare saluti, ut eas Regum Regi qui nos illarum licet immeritos voluit praeesse regimini lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia non est Deo acceptum obsequium quod sine fide praestatur, nec proveniunt operum efficacia ad salutem, quod sine firmitate fidei non consurgit, ad propagandam eam et corroborandam in mentibus omnium, et specialiter Regum et Principum, intentione tota, omnique sollicitudine ac verbi et operis efficatia, laborare debemus, ut Christiana religione latius diffusa per orbem, patris aeterni filius, multiplicatis cultoribus plenius honoretur. Sane tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, quae, postquam etiam renatus fuisti fonte baptismatis, oculos tuae mentis involverant, ad lumen Catholicae fidei, sine qua nemo salvatur, et ad obedientiam Ecclesiae Romanae non sine divina inspiratione redire, iuramento praestito promisisti Ecclesiae praedictae tanquam filius obedire, ac fidem Catholicam, sicut alij orthodoxi mundi Principes observare, propter quod Ecclesia eadem volens te in sui devotionem congruis favoribus, et condignis gratijs confovere, firma personam tuam ad Regalis dignitatis apicem sublimavit, faciendo te inungi sacri chrysmatis oleo, tibique imponi capiti Regni Diadema. Sed tu sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione pervenit, tam spiritualium, quam temporalium beneficiorum ipsius Ecclesiae immemor, tantaeque gratiae prorsus ingratus, praestiti iuramenti religione contempta, id quod circa obedientiam eiusdem Ecclesiae ac praedictae observationem fidei, promisisse dignosceris, observare postmodum non curasti, in animae tuae periculum, ipsius iniuriam fidei, Ecclesiae praedictae contemptum, et opprobrium Iesu Christi, Super quo tanto vehementius contristamur, quanto ferventius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus eiusdem fidei longius latiusque diffusus, continuum auctore domino, suscipiat incrementum. Volentes igitur Apostolicis apud te super hac insistere monitis et ad veritatem quae Christus est prius te persuasionibus revocare, ac sperantes, quod te graviter contra Dominum, et eius Ecclesiam deliquisse considerans, condigne poeniteas, et errorem tuum corrigere studeas per teipsum, magnitudinem tuam monendam duximus, attentius et hortandam, quatenus ad tuam memoriam revocans, quanto studio quantaque sollicitudine, circa exaltationem tuam, sedes Apostolica laboravit, considerans etiam, quod non Ecclesiam, sed teipsum decipis, tuum in hac parte promissum damnabiliter non servando, perditionis viam, qua gradieris, non differas abiurare, et id quod de ipsius observatione fidei, et praedictae Ecclesiae obedientia, iuramento praestito promisisti, inviolabiliter observare procures. Ita quod nos tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfusi laetitia, dulcia ipsius Ecclesiae ubera, quae copiose dudum in multorum beneficiorum perceptione suxisti, tibi tuis exigentibus

meritis

mentis affectuosius porrigamus. Alioquin ve-
nerabilibus fratribus nostris, Olomucensi, et Vra-
tislaviensi Episcopis literis nostris iniungimus
ut te ad id per censuram Ecclesiasticam, appella-
tione remota, compellant, invocato nihilominus
contra te auxilio brachii saecularis. Non obstan-
tibus aliquibus literis apostolicis, cuiuscunque
tenoris existant, per quas effectus praesentium
impediri valeat vel differri, et constitutione de
duabus dietis edita in concilio generali. Datum
Lateran. Idibus Februarii, Pontificatus nostri
anno tertio.

Et sub eodem anno Poloni in magna mul-
titudine glomerati vastant terras Russiae, et Ruthe-
norum principes atque exercitus cum illis decernere
audentes confligunt

Fratres Cruciferi a Prutenis barbaris
hostiliter invasi gravi caede confliguntur, et Dux
exercitus fratrum Henricus dictus Stange, Commen-
dator in Crisburg occiditur.

Canonizatione Beatae Hedwigis Ducissae
Poloniae, et relictae Henrici cum barba, Ducis Vra-
tislaviensis, et propter mutationem variationemque
sedis Romanae, et emergentium rerum occupatione
in annos aliquot dilata, dum nuntii ad id missi
inter spem et metum positi, ob varias difficulta-
tis crebritudinem interpositas, quadam distinerentur
tristitia et desperatione, apparuit cuidam eorum
Salomoni videlicet Archidiacono Cracoviensi per
quietem Beata Hedwigis, et blande consolatum
de expeditione Canonisationis suae hilarem ac
certum esse iussit, et diem quo proventura erat, prae-
dixit. Qua visione caeteris recitata, cum impen-
sius sollicitare factum coepissent, et non tam testi-

monio

meno Dominum absentium per Commissarios Apostolicos receptorum, veruntamen multorum in curia praesentium usi, frequentius Papam Clementem de ipsius Canonizatione et coetum Cardinalium fatigerent, Consentientibusque Cardinalibus fere omnibus, solus Papa Clemens tum maiori maturitati gravitatique negocium astringens, rem in dies ex ratione differret, Sanctitatem beatae novo aliquo signo experturus. Susceperat autem ex legitima coniuge, dum sortis adhuc Laicalis esset, filiam, quae debilitate oculorum contracta, lumine perdito per annos plures caeca erat, Inter Missarum etiam solemnia, et suas ad Deum fusas observationes Clemens Papa orare non desijt, ut si Beata Hedwigis tam praecelsi meriti quemadmodum narrabatur esset, filiam eius caecam, sanam et videntem efficeret, Nec multis lapsis diebus accepto nuntio, filiam suam puritatem videndi percepisse, evidentissimo rectificatus signo foeminam beatam Hedwigim Poloniae Ducissam mirae devotionis et flagrantissimi in Deum amoris viduam, in Ecclesia fratrum praedicatorum Viterbij decimooctavo Calend. Decembris, Sanctorum ascribens Cathalogo canonizat, die, quem Sancta Salomonis Archidiacono Cracoviensi per visum praedixerat. Cuius Canonizationem sequuta, pronepos Beatae Hedwigis Vladislaus Vratislaviensis Dux et Salczburgensis Archiepiscopus, capellam in Monasterio Trzebnicensi, in parte Australi penes Chorum sumptuoso opere ex muro aedificat et exornat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS SEPTIMVS.

Quo

Guido ordinis Cisterciensis Sanctae Romanae Ecclesiae, et Sancti Laurentij in Lucina praesbiter Cardinalis, et Sedis Apostolicae de latere legatus, a Clemente quarto, Poloniam missus, primum Cracoviam, quinto Calendas Julij venit, a Boleslao pudico Cracoviensi, et Sandomiriensi Duce; Item Paulo Cracoviensi Episcopo et processionibus omnium Ecclesiarum honore legationis exceptus est. Ex Cracovia Vratislaviam divertit. Ubi Sinodum generalem provincialem in festo Purificationis Sanctae Mariae tenuit, ad quam cum Ianussio Archiepiscopo Gnesnensi, Paulus Cracoviensis, Thomas Vratislaviensis, Volimirus Vladislaviensis, Nicolaus Posnaniensis, Thomas Plocensis, Vilhelmus Lubucensis, Henricus Culmensis, et alij Poloniae Ecclesiae Episcopi et Ecclesiastici convenissent, Guido Cardinalis et legatus Apostolicus, terrae sanctae oppressionem longo sermone exponens, et succurri illi celeriter dignum decernens, subventionem clero Poloniae dari sibi, et laicalem populum ad contribuendum de facultatibus suis, et anni Iubilaei gratiam percepturum pro huiusmodi opere sancto animari expetijt. Crucem insuper contra Saracenos terram sanctam occupantes in omnibus Ecclesijs praedicari mandavit, et singula tam expetita, quam mandata obtinuit. Constitutaeque fuerunt per maiores Ecclesias arcae in quas pecunia per eos qui iubileum mereri volebant inferebatur. Omnes Pontifices Poloniae Ecclesiae benigne appellans, et multipliciter honorans, in Paulum tamen Cracoviensem Episcopum favore et gratia utebatur propensiori

Leo Dux Russiae filius Danielis olim Regis Russiae, cum in principatum Russiae patre obeunte successisset, et tam opibus a patre relictis, quam gentibus suis potens esset, cum Woisalko Mendolphi, alias Mendog filio

Duce

Dux Lithuaniae pro terris Russiae quas idem Vuoysalk sui iuris facere nitebatur, in simultates et odia perveniens, praefatum Vuoysalk in quodam caenae se continentem circumventum obtruncat

Czechonow castrum Mazoviae per Prutenos barbaros capitur, et comburitur

Vicesima quinta Decembris Boleslaus Dux Legnicensis moritur, et in Monasterio fratrum praedicatorum in Legnicza sepelitur

Tertio Calendas Iunij Thomas Vuratislaviensis Episcopus in aetate grandaeva consistens, exactis in Pontificatu annis quinque et triginta, sub quibus bona Episcopatus sui notabiliter auxit et amplia[illegible]it, moritur, et in Ecclesia Vuratislaviensi sepelitur. Cuius ea erat apud praelatos et Canonicos Vuratislavienses reminiscentia et charitas, ut nepotem suum ex sorore Thomam, qui et ipse de nobili prosapia militum Poloniae erat, eligerent, rati illum avunculo, quemadmodum loco, sic et meritis successurum, Impedita tamen fuit eiusdem Thomae secundi confirmatio annis citra tribus. Vladislaus enim Vuratislaviensis Dux filius Henrici a Tartaris occisi Archiepiscopus Salzburgensis, per multas intercessiones, a Clemente quarto obtinuerat vacantem tunc Vuratislaviensem Ecclesiam cum usu et perceptione omnium eius fructuum ad tempora vitae suae conferri in commendam

Frater Guido tituli Sancti Laurentij in Lucina praesbiter Cardinalis Apostolicae sedis summi Pontificis Clementis Papae quarti in Polonia legatus, anno eiusdem Clementis Pontificatus secundo, committit abbati et Custodi Monasterij Sanctae Mariae Vuratislaviensis ordinis Sancti Augustini Canonicorum regularium longam litem et quaestionem periculosam, inter Vuolimirum Episcopum et suam Ecclesiam Vladislaviensem ab una, et Casimirum Lanciciensem et Cuiaviensem Ducem partibus ab altera occasione castri Raciasz quod idem Dux Casimirus occupaverat. Committit deinde Abbas et custos S. Mariae Vuratislaviensis

quarta decima

die Apostolis tribunali apud Wratislaviam antiquâ posito, partibus auditis, causam per compositionem in adiudicando castrum Raricznz cum suo districtu Wolimiro Episcopo, et suae Wratislaviensi Ecclesiae, dirimunt, Duci quoque Casimiro absoluto interdictum tollunt, et relaxant, quod propter occupationem dicti castri servabatur.

Quintodecimo Calendas Septembris die ad levandum ossa Beatae Hedwigis Ducissae Poloniae, superiori anno Canonizatae, ex tumulo, indicta advenienti, confluente innumerosa utriusque sexus ad Trzebnicense Monasterium in quo corpus eius sacrum conditum erat fidelium multitudine, Nicolaus Abbas de Lubens, et Mauricius Abbas de Camenz, cum praelatis et Canonicis Wratislaviensibus ossa sacra beatae Hedwigis de suo sarcophago efferunt, et lota vino, nonnulla et insigniora in thecam specialem in eodem Trzebnicensi Monasterio praeparatam reponunt, alia in Wratislaviensem Ecclesiam, caeteraque in Polonicas Ecclesias distribuunt. Testa capitis servicuata cerebrum nulla putredine tabefactum, sed omni ex parte sanum et integrum, quod et in hanc diem in Trzebnicensi habetur Monasterio, omnem integritatis tenorem observans, Item tres digiti dextrae manus, a corruptione salvi, parvulam ex ebore virginis benedictae Mariae gestantis imaginem, reperti sunt. Eam siquidem imagunculam vivens foemina beata Hedwigis in venerationem habens, et cultu singulari, ubique eam secum circumferre consueverat, lapsam demum fortuito et amissam, magnoque ob id gemens, cum vario scrutinio inquisita, reperiri nequiret, anxiata dolore, cum sub repertam dolabro bos eam gestans, foeminae beatae in aede sacra oranti, relatam porrexisset, tanta deinceps illam cura tanta sedulitatis tractabat observantia, ut vigilans, dormiens, cibans, et quicquid operis agens, ne quo casu iterum excidisset, eam compressavit, tribus digitis tandemque articulis, a quibus in vita gestabatur, In morte adeo infixa adhasit, ut nequaquam ex ijs repetito sapius et iterato labore, posset divelli, genitricis Dei, cui omnia vivunt, membris etiam exanimatis, gestus officio, in sepulchro, quo corpus cum imaginuncula claudi necesse erat, servitura. Elevationi autem ossium sacrorum unus tantummodo nepos suus germanus ex filio Conradus Glogoviensis Dux cum tribus filijs Conrado Henrico et Przemislao, cum praeter hunc, duo alij viverent Wladislaus Salczburgensis Archiepiscopus, et Boleslaus Calvus Legnicensis Dux superstites forent, interfuit, quos in dirum ex vicina, sed et remotissima ora iustum erat, et pro aviæ honore, et pro consequendo merito, tanto celebritatis spectaculo interfuisse.

Antiochia civitas insignis et una ex Apostolicis sedibus, cum per Soldanum Babilonicæ longa obsidione premeretur, tabefactis fame defensoribus capitur, cum ante annos aliquot, Hierusalem, iam non ferentibus regibus et principibus Catholicis, laboranti intus populo Christiano subsidia, capta fuisset. Et sic sensim consumitur terra Sancta a Saracenis in civitatibus et castris a Christianis possessis. De populo autem Christiano præfatæ Antiochenæ civitatis tunc captæ, horrendum et nunquam antea auditum factum est per Saracenos et exterminium et ludibrium, nullo crudelitatis genere omisso.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS SEXAGESIMUS OCTAVUS.

Decima mensis Novembris die Salomea virgo illustris Galatiæ seu Haliciensis regina, soror germana Boleslai pudici Cracoviensis Ducis, quæ sponso suo Colomano Galatiæ seu Haliciensi Rege, cum quo omnis carnis illecebra profligata, in virginitate et summa continentia convixerat, obeunte, religionem et ordinem Sanctæ Claræ professa in Zawichostense Monasterium se contulerat, Et Zawichostensi Monasterio ad Lapidem Sanctae Mariae abinde Skalam prope Cracoviam translato, in observantia regulari et rigore vitae, virginum domino annis duodetriginta nunquam a carni cilicium amovens servierat, Abbatissae officium gerens in Zawichostensi et in Lapide Sanctae Mariae Monasterijs moritur. Quae licet diebus septem remansisset insepulta, pro factore, qui cadaveribus inesse consuevit, suavis odor sanctimonialis corporis sui frequentantibus afflabat. Quarto demum Idus Novembris in eodem Monasterio de Lapide sepultum, anno sequenti quarto Calendarum Julij Cracoviam translatum, in Ecclesia Sancti Francisci fratrum minorum in Chori medio honore congruo humatum. Sed nec tunc quidem quamvis aestuanti Soli, ex cadavere poterat a quoquam illuc commeantium foetor sentiri. Sed et quaedam ex sanctimonialibus caenobij praefati Martha nomine, virgo religiosa, et grandaeva, pro constanti asserebat etiam tunc ex corpore suo et suavitatem fragrantisque odoris et stillicidium olei manasse. Quo multi aegrorum peruncti, integram se recepisse sanitatem testati sunt. Animam eius benedictam caelos in magno fulgore petentem, in visione vidit frater Boguslaus ordinis minorum, vir devotus, et religiosus, et Angelorum caetum canentem suavitate inenarrabili carmen, Frondent, florent, Aaron virgula. Qua in carmine posita, frequentibus suspirijs, lachrimis, et obsecrationibus caelestem sponsum cognatumque desiderabat, Illic degens normam provinciae conventuum secutus

Octava May Boleslaus Dux maioris Poloniae diem claudit extremum, et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur

Casimirus Conradi Cuiaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux morbo magis quam senio vexatus humanis eximitur, et in Vladislaviensi Ecclesia sepelitur, Duos filios reliquit Lesthconem nigrum et Ziemomislum alias Semovitum ex Constantia Ducis Vratislaviensis uiensis Henrici Secundi a Tartaris occisi filia superstites relinquens. Et Lestco quidem Niger a patre dum viveret Siradiensi Ducatu emancipatus Zemomislaum fratrem, residuos duos Ducatus videlicet Lanciciensem et Cuiaviensem passus est, quamvis sors sua inferior esset, possidere. Desponsaverat autem vitam agens Casimirus praefatus Dux Cuiaviensis Zemomyslao filio suo natu minori uxorem virginem Salomeam filiam Swantopelci Pomeraniae Ducis, ex qua successione temporum, tres filios videlicet Lestconem, Przemislaum, et Casimirum Duces Cuiaviae et Lanciciae, et duas filias Fennenam, quae Regi Ungariae Stephano nupserat, et Constantiam Trzebnicensis Monasterii Abbatissam, suscepit. Mortem Casimiri Ducis Cuiaviensis etiam castrum Bydgoscza quod ad flumen Brda in sorte Zemomislai et Cuiaviensi Ducatu situm est, defectio sequuta est. Tenutarius enim illius Tworzianus, genere Prutenus, et qui idolatria relicta fidem rectam professus erat, nulla necessitate actus, tantummodo sperans se largitionem grandem consequuturum, castrum praedictum Bydgoscza fidei suae creditum, Boleslao pio Calisiensi Duci tradidit. Sero tandem se perfidiam admisisse agnoscens, in desperationem versus, de consciscenda morte ratione inita, accito familiari ut se interficeret, imperavit. Qui iussa temeraria exequens, sponte cervicem tendentem mucrone alieno se inquinans scelere, praecidit. Erexit praefatus Boleslaus pius Calisiensis Dux tria alia castra sub eo tempore, unum quidem in villa zo comitis Sczedrici, quod appellant Dupin, alterum in villa Annunowici filii Trzebislai quod vocant Mieslusz, tertium in terra Rudensi sive Vielunensi super Prosnam, cui ex nomine suo Boleslawiecz nomen dedit, quod solum duobus prioribus dissolutis aicimus a Casimiro Secundo Poloniae Rege cocto latere firmatum tantummodo superesse.

Vltima Decembris diem vir vita sanctissima

Clemens Papa quartus magnus virgo et praedicator egregius diu carnibus abstinens, asperrimo lecto semper, vestibus vero lineis ad carnem nunquā in papatu utens Viterbij moritur, cum annis prope tribus sedisset, et in Ecclesia fratrum praedicatorum Viterbij honorifice sepelitur. Post cuius mortem scissis in varia vota Cardinalibus stetit Ecclesia Romana, non sine suo, et totius populi Christiani grandi dispendio, annis circiter tribus, pastore viduata.

Quartadecima Julij mensis die Swantopelcus Pomeraniae Dux moritur, et in Monasterio apud Olivam sepelitur, Mestwinum aliâs Msczugium, et Vuarcislaum, Samborium, et Ratiborum, quatuor filios relinquens, quibus in extremis agens dedit mandata, quatenus a guerra Cruciferorum movenda, quantum possent se continerent, In principes vero Poloniae omnem charitatem gererent, et in suis necessitatibus eorum solatia expeterent. Hi Ducatum Pomeraniae inter se quadrifarie partiti sunt, circa tamen Msczugium ratione maiorenni consensu Baronum Pomeraniae omnis superioritas et iussio relicta.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS NONVS

Zemomysl alias Semovitus filius Casimiri Cuiaviensis et Lanciciensis Dux principatum ex morte patris adeptus, mores et politiam Teutonicorum, fratrum videlicet Cruciferorum vehementer aemulatus, apud illos omnem iuventam transegerat, omnia quae sibi agenda erant cum illis communicabat, eorum sententiae et arbitrio singula permittens. Barones autem et milites Cuiavienses et Lancicienses, cum se contemptum et spretum iri a Duce suo Semomyslao acriter ingemiscerent, et nunc blandis, nunc asperis verbis usi, contemptum sui regiminis frequentius casso labore interpellarent, Zemomislao Duce nequiquam a communione Cruciferorum averso, militari murmure primum, deinde seditione gliscente, mox etiam saevior defectio exorta est. Quod unum omnes, ne ludibrio forent, Zemomislao Duce suo deserto, et omni obedientia atque subiectione eidem subtracta, a suo se principatu et dominio abiurant. Et quo diuturnior solidiorque esset eorum defectio, ad Boleslaum principem Calisiensem Ducem fasces deferunt, et illius reddita defectionis causa, profitentur non se hostem infestum pro Principe et domino, qui illos multiplici opprobrio vexaverat, de caetero habituros. Serius quam sibi expediebat Zemomislaus Dux sua transgressione in milites temeritate discussa, Boleslaum principem Calisiensem Ducem magnis fatigatum observationibus, donato insuper ei castro notabili fortis et ornatus sui Cruswicziensi permovit, quod et defectionem militum Cuiaviensium et Lanciciensium abnuit, et eos Zemomislao Duci, eo tamen pacto, ut Cruciferorum consiliis abiecto, eorum velut fulcra, probaturaque sectaretur, reconciliant.

Diuturna controversia quae inter Plocensem et Chelmensem Episcopatus, et eorum Pontifices super finibus Dioecesium agitabatur, per medium Vislai Wladislaviensis Episcopi et fratris Meinhonis de Querdenuort Magistri Prussiae generalis, octavo Idus Decembris intercepta et extincta est. Thomas siquidem tunc Plocensis Episcopus, ex sententia praedictorum arbitrorum parte Dioecesis suae, possessionibusque et decimis, quas in terra obtinebat Culmensi cedens, a Vernero Culmensi Episcopo pro compensatione et vicissitudinem villam Orzichow cum minoribus Episcopalibus et iurepatronatus, item trecentos mansos in terra Lubaviae suae Dioecesi Plocensi contigua, nondum tunc cultos recepit. Ex quibus temporis processu villae locatae sunt, Plognowy Colisica serenientis ditioni.

Audientes Lithuani inter Zemomislaum Cuiaviae Ducem et milites suos seminarium discordiarum irrepsisse, Iaczuuingis caeterisque barbaris accensitis, terram Cuiaviae quarto Nonas Septembris invaserunt, et pluribus spolijs conquisitis rapta praeda hominum et quadrupedum, illam, nemine obstante in Litthuaniam deduxerunt

Santhocensem Castellaniam Ottho Ottonis Marchio Brandeburgensis in proprietatem et ditionem suam, redacturus, castrum Sulencz inter oppida Regni Poloniae Miedzirzecz, et Lubusz propelle delicijs adaptata, cuius lignorum materia, et instructura ipsa a Polonis dissolueretur extruxit. Boleslaus autem pius Calisiensis Dux etsi structuram iam consummatam castri praefati Sulencz grauiter ferret, intelligens ex ea sibi et terris suis iacturam necessario eventuram portendi, abolitionem illius in aliud tempus differens. Oppidum suum Miedzirzecz fossis et vallis ligneisq propugnaculis quae Blanki apud Polonos vocantur, per circuitum communire caepit, reparari et aedificari se a Boleslao pio Duce Calisiensi. Ottho Marchio bellum, et illius gratia Miedzirzecz muniri ratus, cum hostili exercitu in Miedzirzecz irruens, et opus munitionis semiplenum offendens, spoliato oppido et suis dato in praedam, tamen illud, quam castrum munitionis opus, castro Miedzirzecz nequicquam expugnato, grauius ad illius conquisitionem amplissimi reditus invenit. Discedentem a Miedzirzecz mox Boleslaus pius Calisiensis Dux cum potentijs gentium suarum persequutus, dum consequi nequiret, terram omnem Lubucensem seu Lubusanam praefati Marchionis, igni et spolijs in girum vastant. Qua peruastata ad castrum Sulencz noviter a Marchione erectum copias duxit. Milites autem Polonorum ex scutis testudine facta, quamuis superne saxis crebris obruerentur, usq ad parietes castri irrumpunt, et glebatione securibus perfracta, igne et pinosa lignorum congerie admotis castrum succendunt et conquirunt In quo fere omnibus Saxonibus quos Otto Marchio pro praesidio illic reliquerat, igni consumptis, Sabul capitaneus cum paucis viris in manus Polonorum, insistentibus Polonorum militibus ignem, cui paulo ante nutrimenta adhibebant, venit, Praeda omnis armorum, equorum, et animalium in castris reperta militibus partita data est

Prodigium eo anno in Polonia regionibus frequentibus visum, nunciatum est. Duo enim exercitus armati et equestres acribus hostilibus et infestis inter se in aere et nubibus concurrere, et diurnum certamen gerere conspecti sunt. Quod ne periculum Reipublicae Polonorum portenderet, a devotis et religiosis viris Deo Omnipotenti supplicationes et obsecrationes factae sunt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXAGESIMVS

In castri Sulencz, a Boleslao Pio Calisiensi Duce expugnati et demoliti ultionem Otto Brandeburgensis Marchio, observato tempore, quo praefatus Boleslaus Pius Calisiensis Dux Cracoviam Ducem Boleslaum Pudicum Cracoviensem visitatum abierat, castrum Santsoh de lignis circa Ecclesiam Sancti Andreae Februarij diebus aedificat et consummat, vasisque militum praesidio imposito, fossis et vallis dispositis dyrigit. Boleslaus autem Pius Calisiensis Dux ex Cracovia reversus, Ottonem Marchionem et pacta temerasse, et hostem se iam per aedificationem et occupationem castri Santsoh professum esse comperiens, castrum Drezen vallatis stipatisque forti militum agmine aedificat, Et cum in die Sancti Georgij inchoasset, infra dies octo abundante artificum multitudine, opus captum absolvit, locatisque militibus, castrum Santsoh obsessurus. Verum militibus Boleslai Pij tardius et negligentius munera praesidij observantibus, castrum Drezen a Saxonibus nocte decima septima Decembris die intercipitur et pulso inde Boleslai praesidio, Otto Brandeburgensis castrum utrumque nactus occupavit.

Longo et assiduo languore Wladislaus
Dux Wratislauiensis, Archiepiscopus Salzbur
gensis, filius Henrici a Tartaris occisi, vexatus,
Nonnulli enim Wratislauienses milites insimulati
sunt, toxicum illi porrexisse, dum morte fratris Hen
rici sequuta, Ducatum Wratislauiensem, in impube
relicto, patrem et patruum agens administrat, prae
buisse, Vicesima quarta Aprilis die in Salczbur
gia diem obiens, in Salczburgensi Ecclesia tumu
latur. Quo absumpto Henricus quartus puberta
tem iam egressus, in Solium patris et patrui succedens,
Wratislauiensis Ducatus, optime a patre locati, utroque
parente orbatus, iam enim et mater sua Iuditta
diem obierat, et in Trzebnicensi Monasterio sepul
ta fuerat, suscepit gubernacula. Et Thomas ele
ctus a Capitulo in Episcopatum Wratislauiensem
quem etiam Wladislaus Archiepiscopus Salzbur
gensis administrabat, succedit, et a Ianussio Gne
snensi Archiepiscopo, Siradiae confirmatur et be
nedicitur. Danti Seni Wladislao in adolescentia
apud Patauinum aliud Paduam literis operam,
virgo decora forma a Patre Paduano cuiquon
dam diuite, tunc vero inope, quaestus turpis gratia
adducta est. Cuius ille conditionem miseratus, fa
cinus perosus, et egenti patri subuenit et virgini
pudore seruato etiam dotem contulit, pro quo qui
dem opere a singulis Patauini Studij Scholaribus
celebratus est insigni fama.

Multa monstra eo anno in Poloniae regioni
bus accidisse nunciata sunt. In terra Cracouiensi
matrona quaedam nobilis Margaretha consors
Comitis Virbostai de villa Xalel, triginta sex pueros
uno partu viuos quidem, sed eodem die mortuos effudit.
Cracouiae tredecimo Calendarum Februarij. Luna, de
Octauo Idus Decembris prima noctis hora,
tula in crucis modum aperto lux immensa, coelo pa
praeferens apparuit et tam urbem quam regionem Cra speciem Lunae
couiensem vniuersam nouo fulgore illustrauit. Apud
Calisz

Calisz oppidum infra natalis Christi octavas natus est vitulus habens dentes caninos, et duo capita canina, quorum unum manens in loco suo, aliud minus ad caudam situm erat, et septem pedes vitulinos, pelle etiam vitulina contectus, cuius cadaver nec canes nec alites volebant contingere. In Slesia Odram et Nissam fluvios tribus diebus rubra et sanguinea aqua fluxisse. In eadem regione apud villam Mersalow aestivo tempore, caelum sanguinem pro aqua pluisse. Haec prodigia non in admirationem solum, sed et religionem versa ac in pavorem Polonici populi vertebantur, assidue a sacerdotibus, religiosisque et devotis viris et feminis supplicatione obsecrantibus propitiatio divina exorabatur. Nec prodigiis tantummodo sed et tempestatibus et diluviis annus hic apud Polonos insignis fuit. A vicesima quidem et secunda die Junij usque prope dimidium Augusti, continuos noctu et interdiu in caelo fundente imbres, adeo inflati aquis fluvij ripas excesserant, ut non solum segetes, agros, prata, et campos, sed etiam villarum fastigia operirent. Vistula insuper fluvius in tantum excreverat ut universum spatium inter montem Lyasotinum et Ecclesiam Sancti Stanislai de rupella positum occupaverit, rapuitque viros et feminas et domos plures, pecora pecudes, jumenta et quaeque reptilia, molendinaque absorbendo evertit, et agri silvaeque inundati et exterminiū aut orbitatem, non agros solum sed et villas, culminaque terrarum, et villarum incolas sorbens, et demersos agros ad longa tempora steriles et inutiles efficiens. Tali ve Secundo diluvium huiusmodi Polonis contigisse creditum est, ut qui tunc multis et variis perversitatibus Dei clementiam offenderant, nova et insolita punitione a iusto Deo mulctarentur

Facile paternorum iussionum Mestuinus, alias Msczugius Pomeraniae Dux oblitus, fictis fratrum suorum infidelium solatijs, bellum movens Cruciferis, terram Culmensem universam et partem Prussiae, Episcopatum videlicet Pomesaniensem ex opposito oppidi Neua; spolijs caedibus et ignibus vastavit, et plures Christianos occidit. Quinquaginta insuper naves oneratas victualibus Cruciferis abstulit. Quo campum et exercitum dissolventi, Ludovicus Prussiae Magister exercitu de fratribus ordinis et alijs auxiliantibus collecto, in

di

die Beatorum Petri et Pauli Pomeraniam circa oppidum Nonae ingressus, eam igne et spoliis afflixit, pluresque suos captivos solvit. Nec ea vastatione contentus aliam expeditionem in Pomeraniam in die Sancti Bartholomaei egit, et circa oppidum Tczow singula spoliis et flammis complevit, Quod malum Mestwinus Pomeraniae Dux mitigaturus, per communes arbitros cum Magistro Ludovico et ordine, de pace agere coepit, quae tandem damnis sine ulla compensatione stabilita est, et a parte utraque parum inviolabiliter custodita.

Quinto Nonas Maij aliâs die Inventionis vel exaltationis Sanctae Crucis Bela Ungariae Rex socer Boleslai pudici Cracoviensis Ducis genitor felicis Cunegundis consortis Boleslai pudici moritur, cum annis triginta novem regnasset, et Strigonij in fratrum minorum Monasterio, quod ipse regali sumptuosoque opere inchoaverat corpus eius sepelitur Quod licet Philippus Archiepiscopus Strigoniensis de Monasterio Minorum per potentiam abstulisset, et in Ecclesiam suam Strigoniensem transtulisset, reddere tamen illud, querelam coram Apostolico fratribus minoribus facientibus, mandato summi Pontificis Gregorij tertij constrictus, ad primaevum locū coactus est. Cui filius eius maior natu Stephanus successit in Alba Regali coronatus, germanus frater Cunegundis Cracoviensis Ducissa consortis Boleslai pudici.

Decimo Calendas Octobris Habita est Synodus provincialis in oppido Siradiensi de mandato et vocatione Janussij Archiepiscopi Gnesnensis, qui in illa personaliter praesidebat, Ad quam Paulus Cracoviensis, Thomas Vratislaviensis, Nicolaus Posnaniensis, Petrus Plocensis, Vilhelmus Luburensis, Episcopi convenerant

Obeunte Prussiae magistro Ludovico de Baldersheim, octavus magister Theodericus [illegible] succedit, et Mestwinus Pomeraniae Dux Ludovici morte audita, cum notabili suarum gentium exercitu, terram Culmensem ingressus, eam ferociter, specialiter tamen bona Episcopatus Pomesaniensis ferro spolijs et incendijs devastat, Quo discedenti cum captivis et praeda, Theodericus Prussiae magister illum cum gente sua insequutus, magnam Pomeraniae partem Mestwino vicissitudinē referens, populatur igni et armis

Thomas qui et Thomka Plocensis Episcopus cum annis octo in Ecclesia Plocensi sedisset, a paralysi vexatus, moritur, et in Ecclesia Plocensi sepelitur. Cui per electionem canonicam Goslaus Primarius Canonicus Plocensis, nobilitate de domo et familia Gryphonum clarus, succedit, a Janussio Gnesnensi Archiepiscopo, fretus Semoviti et Casimiri Ducum Mazouiae fauore et consensu, confirmatur, et in Episcopum Plocensem benedicitur.

Stephanus Vngariae Rex limina beatissimi Stanislai Cracouiensis Episcopi adoraturus, affinemque suum Ducem Boleslaum pudicum, et Ducissam eius Kyngam sororem suam germanam visurus, in celebri et numeroso comitatu, Cracouiam septimo Calendas Septembris aduenit, et processionali honore ab Ecclesijs, a Duce vero Boleslao pudico singulis necessarijs, ex quo Regnum Poloniae et terras suas introiuit, tractatus et quidem, digna congratulatione obuiam illi cum consorte sua Kynga ad septimum lapidem eunti exceptus est. Aduentum autem noui et grati hospitis Stephani Regis, Boleslaus pudicus Dux, ampliori gratulationis demonstrationis curiam instruxit, et hastatorum ludos assidue et varijs generibus ac multifariam fecit, quibus expletis, victoribus proposita dedit praemia, multisque diebus Stephanum Regem et omnes milites suos splendidis conuiuijs et omnium necessariorum abundantia munifice et liberaliter singula administrans, festiuauit. Innouatum est et tunc foedus inter Vngariae et Poloniae regna vetus, vtrinque Regni consiliarijs id optimum et salutare pro quiete regnorum credentibus, et in verba sacra super lignum crucis Dominicae, et a Stephano Vngariae Rege et a Boleslao Cracouiensi et Sendomiriensi Duce, Praelatis quoque et Baronibus Vngariae et Poloniae iuratum, ut omnes casus felices et aduersos ex aequo participarent, imminentes et euenturas necessitatis communibus propulsarent viribus, eosdem amicos, eosdemque hostes manente vno et eodem tenore quietis et amicitiae inter eos et regna, habituri. Donatum deinde Stephanum Vngariae Regem et suos primores muneribus magnificis Boleslaus pudicus Cracouiensis Dux in Pannonias redeuntem, vsque in Sandecz cum Kynga Ducissa sua prosequutus.

ANNVS DNI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEPTVAGESIMVS PRIMVS

Duplicis pacti praevaricatione Boleslaus pius Calisiensis Dux, a Marchionibus Brandeburgensibus offensus, quod videlicet et castrum suum Santhok occupaverant, et aliud Drdzen muniverant, expeditionem contra illos indicit, et ex omnibus terris maioris Poloniae, tam suis quam nepotis sui Ducis Przemislai, sed et ex terris Cuiaviae, quae tunc Boleslao pio cedebat curatori, sponte Duce Zemomislao Cuiaviae, in eius ditionem concedente, parebant, copiis equestribus et pedestribus in unum adunatis, distinctis in acies et turmas propter numerositatem exercitus, in Castellaniam Santhocensem villis et oppidis per Marchiones circa Theutonicos optime locatam descendit, et populationibus, incendia, vastationumq. tam aedium quam agrorum et villarum latius iussit extendi, hostes ad pugnam fumorum saltem invitatione eliciturus. Verum cum advenire et, illos tradentibus ipsum exploratoribus, decernendi voluntate omissa, in castra et munitiones se recepisse, moenia tantummodo tueri contentos, ad oppidum Soldin, quod maxime permunitum erat, copias ducit, et scalis appositis bellando capit, et in milites spoliis partitis, incendit, Omni tandem Santhocensi provincia pervastata, demollita et cremata, pecudum frequentes greges, et spoliorum suppellectilem cum captivis vehens, in sua redijt. Castroq. Cruswiciensi nepoti suo Zemomislao Duci Cuiaviensi restituto, illud ne a ~~castri~~ quoquam hostium intercipi contingeret, igni absolute iussit deleri.

Gliscenti primum inter Msczugium ab una et Vuarcislaum fratres germanos Pomeraniae Duces Suantopelki filios, et Pomeraniae Duces de principatu dividendo discordia, mox etiam odium hostile alterius in alterutrum versum est. Maiore natu Msczugio et superbe arroganter se erga fratrem Vuarcislaum natu minorem gerente et principatus Pomeraniae differenti ex aequo partitionem, quam milites Pomerani, quibus Vuarcislaus fuerat in odio, fieri dissuadebant, principatum Vuarcislai quam maxime perosi, Ob quam rem veritus in se Msczugius a Vuarcislao excitari aut seditionem aut guerram, Vuarcislaum nihil hostile suspicantem, a militibus suggestus et inductus capit et in vincula conjecit, qui apud Redzh aliquanto tempore tenebatur captivus et vinculatus. Qui faventibus sibi Mszczugij militibus, carceris evadens, confluentibus quoque ad illum plurimis Pomeranis, novarum rerum spe sollicitatis, fratri Mszczugio bellum infert. Sed certamine cum Mszczugio inito, cum Mszczugius probatos et exercitatos milites, aciem insuper magis frequentem et instructam haberet, Vuarcislaus tyrones, et hos quidem raros, parvo negotio a Mszczugio fusus, in sylvas refugit, moxque de alio exercitu instaurando animum intendit. Verum omnibus Pomeranis stragem mutuam execrantibus, et in militiam aegre euntibus, Mszczugius placitare cum fratre Vuarcislao compulsus, indicta ob id die, Pomeraniae Ducatum ex aequo cum fratre Vuarcislao in praesentia militum partitus, reconciliatione mutuo habita civile abrogat bellum. Nec quievit tamen Vuarcislai animus in Mszczugium magnopere exulceratus, sed captivitatis suae dedecus magno furore, magnaque indignitate prosequutus, militibus etiam suis sponte ignito animo ampliores flammas adjicientibus, bellum in Mszczugium tam proprio quam externo milite ut gesturus, anxius et sollicitus apparat, non quieturus primum, donec vel Mszczugium captum, ea qua ipse pertulerat pati vinculum cogat, aut ex Pomerania terra effugiat. Quod ut maturius expleat, Marchionem Conradum Brandeburgensem, filiam Przemislai Posnaniensis olim Ducis matrimonio habentem, ad ferendum sibi contra fratrem Mszczugium suffragia anxius, non tam precibus, quam praemiorum oblatione sollicitat. Conradus autem Brandeburgensis Marchio vir et ambitiosus et industrius, Castellania Santhocensi in vim dotis sibi data tanquam parum ingratus, ad alias quoque Polonorum terras occupandas jam etiam manum porrigit, et laturum se Vuarcislao contra Mszczugium solatia non abnuit, dummodo vel oblata praemia vel latitudinem supercilio acciperent. Vuarcislaus autem Dux pecuniae et ipse ac donativi inops, conditioni tamen Conrado Marchioni de praemio dando, tantus fuit ultionis in fratre Mszczugio ardor, implicitus, castrum civitatemque Gdansk quae sibi in sortem cesserant, Conrado Marchioni, donec summam, de qua inter illum et Conradum Marchionem conveniebat, exsolveret, obligat. Castroque Gdansk fortissimo, Conrado Marchioni tradito, in castrum aliud Vuischegrad bellum fratri movendum apparaturus, secedit, ac gravi valitudine et morbo correptus, post paucos dies decedit, in Iunivladislaviam a militibus delatus, apud fratrum minorum Monasterium sepelitur. Reintegratum sibi Msczuginus Dux morte Vuarcislai fratris ratus principatum, etsi tam Vuischegrod, quam Tczow, Gniew, Swiecie, et alias munitiones, atque castra, quae pro sua sorte Vuarcislaus acceperat, morte Vuarcislai secuta, in suam ditionem sponte concesserant, castri tamen Gedanensis et oppidi possessionem repetenti, a Saxonibus Conradi Marchionis nomine illud occupantibus, responsum est, castrum et oppidum Gdansk ad ius et proprietatem Marchionis sui Conradi ex pactis cum fratre suo Vuarcislao initis, et graves impensas ad multa millia extimatas ob id factas recidisse, proinde abiret, et sua se in quiete possidere sineret. Quo offensus et irritatus responso, quid agendum expediret cum suis consultabat, et nonnullis quidem videbatur castrum Gdansk obsidione continua et impugnatione, a Saxonibus eruendum esse; sed locus et natura et arte satis communitus, longam obsidionem et difficilem expugnationem portendebat, occurrebat et hostium respectu, in Conradus Marchio fortiori fretus potentia obsidentes obterreret. Implorandum igitur censent omnes Boleslaum pium Calisiensem Ducem, ex matertera Msczugii genitum principem, ea tempestate tam animo quam militia pollentem, ut fratri Msczugio opem ferat, et portionem tam insignem Pomeraniae Ducatus, in quem ipse, Msczugio mortuo et successorem non relicturo, successurus erat, abrumpi dolo et vafricie Saxonum non permittat. Ea sententia ab omnibus comprobata, ad Boleslaum pium Calisiensem Ducem itum

est

tum est, et solatia sua in recuperatione castri Rdzusk expetita. Quae etsi deliberatione cum suis habita Boleslaus pius, veteribus obliteratis offensis, conditionem Msczugij fraude Saxonum violati, miseratus, se edixisset praestiturum, hyeme tamen appetente, anni tempus sequentis ad obeundam rem huiusmodi condignat, facilius aut indurata glacie aqua, aut solis fervore calidata, quam caduca et fragili, virisque varias mutanti aura, expugnationem castri praefati perfecturus.

Consors Lesthonis nigri Siradiensis Ducis Cunissa Grypsina filia Rostislai Russiae Ducis, quamvis prope sex annis in viri sui Lestonis nigri contubernio degens, virginem tamen se in eam diem, circa viro suo cognitam, impotentiam et frigiditatem illi objiciens, Baronum et militarium matronarumque Siradiensium concione advocata agente etiam Lesthone Duce coram, et accusationem silentio profitente deduxit, peplo, quo caput obnubere nupta solebat, in Monasterio fratrum minorum in Cracovia sub multorum praesentia detracto, Virginem se deinceps intecto capite deambulans gerere; Lestonisque Ducis consortia vitare caepit, conjugij huiusmodi divortium quaesitura

Bela Vngariae Rege fatis absumpto, et in locum eius filio eius Stephano per inaugurationem Diademate surrogato, bellum inter Vngaros et Bohemos, et pacis et affinitatis consopitum, mox renovatum est. Idibus siquidem Aprilis Bohemiae Rex Premislaus alias Ottokarus, hostiliter illud invadens, castrum Preszburg ad fluenta Danubij situm conquirit, Capud et Tarnavam et Nitram, et eis spoliatis in captivas numerosis et regionis igne et spolijs saevit. Habita quidem sunt inter Bohemos et Vngarorum milites particularia certamina, variam sortem partibus afferentia, in congressum tamen universae dimicationis utrique Regum venire distulit, ponteque in flumine Raab abrupto Premislaus Bohemiae Rex praedis et spolijs onustus, in Austriam, quae tunc in sua ditione consistebat, multis militibus amissis redijt. Eoque ex Vngaria discedente multis et varijs tam spolijs quam incendijs per Vngarorum milites vexata atque lacessita est.

Prima Septembris die Cardinales Ecclesiae Romanae, qui satore zizaniae serente inter illos discordiam de eligendo summo Pontifice plusquam biennio identidem conclave ingredientes, quamvis a Philippo Francorum et Carolo Siciliae regibus personaliter aditi de expeditione electionis sollicitarentur, convenire non poterant, de Sinibaldo Archidiacono Leodiensi, ad Sancti agentis, conclam conveniunt, qui natione Lombardus de civitate Placentina, et domo Vicecomitum, etiam de Archidiaconatu suo Leodiensi, ab Episcopo Leodiensi, quem postea iustius sede sua privavit, expulsus, ex devotione in Sanctam terram transfretavit, et electione sibi praesentata Viterbium, ubi adhuc degebat collegium Cardinalium venit, Papatuque acceptato, vadit Romam, ubique coronatur et consecratur. Mira vir in saecularibus experientiae, quamvis modicae literaturae, non pecuniarum lucris, sed eleemosynarum in pauperes largitionibus operam dans. In consecratione autem Gregorius nominatus decimus.

Orbatus uxore prima Salomea filia Wladislai Ottonis, maioris Poloniae Ducis, Conradus Legnicensis Dux, aliam superduxit Brigidam filiam Theodorici Marchionis Misnensis, relictam quondam Conradi nepotis ex filio Conrado Romanorum Imperatoris Friderici, a Carolo Siciliae Rege victi, et in Neapoli capite caesi. Magnam et in pecunia et in suppellectili secum dotem ferentem. Cui ratione nuptiarum pro dotalitio et dote accepta, Conradus Glogoviensis Crosnam, Greyfenstein, et Przyn, castra et oppida obligavit, et inscripsit. Rememoratus autem adversitatis suae Boleslaus Legnicensis Calvus Dux, quas a Conrado Glogoviensi pertulerat, oppidum Boleslawiecze intercepit, ubi se pariter et Conradum Ducem intercepturum putabat, parum quoque abfuit, ut Conradus caperetur. Quiescebat enim in eo suo oppido securus, sed de adventu hostili Boleslai fratris sui paululum ante praesciens, cum paucis exiliens evasit.

Volmirus Wladislaviensis Episcopus, cum annis tribus et viginti sedisset moritur, et in Wladislaviensi Ecclesia sepelitur. Cui Albertus Decanus Wladislavien

sis

sij concorditer electus, nobilis de domo et familia Perstina siue Vngyenya successit, per Gregorium decimum prouisus.

Ad mores et statum culminis pontificalis aduersos abusus, Paulus Cracouiensis Episcopus, Episcopali grauitate pessumdata, conuersus, lasciuiam primum et voluptatis sectatus, Sanctimoniali quadam ex lapide Sanctae Mariae violenter abstracta pro concubina abutebatur. Insolentus tandem et intolerabilis subditis et vicinis, Principi vero suo Boleslao pudico Cracouiensi et Sendomiriensi Duci, et audacijs contumax et rebellis, assiduus in Sylvis tractandis venationes, rarus in Ecclesia et officio, diuinam et humanam contra se vltionem prouocabat. Nec solum cum aduersariis Ducis Poloniae Baronibus, sed et cum Lithuanis et barbaris, connubijs et affinitati sibi allectis, quo aduersus Ducem et leges tutus et impunis consisteret, sentire coepit. Consistentem illum in villa Episcopali et curia Cunow, et tam salutifera monita Ducis Boleslai et praelatorum Canonicorumque Cracouiensium, quam legum et iuris virorum secta contemnentem, duo milites Otsa et Zegotha de domo Bipennium, conscio et mandante Duce Boleslao pudico, ac iussu eius motum est, aggressi captiuant, et rebus suis inter se partitis captiuum Episcopum in Siradiense castrum per Sylvas et nemora, amicorum, fratrum, consanguineorum et familiarium Episcopi vim et aduersitatem veriti, transportant. Vbi a Duce Lestcone nigro Siradiensi, et suis officialibus susceptus, sub stricta custodia captiuus mense integro detinebatur, quod maiorem suspicionem et coniecturam in Boleslaum pudicum auxit, captiuitatis pontificalis ipsum fuisse auctorem, cum Lestco niger Siradiensis Dux nec susceptorem nec obseruatorem se captiui, nisi voluntatem Ducis Boleslai pudici habuisset et exploratam, praestitisset. Captiuitatem illius Ianussius Gnesnensis Archiepiscopus, vt par erat, detestatus, omnem Gnesnensem prouinciam interdicto subiecit. Ea necessitate, et probris populorum Boleslaus pudicus Cracouiensis et Sendomiriensis Dux affectus, Paulum Episcopum a captiuitate soluit, et in Quadragesima cum illo per mediatores et arbitros, Magistrum Derslaum Praepositum, et Valtherum Canonicum Cracouiensem sub certis conditionibus concordant, quarum hae fuere insigniores, Ut captivatores Episcopi Ottam et Zegotam puniat, et a suo consilio et communione sequestret, Ut ducentas marcas argenti illi solvat. Ut sortem Ducalem in Drzezasni illi donet. Quae singula Boleslaus pudicus Cracoviensis Dux exequutus, etiam Ottam et Zegotam captivatos in vincula coniecit, ac per mensem unum vinctos tenuit. Qui tandem amicorum et fratrum soluti suffragiis et pignorum illis datum, et Episcopi suorumque fratrum impendentes insidias evasuri, hereditatibus, quas in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatu obtinebant venditis, ad Wladislaum Ducem Opoliensem commigravere, et in Opoliensi regione acceperunt incolatum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SECVNDVS

Saxonicam et Marchionis Brandeburgensis Conradi affinis [illegible] sui perfidiam in occupatione castri et oppidi Gdansk deprehensam Boleslaus primus Calissiensis Dux repressurus ~~de~~ delecta expeditione militum ex maioris Poloniae et Cuiaviae terris Sabito, primum in Pomeraniam, ubi se illi Dux Mestwginus Pomeraniae, cum universo suo exercitu coniungit, quintadecima mensis Ianuarii die venit, exinde aciebus instructis ad Gdansk applicat, et castrum Gdansk tam aqua quam terra gravi obsidione constringit. Quod cum diebus aliquot tormentis et bombardis frustra quassasset, provectionem tormentorum, structuris castrorum, sua firmitate elidentibus, nova demum die ad expugnationem castri milites educit, et testudinibus ex asseribus frequentibus, ne subeuntes superne obruerentur, dispositis, castrum milites aggressi, varie illud impugnant, et S. quidem, testudinibus castro applicatis securibus parietes evolant, alii ignes parietibus adhibent, defensores fumo et flamma repulsuri, alii scalis moenia conscendunt, sagittariis mira pertinacia tela in Saxones iacientibus in suorum tutelam. Neque Saxonibus minor animus erat, tam se quam castrum ex impendenti periculo tutandi; quin et ipsi saxis in grandinis modum emissis, ferventi aqua et pice Polonos et Pomeranos acrius insistentes feri

vent

rent, et prosternarint. Expugnatum tamen in longum diu protracta, cum in sauciorem et desideratum locum Boleslaus pius Dux singula oculis et diligentia lustrans novos et recentes milites succedere iubet, et Saxonibus telis saxisque deficientibus pugnam et defensionem remittunt, propter quod Polonorum et Pomeranorum milites spacio dato, castrum in locis aliquot perforant, et perstringunt, clamoreque valido, et quem victores edere solent, sublato, castellum irrumpunt, et obvios quosque Saxones, tum perfidia, tum acceptorum vulnerum memores, sunt etiam parentaturi desideratis, obterunt, et obtruncant. Pauci in turrim editiorem evadunt, qui vitam tantummodo pacti, armis, et quae obtinebant deditis, compedibus et captivitati miserae addicti sunt. Poloni et Pomerani castro fortissimo praeter spem, in cuius expugnationem se longum tempus absumpturos formidabant, brevi potiti, etiam spolijs Saxonum potiuntur. Castro expugnato, et oppidum quod a Sotijs civibus sine militum praesidio tenebatur, Msczugio Duci suo deditionem fecit. In hunc modum Saxonum perfidia ulta, et castro Gdansk suo Duci Msczugio restituto, Dux Calisiensis Boleslaus, prosequente illum Msczugio Duce, et se in eius fide obsequioque et clientela perpetuo una cum terra Pomerania mansurum repromittente, in Ducatus suos, exercitu licentiato, abijt. Msczugius autem Pomeraniae Dux in nonnullos cives et signanter in Arnoldum et Jacobum, cognatos fratres, et affines, alterum excaecans, ipsos capite damnavit, bonaque eorum singula redegit in fiscum, quoniam sibi et in mortem suam et suorum Baronum conspirasse, propriisque Marchionibus Brandenburgensibus adhaesisse et maiorem hostilitatem Duci Msczugio firebantur monstrasse. Duas autem villas quae ad illos pertinebant, Scrobotow et Vuitommo Ecclesiae Vladislaviensi et suo tunc Episcopo Alberto perpetuo donavit, beneficia divina recogitantius.

In maiori insula Budensi in Begmare loco Stephanus Ungariae Rex, germanus Cunegundis Cracoviensis Ducissae, cum annis duobus tantummodo regnasset moritur, et apud Albam regalem sepelitur, Duos filios Vladislaum et Andream relinquens. Cui celebratis ex more exequijs Vladislaus maior natu in regnum successit, septima post obitum patris mundi, Prælatorum et Baronum Vngariæ favore ad regium culmen suffectus, Alter vero germanus suus Andreas cum et minorennis esset, Ducatus tantum nomen sortitus, sub regis ditione fovebatur.

Quiete militibus ad expeditionis arma, curandaque corpora, quatuor mensium, Boleslaus pius Calisiensis Dux concessa, alteram rursus omnibus passim terris suæ ditionis expeditionem, in Saxones et Brandeburgenses Marchiones, iniuriam occupationis castri Santhok prosecuturus, indicit. Ad quam sexto Calendas Junij, copijs equestribus et pedestribus convenientibus, ire aspernatus, in locum suum Przemyslaum Ducem Posnaniensem, nepotem suum, sextumdecimum iam agentem annum, surrogat, Curam tamen traducendi et regendi exercitus, et omnem iubendi potestatem Przedpelkoni Palatino Posnaniensi, et Joanni qui et Janko appellatus, Castellano Calisiensi et ingenio et manu promptis, et quorum æstimatio apud cæteros supereminebat, demandat. His itaque ducibus exercitus Polonicus terras a Saxonibus occupatas ultra Drezen sitas, ingressus, castrum Strzelcze noviter a Conrado Marchione Brandeburgensi fabrefactum, quod primum terras hostilis ingredientibus occurrebat, oppugnare aggressus, impetu et fervore expugnandi ingenti adhibito, capit, et fere omnes Saxones ad præsidium illic relictos cædit interimitque, paucis vita tributa est, quibus et parcendum Przemislaus Posnaniensis Dux, furentes milites assidua interpellatione ægre permovit. In tecta deinde et in agros igni et spolijs sævitum est, et omnis ora Saxonica citra Odram sita, hostiliter et vasta, et populatione vexata. In Poloniam denique cum præda pecorum et spoliorum reversus, et iam P. exercitu iuxta castrum Vielen agente statim nunciatur castrum Drezen parvo militum teneri præsidio, A Cassubitæ quoque qui in Polonico exercitu erant navigio castrum aggressi, et primam portam adorti, igni apposito incensam esse, Militibus, quibus iam discedendi in penates facta erat per Ducis licentia, ex itinere vere renovatis, ad castrum Drdzen admovit exercitum. Sed Saxonis ad praesidium illius relicti, extrema, quae et sui in castro Strzelcze acciderant, si passivos castro conquisito veriti, vitam tantummodo et libertatem pacti, Premislao Duci de castro Drdzin deditionem faciunt. Quod illico exeuntibus de illo Saxonibus, et inviolatis, specialibus militibus ad terminos terrarum conductis, a Duce Premislao firmo militum praesidio locatum est. Dux ipse Premislaus Posnaniam ubi ob tirocinij sui primitijs duorũ castrorum conquisitione insignitus, ad obeunda caetera bella prospero successu initiatus, ovans redijt.

Duobus Comitibus de Julia et de Marcha in Prussiam cum gentibus in die Sancti Vincentij in solatium fratrum Cruciferorum, qui iam biennio integro graves et assiduas clades a finitimis barbaris pertulerant, venientibus, aciebus ordinatis, in terram Sambiensem fit discursus, nec Sambienses detrectavere pugnam. Occurrentesque Christianorum exercitui acriter dimicant, ad extremum tamen multis hinc inde cadentibus vincuntur barbari et ad villam Skluner diffugiunt, ubi certamine innovato rursum confliguntur, et Cruciferis plena cessit victoria.

Janussius Gnesnensis Archiepiscopus cum annos duodecim in Pontificatu exegisset moritur et in Ecclesia Gnesnensi sepelitur, vicesima sexta die mensis Augusti rebus absumptus humanis. Post cuius mortem licet Capitulum Gnesnense, electionem celebrando, Praepositum Gnesnensem Philippum concorditer et canonice elegisset, electio tamen sua et propter sedis Apostolicae frequentes et diuturnas vacationes et propter alias causas non fuit confirmata, quapropter Ecclesia Gnesnensis annis circiter sex, sub quibus magna in suis bonis pertulit dispendia, viduata extabat pastore.

Breviusculam et non diuturnam Conradus Glogoviensis Dux voluptatem altero matrimonio expertus, Brigidam secundam sponsam suam Theodorici Marchionis Misnensis superiori anno traductam filiam fato interceptam amisit. Genitor autem illius Theodericus Marchio Misnensis morte filiae cognita, dotalia illius bona, per Conradum Glogoviensem Ducem inscripta, videlicet Crosnam, Greifenstein et Sczin, suis officialibus, Conrado Glogoviensi Duce nequicquam

subiecit

Prostkonii occupat, et Moravorum nactus possessionem Conrado Archiepiscopo Magdeburgensi dicto de Stimberch ea in decem florenorum millibus vendit et obligat, et ipsum Conradum Archiepiscopum et suam Ecclesiam Magdeburgensem praefatorum bonorum eo iure quod sibi competebat in illis instituit dominum, haeredes et successores.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS SEPTUAGESIMUS TERCIUS

Veteres simultates, differentias et odia, Premislaus Bohemiae Rex ab una, et Boleslaus pudicus Cracoviensis Dux partibus ab altera, quae occasione Ducatus Opaviensis a Premislao Bohemiae Rege perperam occupati inter illos annis superioribus gestae sunt, aequitatis via complanaturi, in Opavia conveniunt, et Baronibus communibus agentibus plures viae pro pacificandis Principibus, et tollendis dissidiis tentatae sunt. Verum cum nulla earum proficeret, quoniamque Bohemiae Rex Premislaus de occupato Ducatu Oppaviae cederet, asserens illum post Mieczslai Opoliensis Ducis mortem testato sibi legatum et relictum ad se devolutum legittime esse, neque Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis Dux tam notabilem portionem terrarum Regni Poloniae abrumpi et altero regno appropriari assentire vellet, Baronibus communis et Consiliariis regnorum, bella in eorum capita et pericula recursura, pro posse cunctatim, Principes quidem mutuam reconciliant et amicitiae vinculum inter illos firmatur, quaestionem autem de Ducatu Opaviae in annos viginti per sufferentias pacis illud tempus duraturas suspendunt.

Redeuntem ex Opaviensi dieta Boleslaum Pudicum Cracoviensem et Sendomiriensem Ducem, civile bellum, et militum nonnullorum suorum seditio, quidem gelans, sed tum primum erumpens excepit, dudum [illegible] principalis Paulus Cracoviensis Episcopus au insimulabatur, quem per licentiam campos iam tunc grassantem et gravitate Pontificali omissa, venationes per se tractantem, cum Lituanis quoque et Ruthenis et Polonorum hostibus ungentem publice quos adversus proprium Ducem,

Ducem et dominum, Bolislaum pudicum socordiorem esset, ad simultates et iurgia, Ecclesiam suam Cracoviensem rarissime frequentantem, et conventiculis nonnullos cum militibus rapto aut furto crimine aspersos, aut iniurijs damnatis, vel aere alieno gravatis, agentem, Dux Bolislaus vel capiendo vel exiliendo restringere decreverat. Erant et plerique milites Bolislao pudico suapte infensi, quod quosdam illorum pro demeritis, bonis haereditarijs, quosdam capite, nonnullos carcere et captivitati mulctaverat. Rebellaturi itaque Bolislao pudico suo Duci, et seditionem adversus illum atque bellum excitaturi, Wladislaum Opoliensem Ducem per nuntios secrete primum conveniunt, et suis gravaminibus illi expositis, et eo praetextu, quod illis inconsultis et dissentientibus Bolislaus pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, sibi successorem Lestconem nigrum Ducem Siradiensem, principem eis ingratum destinarat, deditionem illi terrarum Cracoviensium et Sandomiriensium offerunt, precantes ut illam non abnuat suscipere, gratius ipsum, quam Lestconem nigrum in Ducem et dominum propter multos respectus, et vicinitatem, commixtionemque terrarum, et commoda inde quaerenda habituri. Elatus hac deditione et oblatione Wladislaus Opoliensis Dux eam parum deliberatus acceptat, sperans se Cracoviensis et Sandomiriensis Ducatuum dominium, et propter Bolislai pudici Ducis orbitatem et senium, quo prope diem moriturus aestimabatur, facili negotio assequuturum. Mandat quoque Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus ut ad se personaliter pro die certo in Opoliam veniant, deditionem ipsam iureiurando et literis firmaturi.

Ad rem itaque huiusmodi componendam, de consilio et suasu praedicti Pauli Cracoviensis Episcopi in numero frequenti et fere omni sua et suorum potentia, invasionem enim a Duce Bolislao pudico, re plurimum vulgata, verebantur. Progressi usque in Bogucim villam Monachorum, pervenerant, ubi illos Bolislai Ducis pudici exercitus ex Cracoviensibus militibus et nobilibus, qui fidem Duci suo promissam temerare impium ducebant, et nefarium, die Veneris quarto Nonas Junij, aggrediuntur. Fit itaque durum certamen inter utrosque, et tam pugna atroci pugnatum est, ut fere minuo loco cessit, propterea quod multis mortalibus ab utraque parte caesi omnes pectore adverso loca quae ceperant mortui occupabant. Inter desideratos Swantoslaus filius Wladimiri, Ratiborius Castellanus de Lublin et alij plures reperti sunt. Cessit tamen militibus Boleslai victoria, licet non incruenta, pauci qui evaserant ad Wladislaum Opoliensem Ducem fuga se recipiunt. Sed post victoriam et in vivos et in desideratos rebelles per Boleslaum Ducem animadversum est, et bona eorum singula confiscata, et aut usibus attributa Ducalibus aut creditoribus distributa. Extabant et aliae maioris principalis magisque urgentis et verae seditionum causae; calumniarum enim ventis Boleslao pudico Duce et dissimulante et tolerante, per omnia suorum principatuum loca adeo diffundebatur grassabaturque, et plures numero militares viri simplices et iusti, per calumniatorum astus et dolos, iniurijs damnati et parum innocenter adducti, aut suis exuerentur patrimonijs, aut indicatis transgressionibus, quas culpas vocitamus, tam Duci et iudicibus, quam actoribus solvere coacti gravissimis dispendijs subiacuerint. Querulantium insuper, et se super suis offensis et iniurijs advenientium, parum iustus parumque finalis director, munerum quoque et largitionum sectator, modico accepto munere facile in partem utramque, cum animus tamen laesioni et praeiudicio, praeceps ferebatur. His accedebat, quod canum nimius et immoderatus amator, et fotor, venationum quoque assiduus et intempestivus tractator, tam Ecclesiasticis quam saecularibus crebra irrogans et ingeminans gravamina, universis suis subditis, qui pro ea tempestate ad tractandum et prosequendum Ducalis venationis, ad nutriendum quoque Ducales canes erant obnoxij, onerosus et importabilis cernebatur.

Oppresso civili bello aliud barbaricum atque horrendum et detestabile emersit. Lithuani siquidem gentiles, Ruthenorum etiam et Samogitarum auxilio sociati, hostili et gravi exercitu in terram Lublinensem, prima die mensis Julij descenderunt, et Boleslao pudico Duce, tum propter subitum et inopinatum illorum adventum,

tum, tam propter diminutam ex civili bello potentiam suis non
inferentibus opem, grassantur barbari passim in omnes. Et maio
rem partem terrae praefatae Lublinensis peragrando, et incen
dia et stragem miserabilem edunt, et multos mortales cum
spolijs et pecore in servitutem abducunt. Insimulatus
est etiam et ~~hanc~~ hanc cladem Paulus Cracoviensis Epi
scopus, insimulatione vulgata et notoria, Cracoviensi Du
ci Boleslao, suo adversario et terrae Lublinensi, velut in
ultionem eorum, qui ad Bogusim ceciderant, procurasse,
et Lithuanos suapte fidei et Polonis hostis, ad infe
rendum Polonis et Ducatibus Boleslai pendente bellum,
tam literis quam nuntijs tanquam confoederatos et af
fines suos incitasse. Occisorum quoque ad Bogusim
domestico bello, et in Lublinensi terra externo, sanguis
adeo illi imputatus est, ut circumstantibus illum in
Monasterio Sanctae Trinitatis ordinis praedicatorum
in Cracovia tunc conversantem septuaginta viris,
vox ex aere ad eum, boni an mali angeli prolata
ferebatur, eo ipso in tempore sonuisse. Vae tibi Paule Epi
scope, satius tecum actum esset, si natus non fuisses.
Visus est et a quodam religioso per quietem ursus ere
ctis prioribus in sursum pedibus, vocem humanam
contra Paulum Episcopum exclamasse. Vae tibi Paule
Episcope quoniam cepisti et occidisti. Qua voce et re
latione conterritus plurimum et contritus, cum fletibus
et lamentis sua scelera in cubiculo solitarius deplan
geret, audivit alteram vocem, Ne timeas inquit Paule
Episcope, age quodlibet in anno septimo moriturus. Cui
voci respondit. Optime inquit mecum agit divina pietas
si vitam mihi usque in septennium prolongaverit, intra illud
tempus de factis meis digna poenitentia expiatio
nem obtenturus. Hae voces adeo fuere sonorae ut
etiam ab his qui foris cubiculi observabant paten
ter exceptae sunt.

Lithuanis terrae Lublinensis vastationi inten
dentibus Lestko et Conradus Cuiaviae et Masoviae Du
ces terras Polexitarum et Prutenorum forti potentia
ingressi, ipsas igne spolijs et caedibus populantur, nullam
quoque a barbaris experti resistentiam, magnum captivo
rum et spoliorum numerum in propria deducunt, et vicissi
tudinem dignam in Lithuanos pro terrae Lublinensis vasta
tione, foenore geminato reddunt.

Cladium quas pertulerat ad Bogusim et in Lublinensi ora Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, magnam et principalem occasionem Vladislaum Opoliensem Ducem, quod militibus Cracoviensibus et Sandomiriensibus rebellionem et novas res molientibus faverat, et rebellionis eorum receptator extiterat, fore ratus, omnem iram in illum velut suorum principatuum ambitorem vertit. Contractisque ex omnibus suis provincijs copijs, ferentibus illi personalia solatia Boleslao pio Calisiensi et maioris Poloniae; et Lestkone nigro Siradiensi Ducibus, solatia, terram Opoliensem infesto agmine, in festo Sanctorum Simonis et Iudae ingreditur, et vastationem latius quo potest vicos, villas et oppida, exurit. Ad ipsam quoque civitatem Opoliensem accedit et omnia suburbana eius pervastat et inflammat, ab expugnatione et obsidione abstinet, vero tantummodo tecta et depopulari agros contentus. Non poterant multiplices fumi et flammantes aedes Vladislaum Opoliensem elicere ad pugnam, cernens enim periculum cum tribus simul Ducibus expeditos et probatos milites habentibus, si ipse cum paucis decernere statuisset, intuebatur. In pabulatores tamen et milites qui longius a castris progressi, agebant praedas, saepius irruens, et pallantes passim per agros milites decernens, multis incomodis caedibusque Boleslai exercitum et caeterorum Ducum secum una militantium, afficerat, et multos aut obtruncavit, aut capiverat. Ab Oppoliensi oppido continuato itinere versus Koszle et Ratiboriam itum est, incoanti vastationi finis datus, dum omnis terra Vladislao Opoliensi Duci parentis pervastata.

Nicolaus Posnaniensis Episcopus cum annis novem Pontificatum exercuisset, Posnaniae moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Cui Ioannes primus dictus Vuyskowicz Canonicus Posnaniensis per electionem Canonicam successit, a Gregorio Papa decimo, per favorem et intercessionem Boleslai Calisiensis dicti pij, et Premislai Posnaniensis maioris Poloniae Ducum provisus, nobilis genere Polonus de domo et familia

Matrimonium propter relinquendum successorem uni-cus enim erat Premislaus Posnaniensis Dux, a Boleslao pio Calisiensi Duce patruo suo, qui et ipse quoad virilem sexum infecundus, persuasus et instigatus, cum annum tunc sextumdecimum explevisset, contendens versus, in Slavorum terram et ad oppidum Stetin ad Ducem Slavorum Barnim neptem suam filiam videlicet filiae natam Henrici Ducis de Visezimirz vel quemadmodum alijs placet Nicolai Cassubitarum Ducis nomine Lukardim desiderans, desponsat. Et cum tam mores quam forma virginis illi complacuissent, accepit illam in coniugium. Celebratisque in oppido Stetin nuptijs, illam in Posnaniam septima Julij die adduxit. Quae et processionibus honore a Cathedrali Posnaniensi, et a caeteris Collegijs et a Boleslao pio Calisiensi Duce, item Nicolao Posnaniensi Episcopo, item Baronibus et optimatibus maioris Poloniae obviam illi venientibus digna veneratione excepta est.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEPTVAGESIMVS QVARTVS

Recrudescebat inter Boleslaum pudicum Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem, et Vladislaum Opoliensem Ducem, anno superiori captum et gestum bellum, et unus in alterius perniciem, et copias expediebat et arma, vicinosque principes et vicinas gentes aut in affinitatis vinculo aut donativo summo studio contrahebat, maioribus prope odijs quam armis bellum gestum. Cum Boleslaum Cracoviensem indignitas facti, quod Vladislaus Opoliensis in suarum terrarum occupationem aspiraverat, et a nonnullis Cracoviensibus militibus, insignem ditionem acceperat, Vladislaum vero Opoliensem exusti spoliatique principatus, et urentes animos atque favilla, in sua et baronum suorum ora recidentes ad inferendum bellum stimularent. Boleslaus interim pius Calisiensis Dux quamvis partium Boleslai pudici Cracoviensis Ducis esset, dissidentes Duces coepit ad pacis et aequitatis viam reducere, et utrosque

parem

pacem persuadere, quorum, per plures tractatus et fatigati, flamma tandem restricta, à quibus conditionibus, quod apud nonnullos vix possibile videbatur, redditis hinc inde captivis, et damnis compensatis, pacem composuit

Quarto Nonas Januarij Msczugius Dux Pomeraniæ in castro suo Swiecze agens, Monasterium in Peplin in terra Pomeraniæ ex territorio Thimaviensi, sub titulo et honore beatæ Mariæ virginis ordinis Cisterciensis olim Nouum Dobrany appellatum fundat vel potius transfert. Quidem enim Samborius Dux Pomeraniæ patruus germanus dicti Msczugij illud fundaverat, et bona Pogotkow, Kobylow, et Koszmin donaverat, quod propter inhabilitatem loci Msczugius in Peplin transtulit et ampla dote ac libertatibus magnificavit

In Cracoviensi territorio prodigium nunciatum plures in admirationem sui duxerat, Puer enim natus masculus ipso nativitatis suæ die et bona dentes habere, verbaque articulate proferre compertus est. et utrumque illi tam dentatio, quam Sermo ad baptismum mansit, quamprimum vero fonte sacro renatus extitit, illico excidentibus dentibus etiam Sermo et loquela interruit, triennio tandem expleto vitam quoque amisit

Gregorius Papa decimus pro utilitate terræ Sanctæ, cuius recuperationi decreverat personaliter intendere, ex urbe et Italia in Gallias descendit. et in Lugduno in Calendis Maij concilium quod ante biennium indixerat celebravit. In quo et Græcorum et Tartarorum celebres interfuerunt nuntij. Et procurante Paleologo qui tunc Constantinopoli imperabat, Græci ad unitatem fidei redire repromittunt, in signum Simbolum alta voce et cum solennitate decantaverunt, profitendo Spiritum Sanctum a patre et filio procedere. Nuntij vero Tartarorum intra Concilium baptizati ad propria redierunt. Numerus autem prælatorum qui interfuerunt [illegible] Concilio fuit quingentorum Episcoporum, Septuaginta Abbatum, et aliorum prælatorum mille. In quo Concilio multa salubria in subsidium terræ Sanctæ sancita sunt, et tam transfretantibus in illius recuperationem quam conferentibus suas substantias gratia Anni Jubilæi commissa, et Nuntij in Ecclesijs Cathedralibus Poloniæ ad colligendas eleemosinas instituti. Sub eodem tempore Rodolphus Comes de Habsburgh circa partes Basileæ homo inter Almanos humilis sortis et generis, sed animi magni et celebris in Regem Romanorum eligitur. Quam electionem Gregorius decimus, in favorem terræ Sanctæ confirmat, et pro eiusdem Regis Rodolphi quiete in Regno, et subsistentia, Alphonsum Castellæ Regem de iure imperij, pro quo deducendo multos sumptus et fatigas impenderat, cedere, et in suis manibus renunciare prece et persuasione impellit. Qui quietatus in Regno et confirmatus, conubijs cum pluribus Principibus et Baronibus Almaniæ se insignivit.

Culmensis terra gravem vastationem, quam illi Rutheni Barbari Poctagenses, per cædes varias prædas et ignes inferebant, Magister Prussiæ Henricus Probituinus, congesta omni sua potentia barbaros prædam ingentem referentes insectari cœpit. Quos apud Lubaviam offendens illorum agmina invadit. Verum Barbari fuga simulata in vicinum nemus abeunt, ex quo fortius Cruciferorum exercitum versus se ratum, et ob id solutis ordinibus dispersum invadunt. Et licet durum et longum certamen commissum foret inter utrosque, Rutheni tamen Henrico Magistro et Theodorico Marsalco, pluribusque alijs de exercitu Pruthenorum occisis, evasere victores, sed et prædam quam tulerant in suam regionem reduxerunt. Et licet in subsequenti tempore Dux Brunswicensis, item Lantgravius Thuringiæ, item Rex Bohemiæ, item Marchio Brandeburgensis cum filio, cum suis potentijs Christianis venissent in solatium, nulla tamen re memorabili propter hyemis mollitiem et intemperiem edita, in regiones suas abierunt. Marchio tamen Brandeburgensis, castrum et oppidum constituit, quod Brandenburg appellant.

Clarissimus et raræ excellentiæ vir tam in doctrina quam in vita, Thomas de Aquino, ordinis Prædicatorum Doctor insignis, post multos Scripturarum

rum sacrarum, quibus Ecclesiam Dei multipliciter illustravit labores, ad Lugdunense concilium per Gregorium Papam vocatus, ~~dum~~ dum ex Neapoli ubi regebat, in Lugdunum perrecturus discedens in Campaniam pervenisset, gravi languore correptus, cum sui ordinis Monasteria ibi prope non exstarent, ad Monasterium Cistertiensis ordinis, quod Noua fossa appellatur, divertit, et ingravescente aegritudine, et cum ingenti devotione mentis quoque et corporis qua semper splenduit puritate moritur, et in presbiterio altaris maioris Monasterii praedicti honestissime sepelitur. Cuius sanctitatem clementia Domini multis miraculorum illustravit splendoribus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS SEPTUAGESIMUS QUINTUS

Separationem, qua se Gryphina Ducissa Lestconis nigri Ducis Siradiensis consors, obiecta illi frigiditate et impotentia, quadriennio iam transacto seiunxerat, Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux moleste ferens, dedecus et ignominiam propterea fratri suo Duci Lesthoni nigro inustam abstersurus, in Siradiam personaliter descendit, et tum per se, tum per Barones Cracovienses, qui illum comitabantur, tractatibus interpositis, Gryphinam Ducissam Duci Lestconi Nigro, sexta die mensis Augusti, conciliat, et altercationes inveteratas et iurgia inter illos provida ordinatione rescindit, et coniugalem inter utrosque instaurat et ordinat charitatem quae exinde ab utroque sincere et custodita et usque in diem mortis servata est

Heduigis filia Henrici Comitis de Anhalt uxor Boleslai Calui seu Cani Legnicensis, moritur, et in Monasterio fratrum praedicatorum in Legnicz per praefatum Boleslaum Legnicensem fundato sepelitur. Quamvis autem ex illa prolem tam virilis quam foeminei sexus susceperit, in alteras tamen nuptias convolat, et Alheidam virginem filiam Samborij ducis Pomeraniae sibi assumit, laevo et infelici auspicio in uxorem. Haec etsi honestis moribus fuerit, propter consuetudinem tamen stupri, quod cum muliere adultera virum habenti habuerat, Boleslaus illam habuit multipliciter infensam, et exosam, Quae et viri contumelias, et pellicis indignitatem non ferens, Boleslao deserto, in domum paternam, dum aliter nequiret, peditando rediit. Adeo enim praefata concubina et adultera Boleslaus ipse per incantationes et carmina infascinatus et illaqueatus fertur amore, et alioquin vir natura saevus et ferox sibi dum illius domitus, omnia ex suo arbitrio egerit. Ex eius etiam concubitu filium spurium susceptum Jaroslaum vocavit

Lugdunensi concilio in Gallijs exacto Gregorius decimus ex Lugduno in Viennam venit, abinde Lausannam consequenter in Lombardiam divertit, Ex Lombardia Tusciam, Aretium, perveniens infirmatur, et ex languore continuo, quarto Idus Januarij moritur, et in Ecclesia maiori Aretij sepelitur. Cui gratia caelestis etiam illam virtutem praestitit ut per invocationem sui nominis operentur plerique miracula. Sedit autem annis quatuor diebus decem accipiendo tempus quo Pontifex creatus est, non quo fuit electus, inter creationem siquidem et acceptationem tres menses effluxerant

Prodigium eo anno renunciatum multos pavore nimio concussit. Apud Cracovienses siquidem civem puer sex semestris in vocem articulatam prorumpens, Tartaros superventuros et Polonorum capita praecisuros praedixit. Requisitus ab astantibus unde id nosset, divino oraculo se fretum ista nosse respondet. Interrogatus deinde an et ipse Tartarorum adventum perdimisceret, quam maxime se timere adiecit, cum etiam inter alios suam forent cervicem praecisuri

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SEXTVS

In grave et molestum fastidium castrorum et oppidorum, Crosna, Greiffenstein, et Pizin, in manus externas devolutio apud Duces Slesiae pectora afficiebat, ne castra et oppida huiusmodi a Polonia alienarentur, per succedentia tempora, Regno assiduam sollicitudinem scrupulumque non Ducibus solum, sed et Baronibus militaribusque Slesiae inureret, Magnitudo quoque et gravitas summopere, sed et conditio spiritualis et Censura cui pro obligatione addicta erant eorum remordebantur, et anxietatem ampliorem pavoremque pro alienatione, et desiderium altius pro redemptione accendebant. Quibus tamen foret liberandi castra et oppida obligata, modus non satis prospici poterat, et Conrado Glogoviensi, de cuius proprietati et sorte erant, et Boleslao Legnicensi Ducibus et tenuis facultatis habentibus, et aliis aere gravatis Henrico itaque quarto Henrici secundi a Tartaris occisi ex filio Henrico tertio nepoti Vratislaviensi Duci munus id destinabatur, quod et sorte sui Ducatus praestantior et pecunia impubertatis tempore a curatoribus collecta opulentior censebatur, Is itaque et consiliis Baronum suorum et spe dilatandi fines sui principatus instigatus, Conrado Magdeburgensi Archiepiscopo decem aureorum millia exsolvit, et castra atque oppida, Crosnam, Greiffenstein et Pizin de obligatione liberata, sui iuris facit. Quod quantum commoditatis rebus publicis Polonorum praestitit, tantum dispendii praefati Henrici Ducis Vratislaviensis privatis causabant, utrosque Duce et Boleslao Legnicensi et Conrado Glogoviensi iam tum felicitati et incrementis rerum suarum vehementer invidente.

Miles quidam Polonus saevus et impius, in proprios subditos et exteros, de vita futura nihil pensi gerens, cum assiduis praevaricationibus in Deum conteri et pariter pro ludibrio duceret, iram in se caelestem

exacerbasset

coacervasset, in gravem incidit languorem. Sed pro tunc quidem scelerum conscientia actus, nunquam sibi de impetranda propitiatione divina, ratus se super vitiorum, et suas transgressionis resumptionum, prospexit. Invalescente tandem morbo fratres praedicatores percunctantem illius pro sananda aegra menti acciti, militem ad paenitendum multifariam per salutifera monita inducebant. quibus miser homo commotus, Serius inquit ad paenitendum me impellitis, serusq confessionem induratis iam et damnatis sceleribus, cum paenitentiae et gratiae tempore effluxo, confessionis et paenitendi spacio mihi subrepto, iusto Dei iudicio, in potestatem tractus sum spiritibus tenebrarum. Urgentibus deinde maiori instantia aegrum fratribus, et ne qua desperatione commissorum facinorum a confitendo et paenitendo abstraheretur, opem divinam, si confiteri et paenitere vellet, pollicentibus, extremam edidit vocem, frustra inquit ingeritis de confitendo vitia proprio exuto et despoliato arbitrio, etiam in daemonum potestate constituto, a quorum catervis supervenientibus torquendus et flagellandus iam appetor. Quibus dictis sunt percussiones horrendae, ictus frequentes, et atrocissima excussio et collisione atque reciprocatione flagellationum verbera, et in aegri corpore livores, plagae, vulnera a fratribus et aliis circumstantibus visibiliter ab invisibilibus tortoribus data, conspecta. Inter quae infelix ille et exsecrandus homo inter vocem nec gemitum edens miserabiliter exspiravit. In quo beatissimi Augustini sermo pro omnibus oraculo quolibet peregrinanti retinendus impletus est, Haec est inquit iustissima Dei lex ut qui vivendo obliviscebatur Dei, moriendo obliviscatur sui

Frigore immenso et sine exemplo Cracoviensi provinciam in fine Septembris mensis premente, sextadecima Octobris die tanta nivium congeries descendit alpibus Sarmaticis qui Poloniam et Ungariam dividunt, et aliis quas Tatry appellamus ad Kesmarch sitis, insolitum caeli rigorem urgentibus, ut omnem regionem spissitudine grossa vestiret, et pro autumno gelidam hyemem induceret

Helena alias Iolenta Ducissa consors Boleslai
Pij Calisiensis Ducis, partum femineum, dum maxime vi-
rilis desideraretur apud Calisz castrum effudit. Ob quod
quidem puerperium Boleslaus Calisiensis Dux solemnita-
te baptismalium instituta, plures dies in hilaritate dedu-
xit, et natam filiam Annam nominavit

Romanorum Rex Rodolphus, Austriam, Stiriam,
Carinthiam, portum Naoniae, et forum Julij quae a
Premislao alias Ottocaro Bohemiae Rege, propter matri-
monium cum Margarita filia Leupoldi Austriae Ducis con-
tractum, licet temporis postea absolutum, possidebantur,
asserens ad Imperium pertinere, mittit Nuntios qui re-
quirerent, et facerent terrarum huiusmodi restitutionem.
Quo superbius respondente Rodolphus Romanorum
Rex potentijs Imperij coadunatis, armis terras negatas
se proponit quaesiturum. Ad cuius transitum prohiben-
dum dum Premislaus Bohemiae Rex exercitum de suis
solus piscationi venationis tractationibus, versus Teplam
transmisisset, Rodolphus Rex per alteram partem Danu-
bij Austriam ingressus multas civitates et castra aut
per vim aut per deditionem conquirit, Qua re Pre-
mislaus Bohemiae Rex permotus et ipse personaliter
in campum defirmetiet Rodolpho Rege stativa circa
Lincz habente, ipse in altera Danubij parte castra ponit,
ubi per Imperij et Bohemiae Barones, pax inter Reges
tractata, et conclusa, affinitas etiam pro diuturnioris
sit, firmata est, ut Rodolphus filio suo filiam Regis
Bohemiae Agnetem, et filius Regis Bohemiae filiam
Regis Romanorum Rodolphi Gutham uxores dispon-
sent, Bohemiae Rex terras pro quibus bellum natum
est cedat, qua quidem pace ordinata uterque exercitus
suas regiones repetijt

Ad Sedem Romanam ex morte Gregorij
decimi vacantem, vicesima prima Januarij minoris du,
Frater Petrus de Tarantasio Ordinis Praedicatorum na-
tione Burgundus Episcopus Cardinalis Ostiensis vir
magna religionis et doctrina apud Aretium Cardina-
libus

libus conclavi celebrantibus electus est, et Innocentius quintus appellatus. Qui post electionem de Aretio cum curia veniens venit Romam, ubi in Sancto Petro coronatus ne subscripta transfert se in Lateranum, ubi quinque tantummodo mensibus et duobus diebus in Papatu existens, cum multa et insignia in animo facere destinasset, praeter spem et aliorum opinionem moritur vicesima secunda Junij die et in magna gratia Collegij praesente Rege Siciliae Carolo in Laterano sepelitur. Vicesima decima et octava Julij die Ottobonus Diaconus Cardinalis natione Januensis et Innocentij quarti nepos in Palatio Lateranensi in Papam assumitur, et Adrianus quintus vocatur. Qui solum in Papatu uno mense et novem diebus vivens, antequam ordinaretur in Sacerdotem sine coronationis et conservationis nomine Viterbij moritur et in Monasterio fratrum Minorum Viterbij sepelitur. In cuius locum in fine mensis Septembris Petrus Juliani dictus Hispanus Cardinalis Episcopus Tusculanus natione Portugalensis, de civitate Ulyxbona ortus, et Joannes vicesimus primus nominatus suffectus, et clericus universalis, sed in sermone praeceps, et parum in moribus gravis, religiosis quoque minus favorabilis, doctrina medicina multos antecellens

Nondum Innocentio Papa quinto rebus humanis absumpto, misit praefatus Innocentius quintus fratrem Rotsfridum Teutonicum ordinis Praedicatorum, unum ex Paenitentiarijs minoribus in Poloniam, qui ab Episcopis et universo Clero Ecclesiae Polonicae vicesimam partem redituum iuxta veterem Ecclesiarum et beneficiorum taxam pro subsidio Romanae Ecclesiae exegit, quam Innocentio quinto mortuo, successori suo Adriano quinto praesentavit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS

Amplitudini

Amplitudinem tam Principatuum, quam opum, qua Henricus quintus Wratiſlauienſis Dux vocatus probus, tum ex paterna et patrui ſucceſſione in vniuerſum Wratiſlauienſem Ducatum, tum ex emptione diſtrictuum, Croſnenſis, Greifenſtein, et Strzyn, ad inuidiam vsq creuerat, Boleſlaus caluus ſeu Saeuus Legnicenſis ~~ſis~~ Dux, patruus ſuus germanus, non ferens cum nonnullis Wratiſlauienſibus militibus, ſeu praeſertim qui Henricum tertium, patrem Henrici quarti, et patruum Wladiſlaum Archiepiſcopum Salczburgenſem inſimulabantur veneno ſuſtuliſſe, in captiuitatem Henrici probi Wratiſlauienſis, verentibus militibus facinus in patre et patruo patratum a filio vltum iri, conſpirat, Aſſerens Henricum probum nepotem ex morte Wladiſlai Archiepiſcopi Salczburgenſis portionem Wratiſlauienſis Ducatus aequi ad ſe et Conradum Glogouienſem alterum fratrem deuolutam, praeter aequum et iuſtum vſurpaſſe. Oportuno itaque tempore quo deſtinata exequeretur explorato, Henricum probum Wratiſlauienſem Ducem, nihil minus quam patruelis verentem inſidias, ſecurus in curia et villa ſua Jelczſe quieſcentem, miſſis ſatellitibus et latrunculis feria quinta ante Dominicam Quadrageſima Reminiſcere, duodecimo Calendas Martij in nocte ſoporatum a lecto abſtrahit, et capit, et captum in caſtrum ſuum Leſen deductum in dira vincula conijcit, ratus onere et grauitate vinculorum Henricum nepotem ad reddendum de certis caſtris oppidis et diſtrictibus impelli poſſe.

Captiuitatem Ducis ſui Henrici probi Barones et militares Wratiſlauienſes vlturi, et illius liberationem procuraturi, bellum contra Boleſlaum Legnicenſem caluum indicunt. Et pro illo gerendo qua maiore poſſunt vi et conatu armantur. De proprijs autem viribus diffiſi a Boleſlao pudico Cracouienſi et Sendomirienſi Duci; Boleſlao pio Caliſſienſi Opolienſi Duci; Premiſlao Poſnanienſi et Gneſnenſi, Conrado Glogouienſi

ensi, varijs supplicationibus interpositis, obtinent se innari. Ducis enim praefati Secundi Boleslai Legnicensis facinus in nepote contra ius fasque admissum, magna execratione detestati, Wratislaviensibus petita et promissa gentium suarum solatia destinaverunt. Boleslaus autem secundus Legnicensis Dux, sentiens adversum se per Wratislavienses magnum apparari bellum, et quinque Poloniae Duces suis gentibus Wratislavienses adfuturos, coepit et ipse apparare contra eos bellum, et Misnenses, Bavaros, Suevos, Saxones, donativo in sui solatium conducit, Tulit et et Joannes Marchio Brandeburgensis cum sua gente Boleslao Legnicensi suffragium, sed Wratislavienses Barones a ferendo subsidio illum aversuri, quatuor marcarum dare illi millia paciscuntur. Et cum parato aere pacta servare non possent, castrum et oppidum Crosnam in summa promissa illi obligant. Boleslaus itaque Legnicensis, in conducta ex Almanis gens eo pulsa sua stipendium perciperent, primus copias suas adiuvantibus illum filijs suis, Henrico, Boleslao et Bernardo eduxit, et terram Wratislaviensem hostili vastatione aggressus, spolijs et incendijs vexare coepit. Contra quem Wratislaviensium copia, populationem agrorum suorum prohibitura, egressa; in campestribus inter Svolcz et Prozanum conveniunt. Sabbato quoque in Sancti Georgij die infausto signo pugnam committunt, Magnis viribus ab utrisque certabatur, tantusque fuit pugnantium utrisque ardor, ut pene usque ad internecionem partis utriusque, neutra parte pedem referente conflictus duraret. Caede quoque ingenti Boleslaus Legnicensis suorum conspecta, ad extremumque suos superatos vincendos, cum uno tantum servo comite, ne in Wratislaviensium veniret manus e praelio diffugit. Filius tandem suus maior natu Henricus et Ducis et militis officium gerens, pugnam in locis pluribus vel destitutam vel labantem restituit. Animo deinde pertinaci, constantem se exhibens, Wratislavienses et eorum auxiliares Cracovienses, Sendomirienses

Sendomiriensib Calisiensis Posnaniensis Glogouiensis et Opoliensis milites peruertit et debellauit, et plures de militibus auxiliaribus turpe fugere ratis cepit. Strages in eo praelio maior quam pro numero edita est, ut Legnicensib quamuis victores, cruenta victoria obtenta, victis insultare nequiuerint. In eo praelio Przemislaus Posnaniensis Dux capitur, et plures milites suae ditionis

Perculsi ea clade Wratislauienses ad Przimislaum alias Ottoharum Bohemiae Regem solatia petituri diuertunt, Et quo tutior parti eorū esset, cum velut auunculus germanus Boleslaum Legnicensem arctiori affinitati contingeret, castrum et oppidum Clozsko morti sua in Henricum quartum Ducem Wratislauiensem reuoluendum tradunt. Cuius interpositione et opera, constituto apud Clozsko placitorum die, pax inter Boleslaum Legnicensem et Henricum probum Wratislauiensem sub his conditionibus, licet Henrico quarto probo parum aequis, conclusa. Ut Boleslaus Legnicensis nepotem suum Henricum Ducem probum a captiuitate soluat. Duci quoque Posnaniensi Przemislao et militibus in praelio ad Stolecz captis, captiuitatem remittat. Henricus probus patruo suo Duci Boleslao Legnicensi de castris et ciuitatibus Strzegom, nouo foro, Strosza, Greifenberch et Przin et Gersnimdorff perpetuo cedat. Quibus stabilitis et ab utroque Duce acceptatis, Henricus quartus libertati pristinae restitutus, Crosznam a Baronibus suis Joanni Brandeburgensi Marchioni, ne arma contra eos ferret, obligatam, volens redimere, coactus est praefato Joanni Marchioni damna, sumptus, et expensas iniustas computanti sex millia marcarum persoluere, cum tantummodo in quatuor millibus extiterat pignorata. Nonnullos vero suos milites et signanter Janussium de Mech, Thomam Joannem Zerzuczam et alios qui cum Boleslao Legnicensi contra eum fuisse insimulati sunt, captiuat, et graui carceri mulctat.

Ex eo autem tempore arx et oppidum Kloczsko in Przemislai Bohemiae Regis usque ad diem obitus sui consistebat potestate, et in proprietatem Regni Bohemiae, quantum ad temporale dominium, in ditionem vero et Dioecesim Pragensem per vim et nefas usque ad nostra tempora concessit a Regno Poloniae quantum ad temporalia, Et Dioecesi vero Vuratislauiensi quantum ad spiritualia, Thoma secundo Episcopo Vuratislauiensi iniuriam [illegible] et suae Dioecesis mutilationem notabilem, ferente magis quam resistente abstracta.

Cladi ex civili Ducum Poloniae bello accidenti, alia atque aerumna, quasi unam super alteram in eum annum cumulante fortuna, clades accessit. Lithuani enim gentiles in multitudine gravi terram Lanciciensem, quae tunc a Duce Casimiro filio Casimiri olim Ducis Cracoviensis, fratre germano Lestkonis nigri Ducis Siradiensis tenebatur, subito et inopinati in festo Sancti Lucae Evangelistae ingressi, eam gravi caede, gravique spolio, tota etiam vicinio pervastant, ad Saruitatem quoque, nemine opponente resistentiam, in eius depopulatione grassati, caesis senibus, et impuberibus, magnum utriusque sexus mortalium numerum ad quadraginta millia animarum aestimatum, simul cum pecore et suppellectili in servitutem miserabilem abduxerunt

Apud Cracoviensem urbem in Circumcisione domini nocte media apertum coelum luce ingenti resplenduit, et non solum Cracoviensem civitatem, sed et universam delectabiliter, iuxta ac in media die Cracoviensem regionem illustrans, brevique decidens prodigii loco habitum est

Ioannes Papa vicesimus primus cum mensibus octo et diebus aliquot sedisset, et in Viterbio tunc curia consisteret, ingressus camaram, quam praeter Pontificale palatium Viterbij splendide nimis ipse aedificaverat, respiciebat seipsum ac totus solvebatur risu, quasi glorians in seipso. Tunc subito camara super eum collapsa ipsum oppressit, et ipse inter lapides et ligna gra collisus, sexta die post casum expiravit, sua intentione frustratus, quoniam credebat in sua confidens tum arte, tum prudentia, et doctrina, quemadmodum multoties ipsemet asserere solebat, longo se tempore in Papatu victurum, Vir etsi non parvae sapientiae, humilis tamen, et qui cum singulis quantumcunque tenuibus, dummodo literati essent, conversari non dedignabatur. Sepultus est autem Viterbij apud Ecclesiam S. Laurentij. Et vacavit sedes propter discordiam eligentium per sex menses, cardinalibus sibi Romana sentientibus usque ad festum Sanctae Catherinae. In quo festo Joannes Gaitani, tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, natione Romanus, de domo Ursinorum electus est et Nicolaus tertius appellatus. Qui statim Viterbio egressus et Romam veniens in basilica Sancti Petri in die beati Stephani Protomartyris in presbyterum ordinatus, et sub sequenti die Dominica coronatus est. In moribus vir multum compositus, unde apud multos Compositus appellabatur, responsionum commendatus, Religiosorum scilicet fratrum minorum et praedicatorum singularis fautor et amator, praecipuus eleemosinarius, qui Constitutionem Gregorij decimi de non assumendis de domo Columnarum Cardinalibus renovans, Iacobum de familia Columnarum creavit in Cardinalem.

Assumpto Magistro Prussiae octavo Theodorico de Gatirsheim, Conradus de Tirberg nonus assumitur. Sub quo duo Duces Prutenorum, unus Itinrerus de Nadraga, alter Classe dictus de Sczenanna regionibus capti a Cruciferis in patibulum acti vitam inglorie consummant. Tertius Dywany de Barthena, duorum necem miserabilem ulturus, terram Culmensem cum copijs tam equestribus quam pedestribus subintrans, gravi exterminio sub paucis diebus in illam grassatus, a Conrado Magistro Prussiae et eius exercitu invasus est. Pugna autem conserta licet Cruciferi pro referendo triumpho operam navassent, duodecim tamen Cruciferis, et quingentis Christianis caesis, caeteris cum Conrado Magistro in fugam versis, Barbaris obtigit. Non multo post tempore effluxo Pruthenj barbari castrum novum quod inter Culmenses et Pomezanienses Oppida, a Magistro Conrado magnis sumptibus erectum erat, item castrum Radzin, item castrum Vartemberg fortissima et constanti impugnatione usi conquirunt, et omnes Cruciferos et Christianos in praefatis castris repertos rabie barbarica interimunt; Castra vero conquisita neque tenere neque tueri audentes igni comburunt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEPTVAGESIMVS OCTAVVS

Castri Santok quod in eam usque diem a Brandeburgensibus Marchionibus detinebatur, iniustam extorsionem Boleslaus pius Calisiensis Dux ulturus, frequentes insuper iniurias, quibus Saxones Poloniae fines lacessebant, restricturus, bellum contra Brandeburgenses Marchiones indicit, Et non solum ex proprio Calisiensi sed et nepotis sui Przemyslai Posnaniensis Ducis Principatibus, equestres et pedestres copias in id bellum armat, Sed et Mszczugium fratrem suum Pomeraniae Ducem cum omnibus Pomeranis gentibus personalem sibi facere assistentiam requirit. Omnibus tandem copijs et maioribus Poloniae et Pomeranis communitatibus Boleslaus Calisiensis Dux, Przemyslao Posnaniensi Duce in Principatibus ad omnes casus relicto, ipso Duce Pomeraniae Mszczugio comitatus in terras quas Brandeburgenses Marchiones citra Odram occupatas detinebant, et illas igni et spolijs vastare capit. Cum autem usque Soldinum processisset, Otto longus filius Ottonis tertij cum Saxonibus et alijs auxiliaribus illi occurrit. Ubi proelio commisso cum multo inferior viribus esset, facile a Boleslao et suo exercitu victus in castra et munitiones refugiens, fortunam belli amplius tentare distulit. Boleslaus Dux et victoria et spolijs multis, captiuisque potitus, omni terra citra Odram peruastata, et sufficienter pro suis iniurijs reddita vltione, in terras suas spolijs ex ea quo cum Msczugio Duce et Pomeranis partitis remeauit.

Pertulit Dux Samborius frater Suantopelci et filius Msczugij nepotis sui Msczugij grauem persequutionem, quem illi Deus in aduersarium suscitauerat. Qui ab eo fugatus de terra, et a Cruciferis recollectus, in Thorun aliquanto tempore stetit, abinde vero sub dissimulato habitu, interceptionem, quam sibi a Cruciferis verebatur, declinans, ad filiam suam Cuiauiae Ducissam confugit et illic defunctus apud vxorem Vladislauiae extat tumulatus.

Breui et modica ex castris, oppidis, atque possessionibus quae Boleslaus Caluus Legnicensis Dux a nepote suo Henrico vocato probo Wratislauiensi Duce post victoriam de eius gente obtenta exegerat, voluptate et vsu potitus, ex languore et senio apud Legnicz moritur, et in Monasterio fratrum praedicatorum a se fundato sepelitur. Vir violentus, et in propios et exteros, facile pellectus amore, vsque ad mortem irretitus, auidus venusti et veteris sermonis, ut plerique audientes in risum et cachinnum soluerentur, tortuosusque in factis et moribus, et in iudicando non cognita iustitia in causis praesertim sanguinis praeceps. Vnde non solum Caluus, sed et Rogatka quod in Polonico cornutus sonat a plerisque vocitatus. Tres filios superstites, quarto Conrado in pueritia mortuo, ex Heduigi filia Comitis Henrici de Anhalt susceptos relinquens, videlicet Henricum Legnicensem, qui crassus et ventrosus, quia abdomine pinguis appellatus. Boleslaum Suidnicensem, et Bernardum agilem, Tanta siquidem illi inerat agilitas, ut quartodecimum robora in aliquo aedificio in sursum locationis ordine erectam cursu

praepoti

praesiti conscenderit, et resiliens in pedibus fixus staret. Habuit et ex praefata Hedwigi de Hanaw prima uxore quatuor filias, quarum unam Agnetem Comiti di Vartemberk tradidit, alteram Hedwigim Conrado Mazoviae Duci filio Semoviti filij Conradi disponsavit, tertia Anna in Trzebnicensi Monasterio ordinem professa et tandem Abbatissa. Quarta Catherina in iuventute mortua apud Praedicatores in Legnicz sepulta.

Boleslaus Mazoviae Dux anni suius aetatis habens secum in solatio et comitiva Vuladislaum Siradiensem Ducem Henrico Glogoviensi Duci bellum infert, et circa castrum Rzewin secum confligit, omnemque potentiam prosternit, Ducis Henrici, Martino Abbati Lubinensi et Jeszonensi de hostium clandestina irruptione avizatus. Cuius beneficij Dux Boleslaus Mazoviae memor, praefato Martino et Monasterio suo Lubinensi et Jeszonensi di [illegible] Semoviti et Troyden plures libertates privilegio suo contulit.

Nicolaus Papa tertius quamvis ad providendum vacanti Ecclisiae Gnesnensi de pastore per literas Boleslai Calisiensis et Premislai Posnaniensis Principum Maioris Poloniae de persona Philippi Praepositi Gnesnensis sollicitaretur, ipse tamen cum esset in fratres Praedicatores eximie favorabilis, fratri Martino ordinis praedicatorum genere Polono, viro ex minoribus paenitentionarijs de illa providit. Sed ab urbe, in Archiepiscopum consecratus egressus, dum in Poloniam pergeret, in Tusciae partibus apud Bononiam infirmitate correptus, fato absumptus est, et in Bononiensi conventu fratrum Praedicatorum prope Sacristiam sepultus.

Apud Cracoviensem Dioecesim lacus quidam et in longum et in latum notabili spacio porrectus, ex infestatione Daemonum, a piscatura et usu illius homines varijs terroribus et impedimentis arcentium, infamis habebatur. Cum itaque eo anno hyems solito asperior provenisset, piscaturam lacus praefati tentaturi, viciniores quique crucibus et Sanctorum reliquijs atque vexillis assumptis lacum accedunt, et laxatis retibus in capturam, prima quidem voce magna anxietate et labori sagenam velut gravidam trahentes tres tantummodo pisciculos perceperunt, altera laxatione sagenae in orbem contorta casso labore sudarunt, in tertia vero quae et ipsa maximum ingerebat trahentibus fatigam, captum et ~~extr~~ extractum monstrum terribile apparuit, cuius oculi rubri igniti et flammigeri, cornu in caprearum caput desinebat. Quo viso universi qui convenerant, tam ingenti pavore attoniti sunt, ut crucibus et vexillis relictis, pallati et tremebundi, quocunque sors ferret diffugerent, quorum nonnulli morbidis doloribus fuere attacti. Monstrum autem terrore hominibus ingesto in aquam subtus glarum dissiliens, et per lacus amplitudinem quasi pennigero volatu discurrens, strepitum etiam et sonitum horribilem edebat

Pactis et foedere quibus Przemislaus alias Ottocarus Bohemiae Rex pacem cum Rodolpho Romanorum Regi composuerat, violatis, vexabant enim Premislaum verdanus spiritus rerum, Austria, Stiria, Carintiaq; adempta. bellum itaq; ex integro spe recuperandarum ademptarum terrarum, a nonnullis etiam Baronibus Bohemiae calido magis quam sano consilio ad id illum incitantibus, renovans, cum omni Regni sui potentia in Austriam venit, et eam rapinis et incendijs vastare coepit. Admoto deinde exercitu ad castrum Droszendorff illud celeriter expugnat. Quo Rodolphus Romanorum Rex comperto, exercitum et ipse ex omnibus imperij terris congregat, et Danubio transito Przemislaum Bohemiae Regem ad flumen Moravam stativa agentem occupat, et multitudine exercitus fretus corona cingit. Erat Przemislao Bohemiae Regi porro quidam Bohemus Milota de Dudecz ex inveterato odio et rancore infestus, cui nihil hostili Przemislaus suspicatus, Moraviae gubernationem commiserat. Is cum nonnullis alijs ad novandas res aspirantibus proditorem se gerens, Rodolphum Romanorum Regem de singulis quae apud exercitum Bohemorum agebantur, auisabat, spondens se etiam in favorem suum, proprium Regem Przemislaum, si illi commodum duxerit, deserturum. Rodolphus interea Romanorum Rex ordinem Catholicorum servans, mittit ad Premislaum Regem nuntios, qui monerent ut ad bonam mentem rediens cum fortiori suorum etiam insidijs satis septus, signa convertere omitterent. Sed Przemislaus conuntio inflatior altera die illucescenti, qua fuit vicesima septima Augusti, cum Rege Rodolpho dimicat, et multis hinc inde caesis Rodolphus praevalet, et Przemislaus a Milotha et alijs eiusdem factionis Bohemis desertus, fortissime et pugnam labantem restituere conans, occiditur, et in Pragam reductus in monon Corlitza sepelitur. Cui in Bohemiae Regno Venzeslaus filius quinque annorum puer successit, cuius et Regni tutelam Brandeburgensis Marchio Otto longus, ita enim pater eiusmodi disposuerat, gessit, et tam parvulum Venzeslaum quam matrem eius Reginam Cunegundem ex Praga in castrum Bezdyc noctu deduxerat, et Bohemis amotis Saxones in eorum obsequia surrogat. Ex tutoria tamen huiusmodi praementibus Saxonibus, Bohemis, ad miserabilem conditionem Bohemia redacta est. Grassari Rodolphus Rex in Bohemiae Regnum post victoriam disponebat, sed precantibus Bohemis et pax et affinitas iuxta pacta superiora reintegrata, filiam suam Guttam occisi filio Venzeslao desponsante.

Occisione et morte Premislai Bohemiae Regis sequuta, Henricus quartus vocatus probus Vratislaviensis, Premislao Regi pro danda parte eorum contra Boleslaum Legnicensem assistentia et favore, Rogatsham ad vitae tempora contulerant et inscripserant, repetijt. Et ne ab aliquibus possessio per Przemislaum Regem temporaliter habita ad perpetuitatem traheretur, non Vratislaviensem solum se Ducem, sed etiam Dominum de Kloczsko pro rescindenda omni ambiguitati futurorum titulavit. Accepit et tunc in consortem Methildem virginem filiam Ottonis longi Brandeburgensis Marchionis qui propter gubernationem Regni Bohemiae famosus et celebris ea tempestate habebatur

Filius Ducis Lithuaniae vocatus Trinota copijs Lithuanorum et Ruthenorum quae triginta millia pugnatorum explebant, receptis eas trifarie dividit, Unam in Mazoviam, duas vero in Culmensem terram transmittit. Hae autem turmae quibus Culmensis terra obtigerat obtinuerat, Castro Bergelow sub CrucIferis conquisito et incenso, omni terra Culmensi pervastata, multas Christianorum animas in servitutem barbaricam abducunt. Eodem anno Pruteni Barbari Sandouitae, cum Duce eorum Skomand Culmensi terra repetita duo oppida illius Lubaw et Chelmno obsessa et bombardis expugnata conquirunt, et terram Cuiaviensem circa oppidum Kowal praedantur. Sed et Lanciciensis civitas anno eodem a Lithuanis subita irruptione venientibus perpessa est spolia et damna

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEPTVAGESIMVS NONVS

Magnae charitatis in patriam, magnique animi Princeps Boleslaus pius Calisiensis Dux febribus correptus in languorem incidit. Quem cum in dies augeri sensisset nepotem suum germanum Przemislaum Posnaniensem Ducem accersit, cui Calisiensem Ducatum, conthoralemque Helenam, et tres filias videlicet Hedvigim Elizabeth et Annam ex ea susceptas commendat. Omnibus tandem Sacramentis devote perceptis apud castrum Calisiense die Veneris, septimo Idus Aprilis moritur, in Posnaniamque relatus in maiori Ecclesia in patrum suorum tumulo Przemislao Duce nepote iusta funeri solenni sepelitur. Post cuius mortem Przemislaus Posnaniensis Dux in Calisiensem Ducatum successit, et totius maioris Poloniae Principatum nactus, et relictam Boleslai pii Calisiensis Ducis et filias datis sumptibus et dote abundanti emancipavit. Et relicta quidem Boleslai pii Helena alias Iolenta parum apud Calisz morata, omnibus rebus et suppellectili quae ad eam pertinebant, in Cracoviam ad sororem germanam Kingam devotione et religione singularis feminam Boleslai pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis consortem, Deo deinceps famulatura concessit. Przemislaus autem Maioris Poloniae Dux neptium

suarum

neptium suarum curam gerens, Hedvigim seniorem Vala
dislao qui ob nimiam brevitatem corporis cubitalis
in Polonico Lohtik appellatus, filio Casimiri Cuiaviæ
Duci Brzestensi, alteram Elizabeth Henrico Legnicen
si Duci ventroso appellato filio Boleslai Calvi seu Ro
gatha Legnicensis locat, tertia Anna in virginita
te dum obijt

Excessum Boleslai Pij Calisiensis Ducis
e vita, alter Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sen
domiriensis Dux secutus est, quasi annus sic Du
cibus Poloniæ, ut nomen Boleslaus sortitis, fuisset fatalis
Qui cum pluribus libertatibus, privilegijs, præeminen
tijs, et gratijs Ecclesiam Cracoviensem multipliciter ex
tulisset, et nonnullas Ecclesias, Monasteria, et pia loca
fundasset, corpore suo ab omni illecebra custodito, et pu
dicitia tam sibi quam coniugi suæ Kingæ per omnes
annos, quo suum connubium nactus fuerat, servata ob
quod insigne virtutis meritum, Pudicus Boleslaus, quod
nemini alij Principum Poloniæ, reor contigisse, cogno
men sortitus, cælebs et virgo decessit, septima Decem
bris aliâs quarto Idus Decembris devotissime apud
Cracoviam, cum annis septem et triginta regnasset et mori
tur et in Monasterio Sancti Francisci fratrum minorum
quod ipse primus fundaverat, in Choro Ecclesiæ ad a
quilonarem partem sepelitur. Lapis tumuli memoriam
tenet inscriptionem in qua ad eam usque diem legitur

Anno Domini

Pompam funeris sui, et Lestho niger Siradiensis Dux
ab eo in filium et successorem adoptatus, Paulus Craco
viensis Episcopus, Kinga sua, et Helena Boleslai Pij
Calisiensis relicta; Gripsina consors Lesthonis nigri,
Barones et milites singuli, clerus et populus magna
frequentia

frequentia et concursu, nec seruus atque in coemiterio luctu maerentibus publice cunctis honorarunt, effusis laudibus mortuum, quantis nec viuum quidem atque presentem extulerant. Nec a propriis tantummodo sed a ceteris quoque populis per lugubres fletus et lamenta ob probitatis et modestiae opera in omni vita exhibita desideratus. Non tulit relicta sua Ducissa Kinga amplius mundanis actionibus se miscere, sed corpore mariti Ducis Pudici Boleslai vix humato cum Helena germana Boleslai Pij Calissiensis relicta, in Ecclesia Sancti Francisci ordinem Sanctae Clarae professa caput velavit, ostendens se ad eam religionis perfectionem dudum aspirasse, et quamprimum coniugali vinculo soluta, licuit, illico culmen illius ascendisse. Nec flere aliquam lacrimam permisit, sed solum Christum sponsum cogitans gratiarum actiones in altum assidue celebrabat quod illam grandi onere liberasset. Pluribus quoque utriusque sexus hominibus excessum Boleslai Pudici deplorantibus sola Kinigundis nullum tristitiae vel animi argumentum ostendit, ita se committens ad Deum ut videretur mortem optasse. Omnem corporis cultum et vestium ac decorem cadenti mariti corpore abijciens, vilibus se induit, et omnibus pretiosis gemmis, unionibus et clenodijs venditis in usus egenorum convertit.

Successit Boleslao Pudico nepos illius ex fratre, patrueli germano Casimiro Duce Cuiauiensi. Lesthco Niger Siradiensis Dux tam Pauli Cracoviensis Episcopi quam omnium Baronum militariumque conformi concordia, et quod Ducem Boleslaum Pudicum strictiori vinculo agnationi contingerit, et ab eo adoptatus et designatus successor fuerat, et quod princeps frugi et omnis principatus dignus habitus et visus est. Ducissa Kinga Boleslai Pudici relicta, et a Lesthkone Nigro Duce et a Baronibus magnis impellebatur supplicationibus, ut Cracoviae residens summam administrandae Reipub. assumeret. Sed dum nullis precibus posset expugnari, geminatus dolor apud Ecclesiasticos et milites exortus est, quatenus se pro uno tempore et optimo Principe et optima coniuge sua orbatos esse. Quamuis quidem mortem mariti molestissime ferret, eo tamen uno solabatur quod liberius esset Domino vacati de caetero servitura. Quapropter assumpta sorore sua Iolenta Ducissa Calisiensi in Coenobium Sanctimonialium Sandecensium abijt, et residuam illic in operibus sanctis multa sanctitatis ostendens prodigia exegit aetatem, castitatis et religionis exemplo provocans studia tam virorum quam foeminarum. Erat autem Boleslaus Dux vir moribus clemens, sed in decisione causarum varius, et a receptione munerum parum purus, vultu placidus, sobrius, venationum pro tempore sectator, vita nitida atque casta, et a Veneris contactuque foeminae prorsus alienus, propter cuius praestantiam universali sententia Pudici cognomen sortitus, vir bonus, ingenij simplicis, nulla simulatione fucati.

Substituere in locum Martini Gnesnensis Archiepiscopi superiori anno mortui alium Praesulem Praelati et Canonici Gnesnenses, electione apud Gnesnam celebrata, Vlostiborium Decanum Gnesnensem moribus et genere nobilem in Archiepiscopum per scrutinij formam eligunt. Qui licet Principis maioris Poloniae Przemislai assistentia, favore et intercessione adiutus, enixius suam electionem per Sedem Apostolicam confirmari laborasset, pluribus tamen impedimentis illum obvenientibus perditum iri suas impensas et conatus videns, negotij sui prosequendi et voluntatem et fervorem omisit. Videbat enim et sentiebat Lesthconem Cracoviensem et Siradiensem Ducem, qui cognominabatur niger, iam tunc Regni Poloniae Monarcham, infestum sibi adversarium fore, cum quo et caeteris Ducibus Poloniae, qui cum Lesthcone sentiebant, quamvis optimo iure fretus, cum esset vir modestus et mansuetus, verebatur indignum litem trahere.

In particulari quodam certamine et congressu Cruciferi de Prussia et domo Teutonica, a Lithuanis

gentilibus deuenit, cum inter alios captiuos, duos quoque
offendissent Cruciferos, vtrumque exquisitis cruciatibus
destinarunt necandum. Propositum itaque exequentes,
primum in excelsa arbore proprio equo alligatum viuum
cum equo vna cremandum, alterum vero in spectacu-
lum adducto, destinauerunt, et igne ingenti extructo, equus
quidem cum eo torrenti igne vrebatur voratus et con-
sumptus, super Cruciferum vero aperto caelo splendor
caelestis demissus, ignis ardorem in varias partes re-
stringens, corpus Cruciferi reddidit inustum, caelum
tandem splendor ille ex quo prodierat repetijt, cum quo
simul et corpus Cruciferi in similitudinem imaginis pul-
cherrimae, mirantibus et stupentibus cunctis barbaris,
adeo quod nec vllum corporis illius vel inquirentibus ve-
stigium, confirmat. Verum dum perfidia Lethua-
nica, non virtuti vel diuina actum, sed carminibus
et incantationi procuratum ascriberet, alter super-
stes Crucifer in arboris rimam per seruos et cuneos
violenter introductam, includitur. clausisque et excussis
cuneis, arbore in suam naturam redeunti, durissima
pressione ab arbore tortus pyra extructa viuus cremaba-
tur. Hunc quoque anus quaedam niueo candida colore
nunquam alias conspecta de flammae medio ereptum,
deferre, attonitis supra modum barbaris et Christia-
norum Deum magnum, suisque cultoribus benigna et pro-
spera dona largientem, profitentibus, visa est in caelum.

Mazouiae Dux Boleslaus filius Semouiti
accepit in vxorem de Lethuania virginem Zophi-
am filiam Ducis Lethuaniae Troydeni, et nuptia-
rum solennitatem in Plocensi ciuitate agit

Bohemiae Regina Cunigundis ex castro
Bezdyesz in quo cum filio Wenceslao seruabatur quasi
anniuersarium mortuo marito actura Pragam venit,
et ab inde ad Nicolaum Opauiae Ducem filium sui
mariti naturalem diuertit. Eoque precanti Zauissium
de Crumlaw, de genere Vithonidarum seu de Rosemberch
accipit

accepit in maritum, ex quo gravidata fuit filiumque genuit paterno nomine Zawisza vocitatum, quod singulis fere Bohemiae militaribus execrantibus et pro ludibrio ducentibus esset in singulare fastidium et livorem.

Vicesima quarta Aprilis die ex repentino et gravi terrae in Italia motu, septem oppida simul cum habitatoribus absorpta sunt, audiebanturque quatriduo voces vociferantium clamitantium ex abysso, Misericordiam Deus misericordiam. Eodem etiam terrae motu qui in dies quindecim tendebatur, nonnulla castra simul cum montibus, in quibus sita erant, eversa, montes excelsi ad planiciem non sine strage proximorum virorum deducti et solo aequati, monasterium Sanctimonialium Cisterciensis ordinis, exanimatis quinquaginta sororibus, deleverunt. Ipse insuper motus terrae duos montes flumine inter fluenta distinctos commisit, et undis fluvii retrorsum conversis, et agros et villas subvertens inundatio vastavit. In alpibus quoque Bononiensibus ros sanguineus quantitatis insolitae decidit

Glomerati sunt Semi Barbari in aliquot cuneos propinquiorem castro Elbyang advenerunt. Sed cum difficilis expugnatio videretur, molendinum Elbingense in quod principaliores cives Elbingenses defendendi illud se contulerant, obsidione vallant. Non ferentibus autem Cruciferis quod solaturos spoponderant praesidium, eo necessitatis ventum est, ut datis viginti quinque obsidibus ex pacto, reliquis omnibus in molendino conclusis, patere debebat et vita et libertas. Sed caduca et fluxa est apud barbaros, dum prospera fortuna utuntur, fides, obsidibus enim contra ius gentium crudeliter cruciatis, etiam universos qui in molendino constiterant, vario carnificio extinguunt. In quorum ultionem Prussiae Magister Conradus, regionis Pruthenorum ferro et igne aliquot hebdomadis vastans, etiam castrum Heilsberg capit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS OCTUAGESIMUS

Successioni

Successionem in novam Ducis novi Lestkonis nigri in Cracoviensem Sandomiriensem et Lublinensem Ducatus, novi motus, novique bellorum strepitus, ab externis et propriis acrius sunt suscitati, dum fortuna Lestkonis surgit et in tot principatus pro una successione, a domesticis iuxta ac forensibus invidentur. Primum itaque Leo Ruthenorum Dux Danielis olim Regis Russiae qui inter Ruthenorum Duces ea tempestate tam militia quam terris et dominiis potior habebatur, et multitudine gentium et opum fretus ad occupandum Cracovien Sandomirien et Lublinen Ducatus in animum induxit. Conductisque ex Tartaris, Lithuanis, et Jazvingis caeterisque gentilibus et voluntario numero et mercenario milite tribus exercitibus, et pedite et equite refertis, in grandi multitudine terram Lublinensem ingressus est, eamque vastare intempestive et hyberno tempore, tanta vis animum stimulabat bellandi, coepit. Qua pervastata terram Sandomiriensem Visla ex hyemis glacialibus gelata praebente iter introivit, et quaeque obvia corrumpens et affligens ad Sandomiriense castrum et oppidum pervenit. Cuius expugnatio tentata, militibusque Polonis egregie mania tuentibus, dum secus quam speravat provenisset, ad praedandum et vastandum agros et oppida et cremandum tecta cursus se convertit. Quo apud Goszyce duobus a Sandomiria milliaribus posita habente stativa, exercitus Polonicus, quem Varsius Castellanus Cracoviensis, Petrus filius Alberti Cracoviensis et Janussius Sandomiriensis Palatini ducebant, in raro et infrequenti numero, iussu enim Lestkonis nigri Ducis in alium locum copiae commigrant, occurrit, et in solo caelesti praesidio spe reposita cum hostilis copiae multifario numero se excedere viderent, cum Leone et eius exercitu die Dominico tertia Februarii confligunt, temeraria dicerem magis quam animose, nisi pro Polonis et eorum facinore tam audaci quam insigni fortuna stetisset. Certamine siquidem inito, his qui apud Ruthenorum exercitum primos ordines ducebant, per Polonos caesis, reliquos repente tanta trepidatio diuinitus in barbaros immissa concusserit, vt velut in psateri proiectis armis fugam omnes passim inirent. Tartari parua et breui oppositione facta, mox et ipsi in fugam aguntur, Poloni per multa milliaria fugientes insequuti, paucis captis, reliquos mactabant. Octo millia caesa, duo capta, signa militaria septem eo praelio intercepta referuntur, Leo principalis Dux cum paucis itinerum expertis fugiens et confusus euasit. Lestko niger repellere bellum, nisi inferret, parum ratus, post dies quindecim exercitibus ordinatis et recensitis cum triginta millibus equitum et duobus peditum magis expeditorum, Leonem insequutus, terras suas Russiae inuadit, multaq castra a Ruthenis deserta aut minus iusto praesidio locata occupat, expugnat, et euertit, et vsq ad Leopolim terra populata praedam frequentem tam hominum quam pecorum Leone Russiae, in vlteriora Russiae diffugiente, et dimicare non audente, Poloniam adduxit. In populatione ipsa quinq millia caesa, quatuor millia in captiuitatem abducta scribuntur

Thomas alias Thomka Plocensis Episcopus cum annis octo sedisset moritur et apud Plocensem Ecclesiam sepelitur, Cui Goslauus successit per concordem Capitularem electionem, electus via scrutinij, nobilis de genere Gryphonum, a Martino quarto Summo Pontifice Romano, Ducibus Masouiae, Semouito, Casimiro, et Boleslao omnibus consentientibus, confirmatus, et propter Canonicis Ecclesiae diuturnam vacationem prouisus.

Nicolaus Papa tertius, cum annis duobus, mensibus nouem, diebus tribus sedisset, ad castrum Surianum supra Viterbium ad vnius leucae distantiam situm, quod tunc a nobili sub praetextu haereticae prauitatis abstulerat, et consanguineis donauerat, se transferens, singulari et noua morte, priuatus subito omni sensu et motu vicesima tertia Augusti. Cuius corpus Romam translatum in Basilica beati Petri et in capella beati Nicolai quam ipse aedificauerat sepultum est. Post cuius mortem variae seditiones Romae inter Vrsinos et Hannibaldenses fieri coepta sunt.

Decimus Prussiae Magister Poppo de Osterna, Conrado de Turberg vel per senectam otio vel excedenti e vita succedit. Quo brevi moriente Haino substituitur. Sed cum is quoque absumptus esset, Hartmannus de Hederunge in officium assumptus, duodecimum sortitur locum, Cui Conradus de Vuchsteuuange successit. Quo libere cedente Manegoldi Commendator Kingbergensis suffectus est, Sub cuius regimine in loco castri et oppidi Zantir, altero nomine abrogato castrum Marienburg erectum est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS OCTVAGESIMVS PRIMVS

Cruciatus quondam suos et passiones, quas in captivitate apud Boleslaum Calvum Legnicensem Ducem in vora tum Rogatsha Henricus quartus probus appellatus Vratislaviensis Dux pertulerat, omnibus conatibus expetens ulcisci, cum aperte id se vix consequuturum parum ac difficile speraret, ad fraudes et dolos animum intendit, Et quo facilius cogitatum et diuturno iam tempore agitatum, in se, facinus perficiat, conventum in villa Baricz instituit, et tam maioris Poloniae et Cracoviae quam Silesiae Duces literis et nuntiis illuc conventuros, et de pace atque bono statu et ordine principatuum, deque nonnullis aliis rebus per ipsum proponendis, bonum et proficuum publicum concernentibus tractaturos invitat. Et caeteris quidem Ducibus varias occupationes pro excusatione alegantibus, Przemyslaus maioris Poloniae, Henricus Legnicensis, Henricus Glogoviensis, in Dominica Septuagesima; is enim dies ab Henrico Vratislaviensi ad conveniendum dictus erat, nullam fraudem de Henrico Vratislaviensi suspicati, cum omnes tres arcta affinitate contingeret, cum modesto familiarium et militum numero conveniunt. Henricus autem Vratislaviensis Dux, etsi dolore ingenti afficitur, quod pauciores, quam animo destinaverat Principes ad suam capturam convenissent, non distulit tamen cogitatum exequi facinus, Sed ~~Sed~~ praefatos, Maioris Poloniae, Legnicenſem, et Glogovienſem Duces, et iure hoſpitij et iure gentium, iure quoque divino et humano prophanato, primo adventus eorum die, locum conſilij ingreſſos, ſcelerati per ſe et milites ſuos quos in grandi numero ſecum adduxerat, captivat, et captivos, in Vuratyſlaviam deductos, arcta cuſtodia et vinculis ſingillatim includit. Quos cum usque ad feſtum Pentecoſtes vinctos obſervarit, et multis Principibus pro eorum relaxatione fatigas et inſtantias ſuas interponentibus, nihil modeſti reſponderit. Leſtko niger Cracovienſis, Sendomirienſis et Siradienſis Dux fratris ſui Przemiſlai maioris Poloniae Ducis liberationem, quam precibus et interceſſionibus nequiverat, armis effecturus, cum omnibus ſuis et terrarum ſuarum copijs in Vuratyſlavienſem terram deſcendit. Cui Msczugius Pomeraniae Dux, item omnes milites Maioris Poloniae ſolatium praeſtituri adveniunt, Triplici itaque agmine Vuratyſlavienſem terram ingreſſus, eam ſpolijs confecit, et incendijs, et in omnium Polonorum pectore, iuſta, pro Ducis ſui Przemiſlai captivitate indigna, efferviſcente ira, plura crudelia eduntur facinora, multi ſanguinem vero, nulli offuſo, quod ſub Henrici Vuratiſlavienſis ditione conſiſtebat parſum eſt, ſed univerſo Vuratyſlavienſi Ducatu flammis dato, etiam in ſuburbana Vuratyſlavienſia ſaevitum. Saxeum tamen Henrici Vuratyſlavienſis Ducis et obſtinatum pectus, neque tot incendia in conſpectu ab eo viſa, neque ſuorum militum et ſubditorum ſiniſtra ſuam opem expoſcentium fletus et lamenta, vel ad opponendam reſiſtentiam, vel ad componendam pacem, et relaxandum captivos liquefacere potuerunt, quin in propoſito ſuo tenere perſeverans, neque cum hoſte decernere, potentiam hoſtilem et ſuorum caſum veritus, neque ſuorum militum, non tam lacrimis, quam varijs contumelijs et increpationibus illum pro iniuſta Ducum captivitate inceſſentium, potuit ad compaſſionem aut ad aequitatem inflecti. Quo in ſua obſtinacia perſeverante Leſtko niger Cracovienſis Sendomirienſis et Siradienſis Dux univerſo Vuratyſlavienſi Ducatu in favillam redacto, et praeda ingenti de pecore et aliarum rerum

rum suppellectili congesta, in terras suas Henrico Vratyslauiensi Duce in castro Vratyslauiensi se continente rediit. Duces autem qui captiui ab Henrico tenebantur, molestias captiuitatis diuturnae euadere, cum illo per pacta de liberatione sua conueniunt. Et a Premislao quidem maioris Poloniae Duce, quamuis frater suus amitalis fuerit, terram Rudensem, quae nunc Velunensis appellatur, asserens illam sui iuris esse, et ad se pertinere, suis quoque praedecessoribus iniuste ablatam depactat et extorsit. Ab Henrico vero Legnicensi, et Henrico Glogouiensi fratribus patruelibus, cum exactionare aliquas sortes terrarum non posset, seruituros se sibi per quinquennium cum triginta lanceis, contra quemlibet hostem, et in qualibet necessitate obligat, Datisque per Duces de implendo pacto obsidibus, et iuramento ab omnibus exacto, ne occasione suae captiuitatis quicquam contra illum per se vel alios hostile molirentur, tum primum illos ex captiuitate laxatos in Principatus suos remisit.

Pruthenorum primates et animosiores milites, in forti exercitu, terram Mazouiae ingressi, et castrum Plocense subita expugnatione adorti, in magna temeritatis suae superbia capere illud, et terram Mazouiae caedibus spoliis et flammis affligere nitebantur. Sed a Duce Mazouiae Boleslao et gentibus suis inuasi, paucis euadentibus conflicti, temeritatis suae penderunt paenas.

Semestri spacio a vacatione Ecclesiae Romanae effluxo vicesima prima Februarij Simon Turonensis tituli Sanctae Caeciliae Presbyter Cardinalis in Viterbiensi palatio in Papam eligitur, et Martinus quartus appellatus, Turonensis dictus quia inde ut tradunt historiae originem traxit, vel quia ibi nutritus referebatur. In sumptibus magnificus, et religionum amator. Post electionem autem ex Viterbio discessit, Viterbienses perosus, qui Cardinalem Matthaeum in priuata camera tempore electionis post contumeliam recluserat. Et venit vrbem veterem, et illic coronatus, et residentia per biennium facta in Perusium transiit

Vngarorum Rex Vladislaus ad lasciuiam et varias illecebras se reuoluens, cum Comanorum tunc gentilium habitu et moribus, vna cum militia sua vteretur, etiam et vitijs eorũ se capi et faedari permisit. Vxore siquidem filia Caroli Siciliae Regis contempta, Eduanam, Kupechk, Kuptosh et Mandalam pluresq alias Comanorum mulieres forma praestantes accepit in concubinas, et ritu barbarico illis coepit abuti. Periculum fidei Martinus Papa quartus veritus Philippũ Episcopum Firmanum, virum magnae prudentiae et doctrinae in Vngariae et Poloniae regna nuntium cum potestate legati de latere destinat. Qui in Pannonias primum perueniens, Rege Vladislao adito multifarijs et salutaribus consilijs precibus et monitis illum obsecrat quatenus habitum et mores Comanicos deserens, Catholicis se Regibus non in habitu solum et moribus sed et in vita conformet, et repudiatis concubinis barbaris, mores illius a puritate fidei Catholicae depravarunt et seducant, legittimam vxorem resumat, et in casto pudicoq thoro iusto consortio viuat, Comanos insuper quorum consilijs regebatur a se abdicet, et Catholicorum potius Baronũ consilia sectetur. Qui salutarem doctrinam, mulierum et concubinarum Comanicarum amore irretitus et contemnens, nuntium Apostolicum parum honeste tunc tractauit, et postea vero in conspectum non admisit. Ille grauitatem et rigorem se et Apostolica sede dignam obseruans, duos Episcopos, qui Regis opera facta mulcebant, et aut dissimulatione aut consensu eum tuebant, de eorum sedibus deponit. Regem autem primo secundo et tertio commonitum dum despiceret, et aurem sibi corripientem se obturaret, excommunicationi primum deinde Anathemati velut Ethnicum et Ethnicis consentientem innodauit. Qui ob id insolentior factus Apostolicum Nuntiũ praefatum Philippũ Episcopũ Firmanũ, missis satellitibus Vngris et Comanis captiuat et alligatum illi contumelijs irrogatis, in curru illum extra Vngariae fines deducit, interminans illi necem si rediret. Barones autem Regni Vngariae temeritatem Regis sui, et illius varias in Deum et homines praeuaricationes comperissent illum rapiunt et omnibus suis concubinis cum ignominia relegatis, in castro Vissegrad illum cum vxore legittima ponunt et claudunt, certis Baronibus sua et castri custodia commissa, ut vel sic lubricitati sua inhibita ad iura matrimonij custodienda animum intenderet, deniq Regina fecunditas, et Regnum iusto haerede et successore non frustraretur

Maiorem Pragensem Ecclesiã Otto Brandeburgensis

sis Marchio et Bohemiae tutor, orto certius regno Bohemo multis opibus et varia ac preciosa rerum diversarum suppellectili, quas tam nobiles, quam cives et agrestis, Ecclesiastici et saeculares illuc velut in locum tutum deposuerant, refertam esse, mittit Saxones, qui omnibus seris perfractis et opes et Clenodia et omnes nobiles et preciosas sarcinas auferunt, et in Saxoniam deportant. Bohemiam fere omni auro et argento, margaritis, gemmis et quicquid preciosum aut concupiscibile in ea erat, facili negotio exuunt et denudant. Sed nec repertus est aliquis ex Bohemis, qui tam graves iniurias gerens, singulis nec ulcisci audentibus, peteret resistere, omnibus ea tempestate Saxonum formidine constrictis.

Prutenorum exercitus pedestri et equestri milite valido, terram Culmensem ingressus, tanta caede tantisque flammis et spoliis in eam, Magistro et Cruciferis, nec defendere nec resistere audentibus grassatus est, ut quinque castris, videlicet Kreudzantz, Marienwerder, Crantsch, et Cristburg et Clementsch expugnatis, et conquisitis, singulos homines promiscui sexus, quos in eisdem repererant, nulli conditioni, sexui, vel aetati parcendo, miserabiliter trucidarent.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMꝰ OCTVAGESIMꝰ SECVDꝰ

Iaczwingorum reliquiae quae se Litthuanis iunxerant, cladem suam et exterminium a Polonis proxima dimicatione inflictam ulturi, cum Litthuanorum copiis quae ad quatuordecim equitum et peditum millia estimabantur, in terram Lublinensem clandestinis itineribus, et subito, vicesima quarta Septembris die perveniunt, et illam caedibus et spoliis exercitu tripartito et populatione latius extensa, vastant, occisisque Sacerdotibus et ministris Christi, duobus fratribus ordinis Praedicatorum, senibus et lactantibus, maximum hominum et pecorum numerum congerunt, et quindecim diebus in eius vastatione et praedatione demorati, praedam ingentem in Litthuaniam secum referebant. Agebat pro ea aur Lestho Niger Cracoviensis et Sendomiriensis Dux Cracoviae una residens populis, quam primum vero nunciatus esset, tius invasionem barbarorum terrae Lublinensi denuncians, ilico ceteris rebus postergatis cum militibus qui secum una Cracoviae morabantur, ex Cracovia egressus, versus Lublinensem terram celerrimo cursu, conquirendo et

alliciens

colligens in timore militis, procedebat, existimans barbaros
in Lublinensi terra se reperturum, vel hostes vincere exaestu-
ans, vel offerre mortem. Verum in Lublinensem terram per-
veniens nihil praeter miserabiles reliquias opem suam implo-
rantes, iam secundum barbari praeda onusti de illa excesserant,
offendit. Quid itaque ageret, persequendo hostes numero
et potentia superiores in sylvas et lacus, caeteraque loca nullam
pabulationem sibi et militibus suis praebitura, progressos,
an subsisteret et rediret, sugillationem et infestationem mul-
tiplicem sua expeditione subiturus, fluctuantem illum, con-
siliique inopem visio Angelica, qua se Archangelum Micha-
elem profitebatur, per soporem monstrata, monet ut quoli-
bet respectu et cunctatione abiectis, non differat persequi ho-
stes, certamque illi futuram victoriam promittit. Ea visio-
ne universis militibus in contione vocatis exposita, etiam
timidos et meticulosos, persequique barbaros detrectantes ex-
hilarat, nihil enim aeque animos militum et popularium
confirmare solet, quam divinitus nunciata religio. Sumptis itaque
tam cibariis quam armis, impedimentis vero quae escas
et pabula ferebant, se subsequi iussis, recentia barbarorum
vestigia intuentes, qua ampliori possunt celeritate vecti,
barbaros insequuntur. Et licet illos et Bug et Narew flu-
mina praetergressos comperissent, certi tamen de oraculi vi-
sione, et ipsi ipsis demum fluminibus superatis barbaros inter
Narew et Niemen flumina consistentes, neque enim propter
praedarum multitudinem facile agmen barbarorum movebatur,
tredecima die mensis Octobris consequuntur. Terruit su-
pramodum omnes barbaros Polonorum conspectus, et
multo maiorem quam pro numero Polonorum exercitum eun-
demque audacem et animosum mori destinatum aut vince-
re, animo et cogitatione metiebantur, paucos et timidos in
tam abdita et remota loca nullatenus penetraturos. Habe-
bat Lestko niger Dux in suo comitatu sex Polonorum et de
pedite et de equite, inter quos plures equites erant, millia, co-
pias haud contemnendas, omnes tamen in unum agmen
coactas, neque enim locus in quo certandum erat plus sylvarum
quam camporum habens, dividi copias in plures acies patie-
batur. Quibus adhortatis ut non tam pro patria, con-
iugibus, et liberis, quam pro fide Iesu Christi, de caelesti
favori praesidio, viriliter pugnarent, maximo impetu in bar-
baros, metu et subito Polonorum conspectu attonitos, insilit.
Et quamvis barbari primos Polonorum motus, impetus, ex-

cepissent

et aliquanto tempore tolerassent, primis tamen et secundis ordinibus obtritis, reliqui referre pedem, post vero verti in fugam coeperunt, caedes deinde non pugna in omnes passim fugientes edebatur, quam non solum milites Polonorum, sed a barbaris captivi Poloni, quos ex Lublinensi terra in utroq sexu duxerant, operose cumulabant. Terruerat et barbaros canum, quos simul cum captivis duxerant, viso Polonorum exercitu, ululatio et vociferatio, speciem exultantium praeferens, sublata, qui et certamine durante et in fuga diris morsibus, quasi nossent, quos insectari deberent, lacessebant. Caede ingenti et usq ad satietatem edita, nox superveniens, persequendi fugientes finem dedit, reliquias Jaczuingorum ea clade usq ad internecionem ultimam deletas esse, si enim soli pertinacius restiterant. Certum est, plures insuper tam ex Jaczuingis quam Lithuanis qui fugam evaserant, pudore acti, dum in penates proprios aut metuunt, aut erubescunt reverti, partim languore, partim fame; partim aquarum suffocatione, mortem sibi consciscunt, ut ex illo frequenti barbarorum exercitu, pauci fuerint superstites, qui aut Polonorum gladiis non ceciderint, aut sibi ipsis mortem miserabilem non consciverint. Mirum dictu et vix credibile apud Polonorum exercitum scrupulosius enumeratum, nemo repertus est in eo praelio et in persequendo cecidisse; quae res oraculum Lesthoni Duci praedictum factum non phantasticum, non humanum, sed divinum et caelesti eo prodigio monstrant. Lestho Dux et de hostium strage et sui exercitus incolumitate, suorum insuper quos gentilis ex terra Lublinensi captivos duxerant, liberatione, Dei omnipotentiam glorificans, vivasque laudes cum omni exercitu suo altitudinem resonans, spoliis etiam hostium potitus, ovans in suos Principatus rediit. Ab eoq tempore Beatum Michaelem sui triumphi et suum Patronum autorem, singulari prosequebatur veneratione et cultura. Ex Lithuanorum quoq clade reversus, in Lublin Basilicam parochialem Sancti Michaelis fundat, et eius nomini dicari procurat, quae etiam in diem hunc, beneficia Angelica tunc collata Polonis, et cladem barbaricam attestatur.

Ex Lithuanica et Jaczuingorum expeditione Lesthonem regressum Cracoviensem et Sendomiriensem Ducatum in Cracoviam reversum, et paulisper illic commoratum, militum Sendomiriensium, quorum Janussius Palatinus, Cristi nus Castellanus Sandomiriensis erant duces et capita, cum quibus et Paulus Cracoviensis Episcopus agere videbatur consilii, rebellio excepit. Qui ad novandum res dudum proclives, Conradum Mazoviae Ducem, et Lesthonis nigri patruelem germanum, quasi ille post Boleslai pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis obitum, tam iure, quam aetate ad succedendum potior censeretur, in terram Sandomiriensem inducunt, et tam Sandomiriensis et Zawichostensis quam aliorum terrae Sandomiriensis castrorum et civitatum illi tradunt effectualem possessionem. Ista novitate et rebellione Lestko niger Dux territus, exercitu ex Cracoviensibus et terrae Cracoviensis armigeris raptim et tumultuario more congesto, versus Sandomiriam processit, cum Duce Conrado patrueli fratre pugnaturus. Conradus autem et de causa et de militum animis fluxis et ambiguis diffisus, Lesthonis nigri fratris sui adventum per exploratores sibi nunciatum sentiens, in Mazoviam excedit. Cum ampliori potentia et copiis reversus Lestko interim et castra singula quae Conrado dedita erant, recuperat, et Ianussium palatinum, Cristinum Castellanum Sandomirienses, caeterosque milites seditionis authores sibi reconciliat, et prudenti industria sine armis vincit, et omnem submovet et opprimit rebellionem. Astruunt nonnulli authores Lesthonem nigrum Ducem ob seditionem militarem in Ungariam, seditionum authoribus eum propellentibus diffugisse, et post aliquantulum temporis spacio illic moratus est, reconciliatione inter Ducem Lesthonem celebrata, in Cracoviam et suorum et Ungarorum agmine comitatum feliciter rediisse.

Ad intestina et externa bella famis horrenda non in Poloniam solum, sed et in Bohemiam, Almaniam, caeterasque regiones horribiliter desaeviens, accessit adeoque sui acerbitate agrestes et plures ex plebeis integro biennio afflixit, ut mortem et famis perniciem vitaturi, laribus, uxoribus et pignoribus relictis aliqui in Ungariam, nonnulli in Russiam, stipem quaesituri diffugerunt. Sed utrosque eadem horrenda pestis et pernicies possedit, qui enim in Ungariam diverterant, ab Ungaris Cumanis tunc barbaris venundati sunt, qui vero Russiam, traditi Tartaris pro tributo, ut aliquanto satius fuerit famis morte in Polonia defungi, quam miserabilem et perpetuam servitutem apud Barbaras nationes experiri. Nefanda tamen et execrabilis Ruthenorum magis quam Ungarorum, qui verum ritum observant, venditio, quod in suam ditionem et fidem fugientes vicinos calamitate afflictos amplecti, nulla charitatis commiseratione, quae etiam brutis et pecoribus inesse solet ostensa, ne hospitij, ne gentium pessumdata, non indignum putaverint invehere. Saevior aliquanto famis Bohemos vexabat, qua pressae matres, pietatis oblitae, quam etiam belluae non sunt solitae negligere, fetus suos famem exclusurae manducabant. Famis malum vulgatis in corporibus escis aut herbis arborumque folijs et superfluitatibus nocuis ex his morbis tabefactis et infectis, saevissima eam epidemia sequuta.

Philippus Episcopus Firmanus et Apostolicus in Ungariae et Poloniae regna nuncius, a Vladislao Ungariae Rege et suis ignominiose tractatus et exclusus, in Poloniam advenit, et tam a Duce Lesthone nigro quam ab universis Ecclesijs cum magno honore exceptus est, et per omne tempus quo in Poloniae provincia demorabatur, omnibus necessarijs a Pontificibus habunde procuratus, maximis laudibus Poloniae Duces, Pontifices, et nationem Polonicam universam, Romam reversus, extulit et celebravit, munificam liberalitatem et civilitatem Polonorum praedicans coram universis.

Oldamir Cumanorum Dux in superbiam tantam elevatus, ut credens se universum Ungariae regnum propter Vladislai Regis pravos et levis mores subacturum, Ungariam invadit, Cui Vladislaus Ungariae Rex circa lacum Hood occurrens secum confligit, et praelio acri inter utrosque durante, tempestas ingens exorta, ora et vultus Cumanorum verberans, et obcaecans magno adiumento Ungaris fuit ut vincerent, victus tandem est ab Ungaris Oldamir, et omnes sui exercitus, pauci qui fugiendo ad Tartaros evaserant, deletus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS OCTVAGESIMVS TERCIVS

Exacerbati clade ad Narew fluvium accepta Lithuani, dolore continuo vexabantur, stimulabanturque ad referendam Polonis vicem, et talionem. Decreta autem et indicta expeditione, ut pro sui desiderij facilori consumatione incumbant in prospectu, quatenus Polonos in intempestivo et non prospicuo tempore velut incautos invaderent. Quam sententiam et consilium sequuti, aestate transfluxa, multo maioribus copijs quam ante, resistentiam veriti, quarta Octobris die Sandomiriensem terram, per Lublinensem regionem et sylvas in ea consistentes subito et improuise irrumpunt, et multa caede passim patrata, per villas et oppida discurrunt, interfectisque senibus et impuberibus, viros et foeminas, caeterosque puberes, pecus quoque et armenta capiunt, et citra sex millia Polonorum tum nobilium et ciuium, tum agrestium, pluribus trucidatis, in seruitutem abducunt. Milites autem Sandomirienses etsi non in parvo numero Sandomiriam conuenissent, tueri tamen tantummodo castrum et ciuitatem Sandomiriensem contenti; Duce Lesthkone nigro, qui tunc Cracoviae agebat, et colloquium et conuentum de Lithuanorum hostili irruptione per celerem nuntium auisato, a certamine propter sui paucitatem et hostium numerosam multitudinem abstinebant. Propterquod barbari liberius in caedes, praedas et spolia grassabantur. Lesthko itaque niger Cracouiensis et Sandomiriensis Dux de principatus sui vastatione plurimum angustiatus, cum omnibus Baronibus, militibusque qui illuc confluxerant, armis arreptis, de Cracouia exiuit, et tam nocte quam interdiu gemebundus et tristis, alta pro captiuis qui abducebantur cum suis militibus edens suspiria, ita quam celerius potest recto gressu versus Sandomiriam confert, praemissis nuntijs qui et eos qui in arcem Sandomiriensem confugerant, et caeteros milites in castris et munitionibus suis consistentes se ocius subsequi iuberent, sciens barbaros rapta praeda velociter discessuros. Adunato itaque et ex his, qui ex Cracouia illum comitabantur, et ex his qui Sandomiriam obseruabant militibus, qualicunque exercitu, assumptis insuper agrestibus, ut speciosior instructioris exercitus videretur, sciens omnem victoriam non in multitudine sed in solius Dei consistere arbitrio et potestate; exercitum vniversum Confessionis et Eucharistiae Sacramento, se quoque primum communit. Propitiato quoque Deo, qui illi anno superiori non speranti de eodem hoste trophaea contulerat, et militibus in concione animatis, hostes, qui nondum metas principatus sui ab exploratoribus nunciabantur excessisse persequitur, ratus exercitum suum spiritualibus et materialibus instructum armis audacissime et feliciter cum barbaris pro patria, pro templis, pro focis, proque gente et natione sua in captiuitatem ducta, pugnaturum. Quos cum in Lublinensi regione grauis praeda, eosque impe

pediret

diciori agmine incedentes consequutus esset, Lithuani perniciem superioris cladis vitaturi, ne simul et cum Lestcone Duce, eiusque exercitu, et cum captivis quos ceperant, pugnare cogerentur, in sylvas proximiores, vastas quidem densasque, et limosas se dederunt, ubi illos Poloni veluti in munimento forti consistentes, periculum et propter hostilem potentiam et locorum incognitatem veriti, distulerunt invadere. Magnaque ob id anxietate acti, quod hostem e conspectu emisissent, eadem porro anxietas apud barbaros versabatur. nam et obsideri se a Polonis in sylva in qua delitescebant, et si hinc evaderent, Polonos se usque in Lithuaniam secuturos pertimescebant. Captivis igitur ne Polonis adiumento forent in sylva densissima alligatis, et sarcinis ac impedimentis illic sub custodia paucorum et imbecillium relictis, e sylva glomeratis acubus ordinatis prodeunt, et ad stationes Polonorum in loco qui Rouine appellatur consistentes, vociferationes emittentes barbaras et incognitas, perveniunt. Terrent Polonos subitus eorum adventus, et quos fugere putaverant, bellum ultro sibi inferre videbant, magisque tamen multitudine hostili ad suam paucitatem comparata movebantur, propter quod timidiores et inexercitati in fugam spectare coeperant, nisi Lestko niger Dux prudenti oratione pavorem militarem excussisset, asserens nullum mortis genus sanctius praestantiusque fore, quam id quod pro fide, pro patria, et penatibus esset susceptum, gavisuros illos potius quam trepidaturos quod ea occasio pugnandi illos teneret, perquam honestissimam apud futura saecula, si vincerent, sive interirent, versarentur. Recolerent insuper anni [illegible] victoriam e caelo sibi praestitam et nunc quoque eandem et ampliori spe pro victoria adniterentur, postquam cum eodem hoste recenter et edendum ab illis victo esset certamen, movebantur captivorum miserabilibus singultibus, qui in eorum dexteris fiduciam suae liberationis reponunt, se insuper nihil saluti suae parsurum, sed pro exercitu suo et genti, simul se cuique morti expositurum. In duas tamen grates alas exercitu partito, quarum unam Zegotha Palatino Cracoviensi, alteram Janussio Palatino Sendomiriensi committit, in hostes insilit, et obvios quosque prosternit, primasque hostium acies adeo obterit, ut etsi ceteri in eadem pugnandi constantia aliquanto tempore constiterint, Poloni tamen iam quasi se putabant, primis ordinibus debellatis, victores, durante praelio, ala Zegotha Palatini Cracoviensis, in ea enim et Cracoviensis Ducis et exercitatiores milites erant, primum vincere coepit, aequa tandem et ad aliam eadem sors pervenit. Fusi itaque Lithuani fugatique, et plura eorum millia eo praelio in stragem data sunt, quamvis et de Polonis aliquot insignes milites ceciderint. Praelio obtento ad sylvas et captivos sarcinasque Lithuanorum itum est, et solutis captivis, sarcinis quoque Lithuanorum in milites divisis, omnis praeda quam ex Sendomiriensi terra tulerant, relata est, legebantur et per plures dies captivi Lithuani, et spolia, qui locorum ignari fugiendo oberrabant. Ita demum propitia divinitate, et hostis funesta clade obtritus, et omnis praeda erepta, sed nec cognitu facile erat, prudentissimi ne Imperatoris, an strenuissimi militis in pugna illa Lestho nigro Dux opera ediderit

Duodecima mensis Augusti Thomas Monasterii Tinecensis Abbas in oppido suo Opatowiecz Cracoviensis Dioecesis, cooperante et instante Lesthone nigro Cracoviensi, Sendomiriensi et Siradiensi Duce Monasterium fratrum Praedicatorum fundat et erigit et ipsis fratribus agros nonnullos et terram donat, et largitur, pro praedio et cultura, cum omni libertate

Precislawa Ducissa genere Ruthena consors Semoviti Masoviae Ducis moritur secundo Idus Aprilis et oppidum Rostkinij per Conradum Masoviae Ducem vastatur.

Zofsia Ducissa consors Boleslai Masoviae Ducis filium enixa est, cui nomen Semovitus dum baptisaretur datum est

Invasionem Lithuanorum eo anno et superiori patratam Paulus Cracoviensis Episcopus procurasse multorum assertione insimulatus, mandato Lesthonis nigri Cracoviensis et Sendomiriensis Ducis per milites, dum in oppido Lagow ageret capitur et vinctus in castrum Siradiense altera vice deportatur, vacabat enim tunc Gnesnensis sedes, principes huiusmodi censuris interdicti subiacent.

Pridie Calend. Januarij Premislaus secundus Dux maioris Poloniae fundat hospitale ante portam oppidi Calisz pro recollectione infirmorum et miserabilium personarum et illud cum dote et colata libertat. fratribus Joannitis illud dans in curam et regimen

Quartadecima Decembris die Lukardis Ducissa consors Premislai Maioris poloniae Ducis, et filia Nicolai Cassubitae in Posnaniensi castro diem obijt, a proprijs familiaribus et ancillis iugulata. Quam etsi maritus suus Premislaus Dux fleverit, et Decentes illi celebraverit funebras, insimulatus tamen est in mortem suam, quoniam sterilis erat et infecunditatis gratia et prolis variis et crebrissimis dissidiis, nonnullas personas in eius mortem subornasse; Duxit quoque suspitionem dissimulata ultio, ~~nec~~ et praestitae authoritatis indigna necis impunitas. Sed et carmina publica usque in aetatem nostram decantata testabantur Ducissam Lukardam, dum se a marito praesensisset destinatam in mortem, flebilibus obsecrationibus rogasse, ne vitam et consorte et foemina innocente pateretur eripi, sed et pro Dei reverentia et honoratam coniugali quam Ducali permitteret eam in paternam domu etiam in unius camisiae tegumento deduci, aequo animo sortem quantumcunque inopem, dummodo in longiori vita, laturam.

Facinus suum Dux Przemislaus occultum, perpetuoque tenendum silentio crediderat, velut a paucis conscijs et obscure actum, quod tamen Deo efferente, publice et vulgari carmine in suum dedecus audiebat cantari, quod etiam in nostram usque aetatem constat pervenisse, nostrique saeculi illud concinuerunt theatra. Trahebaturque Dux praefatus Przemislaus in sermones praedicti, vulgari quidem sed veridico mortis culpam, et a plurimis carpebatur, quod mors praefatae Lukardis, alieno quidem ministerio sed suo patrata fuerat mandato et iussu, neque localis remota, neque prohibitione destructa, potuit qualitatem sui sermonis de ore et pectore hominum abstulisse. Qui etiam occisionis praefatae consortis suae ob sterilitatem coelestium firmissimum et irretractabile decretum impedire frustrarique conatus, et scilicet si facerent testissimo, et proli vivali altera uxore superducta non potuit potiri.

Praelatis et nuntijs Gnesnensis Ecclesiae, electi sui Volostiborij Decani Gnesnensis electionem suam per sedem Apostolicam confirmari petentibus, Martinus quartus electione eius cassata, Jacobo Swinka Polono et generi nobili de domo porcaria, quae apud Polonos Swinka id est sus vocatur, propter familiaritatem, quae illi in minoribus agenti communis erat, providit. Qui anno eodem die Saturni decima nona Decembris in oppido Calisz in Monasterio fratrum ordinatur in Presbiterum, et sequenti die Solis consecratur, a quatuor Poloniae Episcopis videlicet Thoma Vratislaviensi, Joanne Posnaniensi, Goslao Plocensi, Wolimiro Lubucensi, in Archiepiscopum. Quam solennitatem consecrationis Przemislaus Dux maioris Poloniae exequiis suae consortis peractis, sua et Dominorum praesentia, et novo Archiepiscopo Jacobo annulum gemma et opere insignem pro munere obtulit

Sexto Calend. Januarij Przemislaus secundus maioris Poloniae Dux fundat Monasterium Sanctimonialium ordinis Praedicatorum in Posnania, cui tres villas, videlicet Piantkow, Kundniezi, et Zaparczeze, item lacum Bostynino dat in dotem. Coronatus autem in Poloniae Regem confirmat donationem per Vincentium Vicecancellarium ac fratres eius Nicolaum palatinum et Miroslaum de villis Donatkowo, et Przemyslawo, Item Nicolai Palatini Calisiensis de villis Roszczynino, Byalykoszy Szoholniky et molendina ante Posnaniam. Item Joannis Scholastici, de villa Popowo factam, libertando haereditates praedictas

Nonas Decembris Albertus Wladislaviensis Episcopus cum annos in Pontificatu tredecim exegisset, moritur, et in Ecclesia Wladislaviensi tumulatur. Vir spectatae virtutis et in pauperes religiososque et quoslibet inopes, liberalitatis profusae, Cui Wislaus Canonicus Wladislaviensis et Praepositus Plocensis successit, anno subsequenti quartodecimo Calendarum Aprilis a Jacobo Swinka Gnesnensi Archiepiscopo in Monasterio Strzelnensi ordinis Praemonstratensis, Wladislaviensis Dioecesis et provinciae consecratus, nobilis generis de domo et familia Zabawa

Variis externis et intrinsecis Bohemiae Barones et nobiles vexati incommodis, principem suum Venceslaum sub cura et tutela Ottonis Longi Marchionis Brandeburgensis constitutum, sibi reddi deposcunt. Sed Otto Marchio praefatus callida ad differendum ingenia conquirens, Bohemorum expostulationem, quam crebris vicibus iteratam implebant, illudebat. Domini Bohemi terra sua dispendiis diutinis ingravescentibus premi non patiuntur, Marchioni Ottoni Marchiam Budissinensem cum nonnullis castris et oppidis in perpetuam haereditatem et possessionem, et triginta quinque ß argenti se daturos. Hy duabus conditionibus Otto Marchio motus, postquam illi a Bohemis effectualiter impletae sunt, Ducem Venceslaum illis nono Calendas Junij in Pragam adductum restituit. Sed hunc demum genitrix sua Cunegundis consors Zawissy de Rosenberg adeo blandimentis maternalibus devinxit ut totius Bohemiae regimen et gubernationem vitrico suo Zawischio di Rosemberg committeret. Qui fastuosius se erga Bohemiae Barones gerens, multorum in se livores et odia commovit, antumque hos atque tum Bohemia sub eo quam sub Ottone Marchione dispendijs quam plurimis afflicta et pressa est

Germanus Msczuyj Pomeraniae Ducis et alter filiorum Swantopolci Warcislaus tenuitate paternae sortis qua illi obtigerat considerata, mundo relicto, ordinem Cruciferorum de Prussia, conferens ordini sortem sui Principatus assumit. Cuius exemplum duo alij fratres Samborius et Ratibor sequuti, sortes suas ex conditione ordini donant, ut ordo illos in statu et habitu saeculari permanentes, et servitores eorum expensis et sumptibus decentibus provideret. Contulit etiam alienationem Msczugius Pomeraniae Dux natu maior, sed omnes tres trium germanorum sortes in suam ditionem redigens, misso speciali apud summum Pontificem Martinum quartum, de magistri et ordinis Cruciferorum notoria ambitione, qua sortes fratrum ad se [illegible], quaerebatur. Qui ad rem componendam Philippum Episcopum Firmanum Legatum in Sueciam transmisit, qui utrinque partibus auditis propositionibus et responsis, donationem per tres Msczuyj fratres, Warcislaum, Samborum, et Ratiborum factam velut iniquam et iniustam infirmavit, ordinem Ducem vero Msczugium ad donandum donationem et rescripto perpetua Magistro et ordini oppidum et districtum per cum quindecim tantummodo villis induxit. Quo confirmato Magister et Ordo castro Sutenberch demolito castrum et oppidum Gniew novo aedificant

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS OCTVAGESIMVS QVARTVS

Insatiatus Henricus quartus probus cognominatus Vratislaviensis Dux earum fraudium, quas in Przemyslao Maioris Poloniae, Henrico Legnicensi, Henrico Glogoviensi Ducibus captivandis argute commiserat, prospero successu, terra Rutenus alias Vielunensi, de qua pro liberatione sui Premislaus Posnaniensis Dux illi cesserat parum contentus, cursus ut est natura hominum, qui se cupiditati et avaritiae semel permiserint auiditati pectori aliena afficere, sed occupandis caeteris Maioris Poloniae principatus, animum intendit. Et nonnullos sibi ex Maioris Poloniae Baronibus, eos praesertim, qui rerum summae praeerant, tum muneribus, tum amplissimis promissis alicit, et conciliat oportuno tempore eorum opera ad consequendos ambitionis suae et fraudis fructus usurus. Inter quos cum Sandivogium Joannis Palatini Posnaniensis spe et largitione corrupisset. Sandivogius ipse castrum Calisiense habens, a Premislao Maioris Poloniae Duce in sua fide et tenuta, ob nonnullas insuper simultates, Premislao Duci, et quod in conferendis magistratibus et officijs publicis dolebat se ab eo praeteritum, infensus, ultima Septembris castrum Calisiense, civitas siquidem paululum ante septimo videlicet Calendarum Septembrium proprio incendio conflagrarat, Henrico quarto Vratyslaviensi tradit, omnis humanitatis suae et honestatis oblitus. Qua novitate non secus quam par erat, Premislaus maioris Poloniae Dux permotus, universis militibus suorum principatus in arma evocatis, versus Calisz proficiscitur, castrum Calisiense, in quo iam frequens ex Slesia militum Henricus Vratislaviensis Dux praesidium locaverat, et tum propugnaculis, quam utensilium provisione munierat, ab omni parte in coronae modum cinxit, et vallavit, Sperans se aut tractatibus interpositis fame urgente per deditionem, aut per violentam expugnationem castrum habiturum. Cancellatoribus autem ad milites castrum obtinentes missis, qui persuaderent, ut castro reddito incolumes omnibus ablatis abirent, cum nihil responderetur, pa cati, Przemyslaus maioris Poloniae Dux castris propius admotis in diem tertium pronunciavit, ut milites pro expugnando castro parati essent. Quo adveniente magna vi magnoque conatu et impetu ad illius expugnationem, universa fere die cassos labores impendit, et loci natura et arte, militumque manu, conatus illius frustrati. Inclinata tandem iam die cum insignis militis expugnatio huiusmodi aut absumpsisset, aut consumpsisset vulneribus, signo dato receptui, illam, plus dedecoris et damni gravis utilitatis ex ea referens, omisit. Interpositi tandem sunt per communes Barones pro pace tractatus, inter bellantes et dissidentes Duces, et post plures fatigas et labores sub his tandem conditionibus, Premislao Maioris Poloniae Duci parum domesticis pax convenit, ut Dux Wratislaviensis Henricus de castro Calisiensi occupato cedat, et illud Premislao Duci Maioris Poloniae reddat. Premislaus vero in oppido Olobok castrum suis sumptibus aedificet, et illud cum regione quae circa Olobok consistit, Henrico Wratislaviensi conbigent. In hunc modum pace confecta obsidio soluta est.

Guerra humana et sacrali licet admodum temeraria et iniusta, Henricus Wratislaviensis Dux probus appellatus per antiphrasim, cum magis improbitas illi conveniret, perfunditur, sed sacrilegam et magis detestabilem, sive potius rerum avidum et insatiabili, sive inflatus plusquam humana superbia et fastu animus id causabat, arma vertit, et notabiles pecuniarum summas et subventiones, a Thoma Episcopo et Clero Wratislaviensi sibi dari stricto mandato imperavit. Quae cum non praestarentur, maiori furia actus, Othmuchow castrum Episcopale primum, deinde oppidum Nissa Ecclesiae rapit et quasi ea parva essent, omnium aliorum castrorum, oppidorum, et villarum, quae ad Episcopum Wratislaviensem, aut omnem clerum pertinebant possessionem, per satellites suos expulsis inde tenutariis et Officialibus Episcopalibus et Ecclesiasticis apprehendit. Decimas insuper universas in suo Principatu, quae soli Deo in signum universalis dominii noscuntur reservatae, sub gravi interminatione et poena iussit sibi praestari. Habebat insuper Episcopus et Ecclesia Wratislaviensis castrum Edelstein in certa summa pecuniae sibi pignori obligatum, ad illud quoque rapaces manus extendens, in suam redegit ditionem. Hot adversitatibus et persecutionibus sub uno tempore in Ecclesiam Wratislaviensem in quandam tempestatis et procellae modum coortis, Thomas Episcopus Wratislaviensis commotus, solemnes nuncios ex Praelatis et Canonicis Wratislaviensibus ad Henricum Ducem Wratislaviensem mittit, pro restitutione bonorum Ecclesiae rogaturos, Qui etsi submisse et humiliter legationem suam illi denunciassent. Superbum tamen et minarum plenum retulerunt responsum, Missi et alij iterumque et alij cum in eodem superbiae et furoris tenore perstare Ducem Henricum monstrassent, ad extremum Thomas ipse Wratislaviensis Episcopus ad mitigandum saevum et truculentum animum ire pergit. Sed a Duce Henrico, quamvis blande et mansuete preces iustas ingeminasset, asperius obiurgatus, Jacobo Swinka Gnesnensi Archiepiscopo suo Metropolitano per literas et Nuncios suas et Ecclesiae suae Wratislaviensis pressuras, provisionemque flagitans, intimat. Qui calamitatibus Ecclesiae Wratislaviensis paterno et benigno affectu compassus, pro sacra Epiphaniarum die anni subsequentis, neque enim temporis qualitas citerius patiebatur, rem obiri, Synodum provincialem Lanciciae instituit, et omnes provinciales Coepiscopos ad illam invitant, tam detestabili rei ab Henrico Wratislaviensi Duce molitae, ne in effectum procederet, occursuros.

Quartodecimo Calend. Junij Primislaus Sprotaviensis Dux in Zeganno oppido sortis suae Monasterium ordinis ad petitionem et instantiam Alberti Plebani Zegannensis fundat et erigit, et condignam illi dotem de villis et introitibus ducalibus largitur.

Mortuo Mangolto Cruciferorum Magistro Burgardus de Swanden surrogatur, qui illius felicitatis extitit ut etiam civitati Accon in terra sancta diuturna obsidione Saracenica laboranti, depulsis barbaris succurrerit. Post paucos vero dies de officio fratribus nequicquam flexis genibus rogantibus cedit, et Joannitarum ordini assumit, in quo parum provide et graviter habitus, officium in Prussia repetere conatus, repulsam passus est. In cuius locum Henricus de Quercinvort natione Saxo substituitur.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS OCTUAGESIMUS QUINTUS

Epiphaniarum festo adveniente Gnesnensis Archiepiscopus Jacobus Swinka in Lanciciensi oppido Synodum tenuit provincialem. In qua Paulo Cracoviensi, Joanne Posnaniensi, Vislao Vladislaviensi, Thoma Wratislaviensi, et Wolimiro Lubucensi Episcopis, caeterisque inferioribus Praelatis et Abbatibus innumerabili multitudine convenientibus, causa Wratislaviensis Ecclesiae per Henricum quartum Wratislaviensem Ducem angustiatae et oppressae tractari et agi coepta est. Et quoniam omni modestia erga Tyrannum

num Henricum, Thomas Wratislauiensis, gerens se submissius, etiam quam Pontificalem decuerat dignitatem, usus fuerit. Jacobus Swinka Gnesnensis Archiepiscopus de Coepiscoporum suorum votis et consilio, processu summario contra Tyrannum instaurato, ipsum et omnes suos satellites, familiares, et adhaerentes, et singulos qui eidem praestiterent consilium, auxilium, vel fauorem, pro violentia et oppressione, quam Ecclesiae Wratislauiensi intulerat, censuras Ecclesiasticas extendit, et aggrauat, et tam Wratislauiensem ciuitatem, quam omnia alia loca principatus sui Wratislauiensis, Ecclesiastico supponit interdicto. Quo dictis mandatis iustissimis, sui Metropolitani parendo, uniuersae Ecclesiae uniuersaque Monasteria Wratislauiensis ciuitatis et Dioecesis obseruassent et organa diuina laudes suspendissent, soli fratres Sancti Francisci ordinis Minorum in Monasterio S. Jacobi Wratislauiae illud obseruare contempserunt, sed pro Ducis Henrici et ciuium Wratislauiensium fauore et beneplacito non compatiendo, quemadmodum caetera nobilia et iusta membra capiti, publice et notorie prophanabant. Eiectus est igitur tam Episcopus quam omnis clerus Wratislauiensis ecclesiae. et fratres praedicatores quos honoris et virtutis causa specialiter nomino, de Wratislauiensi ciuitate et alijs oppidis atque villis per Ducem Henricum, et ducis Wratislauienses ciues qui secum vna sentiebant et suam fouebant mulcebantque contumaciam et tyrannidem, et omnes in exilium acti, in Poloniae Dioeceses secesserant et illic per omne tempus quo persequutionis detonabat procella, a Poloniae Ecclesiae Pontificibus, Praelatis, et Clero benigne et humane recollecti et habiti morabantur. Soli minores fratres humana et temporalia lucra sectati, non sine sua et ordinis sui nota et ignominia sempiterna, non apud illa solum, sed etiam apud praesentia et futura saecula detestabilem memoriam habituri, reperti sunt, qui Ecclesiastica disciplina neruo temerato, inseparabiliter se iniquitati, et Tyranno Henrico Duci, eiusque satellitibus et ciuibus Wratislauiensibus addixerant, apud quos plus valere visa per assistentiam diuina, et iussis salutiferis praestantiores sunt humana quam ultima. Thomas autem Episcopus Wratislauiensis suam et cleri sui iniuriam repressurus, ad Lugdunense Concilium personaliter se contulit. Sed cum illic quoque speratum non offendisset desset remedium, Dux quippe Henricus Vratislaviensis missis procuratoribus absolutionem a censuris et interdicto Gnesnensis Archiepiscopi obtinuit, nulla satisfactione de damnis et malis, quorum non erat numerus, Thoma Episcopo impensa, in Poloniam ex Lugduno maestus rediit, et in Ratibor a Duce Casimiro Oppoliensi recollectus habitavit.

Sedata paululum vel potius propter externa et barbarica bella dilata et commota militaris contra Lestconem nigrum Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem seditio atque rebellio, quiescentibus bellis, maiori rursum turbine crevit, et tam Paulo Cracoviensi Episcopo, quam Varschio Castellano, Zegotha palatino Cracoviensibus, Janussio Palatino, Cristino Castellano Sandomiriensibus, caeterisque primoribus Baronibus terrarum Cracoviensium et Sandomiriensium, in illius deiectionem, et Conradi Mazoviae et Czirnensis Ducis institutionem, uno voto, unoque tenore conspirantibus, Conradus praefatus Mazoviae et Czirnensis Dux notabilibus fretus copiis, primum Zawichost, deinde Sandomiriam, Paulo Cracoviensi Episcopo, qui captivitatis suae ultum iri parans molestias, eam procellam excitaverat et omnibus aliis Baronibus obviam illi euntibus advenit, ubi diebus aliquot magno celebrato conventu, in verba sua ab universis Cracoviensibus et Sandomiriensibus Lublinensibusque militibus iuratum est, et omnium castrorum, civitatum et munitionum facta deditio. Una sola Cracoviensis arx et urbs restabat, in qua Lestko niger Dux cum Griphina consorte, et paucis admodum familiaribus, a caeteris, ne illis perfidia esset, si secum sentirent, desertus, continebat. Ad eam quoque comprimendam Conradus Mazoviae et Cirnensis Dux ex Sandomiria cum copiis a Paulo Cracoviensi Episcopo et Baronibus ac militibus Cracoviensibus et Sandomiriensibus consultus iter pergit, omnem victoriam in uno solo Lestkonis nigri Ducis corpore si capi posset autumans. Perniciosa difficultate undique Lestko niger Dux coarctatus, vario mentis aestu fluctuans, quid sibi agendum restaret, maestus et consilii inops deliberabat, deliberationem autem metus et denunciatio hostilis adventus interrumpebat. Arcem quidem Cracoviensem forti defensorum et militum praesidio roborandam esse et ratio et necessitas suadebant, quatenus ea velut capitali retenta, caetera facilius in ditionem redirent, sed id quoque consilium militum defectio, et eorum qui remanserant paucitas difficilius faciebant. Salubri tandem in consilio Lestco niger Dux inspiratus ad Cracovienses se cives Theutonicos convertit, et tam Ducissam Grifinam consortem suam, quam arcem in eorum fidem et tuitionem committit, pollicitus fidem eorum in necessitatis articulo praestitam, debellatis hostibus abunde se praemiaturum. Ipse cum paucis, arce civibus Cracoviensibus tradita, suae deditionis iniuriam amplexatus, in Ungariam ad Vladislaum Ungariae Regem solatia quaesiturus, quanto celeriori potest cursu, quarta decima die Julij ex Cracovia egressus contendit. Cracovienses autem cives adversus Conradum Mazoviae et Czirnensem Ducem, adversus quoque proprios Barones et milites defendere civitatem, quod et si munitiones illius tunc muri et parum provisa munita essent, et tam arcis quam civitatis tuitio pro uno eodemque tempore periculosa videretur, diffisi, civitate deserta, cum uxoribus, pignoribus, et fortunis se in arcem recipiunt, contra quoslibet impetus illam tutaturi. Advenit tandem cum exercitu Conradus Mazoviae Dux et urbem vacuam offendens, in eam se recepit. Mittit deinde Barones ad cives Cracovienses Theutonicos arcem observantes, familiares et notos illis milites, qui moneant ut arce reddita et ipsi in Conradi quem universale et concors Baronum et militarium decretum pro Duce elegisset, ditionem venirent, neque a communi militarium voluntate dissentirent, iustum et favorabilem Ducem Conradum, in eorumque votis, si qua postulare vellent, clementem et propitium, iuxta, et amplius quam Lesconem Nigrum, si secum vera sentire caeperint, praesentes quoque favoris immunitatem perpetuam, sin minus ratum et formidabilem habituri. Parvi temporis spacio cives Cracovienses ad deliberandum sumpto, respondent non licere illis propter iuramenti sacramentum quod omnibus Baronibus Cracoviensibus et Sendomiriensibus Lesthoni negro Duci praestantibus, et ipsi praestiterant, novo se polluere periurio, et Lesthone vivente in Conradi ditionem concedere, non esse rem suae conditionis, salvo iure, obedi entiam semel praestitam, Lestkoni superstiti, variare. Desinerent vos ad rem eam allicere velle, se nihil de fide semel Lestkoni nigro Duci et Domino suo praestita, etiamsi sors extrema urgeret, mutaturos. Ea civium Cracoviensium responsione tam Conradus Mazoviae Dux quam Cracovienses et Sandomirienses Barones exacerbati, cum arcis Cracoviensis impugnatio et conquisitio non minus difficilis quam periculosa videretur, conceptas ex responsione civium Cracoviensium iras, in tecta eorum innocua vertunt, et igne in locis pluribus adhibito, Cracoviensem urbem saevissimo incendio conflagrant, cuius quondam structuras et ornatum magnopere a deo animorum vires versante fortuna fulsisse optabat. Interim dum ea Cracoviae agebantur, Lestko niger Dux cum Ungarorum et Comanorum exercitu ex Panonia redibat. Vladislaus quippe afflictae fortunae suae compassus, et praestantiores ex Curialibus suis tam Ungaros quam Comanos solatium et restitutionem in Principatus sibi praestituros secum transmisit, et insuper hortatus est, propere ad bellum capessendum incumberet. Huius quoque rei gratia Conradus Masoviae Dux sibi occurrens et praelium cum eo conserturus, ex Cracovia movet castra, ratus se cum frequentibus copiis suis, Ungarorum et Comanorum paucitatem oppressurum. Spei tamen suae adversus effectus respondit, in campis circa villam Bogucicze haud procul a flumine Raba, cum Lestkoni nigro Duce et Ungaris Comanisque adiutoribus suis collatis signis, secunda die Augusti, cum occasio ipsa nec differendi neque tardandi occasionem daret, pugnans, superatus atque victus est, et strage magna utrinque proveniente, Lestkoni nigro, qui iustiora arma induerat, cessit victoria. Conradus Mazoviae Dux cum aliquorum suorum militum paucitate, quam in hoste contempserat, effugiens, non prius fugam sistere voluit, donec in Mazoviam et castra eius se reciperet. Errorem autem suum, ea clade, quam diminutus prout erat robatura accidisse perculsus recognoscens, impetitionem Cracoviensibus et Sando-

miriensibus Pincernatus, velut iniustam et sibi deformem omisit
Lestco niger Dux Ungaris et Comanis a quibus usq[ue] Cra
coviam deductus est, pro opera quam in praelio navaverat,
munifice remuneratis, et in Pannonias remissis, victoria mo
destissime usus, et captivos Barones in libertatem restituit, et
perfugas veniam deprecantes in priorem statum et gratiam
admisit. expertus tunc in se Lestco niger Dux Cracoviensis
quod quisquis Rempub. administrationem susceperit, insi
dias, detractiones, odia, seditiones, repulsas, exilia, caedesq[ue]
subeat oportet. Civibus vero Cracoviensibus qui et ar
cem illi conservaverant, et nulla adversitate ab illius
fide potuerant divelli, multas libertates concessit, praestitit,
~~et~~ et Cracoviensium civitatem fossatis vallis turribus
et muris muniri et a solis Theutonicis illius regimen
et gubernationem obtineri et dirigi, Baronibus et mili
tibus magna execratione et stomachatione rem impro
bantibus, illis permisit. Tanta denique charitate et favore
Lestco niger Theutonicos Cracovienses cives ab eo tempore
et extulit et coluit, ut se tam coma, quam habitu, moribusq[ue]
conformavit illorum

Boleslaus Mazoviae Dux filius Semoviti
potentiis gentium suarum tam pedestri quam ex equite
contractis, terram Russiae ingressus, illam spoliis igne
et caedibus vastat, et magna spolia Mazoviam refert
Cuius exercitu ad propria dilapso, Rutheni Mazoviam
repentina irruptione ingressi illam vastant, et Bo
leslao Mazoviae detrectante pugnam spolia et ipsi
frequentiaq[ue] in Russiam referunt.

Nondum una tyrannide Henricus quartus Vrati
slaviensis Dux perfunctus, alteram orsus, Joannem
Myenczerz, et germanum suum Petrum, item Sbiluthonem
militares et innocentes viros, quod de voluntate Coolisii
Vratislaviensibus data ab eis repraesentatus fuerunt, trucidat.
Sandivogium vero Joannis Palatini Posnaniensis filium,
qui illi Calisiensem arcem tradiderat, item Beniamin
militem captivat, et in carcerem atq[ue] vincula coniecit,
quos omnium existimatione extinxisse creditus, vitae
tandem et libertati reddidit

Successorum

Successorem et haeredem Przemislaus maioris Poloniae Dux exaestuans relinquere, cuius rei contemplatione et respectu Lukerdam consortem suam velut sterilem insimulatus est, per satellites suos iugulo sustulisse; Richsam virginem filiam Sueciae Regis accepit in uxorem, et undecima Octobris die adducta, Posnaniae nuptiarum celebrat solennitatem.

Pestiferi vermes caudas velut cancri habentes in terra Prussiae in magna multitudine circa finem Junij mensis ebulliunt et plures mortales suo tactu extinguunt. Adeo enim eorum tactus lethalis extitit, ut quemcunque rostro pupugerint, altero aut tertio die exanimabatur. Maiori autem pernicie Ungaria a Tartaris, quam Prussia a vermibus afflicta est. H. siquidem a Cumanis quos Ungari vexerant, instigati, Ungariam infra octavas Epiphaniae adveniunt, et caedibus spoliisque eam usque ad Pest et Budam pervastarunt, tanta freti multitudine; ut Wladislaus Ungariae Rex congredi cum eis timuerit. Diutius autem Tartari in Panonijs usque post festa Paschae commorati, tantum illis intulerant dispendium, ut pecoribus et iumentis deficientibus homines bigas trahendo et aratra vicem pecorum supplerent. Grandis tandem mortalitas, quae multa eorum millia extinxit, fere illos ex Pannonijs coegit. Invaserunt et eo anno Tartari imperium Constantinopolitanum multasque terras imperij, caede ingenti in hominibus facta, occuparunt.

Feria quarta infra Octavas Dominicae Resurrectionis, quinto Calendas Aprilis Martinus quartus apud Perusium tribus annis sedens moritur et in maiori Ecclesia sepelitur. Cui Jacobus de Sabello Diaconus Cardinalis natione Romanus, de domo Sabellorum antiquo genere, Honorius quartus vocatus, succedit vir sapiens et nulli nocuus, qui post creationem Romam recessit, et iuxta sanctam Sabinam in monte Aventino fabricat palatia, Pridie mensis Aprilis apud Perusium in Papam electus, quarta vero die mensis ~~Aprilis apud Perusium~~ Maij per Latinum Hostiensem eundem Cardinalem, primum in Sacerdotem promotus, et tandem in Papam consecratus est

Nona Septembris die Cunegundis Regina Bohemiae relicta Ottokari Regis et consors Zawissy de Rosenberk diem obyt et apud Sanctum Franciscum Pragae sepulta

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS OCTVAGESIMVS SEXTVS

Indigne et moleste ferens Conradus Masoviae et Czirnensis Dux castrum et districtum Gostinin a sua sorte et Ducatu sequestratum esse, et in ditionem atque sorte Wladislai Lokthek fratris patruelis Breskinsis et Lanciciensis Ducis consistere, captus illius ambitione Lithuanos et Ruthenos in eius captionem subducit et subornat. Cuius et captio facilius promoveret, nonnullos ex suis in Gostinin castrum tradimentum et fraudem oportuno tempore, de quo inter ipsum et Lithuanos Ruthenosque convenerat patraturos, submittet. Lithuanis itaque et Ruthenis ad constitutam diem silentio et clanculo advenientibus, navantibus Conradi Ducis satellitibus pro tradimento operam, Lithuani et Rutheni castrum Gostinin fraude magis Conradi Ducis et suorum satellitum quam robore expugnant et conquirunt, et tam crudeli strage in milites quos in castro reppererunt, grassati sunt, ut in ore gladii trucidarent plurimos, reliquos in miserabilem ducerent servitutem. Sexcenti et amplius de ingenuis et agrestibus ea clade aut necati aut capti. Castrum Gostinin caede et innocenti Catholicorum sanguine, a barbarorum truculentia effuso, dotatum, Conradus Masoviae et Czirnensis Dux accepit, qui etsi capiendi sua potitus sit, ab umbris tamen eorum, quorum stragem effecerat, [illegible] illum identidem per quietem potuisse vexari. Sed nec diuturna Conrado Masoviae et Czirnensi Duci atque suis militibus fuit ea laetitia. Si enim Lithuani atque Rutheni qui illum ad conquirendum castrum Gostinin se adiuvarant, sub eiusdem anni spacio Masoviam ingressi et castrum Sochaczow conquirunt, et castrum Ploczko negligentius custoditum intercipiunt et exurunt, trucidatisque utriusque sexus hominibus, nonnullis vero in captivitatem abductis

Magna spe magnaque expectatione Premislaum Maioris Poloniae Ducem de futura virili prole, consorte et Ducissa sua Rikssza parturiente in diversum tamen exultantem faemineus partus ab ea, prima Septembris die editus, a spe et hilaritate deiecit, Baptismalem tamen solennitatem Posnaniae celebrans, a Praelatis et Baronibus quos invitaverat, etiam virilem sexum sperare iussus, coniugis nomen novae filiae Rikssza imposuit.

Stragem suorum militum et hominum in castro suo Gostinin per Lithuanos et Ruthenos patratam Wladislaus Lokthek Brestensis et Cuiaviensis Dux ulturus, simulque castrum Gostinin a Conrado Masoviae Duce occupatum recuperaturus, iusta ira, iustaque indignatione in Conradum Masoviae Ducem succensus, qui primum fratrem suum germanum Lestconem nigrum Ducem Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatu exturbare et evertere conatus est, se deinde ex castro Gostinin deturbasset, collecto ex pedite et equite exercitu, in Masoviam silenti et latenti agmine veniens, castrum Plocense sub intempestae noctis spatio aggressus, vigilibus trucidatis aut comprehensis expugnat et acquirit, et in suam redigit ditionem. Quod non prius Conrado Duci, cuius erat, restituendum duxit, donec Baronum communium civile et domesticum bellum molestius ferentium, et extinguere pro viribus satagentium, interpositione, et damna singula circa interceptionem castri Gostinin data sibi soluta sunt, et castrum Gostinin redditum.

Joannes appellatus Vishowicz Posnaniensis Episcopus cum prope annos undecim sedisset, moritur, et in Ecclesia Posnaniensi sepelitur. Cui eiusdem nominis, sed alterius appellationis vir Joannes cognominatus traditor alias Herbutus vel Gerbicz Posnaniensis Canonicus per electionem canonicam via Scrutiny celebratam successit, quam Jacobus Swinka Archiepiscopus Gnesnensis confirmans, praefatum electum in Landa Monasterio Ordinis Cisterciensis in Episcopum consecravit.

Graviter et iniquo animo Pelusza Lithuaniae Dux ferens iniurias, quia illi a principali Duce Lithuaniae nec propinquo sanguini sibi iuncto inferebantur, casque ultimie aestuans, ad Commendatorem in Kinsberk Albertum de Misen secrete veniens dari sibi per Commendatorem viginti viros quorum duo erant principales Martinus de Golin, et Conradus Dunil in armis exercitatos ad inferendum molestias Lithuanis, obtinuit. Cumque cum complicibus suis in interiora Lithuaniae pervenissit in castrum principalis Ducis, in quo nuptias ex more celebrabatur, principaliores Lithuaniae convenerant, nocte irruit, et omnes per ebrietatem et crapulam soporatos inveniens, septuaginta Duces et maiores natu, plurimamque aliam multitudinem permixti sexus occidit. Sponsum vero et sponsam cum multis matronis et virginibus captivos, onustusque spoliis et clenodiis insignibus in Kinszberk deduxit

Bernardus Legnicensis Dux ob corporis agilitatem et robur agilis appellatus, filius Boleslai Calvi Rogatcza Legnicensis moritur, et in Monasterio Legnicensi fratrum praedicatorum in sepulchro paterno sepelitur.

Tertio Nonas Julii Wenceslaus Bohemiae Dux Juttam filiam Rudolphi Romanorum Regis et patris sui Ottokari occisoris, quam necessitate ductus dudum desponsaverat, accipit in uxorem, et pro dote Egra civitas illi a Rudolpho pignori data est. Sororem vero suam Rudolpho primogenito filio praefati Rudolphi Romanorum Regis versa vice tradit in consortem. Jutta Wenceslai coniunx vivo cautior inimicitias quae inter Wenceslaum Regem Bohemiae et Albertum Romanorum consurrexerant, magno labore interposito diremit

ANNVS DNI MILLESIMVS DVCENTESIMVS OCTVAGESIMVS SEPTIMVS

Maximum et notorium dedecus, prout erat, militis maioris Poloniae erat, quod Henricus quartus Vratislaviensis Dux, pro restitutione Calisiensis castri, quod suo tractatu et blandimentis, pollicitisque, fraude vero Sandivogii filii Joannis Palatini Posnaniensis interceperat, destructum et castrum Globok occupabat, iniussu Ducis sui Premislai maioris Poloniae, facto agmine illuc ire pergunt, et die quarta decima Junii mensis castrum

strum Olobok quod ex conditione fecerat Primislaus Maioris Poloniae Dux aedificari suo sumptu coactus fuerat, expugnare adorti, aliquot diebus desudatis, aliquot vulneratis, magna vi et contentione conquirunt. Et nonnullis militibus Slesiae qui illic pro praesidio erant trucidatis, caeteros omnes in vincula conjiciunt, et tam castrum Olobok quam districtum eius, quod Henricus quartus suo Wratislaviensi Ducatui iniuste annexuerat, in priscam reducunt formam, et suae pristinae suoque Maioris Poloniae Principatui restituunt. Eam autem conquisitionem etsi Henricus quartus Wratislaviensis Dux acerbe tulisset, missisque ad Primislaum Maioris Poloniae Ducem fecialibus, castrum et districtum Olobok sibi reddi petysset, Primislao restitutionem abnuente, ab armis abstinuit, sperans se dolo non ferro iniuriam suam aliquando ulturum. Huius insuper anni vicesima octava die mensis Decembris praedictus Primislaus secundus Maioris Poloniae Dux dum apud Gnesnam ageret, Conradum Episcopum et suam Ecclesiam Lubucensem notabilibus libertatibus donat, ac bona eiusdem Ecclesiae Lubucensis sub suo Principatu consistentia ab omni servitute et angaria Polonica libera esse decrevit.

Dobrzinensem terram quam Semouitus Dux quintus et ultimus Casimiri Cuiaviae Lanciciensis et Siradiensis Ducis filius, quemadmodum in superioribus narravimus, in sortem acceperat, Lithuani, Prutheni, Samogitae, caeteraeque gentiles et barbarae nationes furtivo et silenti agmine ingressae, primum principalem civitatem Dobrzin die Dominico civibus nihil hostile suspicantibus et divinorum officiorum auditione occupatis comprehendunt, spoliata deinde et incensa civitate trucidatis senibus et lactantibus, caeteros et in civitate et in rure comprehensos, in miserabilem captivitatem abducunt. Kaesorum et occisorum numerus ad tria hominum utriusque sexus creditus est ascendisse millia.

Recentem Dobrinensium cladem et vastationem, suas insuper veteres et transactas invasiones et iniurias quae et Lublinensi et Sendomiriensi terris a Lithuanis, Pruthenis et Samogitis caeterisque barbaris inferebantur, Lestco Niger Cracoviensis et Semomirus ciensis Dux ac Siradiensis, ultum et restituendum iri se simulans, generalem expeditionem omnibus suis Principatibus indicat, et tam se quam milites suos et satellites cruce ab Apostolica sede contra Litthuanos, Ruthenos et ceteros barbaros praedicata et commissa signat et communit, quasi in barbarorum bellum cum copiis pedestribus et equestribus profecturus. Congregato itaque et recensito exercitu Barbaris omissis in Catholicos ire pergit, et terram Mazoviae Ducis Conradi, hostis et adversarij sui fratris patruelis germani, qui illum de Ducatibus Cracoviensi, Sendomiriensi, et Siradiensi exturbaverat, triplici agmine ingressus crudeli ferocitate cum caedibus igne et spolijs vehementer omni clementia et pietate exutus vastant, praedasque pecorum et pecudum plurimas Conrado Duce Masoviae neque obviare audente, neque aliqualem resistentiam faciente ex Mazovia in Principatus suos deduxit. Pro ludibrio autem et simultate quibus in Deum et Catholicos usus, arma a barbaris in fideles verterat, acre illum ultio divina persequuta est, ut omni felicitate quam illi propiciatio divina in bellis et actionibus suis largiri consueverat amissa, cladibus magis quam victorijs insignior esset. Nam et in ea quam contra Conradum Masoviae Ducem egerat expeditione, plures insignes milites et bellatores fluvijs (dum eos superare conantur) suffocatos amisit, grandinem deinde Tartarorum invasionem, postremo pestem et epidemiam in universos grassantem, item famem agrorum et frugum alluvionem, mortalitatem quadrupedum, mordacitatem bestiarum et luporum, varias insuper plagas Dei sibi invicem succedentes pertulit, ut tam sibi quam posteris documento sit et fuerit in quos directo Deo et sua religioni insultatur et illudat, et quod sine religione arma quantumcunque potentia non vincant.

Littera originalis Conradi Ducis Masoviae habebatur in aerario Ecclesiae Wladislaviensis, copia cuius sicut eam nos originaliter vidimus

Cum sanctarum sit mentium [illegible] culpam agnoscere, ubi culpa minime reperitur: multo magis is vigilare debet solliciter et studiose, quem culpa deprimit manifesta, et evidentia patrati sceleris Deo reddens alienum, ab Ecclesiae excludit unitate, qualiter valeat et possit matris Ecclesiae in gremium revocari, ac gratiam deperditam consequi sui conditoris. Pensatis itaque his et aliis ex commonitionibus patrum beatorum, et in corde meo diu revolutis, Ego Conradus Dux Lanciciae pensans me Deum ac Ecclesias scilicet Wratislaviensem et Plocensem enormiter offendisse, ex hoc quod in calore indignationis intemperatae ductus consilio perversorum, Dominum Joannem Scholasticum earundem Ecclesiarum, suspendij morti absque deliberatione iussi interire, Ecclesiam Romanam de necessitate super hoc dum consuluissem, ab ipsa munus absolutionis postulando, et absolutionis per Venerabilem patrem meum N. Gnesnensem Archiepiscopum mihi super hoc impartitae, petendo confirmationem, quam absolutionem Sedes Apostolica reddens irritam et inanem, Venerabili viro Domino N. Episcopo Wratislaviensi, et discreto viro Domino N. Scholastico Cracoviensi, delegavit, ut recepta a me condigna satisfactione mihi impenderent munus absolutionis, praedicti vero patres mei in negotio sibi commisso ratione praevia intendentes, rigorem iuris erga me misericorditer temperando, ad absolutionem meam processerunt, suscepta a me eadem satisfactione, quam in accessu absolutionis primo factae ad instantiam Domini Archiepiscopi, Ecclesijs praenominatis meo detestabili facto laesis et desolatis contuleram humiliter et devote. Verum quia in satisfactione exhibita assensum meorum filiorum Dominus Episcopus Wratislaviensis et Scholasticus Cracoviensis supradicti non invenerunt ad hoc accessisse, negotium absolutionis meae aliquantulum extitit propter hoc prorogatum, et me extunc pia monitione ac paterna exhortatione sollicitaverunt, quatenus filij mei scilicet B. Masoviae, et K. Cuiaviae Duces in suis Ducatibus, Ecclesijs nominatis satisfactionem impensam et libertatem perpetuo indultam, suo gratuito assensu solidarent. Videntes autem filij mei nominati, hac Ecclesiae Sanctae cedere ad honorem, et animae meae esse ad salutem, satisfactionem eam datam et libertatem impartitam ratam habentes, inclinati paterna petitione, Domino T. Episcopo Vratislauiensi propriis sigillis instrumentum libertatis communitum, in quo libertas Ecclesiarum praedictarum plenius continetur specificatum transmiserunt. Ut autem haec donatio robur sortiatur perpetuae firmitatis, et a meis successoribus inviolabiliter conservetur, cum omni devotione, patribus meis Reverendis Domino M. Cracoviensi, et Domino P. Masoviensi Episcopis, praesens instrumentum conferendo, duxi supplicandum, quatenus has meas donationes non solum in armario Ecclesiae Vratislauiensis fideliter et diligenter faciant conservari, quinimo per Sedem Apostolicam meis temporibus procurent etiam confirmari, ut rebus ambiciosis, nullum meorum successorum, dum clausero diem extremum, flectat et indigat ad facti tam pij perturbationem

In annum quintum Thomae Episcopi et sui Cleri Vratislauiensis patrata per Henricum quartum Vratislauiensem Ducem exilatio, et tam civitatum oppidorum et villarum quam decimarum et introituum Ecclesiasticorum exercenda occupatio tenebatur. Tanti tamen temporis spatio saevitas sua cupiditatis non poterat expleri, sed nec Ecclesiastico interdicto a Iacobo Swinka Gnesnensi Archiepiscopo in terras suas et principatus promulgato, ambitio sua et tyrannides restringi. Statum denique suum pontificalem Thomas Episcopus Vratislauiensis et virorum Ecclesiasticorum qui secum una abierant in exilium, de censibus, decimis, et introitibus, in aliorum Ducum Poloniae terris et ditionibus consistentibus, quos Henricus Vratislauiensis Dux occupare non poterat, sustentans, et in oppido Ratiboriensi suae Vratislauiensis dioecesis domicilium agens, quod tunc a Casimiro

Opoliensi Duce turbabatur, exilij sui et suorum molestias aequanimius perferebat. Conatus illum Henricus quartus Dux Wratislauiensis etiam et de sede illa deiicere, multis nuntijs et literis Casimirum Opoliensem Ducem sollicitat, ne hostem et aduersarium suum Thomam Episcopum cum clero Wratislauiensi in oppido suo manere sinat, hostem infestum, si secus agendum duxerit, exhibiturus. Verum cum a Casimiro Opoliensi Duce denunciationes suas et terrores, contemptum et irrisum iri videret, grandi exercitu tam de proprio milite quam donatiuo ex pecunia qua Ecclesiam Wratislauiensem mulctauerat, conducto, terram Casimiri Opoliensis Ducis hostiliter ingressus, oppidum Ratiboriense propter praesentiam Thomae Wratislauiensis Episcopi et sui cleri obsidione vallauit. Quam etsi ciues et defensores Ratiboriensis aliquanto tempore pertulissent, et ampliori se spoponderant laturos, vulgus tamen penuriam in substantijs et victualibus tenuis fame maceratum, continuas lachrimas et voces gemitusque et suspiria execrationibus et improperijs refertas, contra Thomam Episcopum et suum clerum, dum fames et desperatio indies cresceret, et praesidium Casimirus Opoliensis Dux potentiam Henrici Wratislauiensis Ducis veritus ferre cunctando negligeret, emittebant. Quibus Episcopus Thomas benigna pietate, qua semper affluere visus est, commotus, Satius inquit est me et clerum meum incidere in manus tyranni, quam hos innocentes fame consumi, liberemus extemplo et obsessos metu et fame morientes periculo, et loci huius qui nos longo tempore sustinuit et aliorum impendentem perniciem nostra captiuitate, aut si ita coelestibus visum fuerit, morte soluamus. Induit deinde vestes sacras, nonnullos quoque ex clero iubet vestiri eisdem, ac sic tiara et pontificalibus insignis cum clero uniuerso suo fletum eiulante oppido egressus ad castra pergit Tyranni, iras suas supremo humilitatis genere flagitaturus. Cuius Tyrannus ergo a longe adventu, tanto metu divinitus percussus est, ut de tabernaculo suo exiliens, in occursum Pontificis ocius procurreret, et corruens pronus in terram, quasi divinum aliquid in Episcopo videns, et in specie illius aeternum Pontificem venerans, transgressionum suarum veniam precaretur. Quem Thomas Episcopus ex terra elevans omnem se illi praevaricationem transactam, dummodo in ea contritione et devotione persisteret, obortis lacrimis spondet indulturum. Et post flebiles amplexus et oscula hinc inde utrinque praestita, proximam aedem Beato Nicolao sacratam Dux et Pontifex absque arbitris ingressi, longis et mutuis habitis tractatibus, his demum conditionibus eoque pacto pax et reconciliatio et omnium offensarum obliteratio convenit, ut Dux Henricus Vratislaviensis et castra civitates et oppida villas decimas et quaecunque bona Ecclesiasticas, quas occupaverat, Thomae Episcopo et suo clero redderet, et pro perceptis satisfactione condigna impensa, amplas libertates et immunitates Vratislaviensi Ecclesiae, scelus commissum expiando conferret. Ea reconciliatione sequuta, sublato et relaxato per Gnesnensem Archiepiscopum Jacobum Swinkam interdicto, et Dux Henricus absolutus est, et divina in eius Principatu resumi coepta. Thomas denique Vratislaviensis Episcopus, beneficiorum et hospitalitatis a Casimiro Duce Opoliensi exulationis tempore sibi et clero suo praestitorum memor, Ecclesiam Collegiatam, sub titulo Sancti Thomae Cantuariensis in castro Ratiboriensi a Duce Casimiro Opoliensi rogatus fundat, eamque decimis mensae Episcopalis Vratislaviensis dotat. Quae processu temporum ex arce in oppidum translata est, et plures praebendae largitione Ducum Ratiboriensium in ea circa translationem fundatae.

Ferocissima et immanis gens Tartarorum

frendo

Pseudo Machometi spurcissimos et detestabiles ritus professa tam actione quam nomine Christiano nomini inimica, dum in sedibus suis fame et inedia vexaretur, ingraui multitudine in terras Polonorum famem sedatura, Ducibus Nogan et Thelebuga processit. Et Ruthenorum quidem terris per quas iter agebat, tributa illi iam tunc reddentibus, aliquantisper victualium receptione et famem excluderet vexatis primum in Lublinenses et Masouia, expost in Sendomiria, Siradia et Cracouiae oras et terras in locustarum numerum et morem pluribus agminibus dispartita, undecima Decembris die, quantumuis frigoribus et densissimis niuibus oras omnes Polonias prementibus peruenit, et pluribus Monasterijs, Ecclesijs, et munitionibus, in quas se homines abdiderant, conquisitis, et incensis, a castro et ciuitate Sendomiriensi, in cuius conquisitione dies aliquot immorabantur, cum ignominia et strage repulsa est, militibus qui in praesidio erant, arcem et ciuitatem strenue protegentibus. A monasterio insuper Sanctae Crucis calui montis exercitus Tartaricus se continuit, neque illum locum, suadentibus Ruthenis, qui in eorum comitatu erant, violare, sed nec attingere, ultionem diuinam, si secus facerent, non euasuri, praesumpsit. Assilierunt posthaec in vigilia Natiuitatis Christi Cracouiam, et illam expugnare orsi, dum aliquot insignes pugnatores amisissent, magno ululatu edito ab ea discedunt, et populationem ac spolium latius per vicos et rura, neminem credentes sua multitudini posse aut audere resistere, contendunt. Potuisset Lestko niger Cracouiensis Dux palantes per agros Tartaros a quolibet vsa opportunitate inuadere, sed et multitudo nimium, et militum imbecillitas, fractusque animus obstabant. Metu itaque nimio correptus, et viribus suis et militum suorum diffidens, in Vngariam, secessionem cum coniuge Gryffina et nonnullis Baronibus fecit. Propterquod Tartari ex captiuis Ducem Lesthonem in Vngariam secessisse docti, omnem Cracouiensis terrae oram versus Sandecz sitam et usque ad Alpes Pannonicas licentius vastabant. Sub quo quidem tam miserabili tempore falix Purssa linga Boleslai olim Cracoviensis Ducis vocati pudici relicta cum septuaginta sanctimonialium Sandecziensium caetu, nec non et duabus germanis suis, Jolentha Boleslai Calissiensis Ducis, et Constantia Danielis Russiae Regis relictis, quae et ipsae sacram religionem et habitum induerant, multisque sacerdotibus et militibus in castrum Pyenini quod supra Dunayecz et prope oppidum Crosczienko consistens situm habet, natura munitissimum et arte, uno tantummodo angusto transitu adibile, contulit se, et illic per tempus vastationis Tartaricae secura mansit, Et quod licet Tartari cum exercitu applicuissent, non tamen illud audebant nedum impugnare, sed nec contingere, divinitate illis immittente pavorem. Sed nec monasterium suum quod deseruerat, fuit a Barbaris aut incensum aut violatum, efferatam barbarum prece et mente, factis Ducissa Kinga restringente. Tartaris itaque nominatis populo Christiano et pecore enormiter spoliatis, finibus, sacerdotibus trucidatis, et lactanneri praedam tantam passi comperti sunt, tam ingentem hominum utriusque sexus generis solo, ut apud Vladiminam porrecta viginti milliaria et unum de virginibus mulierculis nondum nuptis fuere numerata, ex quo uno magnitudo captivorum virorum feminarum et parvulorum in captivitatem abductorum potest, habita iustiori estimationi conferri. Ritus autem pugnae quo Tartari in bellis utuntur a ceteris nationibus diversus est, pugnant siquidem eminus in gyrum, iaciendo sagittas in hostes currentibus equis aut terga dantibus, saepe etiam fugam simulant, ut irruenti persequentes aut vulneribus aut oppressione circumveniant, tympanis utuntur, non tubis, plerumque in ipso certaminis ardore praelia ideo deserunt ut paulo post repetant, ut cum te maxime vicisse putes, tunc tibi discrimen subeundum sit nimis, Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia, et gra praedarum, spoliorum et largitionum avida, natura tacita, sed in externos aut in domesticos mutuo inquieta, in libidinem et crapulam ceterasque voluptates prona, fides dicti promissique nulla, nisi quatenus expedit

Zemomisl Cuiaviae alias Vladislaviensis Dux, filius Casimiri Cuiaviensis, Lanciciensis, et Siradiensis Ducis, annis duodecim exilium de Ducatu suo, quod Polonos odire, Almanos fovere, et illos Polonis praeferre solitus erat, iura militarum temerare, haereditates eorum occupare, et genus Polonicum eliminare de terra nitebatur, perferens, prima Octobris die mortuus, nullos liberos relinquens. cuius Ducatus portio ad superstites fratres pervenit

Idibus Aprilis Honorius quartus cum annis duobus sedisset, et diebus aliquot, Romae apud Sanctam Sabinam moritur, et in Ecclesia Sancti Petri sepelitur. Inclusis autem pro electione alterius Cardinalibus, et septem ex eis propter temporis qualitatem calidam mortuis, caeteris qui supererant in varia loca abeuntibus, substitutio summi Pontificis in annum alterum fuit intermissa

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS OCTVAGESIMVS OCTAVVS

Furoris et indignationis facibus dudum contra Conradum Mazoviae Ducem fratrem patruelem Lestko niger Cracoviensis Sandomiriensis et Siradiensis Dux exaestuans, alteram in illum et terras suas expeditionem, dum superior parum prospere cessisset, moliebatur. Verum Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus, quod et bello eodem iam perfuncti, et clade Tartarica plurimum vexati et exterminati erant, militiam suam modi detrectantibus, Lestko niger Dux iras suas in Conradum Masoviae Ducem satagens explere, Palatinum Siradiensem Matthaeum et terrae Siradiensis tantummodo milites, qui minus vastationis a Tartaris pertulerant, contra Conradum Mazoviae Ducem destinat. Qui etsi Ducis sui Lestkonis nigri iussa tam fideliter quam feliciter exequens, universam fere Masoviam spoliis et incendiis devastasset, Conrado Mazoviae Duce vel ex industria vel ex impotentia, incertum est, defensionem et repressionem negligente; et belli quod gerebat Matthaeum Palatinum Siradiensem secundo perfungi fortuna ad extremum tamen gravibus periculi et infelicitatis discrimine Matthaeus Palatinus Siradiensis et suus exercitus perculsus est. Mazoviae siquidem terra vastata agmine ex praeda et pecore onusto et incomposito procedentem, Conradus Mazoviae Dux, et cum militum et agricolarum damna et incendia passorum multitudine, opportunitatem bene gerendae rei multipharie investigans et explorans, per invia et abdita loca quo facilius hostis falleret, sectabatur. In confinio tandem Mazoviae Matthaeum praefatum Palatinum Siradiensem et eius exercitum stativa agentem, apud quem, per crebros exploratores didicerat omnia, ut fit a re bene gesta, in negligentiam versa, et soluta secure et custodijs non prorsum quiescentem, in diluculo septimo Calendas Junij invadit, stratosque somno et fatiga militis repentina invasione adeo perterruit, ut pauci rationis et memoriae compotes correptis armis velut lymphantes et attoniti discurrerent, caeteri pavore perculsi fugam maturaverant. Matthaeus Palatinus Siradiensis Dux exercitus cum paucis militibus qui ad se confluxerant, constanter se certamini ingerens, multa probitatis signa edit, pugnans occiditur. Eadem et militum suorum erat fortuna. Conradus Mazoviae Dux facili negotio Siradiensi exercitu fuso et debellato, et hostium castris fortunijs armisque potitus est et omnem praedam de terris suis ablatam, nonnullis etiam Siradiensibus militibus captis recuperavit.

Ducissa Mazoviae Zophia genere Ruthena, consors Boleslai filij Siemoviti Ducis Mazoviae, faemina rara pietatis et devotionis in Deum, moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur

Ingens pestis et mortalitas in plerisque Russiae terris invalescens, plurimos mortales in sexu utroque extinxit, quae non ex caelestium influentia, neque contagione, aut aura afflatu causata, sed ex agminis malignitate Tartarorum, quos Rutheni superiori anno in vastandis Polonorum regionibus adiuverant associaverantque infecta, Credita est iustissimo Dei iudicio provenisse, ut Ruthenis sui pessimi obsequij Tartaris in debellatione Polonorum praestiti, condignam exciperent mercedem, pessimo generi exitij aliis conferendi, quibus contra Catholicos, qui et ipsi Catholici existimari volunt, praesidium tulerant. Tartari siquidem post partitam, et in varias nationes venum datam ex captivis Polonis sexus promiscui praedam, terris Russiae excessuri et Ruthenis clandestinam dum aperta, prohibentibus suis ducibus, nequirent, perniciem irrogaturi, undas eorum et flumina hoc modo inficiunt. Corda siquidem Christianorum Polonorum ex captivorum grege, quos pro sortilegiorum, divinationum, incantationum et augiriorum officijs, quibus gens illa magnopere dedita est, peragendis, plus quam centum numero occiderat, de cadaveribus occisorum extracta, fortissimis venenis imbuunt, et inficiunt, et tam in profluentes, quam stagnantes aquas verubus et lignis in longum porrectis, ut diutius durarent imposita, immergunt, ex quibus aqua infecta adeo in Ruthenos, qui aquas illas quoque usu contingebant, venenum et morbos vulgaverat, ut subito procumbentes nullis Antidotis profectum afferentibus relevati, occiderent. Sero tandem et plurimis per tabem in corpora ingestam consumptis, latens malum deprehensum est, et aquarum usus velut fatalis et pestifer a Ruthenis fastiditus.

Vicesima secunda Februarij die Cardinales qui ex infectione apud Conclave perierunt mortem evaserant, iterum conclave viribus resumptis pro eligendo summo Pontifice ingressi, fratrem Hieronimum ordinis minorum Presbiterum Cardinalem virum religiosum et ab omni carnalitate in nepotes et consanguineos securum, ex Marchia Anconitana, et civitate Esculo ortum, Nicolaum quartum appellatum, in Papam eligunt. Qui cito ex urbe se Reatem contulit, et uno anno illic immoratus, Romam reversus, apud Sanctam Mariam maiorem residentia usque ad obitum egit

Quarto Calendas Maij in die [illegible] Sancti

Vitalis Martyris Vislaus Vladislaviensis Episcopus sub tempore et regimine Engilberti Abbatis Bisdoviensis, transtulit Monasterium Bisdoviense de Bisdovia loco primario suae fundationis in locum et villam Smeyszka quam appellari voluit filiorum vallem, quae hodie vocatur Coronow. Monasterium autem praefatum primum coepit in Hospitali villa supra Vislam e regione civitatis antiquae Vladislaviensis, inde translatum Bisdoviam, ubi cum annis septuaginta durasset, in Coronow velut locum cultiorem plures commoditates ob fluvium Obra qui praeterfluit habentem transfertur

Henricus quartus Wratislaviensis Dux, divinitatem, quam consternata in eo hominis mente illustrata et destructa deprehendit excaecando Thomam Episcopum et Clerum Wratislaviensem, bonaque Ecclesiastica tyrannice occupando, sic vehementer offendisse placaturus, collegiatam Ecclesiam in Wratislaviensi summo, sub Sanctae Crucis honore et titulo consecrata, pulcherrima et insigni Ecclesia fundat, et erigit, et certum Praelatorum, Canonicorum, et Vicariorum numerum qui iugiter Deo laudes concinerent et sacrificia offerrent, instituens, dotem unicuique munificam de villis et introitibus suis largiter et consignavit. In crastino vero suae fundationis fratres suos patrueles germanos Henricum Legnicensem vocitatum Crassum, et Boleslaum Swidnicensem militari baltheo accinxit. In eam insuper religionem praefatus Henricus quartus Wratislaviensis sive praeteritae praevaricationis in Deum et Ecclesiam recordatione et gehennae metu, sive orbitate qua se afficiebat perductus est, ut civitatem Wratislaviensem cum suis suburbiis universis et appendiciis Ecclesiae et Episcopatui Wratislaviensi perpetua et irrevocabili donatione decrevisset conferre, nisi Thomas Wratislaviensis Episcopus donationem ipsam veritus se civitatem ipsam Ducum ab hostili invasione tueri non posse, patenter et expresse abnuisset

Annus

ANNUS DNI MILLESIMUS DUCENTESIMUS OCTUAGESIMUS NONUS.

Variis cladibus et bellis sub triennii spatio infeliciter gestis, ceterisque tam domesticis, quam externis casibus, sub eodem tempore accidentibus, Lestko Niger Cracoviensis Sandomiriensis et Siradiensis Dux vexatus, gravi merori et mentis angustia agi cepit, adeo ut sensim in viribus deflueret, alteri deinde morbo et egritudini correptus, ultima Septembris die in castro Cracoviensi, sacro percepto viatico animam exhalat, et in Sancte Trinitatis Monasterio, ordinis predicatorum in parte chori sinistra, quem locum vivens delegerat iusto et ducali honore sepelitur. Lapis, qui incisam refert eius effigiem, continet hanc inscriptionem

Anno Domini 1289
Hic sepultus est Lestko niger Dux Cracoviensis et Sandomiriensis.

Post cuius mortem quoniam non heredem, non superstitem, non successorem, propter simultates dudum inter illum et Barones ac militares exortas, reliquerat, bellorum clero strepitus et tumultus commotus inter Polonie principes ebulliunt. Dum Cracoviensem, Sandomiriensem, Lublinensem et Siradiensem principatum, qui ceteris in Polonie Regno prestant, vacantem ex morte Lestkonis nigri successionem sibi alius potentia alius opibus fretus, alius germanitatem alius consanguinitatem alius electionem alius designationem pretendens destinat. Paulus interim Episcopus et Barones militaresque principatuum Cracoviensis Sandomiriensis et Lublinensis, iam secundum Siradiensis sequestro, a tribus ceteris facto, in Vladislai Lokthek Cuiaviensis Ducis ditionem concesserat, de futuro Duce sibi providendi, conventum apud Sandomiriam agunt, et Boleslaum et Bolislaum Mazoviae Ducem, fastidito germano suo Duce Conrado, pro quo toties periculis se cum proprio Duce Lesthcone nigro pugnando addixerant, et in identidem iureiurando se astrinxerant, non illius perosi et ne quid gravius principatu adepto, pro vastatione hostili suo Masoviae Ducatui irrogato in eos consuleret, in Ducem eligunt et assumunt. Quem pro gerendo principatu honestis nuntijs a Masovia arcessitum in Cracoviam deduxerunt, et tam arcis quam civitatis Cracoviensis sibi assignant possessionem. Bolislai Mazoviae Ducis electionem et substitutionem per Paulum Episcopum et Barones militaresque Cracovienses et Sendomirienses factam, cives Cracovienses volunt sibi perniciosam, ne Baronibus suadentibus Boleslaus novus princeps in eos pro Conradi fratris sui repulsa animadverteret, irritaturi, Henricum quartum Vuratislaviensem Ducem in Cracoviam accersunt. spondentes se illi et arcem et urbem Cracoviensem caeterasque munitiones consignaturum. Qui confestim congesto exercitu versus Cracoviam ire pergit, Advenienti vero ei Cracoviensis civitas per cives, carnificum maxime opera, qui tunc inter caeteros Mechanicos praestabant, portis patefactis, quas Bolislaus Masoviae Dux occluserat, tradita est. Bolislaus Masoviae Dux ex castro Cracoviensi prorumpens ad Cracoviensium et Sendomiriensium militum castra, ad faciendum Duci Henrico quarto Vuratislaviensi resistentiam se recepit, sed rebelli perseuerandum duxit. Verum altera die militibus acies instruentibus, et ne se desereret, summopere precantibus, operamque suam pro repulsione Henrici quarti Vuratislaviensis Ducis pollicentibus, furore et indignatione plenus, quod se non ad principatum sed ad bellum, cuius incertus foret eventus, accersissent, discessit. Cuius discessu Barones et militares Cracovienses et Sendomirienses expulsi, ad Henricum quartum Wratislaviensem Ducem Cracoviae consistentem, cui etiam arcem Cracoviensem Boleslao Duce Mazoviae recedente, a Sulcho nemilite de Miedzirzecz dederant consignatam, insignes nuntios mittunt, certasq; illi si apud ipsos Principari velit, proponunt conditiones. Quibus ab Henrico quarto Wratislaviensi Duce; nihil enim praeter aequum continebant, approbatis, universorum pari consilio voto et consensu Henricus quartus Wratislaviensis Dux in Cracoviensem Sendomiriensem et Lublinensem Principem deligitur, et assumptus est, qui rebus apud Cracoviam compositis, Wratislaviam revertitur.

Octava Maij Mestwinus iunior Pomeraniae Dux pro devotione agens in castro suo Swecze de consensu Wislai Episcopi Wladislaviensis in titulum et honorem gloriosissimae virginis Mariae fundat Monasterium Ordinis Praedicatorum in Trsczow alias in Dersow, donans Monasterio et fratribus Monasterij praefati aream et inhabitationem, a pede montis prope Vislam siti, versus Orientem, usq; ad Cimiterium Parochiale versus Occidentem, Latitudinem autem a platea civitatis quae a foro directe tendit versus Vislam usq; ad aggerem, inter duo fossata positum intra [illegible], Dans eis potestatem et licentiam in universo Principatu suo ligna lapides caementum recipiendi et scindendi et comburendi, in Visla et in cunctis fluvijs et torrentibus, et quibuslibet aquis circum civitatem Tczow fluentibus liberam piscaturam. Item per Vislam naulum et transitum liberum absq; omni theloneo et nauli solutione

Quampluribus largitionibus donis et promissis Casimirus Opoliensis et Bithomiensis Dux, Wladislai quondam Opoliensis filius, a Wenceslao Bohemiae Duce electus stirpis suae Regiae et progeniei nobilissimae, quam a Regibus Polonorum du

cebat

erebat oblitus, non bello victus, non irruptionibus hostilibus fractus, non denique aliqua probabili aut evidenti necessitate prostratus, sed temerariam et avaram sequutus mentem, se dominio et ditioni praefati Vuencislai Ducis, pridem enim in Regem erectus erat, se subijcit, se illius et Bohemiae Regni, non in sui solatium, sed et stirpis suae et Ducum Poloniae dedecus, regnique Poloniae enormem iniuriam atque offensam, vasallum et subiectum professus.

Vitricum suum Zawissium de Roszemberk matris videlicet suae Cunegundis maritum multorum Bohemorum simultati et invidia, partim iusta, partim ficta, Wenceslaus Bohemiae Dux apud se insimulatum, severus etiam illum de Capitaneatu Bohemiae in quem illum erexerat, deiecit. Qui noviter editi a se de filia Vladislai Ungariae Regis, quam nonnulli monialem professam fuisse asserunt, et quam secundo matrimonio duxerat, filii solemnitatem baptismalem gesturus, Wenceslaum Ducem Bohemiae ad illam simulque socerum suum Vladislaum Ungariae Regem, et Henricum quartum Wratislaviensem Ducem invitat. Verum antequam solemnitas huiusmodi advenisset, Wenceslaus Bohemiae Dux Zawissium de Roszimberk, quasi cum Vladislao socero suo et Henrico Wratislaviensi Duce in suum interitum in baptismalibus futuris efferendum conspirasset, captivat, et biennio in Pragensi castro vinclis et carcere emaceratum, ante castrum suum Frburg, ut de illo Venceslao Duci redderet perductum renitentem capite truncant.

Lithuanorum Dux et exercitus in numero octo millium hominum, Sambiensium regionem ingressus, crebris flammis et spolijs eam vastant. Cruciferis autem decernere cum hostium multitudine non audentibus, exercitus Lithuanicus spolijs onustus, in propria redijt, quinquaginta tamen de suis desideratis, qui per Cruciferos fuerant intercepti.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS NONAGESIMUS

Oppressum, per substitutionem Henrici quarti Wratislaviensis Ducis, in Cracoviensem et Sendomiriensem Ducatum, et Boleslai Mazoviae Ducis cessionem, civile bellum rursum erupit, per Wladislaum Lokieth Cuiaviensem Ducem, et qui iam Siradiensem Ducatum obtinebat, reintegratum. Qui graviter et irato animo ferens Lestconis germani sui Ducatus, se, qui et germanus et propinquior heres esse debebat, fraudato, per Henricum quartum Wratislaviensem Ducem occupatos, omnibus viribus, omnibusque conatibus ad consequendum illos, et ad excludendum Henricum quartum de Cracoviensi sede operam intendit. Ad quod non solum suapte, quoniam natura ferox manuque et lingua promptus erat, sed omnium Mazoviae, Lanciciae et Maioris Poloniae, et iam Pomeraniae Ducum solatia sua illi ad eam rem pollicentium, movebatur. Primo itaque aere et propriis et acquisitis terris congesto exercitu, Casimiro Lanciciensi, Boleslao et Conrado Mazoviae in personis propriis, Premislao vero maioris Poloniae et Mestwigio Pomeraniae per milites illi solatia ferentibus, versus Cracoviam, praesidium Henrici quarti destructurus contendit. De hac hostilitate Henricus quartus Wratislaviensis et nuntiis Cracoviensium, et rumore certior factus, nequaquam propter valetudinem qua iam corripiebatur, belli impendentis munus obire, sed Henricum Legnicensem, Premislaum Sprotaviensem Duces cum suarum gentium copiis ad Cracoviam tuendam transmittit. Qui rebus apud Cracoviam bene ordinatis, relictisque nonnullis militibus, qui cives et populares in fide continerent, in Slesiam revertentes. Wladislaus Lokieth Cuiaviensis Dux cum caeteris Ducibus circa oppidum Sedziemowy

statuta

statiua agentis inuadit, illisq in arma ruentibus atrox praelium inter fratres et milites quarto Calendarum Martij committitur, et post multam stragem vtrinq prouenientem, Vuladislao Lokthek et his qui illum comitabantur, cessit, licet non incruenta victoria, plurimis Slesianorum militum caesis aut in fugam captis. In eo praelio Premislaus Sprotauiensis Dux filius Conradi Ducis Glogouiensis vix adolescentiam pertingens occiditur, et in Slesiam relatus, in Monasterio Lubensi, cui ad id, in quo corruit bellū iturum, duas villas videlicet Lyososhowicze et Zyrkow testamento donauerat, sepelitur. Boleslaus Opoliensis Dux capitur vulneratus. Duo quoq certamina alterum apud Skalam, alterum apud Sunetinez per milites certa, duas quoq strages in Slesiae militibus effecerant. Vuladislaus Lokthek Cracouiensis Dux victoria et spolijs hostium potitus, magna spe et fiducia potiundi Cracouiensis et Sandomiriensis principatus ex Sieuuyor Cracouiam ducit. Cui velut victori, et tam Pauli Episcopi quam Baronum et militarium Cracouiensium ad fauentium sortito, Cracouienses ciues aduersari non ausi, portas aperiunt, et tam arce quam vrbe Cracouiensi suscepto, Princepsq Cracouiensium declaratus in castro Cracouiensi consedit, Baronibus et militaribus magis quam ciuibus Cracouiensibus, propendiori illum colentibus fide et deuotione. Nihil secus et suorum clade quam apud Sieuuyor perceperat Henricus Vratislauiensis Dux perfractus, nouas copias Cracouiam, spem ditionis suae ambiguam nonnullis ciuibus Cracouiensibus afferentibus, sub Henrico Legnicensi duce, cum solus aduersa valitudine detineretur, transmittit. Exercitus itaq Ducis Vratislauiensis Henrici latenter Cracouiam adueniens a

ciuibus

civibus Cracoviensibus partes Henrici Vratislaviensis sectantibus nocte in urbem exceptus, parum abfuit, et Vladislaum Lokthek inter praesidia militum in civitate obversantem, vivum non caperet, qui cum nonnullis militibus pedestri, hostium manus, quorum ingressum tardius persenserat, in fratrum minorum Sancti Francisci habitu, illum per murum suo Caenobio contiguum, demittentium, aegre effugit, plures tamen sui milites dum resistunt repugnantque aut caesi a Slesitis sunt aut capti. Sed neque Paulo Episcopo Cracoviensi parsum, qui et ipse velut praecipuus Henrici Vratislaviensis Ducis adversarius, rebus omnibus exutus, captivus adductus, et aliquanto tempore velut captivus habitus est, captivitatis calamitatem tertia iam vice expertus. In bona deinde rebellium militum, et qui Vladislao Vladislao Lokthek Duci Cuiaviensi se adhaeserant, aut qui in ditionem Henrici Vratislaviensis Ducis detrectabant concedere, per Slesitas et Henrici Vratislaviensis Ducis milites animadversum, et agri eorum pervastati, et curiae eorum aedesque incensae. Quibus malis militares attriti, Henrico Vratislaviensi se rursus subiecerunt, qui Episcopum Cracoviensem Paulum et omnes milites captivos relaxans, praesidium forte militum in Cracovia iussit consistere, quod et Vladislaum Lokthek ducem Cuiaviensem ab invasione arceret, et dissidendi a se occasionem militibus praecideret. Fratribus minoribus qui Vladislaum Lokthek Ducem et suos nonnullos milites servaverant, bello peracto, gratia habita, eorumque Caenobio tam largitiones quam immunitates Ducales concessae.

Valetudinem adversam ex veneno sibi per suos Slesitas subministrato, a qua plusquam semestri detinebatur spacio Henricus quartus probus alias pius Dux Vratislaviensis intelligens sensim invalescere, et vim veneni augeri et diffundi. Thomae Vratislaviensi Episcopo, et primoribus Baronibusque suis, cum nullum superstitem relinqueret, Vratislaviensem

sem Ducatum patruo suo Conrado Glogouiensi,
Cracouiensem et Sandomiriensem, Przemislao Maioris Po
loniae Ducibus testamentali ordinatione consignat.
Ceteras res suas partim Ecclesiis, partim consorti
suae Mechtildi, partim miserabilibus personis par
titus, vndecimo Calendas Augusti in castro Vrati
slauiensi decedit, et in Ecclesia Sanctae Crucis a
se noviter erecta et dotata sepelitur. Post cuius obitum
Conradus Glogouiensis, cum se ab Henrico quarto
haeredem et in Vratislauiensem ducatum successo
rem esset declaratum, Vratislauiam aduenit, spe
rans se Vratislauiensis ducatum pariter et absq[ue]
contradictione possessurum. Principatum autem illius
[illegible] tam militaribus quam ciuibus Vratisla
uiensibus magnopere, quod et in guerras, bellaque et
dissensiones proclivis et in sermone parum verax
foret, fastidientibus, quibusdam vero approban
tibus, re ex altercationibus et iurgiis iam in seditio
nem spectante, Henricus Legnicensis filius Bo
leslai Calui Rogatcza moribus et virtute inter
Slesiae Principes spectatus, per maiorem et sanio
rem militarium et ciuium Vratislauiensium
partem accersitus, aduenit, et Conradum Glogo
uiensem patruum germanum in Vratislauiensis
Ducatus possessione aliquanto tempore sedentem,
ex Vratislauia discedere coegit. Veritus siqui
dem Conradus Dux Glogouiensis ne ab Henrico
Legnizensi vinceretur, per vnam portam, Vrati
slauiensem ciuitatem egreditur, dum per alteram
Henricus Legnicensis militaribus et ciuibus in obui
am illi effusis ingrederetur. Militarium itaque et ciuium fa
uore Henricus Legnicensis in Vratislauiensem
Ducatum succedens, plenam et pacificam illius ob
tinuit, aliquanto non tamen diuturno tempore, pro
pter insidias, quas illi pro depositione sua Conradus Glo
gouiensis

Conatibus mollitus est, possessionem Ducatus Cracouiensis a Przemislao Maioris Poloniae, cedentibus sibi dicti Henrici quarti Wratislauiensis, qui in praesidio erant, militibus, obtintus, Sandomiriensem vero, Wladislao Lokthek Cuiauiensi Duci, illum fauore Sandomiriensium militum praeoccupanti, consequi non valuit

Relicta Henrici quarti Mechtildis ad patrem suum Ottonem longum ex Wratislauia solutione dotis habita diuertens, et in viduitate domino seruiens, mortua in Monasterio Leninensi sepelitur

Germanum fratrem Andream Ducali tantummodo nomine in eam diem contentum, Wladislaus Vngariae Rex de regni ambitu habens delatum et suspectum, cum et ingens in se propter execranda facinora, primorum Vngariae odium, et in Andream fratrem ipsum ad succedendum, fratre depulso aut capto, in regnum, notorius fauor suspitioni delationisque fidem faceret, ad occidendum illum carnifices subornat clandestinos. Quo periculo Andreas cognito, cum non reperiret Vngariae locum in quo securus a fraternis insidijs consisteret, paucis conscijs, ad Poloniam contendit, et primo ad materteram suam Cunegundim Cracouiensem Ducissam in Monasterio Sanctimonialium in Sandecz antiqua consistentem peruenit. A qua per signa in corpore demonstrata recognitus, causis itineris et fugae expositis, benignidibus pluribus habitus est, qua etiam intercedente mansio illi per Przemislaum Cracouiensem et Maioris Poloniae Ducem, apud Curiam Ducalem Chrobercz, cum integris introitibus alijs, qui suae conditioni sufficerent, concessa est. Verum quod vitam tutatum seruatumque venerat, illic illi breui erepta est. Nonnulli siquidem Hungari a Wladislao Vngariae Rege corrupti et immissi ad Andream Ducem in Chrobercz quasi sui fuissent, per Wladislaum Regem Vngariae, nisi aufugissent, vltimo supplicio propter fauorem in Andream praesumptum, se simulantes plectendos, peruenerunt, Qui charissimo affectu ab Andrea Duce velut compatriotae et vnanimes, licet pectus proditione refertum gestarent, tractati, viso opportuno tempore Ducem Andream comprehensum in flumine Nida, qui illam Chrobercz circumfluit, nihil praesentientem et hospitalem credit. Ducem submergunt, scelereque huiusmodi patrato, antiqua vulgaritur, Vngariam carnificij sui mercedem ab Vngariae Rege Wladislao recepturi.

perempturi, diffugiunt cuius mandato illud egerant. Corpus Andreæ Ducis a nautis in flumine repertum, primū apud Monasterium fratrum minorum, in Corzin, post paucos vero dies, procurante devotissima fœmina Cunegunde, Cracouiensi Ducissa sua matertera, ad Monasterium Sandecense decima citra Nouembris die deductum est. Pro cuius a morte resuscitatione Sanctimonialium importunis precibus deuicta, feruentissima orationis supplicatione in priuato oratorio instante, tres moniales varijs et vivarijs exauditio verbis videlicet Gertrudis, Aldegundis, et Grzimislawa, ad oratoriū prædictum, in quo et corpus præfati Andreæ Ducis iacebat exanime, accesserunt, Et videntes fœminam beatam Cunegundim splendore illustratam cœlesti, etiam illam, cum quibusdam personis, quarum neq essentiam neq personam videre poterant, colloquentem, quærentem quoq et responsa accipientem, perspiciunt. Viderent et in corpore Andreæ Ducis filij Stephani Ungariæ Regis pridem vinclis apud Chrobercz suffocati, viuificationis et resurrectionis signa, Ad quos benedicta fœmina Cunegundis Cracouiensis Ducissa accedens, et pedes illius tangens, surgere illum prohibuit, Quiesce, quiesce, inquit, quoniam ita clementissimo tuo et meo Saluatori beneplacitum est, et tuæ saluationi congruum, in pace, et illico signis vitæ ad imperiosa verba euanescentibus, funeri sua et mortis signa reddita sunt, corpusq sepulchro mandatum. Cum autem fœmina benedicta Cunegundis per religiosas et deuotas sui ordinis sorores, cur mortuum corpus nepotis sui Ducis Andreæ resurgere non siuisset, quæreretur, silentio multisq varijs verbis quæstionem absoluit, a sororibus autem identidem vexata, rupto silentio, quærentium molestias euasura, tres causas diuinitus sibi reuelatas, propter quas mortuum Andreæ Ducis cadauer, ad preces suas, viuificatum non extitit, edixit, Unam, quod mors illi salubris et nullo peccato mortali pro ea vice infecto acciderat, cui si vita donaretur, pluresq scelus erat inquinandus sceleribus, Secundam, quia multus Christianorum sanguis sui occasione veniebat fundendus, Tertiam quod viuificatio illius in vulgarem gloriā apud Polonos et Ungaros generis popularis, Saminisq vertebatur meritum præteritorum fœmina benedicta operū mutilasset.

Videns Msczugius Pomeraniæ Dux se filijs et filiabus orbum esse, vixerat enim incontinenter, et libere scortando pro concubina sponsam Christi Sanctimonialem de Coenobio Stolpecensi Sulham nomine, Przemislaum secundum Maioris Poloniae Ducem propter propinquitatem sanguinis sibi designat successorem et ei de Ducatu Pomeraniae cavit, cui milites Pomeraniae iubente Msczugio fidelitatis et omagii praestiterunt iuramenta

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMꝰ NONAGESIMꝰ PRIMVS

Funesto Marte per funestas concertationes et praelia inter propinquos et cognatos Polonorum Duces gesta apud Cracovienses et Sandomirienses Ducatus, et pro illorum consecutione et ambitu ferociter detonante, cum Wladislaus Lokthek Cuiaviensis Dux, cui iam Sandomiriam et Siradiam obtinenti, sola Cracovia deerat, a Przemyslao Maioris Poloniae Duce occupata, multipharie Przemislaum praefatum maioris Poloniae Ducem pro illius cessione armis et bello lacessitum iri contenderet, amplior quoque Ducatibus ipsis periculis accessit. Ducissa namque Gryphina Lesthonis nigri Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis relicta, sive eiectionem et expulsionem de dotalicii sui bonis, si Wladislaus Lokthek Cuiaviensis Dux consequeretur principatus adepta, sive guerris intestinis quae post mortem mariti intumescebant, et damnis ex illorum continuatione provenientibus afflicta, ad Venceslaum Bohemiae Ducem nepotem suum ex sorore sua germana Cunegunde genitum, nuncios mittit, donans illi donatione perpetua ex auctoritate quam in se per Lesthonem nigrum maritum olim suum, literis etiam publicis attestantibus, asserebat transfusam, Cracoviensis et Sandomiriensis Ducatus, et rogans ut vel per se veniat, vel gentes suas mittat ad capessendam Ducatuum praefatorum antequam ab aliis iniustis dominis occupentur, possessionem. Ludibrio et cachinno alius hanc donationem accepisset, cum monstro persimile foret, matronam Bulgariae ortam, Polonorum principatus donandi et conferendi potestatem nactam esse, quam falso sibi a Lesthone nigro Duce viro suo commemorabatur, literis si qua extabant vitiatis, et praeter mariti voluntatem falso signatis attributam, quamvis nec Lestco niger Dux praefatus orbus ipse et ad principandum in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatu accitus, poterat in fratrum suorum germanorum, et caeterorum Poloniae Ducum, sanguine illum affinitate contingentium tiam, praeiudicium, Gryphinae Duciſſae, huiuſmodi facultatem deſtituiſſe, Venceslaus tamen Bohemiae Dux, qui ad occupandum Polonorum principatus vehementi flagrabat et qui anno ſuperiori ſuum conſobrinum fratremque Nicolaum de Opavienſi Ducatu per iniuriam exuerat, tenuiſſima hac occaſione quaſi iure iuſto et legittimo poſſidendo temerariam materterae ſuae Gryphinae Leſtkonis relictae, caduco et labili et pluſquam arundineo fundamento innixam, arripiat de Cracovienſi, et Sandomirienſi Ducatibus donationem, et Tobiam Pragenſem Epiſcopum cum exercitu Cracoviam deſtinat. Poterat Przemiſlaus Maioris Poloniae Dux, in cuius ditione Cracovia conſiſtebat, Tobiam Epiſcopum Pragenſem et exercitum Bohemicum, a Cracovienſi arce, urbe, et Ducatu excludere; copiis et militi et omni apparatu bellico Bohemis ſuperior et inſtructior, [illegible] tamen quia in Vladiſlaum Lokthek Cuiaviae Ducem agitabatur, ne Cracovienſes illi ad reliquos quos obtinebat principatus accederent, permiſſus, Tobiae Pragenſi Epiſcopo de arce et urbe atque Cracovienſi Ducatu cedit, Gryphina Duciſſa Leſtkonis relicta et nonnullis militibus et civibus Cracovienſibus, Vladiſlao Cuiaviae Duci infeſtis, procurantibus et faventibus tradit poſſeſſionem. Cracovienſi autem arce et urbe in poſſeſſionem recepta, pro ſubiiciendo Sandomirienſi Ducatu Bohemicus exercitus verſus Sandomiriam, militibus aliquibus Cracovienſibus auctus, progreſſus, Viſliciam oppidum natura et ſitu, flumine inſuper Nida longo et profundo ambitu circumquaque oppidum ſtagnanter forte deditione capit; Caſtrum inſuper Oblekon prope fluenta Viſlae ſitum, in quo praeſidium Polonorum habebatur, expugnat. Sandomirienſi vero caſtro et oppido per Vladiſlaum Lokthek Ducem Cuiavienſem et eius militibus, dum illud expugnare, deditionem non provenienti contendit, turpi repulſa et ignominioſa ſtrage, pluribus Bohemicis militibus, partim deſideratis, partim vulneratis et captis, diſcedens in Cracoviam, et deinde in Bohemiam, praeſidio militum Bohemicorum in caſtro et civitate Cracovienſi relicto, redit. Gryphinam etiam Duciſſam Leſtkonis relictam, ne quo pacto donatio de Ducatibus Cracovienſi et Sandomirienſi, Venceslao Bohemiae Duci per cam facta ad irritum reduxerit, Serum durius, quae apud Bohemos Pragae annis aliquot contemptui et ludibrio habita, tandem moritur, et in Monasterio minorum Sancti Jacobi, iuxta sororem suam Cunegundim matrem Venceslai Ducis Bohemiae sepelitur. Ex eo tandem tempore Venceslaus praefatus Bohemiae Dux se Ducem Cracoviensem et Sendomiriensem gessit, et titulavit, Exercitu Bohemico et eius ductore Thobia Pragensi Episcopo ex Cracoviensi ora discedente, continuo Vladislaus Lohtik Cuiaviae Dux armis et potentia adeo in Bohemos superior evasit, ut et praesidium Bohemicum de Visliciensi oppido, in suam ditionem redacto, caeteras a Bohemis possessas munitiones et praesidia curreret, expugnaveritque, et usque ad Cracoviensis civitatis suburbia cuncta aut vastaret aut suis cogeret servire tributis. Propter quod militibus et civibus Cracoviensibus, querelis de sua oppressione Venceslaum Bohemiae Ducem fatigantibus, Tobias Pragensis Episcopus cum novo exercitu in Poloniam ad Cracoviensem Ducatum transmittitur, solaturus gravatos, pace per treugam composita, aut defensos armis laturus. Sed Vladislao Lohtik Cuiaviensi Duce omnem compositionem et sufferentiam aspernante, et continuas in rebelles et Bohemos apud Cracoviam agentes, excursiones edente, et congressus, Tobias Episcopus Pragensis re infecta Pragam regreditur, denuncians Vladislai Lohtik Cuiaviensis Ducis potentiam insolentem et fortem, cui a se resisti non posset, et ad illius oppressionem domationemque fortioribus copiis, quam se sibi mandantes fuerant, opus fore.

Sextadecima mensis Julij die Rodolphus Romanorum Rex aegritudine et senio gravatus, imperiali benedictione non habita Erpsordij moritur, et in Spiram civitatem Alsaciae deductus, propter strenuitatem, in sepulchris Imperatorum condigno honore sepelitur. Qui quamvis comes de Ausbech tenuis et modicae substantiae fuerit, ex sua tamen probitate regnum Almaniae in magna parte annis decem et septem, recuperatis etiam nonnullis terris ab imperio alienatis, possedit. Electores Imperij tam Ecclesiastici quam Laici conventu celebrato Adolphum Comitem de Nassow virum strenuum in armis sed in potentia debilem eligunt in Imperatorem, paucos siquidem habebat introitus, et parum in parentela vallatus, in se tamen fuit magnificus, et virtuti plenus, qui respectus Electoris imperij ad eligendum eum pertraxerat.

Decretum

Deiectione sua a Vuratyslauiensi principatu Conradus Glogouiensis Dux per Henricum quintum Lignicensem Ducem irrogata, cum sibi fuerat ab Henrico quarto dicto probo Vuratyslauiensi Duce in extremis agente sui testamento demandata, gravi exacerbatus irritatione, consternatusq, omnes cogitatus suos conatusq ad guerram et hostilitatem Henrico quinto Vuratyslauiensi et Legnicensi Duci oportunam inferendam intendit. Quam palam et vi aperta quod Henricus tam opibus quam gentibus excelleret, perferre desperans, versutys et dolis agendum duxit, nam et Ducatus Vuratyslauiensem et Legnicensem per nocturnas clandestinasq excursiones praedationes captivationes et incendia plurimum et multifariam vexavit afflixitq, et cum Boleslao Swidnicensi, Henrici quinti germano, qui et ipse iniquo erat in Henricum fratrem, felicitati illius magnopere invidens, animo, occultis conglutinatus foederibus, captivitatem aut necem Henrico quinto moliebatur. Conspirasse fratrem suum Boleslaum Swidnicensem Ducem adversum se et in suam perniciem ignorans, sibi praesidium, et se ab illo tam armis quam consilys contra Conradum Glogouiensem Ducem iuvari et defendi crebris nuntys precibusq optat, facilius mutuo et fraterno auxilio Ducis Conradi insidias superaturus, operam suam, dummodo sibi aliquam sortem de ~~Vratysta~~ Quo Vuratyslauiensi Ducatu iuxta se ac illum contingente donare consentiat, denuncianti, facilius rerum parsernus, duas illi civitates Iauror et Strzegom ex pacto donat, Qui donatione huiusmodi suscepta, astringit se iureiurando omnem defensionem et assistentiam Henrico quinto contra Conradum Glogouiensem praestiturum.

Nona Iuly mensis die Vladyslaus Vngariae Rex Andreae Ducis germanus et ortyor, in tabernaculo suo prope castrum Kivlzstigi, quiescens, a Comanys et signanter a Barbusz tramtch, et Kementse, eorumq ingratum, quorum ritui et moribus Christia, professionem habens contemptui, se addixerat, diris vulneribus multipliciter sauciatus occiditur, et in Canadino sepelitur, iusto atq innoxio Andreae Ducis filio Stephani Vngariae Regis sanguine, pro ultione ad Dei tribunal de terra vociferante, et sanguini innocenti Andreae Ducis parentatur.

reputatur. In cuius locum quoniam orbus moriebatur, An
dreas de Venetijs ex semine Regum Vngariae ducens originem,
decimo octavo post Vladislai necationem die in regnum sub
stituitur, et coronatur. Cuius ea fertur fuisse, quam super
ficie tenus attigisse satis erit, originis propago. Cum Vnga
riae Rex Andreas huius nominis secundus, quarti
Belae Regis et Colomanni Ducis, uxore prima Gertrude bea
tae Elisabeth genitrice absumpta fato, in terram sanctam
passagio in revertendo hospitio per Marchionem Estensem
exceptus, filiam suam rarae pulchritudinis illi ostendisset,
accepit illam in coniugem, et in Vngariam deducit, tra
ctatque ut reginam. Verum Andrea Rege rebus huma
nis exempto, regina in paternam domum privignis regen
tibus reversura, se gravidatam Episcopis et Baronibus
Vngariae significans, et ad patrem reversa edidit infan
tem nomen Regum Vngariae illi Stephanus imponens. Qui
ad aetatem legitimam perveniens, avum Marchionatu
privare nititur Estensi. A quo pulsus ad Jacobum Ara
gonum Regem, sororem suam ex primo matrimonio filiam
Andreae Vngariae Regis habentem pro uxore se contulit,
ubi aliquanto tempore exacto in Italiam redijt, et a Ra
vennatibus in potestatem assumitur. Sed inde iterum sub
sub Venetias se confert, et a potente ac divite Veneta
rum cive, qui illum sanguinis fuisse Regij noverat, colle
ctus, etiam in generum ascitus est, filia sua illi despon
sata, ex qua filium suscipiens, avitum illi nomen Andre
as dedit. Qui cum adolevisset, suffragio amicorum matris,
in pulcherrimo comitatu Vngariam ad Vladislaum
Regem venit, et tam moribus quam virtute, quis et
unde esset, se et Regi et Baronibus insinuans, pannonicum
Diadema Vladislao occiso, cum nemo alius de san
guine Regio superstes foret, adeptus. Qui anno secundo
Regni sui Austriam cum exercitu valido ingressus,
ipsam vastavit. Contra quem Bonifacius Papa octavus
à Joanne et Henrico Vngariae Baronibus frequenti stu
dio sollicitatus, Carolum undecim annorum adolescentem,
a regibus Vngariae per lineam maternam descendentem,
adiungens, legatum de latere, in subsidium transmisit
in Vngaria regnaturum, sed resistentiam facienti An
drea Regi, nullo profectu habito, exclusus est
Sub hoc tempore Tripolis, Acon et Tirus civitatis
terrae

terrae Sanctae munitissima; et a Christianis in eam diem licet Hierusalem amissa, possessa et defensa; vi praelij a Soldano capta sunt, triginta millibus Christianorum et amplius, a Saracenis qui de illis rara et incredibilia constituebant ludibria, occisis. Quibus expugnatis nihil de regno Hierosolimitano remansit, quod non fuerit a Saracenis occupatum.

Cruciferi Sanctae Mariae de Prussia, Duce fratre Bertholdo de Brunhaim Commendatore Kinsbergensi, terras Lithuaniae praedatum ingressi, castro Kolayn conquisito et exusto, multis Lithuanis peremptis, et septingentis captis, Prussiam ovantes revertuntur. Irruptionem autem Cruciferorum Lithuani in terras suas prohibituri, Castrum Mingedin extruere coeperunt. Cuius extructionem Commendator Kinsbergensis Bertholdus aversurus, novo comparato exercitu illuc ire pergit, Sed Lithuanorum multitudinem, qui aedificantes observabant, deterritus, in alia loca divertens castrum Lithuanorum Mederabe conquirit, ubi omnes Catholicorum captivos solvit, barbaros obtruncat, aut captivitati reservat. Vix dum Bertholdus Commendator Kinsbergensis ex Lithuania redierat, et continuo Magister Prussiae Meinerus cum forti et numeroso exercitu Lithuaniam aggressus, duos districtus Pastonow et Gersow in cinerem redegit, et cum multa praeda captivorum et pecorum revertitur. Agit et tertiam Magistro [illegible] Henricus Commendator de Balga in Lithuanos expeditionem, et mille quingentis et viginti militibus assumptis, duos districtus Oukaim et Mingedin igni et caedibus vastat. Post paucos deinde dies Lithuanorum Dux Vithenen, hostiliter terram Cuiaviensem ingressus, caedibus et spolijs circa oppidum Brzeszcie patratis, hominum et rerum praedam non parvam secum abduxit. Et licet Vladislaus Lokthek et Casimirus Cuiaviae et Lanciciae Duces, cum militibus suis eos fuissent insequuti, Magister quoque Prussiae Menhardus [illegible] tempestive advenisset, re tamen nulla memorabili edita, omnes abiere retrorsum, communi natura vitio, et reos, Lithuanorum insultu tumultuario quidem et repentino, quod illos tunc Lithuanorum latebat numerus et cognita conditio, territi, eos persequi, ac cum illis dimicare destiterunt

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS, NONAGESIMUS SECUNDUS

Crebra et ultimatum repetita suorum qui Cracoviam observabant, Wenceslaus Bohemiae Dux querela et prece, deferendo angustiatis et oppressis, per Wladislaum Lokthek Cuyaviae Ducem, suffragijs selectis, quam maioribus copijs ex Bohemis et Moravis convenire iussis, versus Poloniam ad ferendam suis opem ire pergit, Et cum propriae copiae ad id bellum gerendum languidae viderentur, Ottonem longum Brandeburgensem Marchionem suum in pecuniaria curatorem in sui solatium conducit. Bipartitoque exercitu, per Opoliensem Ducatum traductis copijs post Assumptionis Dominae nostrae diem Cracoviam pervenit. Ubi a Cracoviensibus militibus et civibus honorifice susceptus Wenceslaus Bohemiae Dux exceptus, aliquot hebdomadis illic de ordine belli contra Wladislaum Lokthek Cuyaviensem Ducem gerendi, consultando exegit. Et nonnullis versus Sandomiriam, ceteris versus Siradiam, ambae enim arces et civitates a Wladislao Lokthek tenebantur, exercitum promovendum censentibus, Wislicensi oppido itineri versus Sandomiriam afferente et obijciente discrimen, versus Siradiam iter instituit, et agri tantummodo villarum et oppidorum, quae Wladislao Lokthek parebant, populati, vastique. Wladislaus enim Lokthek Cuyaviensis Dux in pugnam universae dimicationis cum Wenceslao Bohemiae Duce et eius exercitu prudenti consultatione non veniens, in singulis locis et stationibus, quotiens se offerebat occasio utilis et opportunitas, Bohemorum et Almanorum exercitum, nocturnis incursionibus lacessebat. Sed et milites pabulatoresque longius pabulandi aut populandi gratia a castris progressos obterebat fundebatque. Tantumque metum hostibus locorum impositis peritus ipse incusserat, ut vigiliae in castris Bohemicalibus et Almanicis duplicarentur, et nemo pabulatum auderet, nisi sub forti militum conductu, prodire. Sub tot et tantis difficultatibus Wenceslaus Bohemiae Dux, cum Ottone longo Brandeburgensi Marchione, Siradiam perveniens, oppidum Siradiense obsidione cingit, et in die Sancti Wenceslai conquirit. Arcem vero

Siradien

Siradiensem acquirere se posse desperans, palude enim et amnibus undique vallata, praesidio insuper forti militum munita, aut impossibilem, aut diuturnam, difficilemque sui conquisitionem portendebat, in Bohemiam parum prospere re gesta, militibus aliquibus in Cracovia pro tuendis subditis remissis, ex stativis apud Siradiam sublatis, gloriabundus quod oppidum Siradiense, nec arte nec natura munitum, cepisset, rediit. Quo abscedente Vladislaus Lokthek Cuiaviensis Dux, in Siradiensi et Sandomiriensi Ducatibus, principari non desijt, pertinaciusque in Bohemos et rebelles grassatus.

Magnae Sanctitatis et religionis miraeque devotionis in Deum, foemina et virgo Ducissa Kinga, Boleslai pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis relicta, et filia Belae Regis Ungariae, cum annis tredecim in Monasterio Sandecensi in maxima abstinentia et proprij corporis mortificatione exegisset, gravi infirmitate anno prope uno vexata, vicesima quarta Julij devotissime moritur, et in Monasterio Sandecensi sepelitur, diem et horam mortis suae habens multo ante tempore divina revelatione patefactam. Dum [illegible] sui funeris Christianus Canonicus Vislicensis, vir religiosus et devotus Vislicae in oratione positus, vidit animam eius ex corpore egressam miro candore in caelum cum Angelicis agminibus cantibus, Regnum mundi, referri. Quod cum in magna admiratione removeret, dictum illi est, animam illam Beatae Kingae Ducissae esse, in illo momento a corpore solutam. Quae quidem visio etiam pluribus alijs devotis personis monstrata est, et quemadmodum in vita, pietas animi caelestibus stupendis miraculis eam extulerat, ita et post felicem obitum amplioribus signis varios curando languores coruscabat. Ab anno siquidem mortis suae usque ad annum Domini Millesimum trecentesimum vicesimum nonum meritis suis octuaginta mortui vitae pristinae redditi sunt, sexaginta caeci illuminati, quindecim captivi a vinculis soluti, septingenti insuper homines utriusque sexus a varijs aegritudinibus curati. Ut satis mirandum sit aetatis illius Praelatos et Principes Poloniae Canonizationem tam sanctae, tamque venerabilis Ducissae, propter amorem virgineum quem annis multis in thoro servavit coniugali, inter martyres computandam, non promeruisse. Tantam siquidem circa illam Regis aeterni benignitas magnitudinem in sua gratia, consolidando contractos, restaurando paralyticos, suscitando mortuos, mundando leprosos, liberando energumenos, illuminando caecos, erigendo claudos, et collapsos, et multiplices aegritudines suis sanando meritis multipliciter noscitur effudisse, ut ex illis praestetur certa et evidens fiducia, quod quae in vita praesenti dignitate praefulgebat regia, per gratiam Regis caelestis glorificationem sit amplissimam inter superos consequuta. Nec mirum, coluit enim assidue et custodivit integritatem mentis, et nobilissimo pudore integerrimae virginitatis castimoniam sub nimio et laborioso labore transegit, expers palmae non credenda martirij. Quae puritati mentis duplici cum mortificatione, carnis suae studebat, et maceratis assidue cum oculis, cum naribus, cum auribus sensibus, cum quiete et ocio, cum silentio et solitudine, cum ipso demum fastu et apparatu regio, cum cibis et potibus opiparis conditis, cum rerum temporalium affluentia et saeculorum felicitate, vestium, gemmarum, et annulorum pompa confligens, noctu atque interdiu, momentisque singulis, animi et corporis perferebat cruciatus, sanguineam rosam praeseferens, centeno fructu et geminata laurea virginitatis videlicet, et sanguinis, meruit coronari. Virginitatem enim magnopere custodiens mente et spiritu, hostem saevum, quocunque se verteret, secum ferebat, assiduo premebatur certamine; cum iniurijs bellum gerens, non vespere, non nocte, non diluculo, non meridie, non minime respirare permissa, sed singulis diebus atque horis fornacis in medio succensa, auri instar probata, purior procedebat. Cogita quanti officij labor sit et fatiga. Sic constanter matrimonio vixit modeste, abstinenter, castigate, non cultus in ea luxuriosior, non conversatio cum viris, sed neque cum viro licentiosior, non comitatus splendidior. De qua sancte et suis virtutibus atque sanctis operibus tanta dici possunt, ut ad longum usque volumen excrescerent.

Repressurus graves praedas, excursiones et incendia Henricus quartus Vratislaviensis et Legnicensis Dux, quae sibi et Ducatibus suis, per Conradi Glogo
viensis

uniensis Ducis subministrationem irrogabantur, ~~per~~ germanum suum Boleslaum Swidnicensem Ducem, cuius mediationem largitione duorum oppidorum Jauor videlicet et Strzegom, se credebat sibi in totum vendicasse, deferendo contra Conradum Glogoviensem, quemadmodum iureiurando pollicitus erat, auxilio requirit. Qui nunc languorem, nunc militum renitentiam, nunc intemperiem aeris allegans, cunctando, tempusque extrahendo, Henricum Wratislaviensem fallebat. Ipse explorandam tamen et sanandam Boleslai Swidnicensis mentem, alterum instituit conventum. In quo Boleslao Swidnicensi tenuem se sortem ab Henrico Wratislaviensi recepisse, causanti, recusanteque succursum, Henricus Wratislaviensis et Legnicensis tria vicina illi oppida videlicet Reychembach, Frankenstein, atque Strzelin, ad priora adiicit, nouumque et iteratum iusiurandum accepit, pollicentem se omnibus viribus et potentiis, rebus quoque, fortunis, et proprio corpore, se Henricum contra Conradum adiuturum, latentem tamen in altero iuxta ac priori Sacramento dans virtutem, praevaricato utroque cunctatorem se magis quam adiutorem negotiis Ducis Henrici Wratislaviensis praestabat.

Paulus Cracoviensis Episcopus cum annos duo de triginta Cracoviensem obtinuisset sedem, penultima die mensis Novembris in curia sua Episcopali in Barsow moritur et in Cracoviensi Ecclesia tumulatur. In cuius locum Procopius ortus de Russia Cantor Gnesnensis, Praepositus Sandomiriensis, et Sandomiriensis Ducis Cancellarius, et ipsius Lestkonis Ducis ex parte matris cognatus, et canonica electione, et Principum Vladislai Lokthek, et Venceslai Cracoviensis et Sandomiriensis Ducum, nobilis de stirpe Cessorum, favore succedit, per Iacobum Swinka Gnesnensem Archiepiscopum confirmatus. Ferunt autem Paulum Episcopum in tantam venationis fervore ferebatur erupisse insaniam, ut conditionis Pontificalis oblitus, tractando in districtu Calisiensi venationis, venatorem, qui feram incautus re usque ad casses provenit, dispulerat, lancea manu gestata indignabundus transfoderet, non veritus hominem pro bestia perdere, quem mox ingemiscens redimeret sanguine suo

In Parasceue die Nicolaus Papa quartus cum annis quatuor, mensibus citra duobus sedisset, Romae moritur, et apud Sanctam Mariam maiorem sepelitur. Cardinales autem de vrbani conclaui Perusium se transferunt, et illic conclaue ingressi discordibus votis vsi, nullatenus de futuro Summo Pontifice conuenire potuerunt, et vacauit Ecclesia integro biennio. Quo quidem tempore in Italia magni fuerunt terrae motus, sed maxime versus Neapolim in valle et Brauio. Ruerunt enim illic et castra et villae multae et personae plurimae simulcū illis perierunt.

Idibus Martij Thomas secundus Episcopus Vratislauiensis cum annis viginti duobus sedisset, moritur et apud maiorem Ecclesiam Vratislauiensem sepelitur. Cui Joan̄es vocatus Romka vnanimi electionum sollicitus succedit de annuentia et consensu Henrici Vratislauiensis, Boleslai Swidnicensis, Conradi Glogouiensis Ducum, aegre ab illis obtento, qui potius Conradum Ducem Zeganum filium Conradi Glogouiensis Ducis praepositum Vratislauiensem fore deuinaluissent, ab Archiepiscopo Gnesnensi Jacobo Swinka confirmatus et consecratus, nobilis Polonus de domo Szulima

Prussiae Magister Meinhardus dum exercitu non paruo collecto Litthuaniā populaturus ad fines illius peruenisset, coniurationem per vnum de Pruthenis, qui inter Lithuanos barbaros et Pruthenos quamuis baptizatos vacillarat, detectam, ad notitiam perlata, celerrime in Konszberg noctu et interdiu reuertitur, et coniuratorum oppressa ingenio periculū depulit, quoniam et per Litthuanos a fronte et per Pruthenos proprios qui ad gentilitatis errorem relabi statuerant, a tergo, nisi sibi celerrime consuluisset, debebat inuadi

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS NONAGESIMVS TERCIVS

Intelligens Conradus Glogoviensis Dux conspiratio-
nis, qua secum Boleslao Swidnicensi Duce contra Henricum
quintum Wratislaviensem et Legnicensem Ducem, et in eius
captivitatem vel mortem congesserat, cunctationem et astu
callido Boleslai Swidnicensis, qui suis tantummodo consu-
lebat profectibus, et per hostilitatem Ducis Glogoviensis
Conradi castra civitates et oppida ab Henrico Wrati-
slaviensi et Legnicensi Duce sub praetextu ferendi au-
xilii pro suo libito emungebat, retardatus et neglectas
esse, exquisito continuoque studio, quonam pacto cogitata
perficeret, intentus, Boleslao Swidnicensi Duce omisso,
qui illum crebris fallaciis iussis deluserat, Consilia-
rium quendam Henrici quinti Wratislaviensis et Le-
gnicensis Ducis, Luthkonem nomine, inter paucos Hen-
rico quinto charum, et inter Consiliarios praecipuum, in
illius captivitatem aut necem armavit. Erat in consi-
lio et obsequiis Ducis Henrici quinti praesens, priusquam
ex morte Henrici quarti probi Wratislaviensem conse-
queretur Ducatum, miles quidam Iaroslaus Luthonij
sarens, de stirpe et genealogia Habdank, qui et famula-
tu et industria facundiaque adeo sibi Henricum quintum
devinxerat, ut caeteros suos Consiliarios favore et auctho-
ritate anteiret. Is cum quendam alium virum mili-
tem, sive casu, sive arrogantia, incertum est, occidisset,
fratres et consanguinei occisi, quorum multitudine prae-
stabat occisus, Iaroslaum occisorem coram Henrico quinto
maesto nimium, et pro casu qui Iaroslao acciderat anxio
sollicitoque, et eius tribunali conveniunt. Causam itaque Ia-
roslaus a Duce Henrico quinto, flentibus, querentibus et iu-
stitiam expetentibus amicis occisi dicere iussus, in
superba responsione utitur, et in favore Principis, insolenti et
blandienti insolentiam suam nutrientibus, confidens, amicorumque mul-
et iactanter respondit, se militem occidisse, tumide
se fraternitatem nullo pacto inferiorem velle. et occisorum a
stam pronunciationem post confessata ferri. Amicis occisi iu-
petentibus, Hen-
ricus quintus Dux Iaroslao verbis correpto, monet ut amicis
consultius aliter de se facta querela responderet. Iaroslaus
itaque digressus, amicis consultis, arrogantius licet respon
sum, profitens se obiectum homicidium perpetrasse, et satis

multum a magnitudinis Ducalis fastigio se distare credens
inficiari noluit crimen. Ea responsione Dux Henricus quin-
tus turbatus, partibus iudicis omissis, partes amici assumit,
et Jaroslaum obiurgat. Stultissime, inquit, virorum, quis te
spiritus exagitat, ut proprio ore, propriaq confessione in necem
tuam debaccheris. Secede itaq a tribunali meo ut saltem
pro vero tertia, tibi vitaeq tuae dum licet consule; positaq
dementia ad bonam mentem redi, de caetero me magis
iustum iudicem quam misericordem Ducem, nisi tibi meliori
responsione prospexeris, experturus. Non movit Jaroslau-
tam clementia et repetita monitio, sed deliberatione cum
consultoribus habita, occidisse se virum gloriabundus
et Stomardanus fatebatur. Expectantibus itaq amicis oc-
cisi, Henricus quintus Dux in Jaroslaum sententiam pronun-
ciat, et ex propria confessione in mortem condemnat, atq ex
atrio per scalas in Lignicensis castri, ubi iudicium a-
gebatur, medium deductum, capite obtruncat, et quem
plurimis beneficiis ornaverat, extulerat, hoc uno fatali
et extremo casu damnat. Sed nec Jaroslao perempto,
favorem remittit, unicum enim filium Jaroslai vicesimum
agentem annum, qui Lutsho vocabatur, pro familiari in-
timo suscepit, et propensiori gratia pertractat. Verum
a Consiliarijs identidem monitus, ne Jaroslai filium
versari apud se et in camera sua pateretur, ne in ultio-
nem paternam quicquam moliretur adversi, Vehementer
inquiunt suspicamur Lutshonem necem patris iniquo
animo laturum, et eius interitum tibi imputaturum fore,
cogitaturumq omni tempore et hora, quo pacto mortem pa-
ternam tuo vindicet periculo, maioraq in te tuumq caput
ausurum. Aspernabatur sibi fideliter suadentium et
periculum suum portendentium consilia, tutiorem se fa-
cturum ratus, et gratia quam patri vivo praestiterat, et
benevolentia quam in filium dependebat. Lutshonem
tamen advocat, et praesentibus Consiliarijs in hunc allo-
quitur modum. Vidisti inquit quantis desiderijs et la-
boribus aestuaverim, quantisq conatibus adhibuerim, ut
parentem tuum Jaroslaum ex morte, quam ipse sibi
et occultando innoxium, et homicidij profitendo in iudicio
crimen, consciscebat, eriperem. Nosti quoq patrem tu-
um

um sua superbia arrogantiaque dementia, depravationem sibi nexuisse. Ex duobus itaque horum infra tempus bimestre elige, aut damnationem patris iuste a nobis factam perpetuo obliviscere, aut ex curia nostra nunquam ad illam reversurus, secede. Lapso tamen constituto ad respondendum spacio Lutsch adveniens, et iuste legitimeque patrem damnatum, iusteque interiisse publica voce perhibet, et se illius necem, non verbo, non facto, non publice, non occulte, sed neque commemoraturum, aut ulterius molestiamque laturum, iureiurando confirmat. Obsecrans Henricum Ducem, ne se ut filium suum suspectum iri permittat, si ea conditione eiusque menti fretum esse, et subditissimum, constanter, et sincere, obliterata paterna nece, se illi famulaturum. Excussit hac Lutshonis vox Henrico Duci lachrimas, et complectens illum ait, in parentis me habebis loco, ea sumpturus ex me beneficia, pro quibus et tu et cognati necessariique tui perpetuas mihi agere gratias poteritis. Nec sermoni Ducali virtus defuit, nam et Lutshoni plerasque donationes liberaliter contulit, et ipsum suis intimis consiliariis inseruit, brevique effecit, ut authoritate et favore fere singulos excederet. Hunc itaque Conradus Glogoviensis Dux tam promissis quam blanditiis in captivitatem aut necem sui Domini et benefactoris, Henrici quinti, asserens non esse ferendum ut sui parentis indigna impunita sit mors, subornat. Qui opportunum tempus ad exequendum ea, quae cum Conrado Glogoviensi Duce pepigerat, observans, in dominum suum Henricum quintum in balneo ad fluenta Odrae prope Vratislaviensis castrum corpus curantem, cum satellitibus armatis advenit. Cuius etsi a ministris Henrici quinti praevisus fuerit, et Duci Henrico denunciatus adventus, bonum tamen et quietum eos habere animum et omnem suspicionis pavorem deponere iussit, cum Lutsho suus familiaris, et cubicularius, et consiliarius existat, et impossibile sit illum quicquam sinistri moliri. Verum Lutsho omnium beneficiorum et parenti et sibi praestitorum oblitus, balneum in quo Dux lavabatur Henricus, gentibus circumdat, et familiaribus Ducis fugientibus, et resistentia, cum nudis contra armatos inanum foret certamen, facere non audentibus, Henricum Ducem et dominum suum nona Octobris die captivat. Quem etsi unus ex familiaribus defendere nisus fuisset, et suo corpore Ducale protexisset, a Lutshone tamen et suis, variis vulneribus confossus interiit. Captus itaque Henricus quintus, et ex balneo ignominiose nudo corpore tractus, in equum imponitur, et veli palliolo superinducto tota die illa et nocte subsequenti, qua captus est, equitare cursu vehementi coactus, in Sandwotz adducitur, et Duci Glogoviensi Conrado per Lutkonem praesentatur, infelicitati sua ab eo proditus, cuius parentem in summum gradum provexerat, et ipsum quoque proditorem promovere maturabat. Quem diu Conradus Dux Glogoviensis ferocius in dira coniecit vincula, vinctum quoque et cathenatum non solum horrendo carceri, sed et in vas ferreum angustum, et ex omni parte concavatum, duo tantum modo foramina et haec ipsa plurimum brevia et stricta habens, unum quo escam exciperet, spiraretque posset, aliud quo alvum purgaret, et in quo non sedendi non standi aut iacendi; sed vix aegre sedendi relicta erat facultas, inclusit. Ubi per menses sex adeo tortus vexatusque est ut de scapulis et femore eius et sanies et multitudo vermium scaturiret. Mortem itaque ut crudelis passionis evasurus, dum videret germanum suum Ducem Boleslaum Swidnicensem pro sua liberatione nullam operam navasse, triginta marcarum millia, in pontis medio, supra flumen Czarna, quae Legniczam circumfluit, ex composito primum solvit, deinde infrascriptos districtus castra et oppida, videlicet Namyslow, Beroltsow, Creuzborch, Bycznam, Cunczestat, Rosembrch, Haynoviam, et Boleslaviam cum terminis et districtibus suis, Duci Conrado Glogoviensi donat et inscribit, illisque perpetuo renunciat. Post liberationem continuo languore afflictabatur, quem illi feralis captivitas contraxerat, nec ad diem mortis ad vigorem pristinum poterat restitui. Balnearum fomenta Principibus Poloniae inimica et execrabilia, et sub illorum usu scrupulosior ad sui custodiam adhibenda illis cura. Tres enim constat Polonorum principes sub balneandi tempore periclitatos fuisse, unum hunc de quo modo narrationem absolvimus, Henricum quintum in valetudine et substantia, alterum Lestkonem album Cracoviensem, Sendomiriensem et Pomeraniae Ducem, ac Poloniae Monarcham, in vita, tertium Henricum cum barba Wratislaviensem Ducem in corpore prope ad mortem vulneribus laeso

Apud Cracovienses et Sendomirienses erat coeptum inter Vladislaum Lokthek Ducem Cracoviensem, et Wenceslaum Bohemiae Ducem pro principatibus ipsis bellum acerrime gerebatur, et per Wenceslai Ducis Bohemiae absentiam, qui sub eo tempore Adulpho Romanorum Rege in Miszna apud Grunhaim agebat conventum, et affinitatem, modico duraturam tempori, dando filiam suam Agnetem Ruperto filio Regis iungebat, pars Vladislai Lokthek Cuiaviensis Ducis plures ex Bohemis referebat triumphos. Superveniunt tandem Tartarorum ingens exercitus in aliquot agmina divisus, et non nisi ad Sendomiriam grassatus, correpta praeda et hominum utriusque sexus magna multitudine capta, et servituti mancipata, in Tharthariam hos unde ebullierat rediit, quae res, vires et potentiam Vladislai Lokothkonis Ducis, cui circa oram Sandomiriensem parebatur, plurimum debilitavit

Conradus Stange Commendator de Ragnetha circa festum Sancti Iacobi Apostoli in Lithuaniam cum gentibus suis licet paucis veniens, castrum Mingedo, quamvis multiplici Lithuanorum praesidio septum, impugnans, comprehendit, et magnam multitudinem Lithuanorum paucis effugientibus aut cepit, aut occidit. Quorum sequentes vestigia Vithenes Dux Lithuaniae, cum multitudine Ruthenorum et Lithuanorum Pruthenicam oram diebus octuaginta vastat, infra quos a Cruciferis invasus, victus, succubuit, et pluribus de suis amissis cum paucis fugiens evasit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS NONAGESIMVS QVARTVS

Non defuit et hoc anno divina indignatio per rabiem barbarorum desaeviens in Polonos, Vithenes enim Lithuaniae Dux cum mille octingentis equitibus, ex Lithuanis, Pruthenis, et Samogitis collectis, in Lanciciensem terram impetum facit, Quam dum feria quinta Pentecostes, per sylvas, et nemora Duce Masoviae Boleslao permittente et favente, tam silenti et ignoto agmine, ut quoslibet praecurrentes fallerent, ingressi fuissent, primum ad Ecclesiam Collegiatam Lanciciensem accurrunt, populumque utriusque sexus frequentiam, quae illuc gratia celebrandi festi confluxerat, aut trucidant, aut captivant, praelatos, Canonicos, et Sacerdotes domini miserabiliter captivant, vestes sacras, vasa et clenodia diripiunt, caeterosque qui ad Ecclesiam confugerant, et in illa se viriliter defendebant, vicinis domibus, quae Ecclesiam circumstant, incensis, in Ecclesiam Lanciciensem incendium inferentibus, suffocant et extinguunt. Deinde rura diversa discurrunt, et praeda plurima ex hominibus et pecore comparata, citato cursu recedebant. Non tulit et suam et gentis suae calamitatem Casimirus Lanciciensis Dux, sed cum singulis terrae Lanciciensis militibus Barbaros persequi coepit, quos circa Trulow villa prope oppidum Sochaczow supra flumen Bszura sita, secundum alios circa villam Troianow, consequutus fuisset, paucitate sui agminis et hostili multitudine minime pensata, in barbaros irruit, et magna strage edita, multisque captivis per fugam fervente praelio enatis, elapsis, a multitudine barbarica victus, succumbit, et inter confertissimos hostes audacissime inter primos pugnans, nobilem excipit mortem. Quo cadente fuga passim per Polonos fieri capta est, et plures ex Polonis dum mortem honestam vitant, in mortem turpem incidunt, et in flumine Bzura, ultra quod pugnatum est, aquis plus tunc solito ex imbribus inflatis, submerguntur. Lithuani et praeda et victoria potiti, tam tunc ex captivis Polonis praedam asseruntur retulisse, ut cuilibet barbaro viginti Christiani Poloni in sorte cesserint. Non reliquit Casimirus Lanciciensis Dux aliquem superstitem, propter quod Lanciciensem terram Vladislaus Lokthek Cuiaviensis Dux germanus suus legittime in se devolutam accepit.

Nota

Duodecimo Calend. Novembris Conradus Dux Masoviae et dominus Czirnensis, filius Semoviti in Jazdow a Lithuanis occisi, in Monasterio fratrum Canonicorum regularium in Czyrwiensko moritur, et in eodem Monasterio iusto honore sepelitur. Construxit hic Monasterium in Blonie et tam introitibus quam clenodijs et ornamentis munificentia Ducali dotavit

Biennio et amplius Cardinalium collegio super electione summi Pontificis per varias voluntates diviso, ad persuasionem Latini Hostiensis Episcopi, fratrum Petrum de Murone Heremiticam vitam ordinis Sancti Damiani sub regula Sancti Benedicti agentem, virum maxima abstinentia et oratione totum Deo consecratum, in partibus Aprucij in magna vitae austeritate in heremo habitantem, septima die Junij eligunt in Papam. Qui ex heremo Aquilam veniens, in die decollationis beati Joannis baptistae in Ecclesia Sanctae Mariae de Collemadio Caelestinus quintus vocatus consecratur in Papam, Ubi et curiam suam aliquanto tempore tenuit, et Cardinales illuc ex Perusio venire coegit. Verum licet opera viri Sancti forent, et a primi status innocentia non recessent, eandem humilitatem, eandem puritatem observando, decipiebatur tamen, velut vir in regimine pontificali inexpertus, et impotentia senectutis, cum aetatis decrepitae foret, in gratijs et signaturis non sciens versutijs et fraudibus curiae occurrere, Propter quod fere a singulis Cardinalibus periculo in quo status Ecclesiae versabatur, intellecto, edita Constitutione, ut posset Papa cedere Papatui, in vigilia Sanctae Luciae Neapoli in praesentia Cardinalium cedit Papatui, et papatus

di pomno

deponens insignia, praebuit humilitatis exemplum stupendum cunctis, imitabile paucis, Cum a septima die Julij usque ad decimam nonam vel citra Decembris sedisset. Cardinales deinde ad electionem alterius providentes, Benedictum Caietani, tituli Sancti Martini in montibus Presbiterum Cardinalem natione Campanum de Anania oriundum, longo tempore Curiae experientiam habentem in Papam elegerunt, quem Bonifacium Octavum appellant. Qui praedecessorem suum Caelestinum ad Heremum latenter fugientem, Scismati praecavens, cum ab aliquibus dubitabatur, an cedere Papatui potuisset, capit, et in castro Fumonis sub honesta custodia includit, ubi vivens, tandem quartodecimo Calendas Junij anno uno, mensibus quatuor, diebus viginti octo exactis, moritur, et in Monasterio Sancti Antonij de Ferentino, ordinis sui M° CC. nonagesimo sexto sepelitur anno. Multis deinde coruscans miraculis a Clemente quinto sub nomine Sancti Petri Canonizatur. Bonifacius ex Neapoli curiam in urbem transferens, illic suam mansionem figens, aliquanto tempore, sextum librum Decretalium composuit

Idem ut aliqui aiunt in Ecclesia Sancti Petri ubi crucifixus refertur in monte trans Tiberim extra urbem post cessionem Papatus, sanctiori vitam solitariam ducere devotionem cupiens, inhabitavit. Quem Bonifacius successor suspicatus, et veritus, ne unquam alio spiritu ductus Papatum repeteret comprehendit, et vinctum squalore carceris miserabiliter extinguit. Hic successor cessori tyrannicam pro beneficio reddit vicem, quo merito posteri docti in sua vocatione cum diuturniori vita consultius maiore diligunt, quam ea contempta intempestivam sibi conferre mortem, et ex benefactoribus facere tyrannos.

In quarto mense qui apud Judaeos dicitur Chamuz ultima die ipsius mensis, in qua die praedixerunt Rabi Judaeorum, quod Judaei debebant habere signum redemptionis suae adeo miraculose factum, ad quorum proclamationem omnes Judaei fecerunt suas poenitentias, in ieiunijs multis, cum satysfactionibus et elemosinis, ad Deum conversi orantes ut sibi praedictum signum suae salutis ostenderet. In quo anno, mense, et die assignatis intraverunt Synagogas suas ad orandum Deum, induti Syndonibus albis lineis neij, seu feriis, prout est mos apud eos in die expiationis, scilicet in die decima mensis Septimi, et tunc altissimo Deo cooperante, qui nullum tempus ~~sui~~ Ssimæ bonitatis suæ sine testimonio relinquit, in Sindonibus qui servabantur apparuerunt signa crucis, in omnibus ubicunque erant, etiam in illis sindonibus qui servabantur in ssino apotecis. Quo signo viso multi eorum fuerunt turbati, quorum quidam dicebant, quod hoc fuerat factum Diabolica arte, nimirum ~~cum~~ ut prædecessores eorum de Christo maxima miracula facienti, in Belzebub eiicit Dæmonia, Alij vero dubitabant non audentes loqui, nec aliquid certa hac indicare. Alij vero crediderunt hoc signum fuisse veri Christi crucifixi et disposuerunt se ad eius fidem cum baptismo recipiendam. Isti tamen fuerunt pauci iuxta illud Hieremiæ tertio capitulo. Assumam vos unum de civitate et duos de cognatione etc. Et attendendum quod inter duos prædictos terminos, qui per prædictos Rabinos in suis libris et tractatibus assignati fuerunt, fuit terminus alius a duobus Iudæis in Hispania qui prophetæ dicebantur, quorum unus erat in civitate Abulen̄ provinciæ Compostellan̄ et alius in villa quæ dicitur Cilon Saguntinen̄ Diœcesis Tholetan̄ provinciæ. Qui quidem duo tam magnalia loquebantur semper prophetæ, et isti dicta et futura quandoque prognosticabant, et occulta revelabant, secundum morem eorum domestici vivebant, quod ab omnibus Iudæis regionis reputabantur semper prophetæ et isti duo assignaverunt tempus ad videndum signum suæ redemptionis, in anno a Creatione mundi V millesimo quinquagesimo quinto secundum eorum computationem, qui quidem annus concurrit cum Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo quinto præsenti.

In fine Hyemis Prussiæ Magister Menbardus hostilibus armis terras Litthuaniæ invadens duos districtus Pastow et Gerstow iterum vastat, et castrum Litthuanicum Mingedin bombardis quatit, et impugnat. Duobus autem

castris inferioribus congressis et exustis, dum tertij
expugnatio differretur, et videretur captiuis Litthua-
norum in Prussia castra remissis, ad castrum
Wyszem Masouiae Ducis Boleslai exercitum ducit.
illudque iuxta ac barbaricum et hostile, propterea
quod Lithuani in eo habebant receptaculum, et fre-
quentius etiam ex illo terras Poloniae et
Prussiae infestabant receptaculum oppu-
gnat. Nec Boleslaus Masouiae Dux
legationibus ac Nuntijs fatigatus,
farmus vel reprimere prohibat, con-
quirit et exurit. Litthuanorum
castrum hymel Ludouicus
de Ragnitha Commendator
tot annis sibi diu tempore
quaesitum, eandem in-
cendionis infert
sortem.

Finis libri Septimi

22 Maij

LIBER OCTAVVS

Octauo Calendas Mstzugius Dux Pomeraniæ moritur, et in Monasterio in Oliwa, in patrum suorum sepulchris sepelitur. Post cuius mortem Dux maioris Poloniæ Przemislaus, ad quem successio Ducatus Pomeraniæ tam sanguinis quam designationis iure pertinebat, in Gdansk venit, et totius Ducatus Pomeraniæ accepit plenam et pacificam possessionem. Ciuitatemq Gdansk blancis muniri procurauit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS NONAGESIMVS QVINTVS

Benignitas agni cælestis ex inscrutabili prouidentiæ suæ arcano cuncta prosperans, cunctaq ratione gubernans, multis varijs scissuris, calamitatibus et guerris, quæ in Regno Poloniæ a tempore quo vir sanctus et protomartyr Poloniæ inclitus Cracouiensis Episcopus, Stanislaus, ab impio Rege Boleslao, filii tenori, membratim truncatus, ex miseratione solita compatiens, et propitiam atq placatam de scelere in Sanctum suum commisso se demonstrans, lacerum et ex eorum qui in Regionibus Polonorum principabantur malitia, monstruosum et difforme Regni Poloniæ corpus reintegrare et pristinam illi gloriam, priscumq tribuere disponens splendorem, parua illi primum, quo altior eius futurus notari posset profectus, induxit initia, quod sæpe in rebus ad summum peruenturis, humili exordium habentibus vidimus contingere. Suscitauit namq, spiritum viri Heroici, ea tempestate illustris Przemyslai Posnaniensis Ducis, qui ex patre eiusdem nominis Przemislao maioris Poloniæ Duce, de vetusta Regum Poloniæ domo ducente originem viro spectatæ pietatis atq virtutis et feruentissimi religionis Christianæ cultoris, et ex Elisabeth Ducissa fæmina religiosa atq diuota editus, eiusdemq matris solicito studio et cura ab

ineunte

ineunti aetate virtuosis moribus, patre enim ante nativitatis suae diem obierat, eruditus, ad hoc unum sollicitum studium animumque intenderat, ut reliquias patriae non tam miserandas quam miserabiles servaret, simulque illam ad ~~cu~~ culmen Regium et ad unam Monarchiam reduceret, sanctam illam et futuram felicem ratus, si suo ductu, suisque consiliis et auspiciis, pro pluribus principibus unum Regem et Monarcham sortiretur. Irritabant ingentis spiritus virum Prussia, Slesia, Saxonia, Wratislaviaque adempta, lugebat Cracoviam, caeterasque Regni Poloniae provincias, obeunte sine liberis Lestkone nigro Cracoviensi et Sandomiriensi et Siradiensi Duce, quinto consanguinitatis gradu eum contingente, multis cladibus colludi, et plusquam civilis belli gladio in propria viscera universo, discerpi. Grandi itaque et supra vires supraque aetatem animo fretus, quamvis aemulos et frequentes videret naturales dominos in Regni Poloniae provinciis principari, non cupidine tyranni imperii, non ambitione Regii fastus, sed sola pietate et caritateque in patriam permotus, magnis ausibus universi Regni Poloniae, divinitate inspirante, se constituit in animo et destinat Monarcham. Ad quod assequendum non solum illum proprius et divinitus infusus agitabat instinctus, sed etiam Praelatorum et Baronum Poloniae et Pomeraniae invitabat mira affectio et consensus. Patriis enim clarissimis moribus et institutis maternis non contentus, adiectione propriorum radiabat, unde facile in se tam primorum quam inferiorum favorem conciliaverat, illique unus inter Poloniae Principes dignus visus, habitusque, cuius tempora regio insigni adornarentur. Iam annum aetatis agebat tricesimum octavum, iam in Pomerania Ducatum mortuo Msczugio sine liberis iuxta pacta inter eos in vita stabilita successerat, iam matrimonii iure virginem Rixsam filiam Regis Sueciae feminam honestis moribus plenam consilio et ordinatione Boleslai Ducis Calisiensis patrui sui germani copulaverat, ex qua unam filiam nomine maternum imponens ei Rixsam genuerat, Cum vero maiorum Praelatorum, et Baronum Poloniae concordi voto deliberatione et pari consensu Diadema decretum, qui caeteris religione, innocentia, fide, iustitia, integritate, clementia praestaret. Itaque cum praeclaras suorum maiorum imagines, tum res a se feliciter iusto bello paceque gestas, tum denique omnibus in rebus modestiam suam suspicerent, par omnibus visum fuit, sibi vim genus Polonorum salutisque illius committere. Et ut cunctis sua ordinatio innotesceret, Regiaque veneratione a singulis coleretur, Anno nativitatis Domini nostri Millesimo Ducentesimo Nonagesimo quinto, die Solis vicesima sexta mensis Junij alias die Dominico in Sanctorum Joannis et Pauli martyrum, celeberrimus pater Jacobus Swinka Gnesnensis Archiepiscopus in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, celebratis ex more de Spiritu Sancto missarum solennitatibus, praefatum Premislaum Ducem in Regem, Ducissam vero et consortem suam Rixissam in Reginam Poloniae inungit, sublimat, et Diademate Regio, quod mirum dictu, studio arteque virorum Ecclesiasticorum per plures transactas aetatis conservatum custoditumque est, coronat. Assistentibus sibi Joanne Glebicz Posnaniensi, Joanne Romka Wratislaviensi, Goslao Plocensi, Conrado Luburzensi, Episcopis, Palatinisque et Baronibus Poloniae principalioribus, ac multitudine populi copiosa. Procopius autem Cracoviensis, et Wislaus Wladislaviensis Episcopi, caeterique partium Cracoviensium Barones, etsi coronationi praefatae non adfuerant expresse, tamen et connidentes in illam condescenderant, et de eius consumatione festos laetosque duxerant dies. In Sumetaque morem Sceptra regalia, honosque regius et dignitas Poloniae sequenti dignitati reddita sunt, quibus per annos prope ducentos caruerat. Celebris quoque dies ille et annus mirum in modum insignis habitus est, in quo quasi quaedam detestanda et perniciosa Principum pluralitate expulsa, et vulnere veteri curato, Poloniam clementia Salvatoris ad florentem tranquillumque statum, et ad ubertatem, pompasque culminis Regij perduxit.

Premislaus Ratiboriensis Dux, rara in beatissimum Stanislaum Cracoviensem Praesulem devotionis, et Monasterij Sanctimonialium in Ratibor ordinis

praedicatorum

Prædicatorum fundator et dotator, cum in omni vita ſua Sanctum Stanislaum mira devotione coluisset, in honorem ſuum annis ſingulis in die ſui natalitij, a Ratiboriensi castro usq; ad Monasterium Prædicatorum grandem cereum vires ſuas excedentem deferre ſolitus, apparuit, et in extrema aegritudine laboranti Beatus Stanislaus, et benignius consolatum, ut ad festum ſuum celebrandum ſe præpararet, admonuit. Cui respondenti, quomodo potero id facere, cum ſim valetudinarius et gravi aegritudine oneratus, Sanctus Dei adiecit, ego te inquit adiuvabo, præstaboq; vires. Dux Przemislaus ſeu Faitirum dominus, in vigilia Beati Stanislai moritur, nulla prole derelicta, et in die ſuo festo, quemcum et duo germani ſui fratres videlicet Casimirus Bitomiensis, et Mieczslaus Thesmensis Duces, et Ratiborienses Barones diutius in adversum niterentur, corpusq; in alium locum ſepeliendum ferre vellent, in Monasterio Prædicatorum in Ratibor, Ducibus et Baronibus ſententias mutantibus ſepelitur, festum beatiſſimi Stanislai non annue ſed continue de caetero celebraturus.

Coronationis ſolennijs rite magnificeq; peractis Przemislaus Rex, plures cum Prælatis, et Baronibus ſuis volvebat, agitabatq; deliberationes, quatenus aegrum laceruumq; ſui Regni corpus debitæ ſoliditati componeret, et terras ab eo abstractas, et per Almanos occupatas eidem reuniret. Maior tamen et præcipua omnibus cura fuit, ne ex intestina Vuartislai et Msczugij Pomerania Ducum discordia, Pomeraniæ Ducatus et præsertim civitas cum castro Gdansk in Cruciferorum ditiones pervenirent. Licet enim per Ducem Boleslaum Calisiensem, germanum patruum Przemislai Regis præfati, Cruciferi non ſine strage plurimorum fuissent ex castro Gdansk, cuius occupatio tum illis in magnum discrimen cesserat, eidi, civitatis tamen prædictæ Gdansk ſitu contemplato, quod maritima esset, et facile opibus mari importandis excelleret, continuis ſtudijs ad eius occupationem anhelabant. Quod tamen Przemislaus Rex primum ageret, quo ſe verteret, ignorabat, ceteris Regni provincijs mutuis aut externis ſtragibus laborantibus, et ſuffragia per legatos implorantibus distentus, placuit tamen Consiliarijs Regijs per conditiones pacis nonnulla minoris morbos habentia

componi

corpori, ut fortior ad expedienda caetera posset praestari vacatio, sedarunt et bella sive cum finitimis sive cum proprijs gerenda, in longum, quo tenerum et nulli regni solamen corpus convalesceret, et in viribus robur evaderet, differri. Verum licet cunctis in circuitu finitimis Tyrannis et nationibus Przemyslai Regis in solium regale sublimatio fuisset invisa et molesta, et varij ad rescindendum eam tam inter Poloniae Duces, qui fremebant se gloria regali per Przemyslaum antecessi, quam inter finitimos, quibus mox terribilis et suspecta coepit esse regalis potestas, concurrerent rumores, Marchionibus tamen de Zgorzelecz alias de Brandeburg videlicet Ottoni longo et alteri Otthoni et Ioanni maioris suspicionis atque odij subministravit materiam, verentibus, ne regia dignitate et accessione multarum terrarum quae sub regimen sponte subeuntium auctus, eos de Marchionatu praedicto, captata opportunitate temporis exterminet, quos privatus et vix sedecimum agens annum ex munitionibus Strzelcze et Drezden male per eos possessis exturbaverat, periculum sibi et suis dominijs, nisi per eos Rex Przemislaus, cuius clarissimam indolem, adhuc in puero habebant perspectam, morte succumberet, cum tali rerum rati in necem eius instigatione Diabolica conspirant, propositum scelestae rei ulterius antiqua prodi posset exequuntur.

Cracoviensium Episcopus Procopius cum annis duobus, mensibus tribus, in Cracoviensi sedi sedisset, moritur, et in Ecclesia Cracoviensi sepelitur, Cui Ioannes vocatus Muskata magister artium, Archidiaconus Lanciciensis, nobilis genere, natione Wratislaviensis, deferens pro armorum insignijs in campo caelestino novem lilia glauca succedit, in die Sancti Benedicti Confessoris consecratur electus

Moleste ferens Boleslaus Mazoviae Dux castri sui Wizna destructionem, per Magistrum Cruciferorum factam, aliud versum castrum coepit fabricare. Cuius consummationem Meinhardus Cruciferorum Magister prohibiturus, omnes dominij Prussiae servos et liberos, cogit in arma. Sub quo tempore Zambienses et Nottangenses Pruthenii, clandestina conspiratione inita, apostantes a fide, fratres Cruci feros in Barthenstein, nihil tali suspicantes comprehendunt, et occidunt. In aliis quoque locis populationis caedes et spolia in Cruciferos et caeteros Christianos utriusque sexus peragunt. Quo malo Commendator Kinsbergensis cognito, expeditione contra Ducem Boleslaum Mazoviae omissa, in Prussiam reversus, gliscentem seditionem oppressit, et capita conspirationis instaurato iudicio punivit. In Lithuaniam deinde traducto exercitu, munitionem quandam, ex qua Lithuani diffugerant, exurunt. Castrum vero Kymel a quo saepius repulsi fuerant, occisis multis Lithuanis, qui illud defendebant, acquirunt

ANNVS DNI MILLESIMVS DVCENTESIMVS NONAGESIMVS SEXTVS

Natalem Domini qui in diem Dominicum cadebat, et sequentes solemnitates Przemislaus Rex Poloniae circa Ecclesiam Posnaniensem exegit, et celebri ac devota religione in venerationem divinitatis usus, in erogandis pro Christi nomine eleemosinis, supplendisque quorumlibet egentium necessitatibus, munificum se universis atque liberalem praestabat, primordia regiminis sui in administranda iustitia, in defendendo pupillo et vidua, caeterisque sanctis et iustis operibus caelorum Regi, ut suum stabiliretur imperium, et suis captis assisteret divinitas, devovens atque consecrans, amplior cultu et veneratione in Deum, largiori dextera in egenos, et propensiori pietate in patriam nisi fatis appetitus fuisset, usurus. Hic autem pietas sua quam erigendo Regnum Poloniae et ex imo Ducali ad fastigium regale sublimando monstraverat, processu temporis docuerunt, in sigillo maiestatis, ordinatione sua pulcherrime fabricato, literis capitalibus in girum circumcirca apertam hunc textum inscribi in parte una iussit, Reddidit ipse solus victricia signa Polonis, in altera autem parte sedebat in throno regio imago regalis tenens in manu dextra sceptrum, in qua etiam consistebat galea cum insigniis Polonicalium armorum, in laeva vero tenebat pomum crucesignatum cum titulo literis capitalibus inscripto, Sigillum Przemyslai Polonorum Regis et Ducis Pomeraniae.

Celebrato autem Catholico et patrio ritu Salvatoris torii natali, Przemislaus Rex primum ex Posnania Gnesnam venit. Ubi aliquanto tempore quantum expeditio rerum publicarum permittebat commoratus pro liberius carnisprivii in Rogozno descendit, et curiam regalem illic celebrans, et distribuens certaminum patriae proponens. Cognito autem per exploratores, Otto Longus et alius Otho, et Joannes Conradi, Marchiones de Brandeburg, Przemislaum Regem in Rogozno solatiis deditum, absque cuiuslibet hospitalitatis suspicione habitare, et vitae salutisque suae custodiam pro explorato habentes neglectum iri, loci insuper qui nullo vallo aut muro septus erat debilitate provocati, non propriis solum sed aliunde quaesitis gentibus glomerati, per noctium latebras et sylvarum abdita, nec a quoquam conspecti tentationes suas paratas solverunt, potius quam inferrent, feria quarta cinerum sexto Idus Februarii quae fuit dies Sanctae Dorotheae virginis in Rogozno die illucescente tam inopinate et latenter, ut singulos fallerent, etiam enim inter eos conventum clam circumque erat, perveniunt, atque in Regem Przemislaum in cubili regio quiescentem proditorie et fallaciter, nullis enim illum literis aut nunciis diffidaverant, in suosque milites variis hospitiis et locis disjunctos, et ex hesterna crapula et mero graviori sopore mersos, ebrietate graves, omnes vero inermes, indispositos atque imparatosque insiliunt, irruunt. Et quamvis rei atrocitati novitatique Rex Przemislaus perculsus, a quibus quantisque hostibus peteretur penitus existeret ignarus, depulso tamen pavore, ut erat vir animi roborisque praeclari, cum suis quos profacienda hostibus resistentia exhortatione sermone operique animabat, in hostes insilit, et congressione facta multos ex illis aut vulnerat aut prosternit. Militibus autem magis quam Regio aut eis Przemislaus Rex officiis adversus hostes usus, abundante hostium multitudine, pluribus sagittarum, gladiorumque ictibus petitus, ad extremum fortissime ut stirpi sua conveniens erat dimicans cadit, corpore ex multitudine vulnerum in terram defluente. Ab hostibus au tem semivivus exceptus, grande in illis voluptatis iocunditatisque materiam praebuit. Satagebant enim illum in triumphi speciem in penates suos et terras deducere vivum, magnum suis et exteris populis spectaculum, simulque maximam famam et nominibus suis monumentum apud Almanorum nationes praebiturum. Verum dum ex latis saltem vulnerum multitudine languidatum ac pene iam emortuum Saxones servare et in Regionem eorum ducere conati, equo imposuissent, et imbecillior foret, quam qui equo insidere aut cursu vehi posset, moribundus, titubante corpore in terram defluxit. Dum insuper nulla vitae regiae spes in crastinum duratura posset portendi, in rabiem furoris conversi, in corpus captivum et saucium, suapteque morte iturum saeviunt, et illud pluribus pugionibus confodiunt, et crudelissima nece sexto Idus Februarii extinguunt. Eo uno illos ad tantum scelus et nefas irritante, quod Rex Przemislaus non mediocrem in illos victoriam, dum plures et notabiles de suis desiderarent, reliquisset. In hoc autem tam nephando execrandoque scelere, etsi Teutonicorum erga Polonos malignus invidusque perspici posset animus qui orientem gloriam Regni Poloniae, quantum in ipsis erat, extinguere, pessumque dare conati sunt, crudelitas tamen Joannis Comitis Brandeburgensis praefati non satis admirari potest, qui cum esset praefati Przemislai Poloniae Regis nepos germanus ex sorore sua germana Constantia patris sui filia, quam Conradus Marchio Brandeburgensis desponsaverat, susceptus, in necem tamen avunculi germani et Christi Domini privato etiam odio sibi regnandi dexteram extendere et sanguinis sui parentem cruento mucrone de rerum natura tollere non expavit, pietatis violator gravissimus, et honoris sui atque famae proditor malignus. Habet et nonnullorum assertio quosdam Poloniae Barones et milites de armis Nalancz et Zaraby necis praefati Przemislai Regis fuisse contubernales et conscios, et praefatorum Ottonis Longi, et alterius Ottonis atque Joannis Brandeburgensium Marchionum, consiliorum participes et patrati facinoris adiutores, sive quod Rex ipse Przemislaus velut vegetioris vir ingenii quaestus eorum et lucra abrogaverat, aut verisimile credebatur abrogaturus, sive quod in eos aut eorum affines pro quibusdam excessibus animadverterat, sive quod eo sublato alium

eius

cuius favore statum et fortunas suas auctum iri succedere sperabant. Atq eminentis Regis occasio provenire credenda est, nisi solitum marginationem domesticorum, et familiarium admisisset accessu. Fama insuper est usq ad tempora Casimiri secundi et optimi Poloniae Regis, nobiles dominorum et familiarium praedictorum in Sororem patrati sceleris ea poena et nota mulctatos esse, ut neq militiae equestrium ordinis cingulis instructis uterentur, neq rubeo colore in vestibus uti auderent, quae tamen per praefatum Regem Casimirum, cum Russiae principibus pugnaturos fuit abolita. Funestum autem Przemysli Regis corpus exanime, dum ex Rogozno Posnaniam duceretur, plurimas tam Ecclesiasticis quam saecularibus personis excussit lacrimas, lamentantibus cunctis tam optimum Regem et Reipublicae Regni Poloniae restauratorem atq parentem tam crudeli et subita nece occidisse, et Polonorum provinciis novam orbitatem induxisse. Sepultus est autem in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi in sepulchro patrum suorum Regum Poloniae, Joanne Episcopo, Praelatisq et Canonicis Posnaniensibus nec non Baronibus Poloniae cunctis consistentibus exequias, et omnia funeralia insigni illi Regi atq ordine, iuxta magnificentiam Regis corpori debitam soluta. Vixit annos triginta octo, menses tres, dies viginti quatuor regnavit vero mensibus septem, diebus undecim, Vir a Polonica gente summis per omnes successiones aetatis celebrandus, efferendusq laudibus, qui illam prostratam et exanguem erexit, et vicinarum regionum dominationem reddidit, ac spiritum vitalem per multa saecula vetustum, lucem quoq ex caligine, libertatem ex servitute, ex maerore gaudium, primus infudit. Quamobrem et olim propemodum infelicissimi habebamur collisi omnibus scopulis, navi fracta sine inde fluctuabamus, et illud Herculis verbum nobis verius ac ipsi accidisset, finis unius mali gradus erat futuri, ita beati nuncupari possumus, qui omnes procellas Dei clementia et Przemislai Regis providentia ordinatione necdum placatas sed in lenem placidumq Zephirum asperimus conversas. Habuit habetq non nullorum scrupulosius singula rimantium estimatio, quod tam crudelis tamq subita mors Premislao Polonorum Regi ob necem in Lukkenda consorte sua prima patratam acciderit, facinus detestabili pari poena divinitate ulciscente, quam ipse male suspectam habens, vel ut alijs placet, ob sterilitatis opprobrium exosam ducens, jugulari procuraverat. Post cuius mortem a militibus Pomeranis ac cersitus, aliquanto tempore Pomeraniae tenuit principatum.

Non quievit posthac Marchionum Brandeburgensium praefatorum furor, sed in alteriorem facinus extendens, ab humanis ad divina perturbanda iura prorupit. Praeposituram enim Sancti Andreae Santhorensis, villa Lipowo caeterisq redditibus insignem, cuius praepositus in clero et populo et in singulis Ecclesijs infra Odram, Inam, Dravam, Vartham, et Notecz fluvios constitutis, Jurisdictione ordinaria utebatur, ad collationem, provisionem, et omnimodam dispositionem Posnaniensis Episcopi pertinentem, abstrahunt. Et ne quidem Polonis commune habere viderentur. Praeposituram praedictam et eius Jurisdictionem in Capitulo Ecclesiae Soldinensis attribuunt et applicant. Ex quo deinde magnam dioecesis Posnaniensis in Santhorensi Castellania, et quidquam gentium intra flumina praedicta situm est, passa est, sui corporis sequestrationem. Pro qua recuperatione tam Andreas Simonovius, quam Dominicus Posnaniensis Antistes nullam diligentiam humanam; in Apostolico consistorio distracta et alienata repetens, genus omisit. Sed et Joannes Lodza successor, remoptimi adam et usq ad se resolutoria magnis sumptibus et fatigis prope perductam prosequi destitit, dissimulatione sua et neglectu Jus suum et iniuriam Ecclesiae suae nutriens, et tam parta quam partura confundens

Nec autem regnum Poloniae per occisionem Premislai Regis divisionum guerrarumq laquei contingeret incolumi, et per principes, tyrannosq vicinos in praedam direptionemq exponi, Praelati, Baronesq

Poloniae Regni, et Ducatus Pomeraniae conventione generali in Posnania pro die Sanct. Adalberti celebrata, id primum sibi agendum praecipuum existimaverunt, ut aliquem Principem, prudentem animosum et maturum in Regem substituant, attento quod Rex Premislaus nullum virilis sexus praeter unicam filiam Rixsam nomine reliquerit haeredem. Et quamvis aliquorum haberet affectio, indignum iniustumque fore filiam Premislai Regis a sorte Regni excludi et haereditatem paternam sibi auferri, beneficiaque quamplurima Przemislai Regis per surrogationem externi Principis simul cum stirpe sua regia oblitteratum extinctumque iri, verebantur tamen ingentium molis, quo nisi probatae virtutis vir substitueretur, Regnum Poloniae verebantur pessumdari, et filia Regis Przemislai quae octavum tunc agebat annum, immaturitas aetatis illos a caepta sententia desistere coegit. Votis igitur singulorum scrutatis, omni deliberatione consilio et assensu Vladislaus cognomento Lohtek Cuiaviae Dux Casimiri Ducis Cuiaviensis filii Conradi Cuiaviae et Mazoviae Principis sextus a Boleslao Poloniae Rege Sancti Stanislai interfectore consanguinitatis ducens gradum, cum esset inter fratres suos Lestkonem nigrum Cracoviensem Sandomiriensem et Siradiensem, Ziemomisl Casimirum et Semovitum Lanciciae Cuiaviae et Dobrinenses Duces, tertius natu, in Regem et dominum Poloniae eligitur, assumitur, et nominatur tum quod Princeps esset rarae et singularis animositatis et prudentiae, tum quod illi post mortem germani sui Lestkonis nigri Cracoviensis Sandomiriensis et Siradiensis Ducis, Item ratione suae consortis Hedwigis filiae olim Boleslai Pii Calisiensis Posnaniensisque Ducis, Posnaniensis et Calisiensis Ducatuum iure iusto et legittimo debebatur successio. Hic quoque unus credebatur, qui distractum in plures Ducatus Poloniae Regnum ad unius corporis reduceret compaginem, et adunaret illud in veram stabilitatis unitatem. Constituuntur et in terra Pomerania tres Capitanei, Petrus Swanza Cancellarius Pomeraniae, Laurentius et Jasko de Slawe, eisque et gubernatio et defensio terrae illius interim quo Dux Vladislaus Lohtek aliter disponeret, mandatur. Authoritate igitur electionis huiusmodi de se factae, tam Cracoviensis, Sandomiriensis, Lanciciensis et Siradiensis, quam maioris Poloniae et Pomeraniae Ducatuum sortitur possessionem, et omnes in illius obedientiam et ditionem attendunt. Castra quoque omnia Ducatuum praedictorum in potestatem suam tradiderunt, praeter aliqua castra in Cracoviensi et Sendomiriensi Ducatu, de quibus se Venceslaus Bohemiae Rex post mortem Lestconis nigri Cracoviensis, Sendomiriensis et Siradiensis Ducis intromiserat, et ratione illorum se non solum Bohemiae Regem, sed Cracoviensem, et Sendomiriensem Ducem, et Marchionem Moraviae intitulabat.

Conuersationem et omnem vnionem Polonorum Magister et Cruciferi Sanctae Mariae de Prussia perosi, Culmensem etiam Ecclesiam in Metropolitani seu Gnesnensis ditione, sub qua annis plusquam trecentis constiterat, sequestrant, et Ecclesiae Rigensi, eiusque Archiepiscopo in Livonia illam subijciunt, Nec puduit illos pro acceptis beneficijs referre iniuriam, et ex iusto Gnesnensis Ecclesiae opprobrio, in terras ut adulterinum per remotissima terrarum, mariumque spacia Culmensem Ecclesiam transferre. Cum iniuriam Iacobus Swinka Gnesnensis Archiepiscopus molestius ferens Causam Culmensis Episcopi super subiectione Metropolitica, coram Decano, Praeposito, et Scholastico Vladislauiensibus mouit, autoritate rescripti Apostolici cuius talis extat tenor

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Decano, Praeposito, ac Scholastico Ecclesiae Vladislauiensis Salutem et Apostolicam benedictionem.

Sua nobis Venerabilis frater noster Iacobus Archiepiscopus Gnesnensis petitione monstrauit, quod Venerabilis frater noster Episcopus Culmensis cuius suffraganeus de provincia Gnesnensi se non esse praetendens, ab ipsius Archiepiscopi iurisdictione in his quae ad legem Metropoliticam pertinent, se abstrahere nititur, illique tanquam Metropolitano subesse indebite contradicit. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod decreveritis autoritate nostra firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore, subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere.

Post electionem autem de se ad Regnum Poloniae fa
ctam, Dux Wladislaus Lokthek in partes maioris Poloniae et
Cuiaviae, domicilio suo, nuntiis et litteris Praelatorum et Baro
num, partium illarum, evocatus post festum Paschae advenit,
et in Posnania, illic enim locus tunc insignior habebatur, man
sionem suam figens omne illud tempus expendit aestatis. Expost
vero in Calisz et deinde in Pomeraniam divertit, de castris
et dominiis sibi ad se devolutis disponens, et novos Capita
neos substituens, benemeritos de se nobiles donationibus villa
rum et possessionum remunerans, et iudicia iusta querulan
tibus decernens. Et in Gdansk perveniens a Duce Lestcone
filio Ducis Zemomisl, suo nepote germano qui terram ipsa
ratione materni generis, ut propriam et haereditariam usur
pare molliebatur, item a Baronibus et nobilibus universis
item ab omnibus ordinibus et statibus, cum solemni processio
ne, quae illi ad medium miliare occurrerat, suscipitur, et cla
ves castri Gdanszk per Ducem Lestconem sibi traduntur.
Egressus autem ex Pomerania nobilem Vuoslaum terrae
Pomeraniae Capitaneum generalem constituit, et sibi illius
terrae omnimodam gubernationem et ordinationem commit
tit, Lestcone Duce nepote proprio inde ne res, statim terrae
perturbando, moveret, secum educto. Quamvis autem o
mnium terrarum maioris Poloniae et Pomeraniae nactus fuis
set plenam et pacificam possessionem, Diademate Regio ta
men, occupante Rege Bohemiae Wenceslao Cracoviensem
Sandomiriensem et Siradiensem Ducatum, distulit insigni
ri, succedens tempus ratus, quo praedictis Ducatibus in su
am obedientiam plene reductis, eius coronatio posset, circum
scripta qualibet ambiguitate tergiversantium, expleri, Unde
non se Regem Poloniae sed Ducem et Haeredem Regni eiusdem,
scribere et gerere contentus, sua cunctatione magnum et si
bi et publicis rebus, ut in sequentibus narrabimus, dispen
dium attulit et iacturam

Episcopus Plocensis Goslaus, dum annos sedecim se
disset, moritur et in Plocensi Ecclesia sepultus, Ioannem
alium habuit successorem, ex patre Alberto et genere nobili
ortum dictus, Ob proceritatem corporis altus cognominatus,
a Iacobo Swinka Archiepiscopo Gnesnensi, confirmatus
et consecratus, nobilis de domo Szultira

Decimo septimo Calendas Novembris Joannes Posnaniensis Episcopus, de Ecclesia Parochiali in Glusczin suae Dioecesis fundat collegiatam Ecclesiam, Praepositum et tres Canonicos in ea instituendo, et certas decimas, reditus, et proventus eidem assignando

Molestijs et tormentis transactae captivitatis Dux Henricus Wratislaviensis filius Boleslai se in corpore suo et valetudine debilitatum et confectum intelligens, et sensim se ad portas mortis appropinquare agnoscens, accersito germano suo Duce Boleslao Swidnicensi, huiusmodi verba facit. Quamvis inquit angustiarum et acerbitatum mearum, simul quoque mortis, quae adventat, te cooperatorem noverim, excessurus tamen e vita et tribunal aeterni iudicis petiturus singula tibi indulgeo, et trium natorum meorum Boleslai, Henrici, et Wladislai, tot enim relinquebat, tibi curam et tutelam mando, rogans ut te fidelem et propitium nepotibus tuis patruum geras. Qui etsi ad ipse pronum offerret, tutoriam tamen subire, nisi sibi de castro Sobotka perpetuo cederet, renuebat. Qua re vehementius Dux Henricus quam consumebat morbus, adiecit, Sevioribus inquit malis, quae a te pertuli, non contentus, etiam ea quae residua sunt, auferre conaris. Dum itaque re infecta Dux Boleslaus Swidnicensis discederet, nobiles et cives Wratislavienses persuaserunt Duci Henrico etiam de castro Sobotka ratione tutoriae cedendum esse, ne ex ea insanitate plura amittere cogerentur. Duce itaque Swidnicensi Boleslao revocato, sic illum Dux Henricus est allocutus, Ex quo, inquit, absque castri Sobotka renunciatione tutoriam puerorum meorum abnuis suscipere, non solum castrum Sobotka tibi resigno, sed et natos meos, dominium, universos nobiles, vasallos, cives et subditos et omnia, quae ditionis meae sunt, tuae fidei simpliciter trado. In hunc itaque modum tutoria cura Dux Boleslaus Swydnicensis in se suscepta, Dux Henricus Wratislaviensis post triduum, octavo decimo Calendas Martij moritur, et in Monasterio Sanctimonialium Sanctae Clarae sepelitur, tres filios ut praemisimus et quinque filias relinquens, Hedwigim, quae desponsata fuerat Marchioni Brandenburgensi, quo mortuo intravit ordinem Sanctae Clarae in Wratislavia, Annam in virginitate mortuam, Helenam et Elisabeth ordinem Sanctae Clarae in Gnesna professas, et Euphemiam alias Offham Othoni Marchioni Carinthiae desponsatam.

Vitsenen Lithuaniae Dux terram Culmensem in frequenti exercitu ingressus, Magistro Prussiae detrectante pugnam, eam spoliis caedibus et igne et praesertim Golubensem districtum affligit. deinde in Livoniam copias ducit. Quo comperto Siffridus de Balga Commendator, et alius Commendator de Kunisberg Lithuaniam ingressi castrum Kartein obsident, quo non quaesito, caedibus, spoliis, et exustionibus factis, dum comperissent Ducem Lithuaniae Livonia non vastata in propria reversum esse, quam celerrime redeunt, mille animas captivorum secum ferentes.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS NONAGESIMUS SESTIMUS

Pomerania terra, eiusque castris et civitatibus Vuladislaus Lokitek haeres et dominus Regni Poloniae unicus, ordinatis, et utcunque poterat bono modo compositis, in partes maioris Poloniae, et deinde in terras Cracovienses divertit, plures enim in omnibus illis habebat Barones qui illum nimia colebant affectione. Sed et in Cracoviam liberalis patebat ingressus, universis in suum principatum et regimen, quam in Wenceslai Bohemiae Ducis propensiori favore inclinatis, magisque sibi in Ducatibus Cracoviensi, Sendomiriensi, et Siradiensi, quam Duci Bohemiae Wenceslao ubicunque divertebat, praeter municipia, quae per Bohemos tenebantur, parebatur. Sed neque Bohemiae Ducis praefectos, aut eos quos sentiebat de Polonis, partium Wenceslai Ducis esse, sinebat pacificos consistere, sed continuis invasionibus per se et gentes suas, quas praedarum et spoliorum assiduitate sibi illexerat, lacessebat. Animadvertens autem Slesiae Principes de eius in Regnum Poloniae assumptione susurros, fabulas, et derisiones, tum ex Polonis quam ex Ungaris, qui secum voluntarie militabant, et quos ut pravissimos spoliorum impunitate alebat, iusto collecto exercitu contra Slesiam instituit expeditionem, terreret Duces Slesiae sibi, tanquam totius Regni Poloniae, cuius ipsi extant membra, domino, parere induceret, tum ne suum et gentium suarum militare robur, pacis voluptate languesceret. Slesiam autem ingressus maiorem partem aestatis illic absumpsit, et Slesiae Ducatuum plurimas oras igni et spoliis, praesertim tamen Ducatum Vratislaviensem

Henrici mortui vastavit, ulturus vi captivus iniuriam, quas sibi praedictus Henricus Vratislaviensis Dux post mortem Lestkonis nigri germani sui Cracoviensis, civitatem et Ducatum occupando irrogaverat, atque plurimis praedis, spolijs et captivis onustus ad propria secumomni suo exercitu redijt sanus et incolumis.

Varij etiam dissensionum et demum bellorum motus, inter Boleslaum Swidnicensem, et Conradum Glogoviensem Duces suborti sunt. Dux enim Swidnicensis et Vratislaviae, post mortem Henrici Ducis captivitatis molestijs vexatus, et exhaustus, et notabili portione Ducatus Vratislaviensis exutus, guerrare contra illum coepit, et tractatibus pacis interpositis, duo oppida videlicet Haynow, et Boleslaw

et Boleslaw

quidem pro se et filijs suis retinuit, et in districtu eius castrum Chezdorff erexit, Haynoviam vero pueris Henrici Ducis Vratislaviensis fratris sui servavit, in cuius etiam limitibus castrum Hoczenow construxit. Justitia autem et modestia suos et nepotum principatus gubernans, sub brevi tempore magnas opes habuisse creditus est, unde castra et civitates Brzegam, Nyempcz, Grothkow muris notabilibus erigens, praecipuus inter Duces illarum partium habebatur. Unde et Duci Bohemiae Wenceslao terris suis vastationem minitanti, congregato principatuum suorum exercitu, occurrere usque ad locum Landishute gradiens, et cum eo decernere proelium se ostendit. Ad civitatem quoque Vratislaviensem, rebellionem sibi tanquam tutori nepotum molienti, cum notabili exercitu accedens, et obsidione eam stringens, non prius supplicibus civibus temerariam mentem ignoscere, aut civitatem Vratislaviensem ingredi consensit, donec altitudo murorum civitatis, quatuor cubitis fuerit detruncata.

Illa restitu eorum sunt.

Prima Junij die Prussiae Livoniae magister Bruno circa flumen Credua cum Lithuanis Livoniam hostiliter vastantibus pugna conserta, mille quingentis occisis reliquos egit in fugam, et de suis tria millia per Lithuanos rapta et vincta vinculis, in libertatem vindicat. Decessit eo anno Prussiae Magister Meiner, et Ludovicus de Schepin sufficitur. Lithuani posthac Livonitarum a quibus victi fuerant paucitate comperta, in pugnam redeunt, et magistro Livoniae Brunone occiso, omnem eius exercitum deleverunt. Qua victoria Rigenses cives, tunc cum Cruciferis gravi odio graui odio et armis dissidentes, in quorum solatium Letthuanorum Dux Vithenensis cum gentibus suis aduersus eos venerat, plurimum exhilararunt, quoniam sperabant se Cruciferos de Riga victuros, qui etiam proprijs armis absque Letthuanorum adiutorio, Cruciferos Liuonienses uno certamine conflixerant, Petito posthaec et accepto Letthuanorum suffragio, obsident Rigenses castrum nouum, Molendinum, et fortiter illud impugnant, proculdubio illud conquisituri, nisi Magister generalis ordinis, Gotthofredus de Hoenloch, exercitum sub ductu fratris Bruman misisset, qui ultima Junij cum Rigensibus et Letthuanis congressus, et obsidionem soluit, et Rigenses atque Letthuanos vicit.

Quarto Nonas Junij in Pentecostes festo dominice Dni. Venceslaus Bohemiae Dux se in Regem, et coniugem suam Jutthan in reginam in Pragensi Ecclesia per Naubergensem Archiepiscopum procurauit coronari, et extunc se Regem Bohemiae gerere coepit post triduum vero noua Regina, sed vetus coniunx Juttha defuncta est.

Nonnullorum Electorum Principum Imperij qui conditionem Adolphi Romanorum Regis dispendium iri molliebantur, Albertus Dux Austriae filius Rodolphi Romanorum Regis fultus praesidio, contra praefatum Adolphum Romanorum Regem consurgit, et prope Vormaciam in loco qui dicitur Hasenbul exercitibus utrinque magna pugna tertio Nonas Julij concurrentibus Adolphus Rex succumbens occiditur, et in locum eius Albertus Austriae Dux victor ab electoribus, Maguntiae electus, surrogatur. Cuius electionem etsi Bonifacius octauus reuocasset, et approbare negasset, consurgentibus tamen inter Papam Bonifacium et Philippum Franciae Regem iniurijs, Papa non solum electionem eius approbauit, sed et Regnum Franciae illi subijcere eundem decreuit, quae res multorum malorum quae sequuta sunt fuit seminarium et origo

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS NONAGESIMVS OCTAVVS

Selut

Siluit terra Poloniae anno illo, nec cum exteris per circuitum hostibus bella gessit, Wladislausque Loktek dominus Regni Poloniae ab expeditionibus in finitimas hostilesque terras quievit. Milites autem sui spolijs et rapto vivere assueti, exteris deficientibus, in proprios et domesticos manus convertunt, et in terris maioris Poloniae, in quibus Wladyslaus Loktek frequentius manere consueverat, maior oppressio pauperum et bonorum Ecclesiasticorum direptio crescebat. Et quamvis hae minus Wladislai fuerint operis tamen culpa putari non poterat, qui huiusmodi oppressiones et spolia sua dissimulatione alebat. Accessit et alia Regno Poloniae tunc pernicies nam in animalium brutorum et pecorum corpora, pestis, sive ex inclementia caeli, sive in expiationem humanorum scelerum divinitus immissa, tantum debacchata est, ut plurimi etiam ex locupletibus ad inopiam redigerentur, et in varijs locis agrorum intermitteretur ex mortalitate et penuria iumentorum et boum cultura. In Pomeraniae quoque terram Saxones et alij hostes saepius grassati praedis et spolijs eam vehementer premebant, domesticorum insuper praedonum ferebatur continua vexatione. Ideoque Duce Wladislao Loktek maleficorum et praedonum negligenter coercere excessum, furor processit, ut terra Pomerania ad quandam vastitatem videretur redacta, dissolutum enim se tunc Wladyslaus agebat principem, et in malefactores male temperatum.

In festo Sancti Michaelis Lithuani incursione in terram Chelmensem facta, novae fundationis oppidum Strzasburg vastant, caedunt, et diripiunt, vasa sacra contaminant. Quos Conradus de Szak Commendator cum Culmensibus militibus in nemoribus consequutus prosternens confligit, et omnem praedam hominum, rerum, et pecorum reducit.

Henricus Dux Regni Poloniae, Pomeraniae et Slesiae haeres, ac dominus Glogoviensis, in festo beati Joannis apud Costhan agens, patentibus literis se obligat et inscribit, quod si regias insulas regni Poloniae fuerit assequutus, Cancellariatus Regni Poloniae apud Posnaniensem Episcopum pro tempore perpetuo remaneat, promittens illi assignare redditus iuxta quaslibet civitates, ubi frequentius cum Curia illum dimorari continget. At ego felix auspicatum Regnum Poloniae dixissem, si prius Diadema Henricum Ducem cum barba, et secum nobilissimam et beatam consortem Hedwigim sortiri contigisset, cuius praefatus Henricus Glogouiensis extabat pronepos.

Glogouiensis Dux Conradus, quem in superioribus Diaconi gradu et [illegible] Bambergensis Ecclesiae insignitum monstrauimus, a nonnullis suis militaribus venenatus, apud Glogouiam moritur, et in Ecclesia Collegiata Glogouiensi, quam cum Thoma Wratislauiensi Episcopo communiter fundauerat, sepelitur. Duos filios superstites ex Salomea filia Wladislai Otthonis maioris Poloniae Ducis cum tribus filiabus Anna, Eufemia, et Hedwigi superstites relinquens, Henricum Glogouiensem, et Conradum Stinauiensem, qui et gibbosus corpore ob eam deformitatem Dux Gobholensis nuncupatus, in Praepositum Wratislauiensem processu deinde, quo deformitas ipsa minus haberet probri, promotus, post obitum patris et in vita [illegible] Ducatus sortitus. Tertius vero Przemislaus Syrotauiensis Dux in praelio a suo Seuuier habito, aetatem iuuenilem agens, occisus erat.

Sextodecimo Calendas Martii Wladislaus dictus Lokitek Dux regni Poloniae et Pomeraniae fundat Monasterium fratrum minorum in Radziow in Dioecesi Wladislauiensi.

Joannes Gerbicz Posnaniensis Episcopus cum annis duodecim sedisset moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Cui Andreas Canonicus Posnaniensis ex patre Simone vocatus Simonowicz nobilis generis de familia Zaremba per electionem Canonicam surrogatur, a Jacobo Swinka Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus et consecratus.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS NONAGESIMVS NONVS

Innalescenti

Invalescente autem oppressione, crescentibusque gravaminibus quibus Ecclesia Posnaniensis, nonnullique militares per Wladislaum Loktek suosque milites et Curienses erant affecti, eo malignitatis deventum erat ut iuribus divinis et humanis nefarie violatis etiam ab aedibus sacris non abstineretur. Sed et ipse Vladislaus Loktek Dux in vitia militum prolapsus, virginum et ingenuarum matronarum pudicitiam violenter prostituebat, cerneresque quasi contagione quadam et impunitate scelerum singula vel iam deformata esse, vel prope deformanda. Quapropter Andreas Episcopus Posnaniensis Ecclesiae suae clerique et populi sui diversas iniurias et oppressiones, pro quibus apud Wladislaum Loktek saepe litteris et nuntiis et tandem personaliter quaestus, nullam poterat correctionem, emendam, et iustitiam referre, in animum inducens, tolerantiaque tot malorum Maiestatem supernam crederet offendendam, defensionis suae dexteram extendens, in generali Dioecesim suam Posnaniensem supponit interdicto, et in omnibus locis in execrationem horum, quae gerebantur, malorum, prohibet celebrari divina. Quares Vladislaum Loktek, in eorum quae gessit, et geri non prohibuit, paenitudinem, et si quae gerenda meditabatur, cautelam induxit. Unde et per certas Ecclesiasticas saecularesque personas reconciliari Ecclesiae et Andreae Posnaniensi Episcopo, et Ecclesiasticorum tolli interdictum, restitutione ablatorum, per prius impensa, obtinuit. Huius autem anni maiorem partem praefatus Vladislaus Loktek in partibus Maioris Poloniae absumpsit, dirigendo et ordinando negotia publica, et pro hyemis tempore in oras Cracovienses remeavit

Sex ingenti Litthuani equestres terram Prussiae ingressi, illam barbarica vastabant tyrannide. Contra quos Commendator de Bramdeburg collecta equestri et pedestri suorum multitudine egressus, apud Nordagensem regionem aliquandiu latuit, Litthuanos illuc advenientes facilius ex improviso obtenturus. Verum Litthuanis venire tardantibus, gentes Cruciferorum ad propria dilabuntur, Litthuani interim superveniunt, et Nordangenses vastant, et praedantur. Ducentos quoque et quinquaginta de Christianis, aut occidunt, aut captivant

Joannis

Joannes dictus Zuerin Archiepiscopus Rigensis per Magistrum Livoniae et fratres Cruciferos domus Teutonicorum Sanctae Mariae, quia ipsorum crudeli proposito in subijcienda ipsis fratribus civitati Rigensi, aut funditus delenda renuebat consentire, captivant. Quod malum non solum in persona ipsius Joannis Zuerin, sed etiam in alijs duobus videlicet Joanne Vecsta, et Alberto Archiepiscopis antecessoribus suis attentaverant, Superioribus quoque annis Fridericum de Halzedape Episcopum Parbatensem, a suo Episcopatu proditum excluserant.

Finis Libri Octavi

LIBER NONUS

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS

Praelati et Barones Poloniae, gravi amaritudine, et odio, contra Valadislaum Lokitek concepto, quod in quandam inconstantiam tyrannidemq conversus, non defensioni et amplitudini Regni Poloniae, sed oppressioni et rapinis subditorum vacabat, et quia depravatas actiones suas, a quibus se abstenturum, a Primoribus correptus spoponderat, resumebat, conventum apud Posnaniam omnium terrarum agunt, Ubi postquam gravamina, oppressiones, caeterasq afflictiones, per Vladislaum Lokitek aut suos illatas, recensita sunt, subijt singulorum poenitentia et desperatio animos, de Duce Vladislao Lokitek aliquando electionem celebrasse, et Regni Poloniae principatum ei mandasse, qui regiminis sui primordia praeter spem opinionemq de illo habitam indignis maculasset abusibus, et alienis institutis moribusq Catholicorum Principum degenerans, maioribus altioribusq transgressionibus, et tyrannide praesumebatur, succedente tempore usurus, qui nondum stabilito confirmatoq regno, nondum ornatus Regio Diademati, insolescens, sed formidans, nulla tenus tolerabiles prorumperat, plures diversorumq ingenij et propositi sui monimenta haud dubia, qualiter Regnum administraturus erat, ex his qua in ipsis initijs novaverat. Feliciterq actum secum putant quod coronationis et unctionis decoribus nondum insignitus facilius eius imperium et principatus poterat rescindi, Abrogandum itaq, et finiendum eius regimen tanquam inutile Ubi universali sententia omnes decernunt, Et quo magis eorum ratum, validumq sit decretum, et minus posset ab ipso Vladislao Lokitek aut quoquam alio infirmari, Venceslaum Bohemiae Regem, et qui se Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem, propter Ducissae Griffinae relictae Lestkonis nigri donationem de eisdem Ducatibus, ut in superioribus premisimus, factam, gerebat, eligunt in dominum et in Regem, respectu ad id respectu permoti, quatenus et reintegratio Regni Poloniae, quod praefata scinde-

crunbatur

conabatur Ryxssae Ducissae donatio, et instius moderati usque illius proveniret regimen.

Decreto huiusmodi nullo discrepante condito, et ab universis approbato, et laudato, nuncij solennes nomine Praelatorum et Baronum Regni Poloniae Pragam ad Venceslaum Regem Bohemiae destinantur. Qui illuc venientes omni dignatione et honore excepti sunt, et in concessa audientia dicta mandata Praelatorum et Baronum Poloniae exponunt, ac Venceslaum Bohemiae Regem deprecantur, quatenus electioni de se ad Regnum Poloniae concorditer factae benignum praebeat assensum, et illius acceptet imperium et regimen. Neq; ad assentiendum scrupulus prioris electionis de Duce Vladislao Lohtek factae, benignum animum suum perturbet cum electio ipsa de re integra, et ipsius Ducis Vladislai exigentibus demeritis, cassata sit, et eius regimen atq; imperium consensu universali abrogatum, exiguoq; labore et fatigae impendio, Venceslaum Bohemiae Regem, si regnum Poloniae acceptaverit, et illuc personaliter accesserit cunctas adversitates et oppositiones Ducis praefati Vladislai depulsurum. Quiq; ut facilius utiliusq; proveniant, suggerunt Polonorum legati Venceslao Regi, quatenus virginem illustrem Ryxszam alias Elisabeth filiam olim Przemislai Poloniae Regis veram et unicam Regni Poloniae haeredem, et generis nobilitate, et virtutum claritate, formaeq; venustate plurimum celebrem, accipiat in consortium. Felix insuperq; imperium ex Regni Poloniae ex huiusmodi connubio habiturus. Rex autem Bohemiae Venceslaus, huiusmodi Polonorum legationem, cum concilio Praelatorum et Baronum suorum, diebus plurimis digerens, et intelligens eam cedere in suam amplitudinem et profectum, electioni de se in Regem Poloniae factae, publicum et expressum praebet consensum, ac legatis Poloniae cum convenientibus, Poloniam in pulcherrimo magnificoq; apparatu ingressus est, primum Kalisz et tandem Gnesnam pertingens. In Ecclesia Gnesnensi per Jacobum Swinka Gnesnensem Archiepiscopum, assistentibus sibi Vuislao Vladislaviensi, Andrea Posnaniensi, Joanne Romka Vratislaviensi, Episcopis, Palatinorumq; Baronum et nobilium regni Poloniae

loniae multitudine copiosa, in Regem Poloniae cum unctione debita et solenni, ac universorum Statuum alacritate et favore inungitur et coronatur

Coronationis peractis solemniis, Wenceslaus Poloniae et Bohemiae Rex ex Gnesna in Posnaniam divertit, et virginem excellentem, et rara forma Rixam, alias Elisabeth, filiam olim Premislai Regis Poloniae, et eiusdem Regni Poloniae unicam haeredem, quae cura solicitudineque Baronum Poloniae, Posnaniae educata, iam ad annos nubiles pervenerat, praesentibus consiliariis Poloniae et Bohemiae regnorum, in consortem desponsat, matrimoniumque cum ea in facie Ecclesiae contrahit, et tandem confirmat. Ubi nuptiis Regio more celebratis, et hastiludiis caeterisque spectaculis iuxta magnificentiam regiam peractis, munera Praelatis et Baronibus Poloniae partitur. Iam enim praefati Wenceslai Poloniae et Bohemiae Regis prior sponsa Gutta filia Rodolphi Regis Romanorum, et soror Alberti Austriae Ducis, uno filio Wenceslao edito, diem obierat. Nuptiis autem huiusmodi rite peractis, omnium terrarum Regno Poloniae subiectarum, et terrae Pomeraniae plenam nanciscitur possessionem, quarum gubernationem praefatis suis committit. In castris tamen principalioribus, quo solidius eius regnum consisteret, Bohemorum Barones locat, et Hinkoni de Duba Bohemiae Baroni Maioris Poloniae committit Capitaneatum. Ducem vero Vladislaum Lokthek collecto Polonorum notabili exercitu, non solum terris Cracoviensibus, Sandomiriensibus, Siradiensibus privat, et omnia castra et praesidia quae nomine illius tenebantur, in suam redigit ditionem, sed etiam patrimonio suo Ducatu Cuiaviensi et Lanciciensi exuit, et exutum de Regno Poloniae expellit, non passus illum in aliquo loco consistere, divinitate sane sibi reddente iustissimam vicem, qui in Principatu totius Regni Poloniae magis favore divino quam suo merito vectus, omnibus artibus assentatorum ingratus in Ecclesiarum et subditorum oppressionem intenderat.

At Vladislaus Lokthek magna animi constantia usus, dum urgebatur stabat, dum terrebatur fidebat, assurgebat

Jebat dum premeretur, eaq. animi moderatione et patientia fortunam superabat adversam, et mittebat sub iugum. Sub huius autem Venceslai regimine Borislaus Prior Heremi in Sunarnogarz cum fratribus suis in Monasterium Olivam se transferens, habitum et professionem Cisterciensem una cum fratribus suscepit. Rex quoq. Poloniae Venceslaus praefatus, omnes possessiones et redditus quos Heremus praedicta donatione Poloniae Principum, habuerat, Monasterio Olivae donavit, et univit. Transijt etiam praefatus Venceslaus Poloniae et Bohemiae Rex in Masoviam ex Pomerania, et positis castris circa Gostinin, Ploczko conquirere et obtinere nitebatur, sed cum conatus sui non haberent effectum, pluribus praedis et spolijs factis inde discessit.

Occupato autem Venceslao Bohemiae et Poloniae Rege, in ordinatione Rerumpublicarum regni Poloniae, et expeditionem adversus castra, quae pro Duce Vladislao Lokthek tenebantur, cum militia Poloniae agente, Principes Russiae motis exercitibus, et congregato omnium suorum exercituum robore, Regnum Poloniae invadunt, ac in terram Sendomiriensem, haec enim illis erat vicinior, arma vertunt, intestinum Regni Poloniae dissidium, et bellum quo Rex et Poloni occupati erant, omnium actionum et agendorum suorum velut suffragium et fortunam. Nec opinione sua frustrati sunt, primum enim novam civitatem, quae tunc humili lignorum constructa erat congerie, comprehendunt, deinde universam terram vacuam tunc militibus, in bello regio militantibus, percurrentes, praedas agunt, et aut caedi in hominibus, aut igni in tectis saeviunt, et pluribus damnis datis, ingenti praeda tam captivorum hominum quam pecorum onusti, in regiones suas, nulla impetitione ex adverso laesi revertuntur. Carptim enim et torrenter huiusmodi praedas agebant, et spolia, resistentiam et invasionem verentes, Nam adeo concito subitoq. cursu grassati sunt, ut prius suos penates post raptam praedam repeterent, quam eorum repentinus insultus ad notitiam Regis Venceslai et Polonorum posset deferri. Ab eo autem quo Venceslaus in Poloniae Regem coronatus est, tempore, dies aut nox temporibus ullum, Duci Vladislao Lohtek qui|etum fuit. Neq. loco, neq. mortali unquam praeter paucos satellites fidere, Polonos Bohemosq. iuxta in suspitione habere, circumspectare omnia, doctus frigora et caumata, imbres ac Solem iuxta pati, fami assuescere, inediam, et quamlibet laborem, egestatemq. contra decus Regium tolerare, et in paludibus, densisq. sylvis, et aviis locis, noctu vero sub tecto, delitescere. Itaq. vagus, incertusq. dum post longam exagitationem, perfidiam suorum expavescens, Hungariam petere statuit, ex Hungariis autem Romam in habitu privato iniit, ubi quicquid in Regnum Poloniae deliquerat, expiavit

Ordinato autem Wenceslaus Bohemiae et Poloniae Rex, Regni Poloniae statu, universisq. terris et castris eiusdem Regni suae ditioni subactis, Praelatis et Baronibus Poloniae praefectisq. suis Regni Poloniae gubernatione commendata, quod sibi de caetero neq. videre neq. ad illud redire contigit, in Regnum Bohemiae cum Elizabeth aliâs Ryksza nova nupta et Regina regreditur. Absumptus est anno eodem Wislaus Vladislaviensis Episcopus vicesima septima die mensis Novembris, et in Ecclesia Vladislaviensi sepultus, cum annos sedecim in Pontificatu exegisset, et in locum eius Gerwardus vir consilij et ingenij singularis, nobilis genere de stirpe et genealogia Awdancarum, quae et Lyaszka appellatur, ac Zelator Reipublicae ferventissimus surrogatus.

Annus hic insignis et coronatione Regis Wenceslai in Regem Poloniae, et Ducis Vladislai Lokthek expulsione, et multarum pluviarum et imbrium continua tempestate atq. descensu, et quod omnia praemissa superat, Iubilei celebratione, pro quo merendo de universis Christiani orbis regionibus, maxima peregrinorum in urbem concurrebat frequentia. Iniuriam autem sui exilij adeo forti tulit Dux Vladislaus Lokthek animo, et calamitati suae compatientur plurimi, modestiam vero mirarentur universi. Cui insuper exilium suum, non delicti supplicium, sed illustrandae virtutis occasio et materia extiterit.

Successit hoc anno apud Cruciferos in officio Magistrij

Clinigus

Elwigus de Goltbach, natione Duringus, Ludovico de Schippen absumpto, sed paucis diebus supervivens Conradum dictum Szak habuit successorem. Litthuani spolijs in Prussia commissis, in angustijs sylvarum quas praeterire non poterant, in redeundo a Commendatore de Brandeburg occupati, tribus tantummodo ex illa cohorte evadentibus occiduntur. Draysko Lithuanus Castro Onhaym in Lithuania et omnibus qui erant in eo Litthuanis Cruciferis prodito, fidem Christi suscepit.

Septima mensis Novembris Vislaus Episcopus Vladislaviensis moritur, et in Ecclesia Vladislaviensi sepelitur. In cuius locum Gerardus Canonicus Vladislaviensis per electionem Canonicam suffectus est, per Jacobum Swinka Archiepiscopum Gnesnensem confirmatus, et in Strzelnensi Monasterio in Pontificem benedictus, de consensu et favore Venceslai Poloniae Regis.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS PRIMVS

Sedente Venceslao Bohemiae et Poloniae Rege in Praga, et Regnum Poloniae per Praefectos et Capitaneos administrante, destituto enim Henrico de Duba, Nicolaum Opaviae Ducem Capitaneum Regni Poloniae in terris Cracoviensibus, Fricziconem vero Schiliram generum, in terris Maioris Poloniae et Pomeraniae; Thassam de Vuisschemburg in terris Cuiaviae creaverat, etsi absentia Principis, et quod alienis forensibus et praesertim Bohemis naturali superbia inflatis sibique invisis parere cogebantur, plurimas illis molestias et anxietates produceret, aequo tamen animo in sortem iugum propter pacis quae largius solito quieverat respectum ferebant, et amoenitas largitasque pacis uberior plurimorumque gravaminum sublatio, dissolvebat proprij Heredis naturale desiderium, et angustiatis super iugo alienigenarum animis afferebat lenimen, cum et frequentius externi iustius modestiusque quam proprij Principes imperitent. Contigit autem anno eodem Andream Vngariae Regem XIIII die mensis Januarij in castro Budensi.

Budensi, expiravit de hac vita. Qui cum nullum sobolem in masculino aut foeminino sexu reliquisset, inter Praelatos et Barones Vngariae tractatu de surrogando altero Rege celebrato, gravis dissensio exorta est. Et aliis quidem placebat Venceslaum Bohemiae et Poloniae Regem, quod avia sua soror Regis Vngariae Andreae extiterat, aliis Carolum Marcelli Regem Siciliae, cuius genus et stirpem in subsequentibus explicabimus, quod eis Regem Andream Vngariae strictiori affinitate velut nepos suus germanus ex sorore Maria genitus contingebat, in Vngariae Regni regimen assumi. Qui vivente Andrea Rege ad Regnum Vngariae dum xj esset annorum, procurante Bonifacio viij Papa introductus nitebatur, tanquam Regi Andreae successurus. Tali quoque monstruosa electione celebrata, utraque pars electionem suam prosequebatur, et alterius irritata ad quoslibet modos et suffragia recurrebat. Unde hi qui Venceslaum Bohemiae et Poloniae Regem elegerant, missis usque in Pragam solennibus nuntiis, videlicet Ioanne Colocensi Archiepiscopo, Andrea Agriensi, Emerico Varadiensi, Iacob Vaciensi, Antonio Canadiensi, Nicolao Bosnensi Episcopis, Dominico filio Stephani Magistri Tavernicorum, Demetrio, et Henrico, Regem Venceslaum de acceptanda corona Vngariae sollicitant. Sed Venceslaus Rex senem se et morti proximum attendens, omniaque filio quam sibi mallens, Venceslaum filium unicum ex Guttha priori sponsa genitum, in duodecimo anno constitutum, Vngariae legatis nomine aliorum et petentibus et probantibus in Vngariam stipatum, insigni militum robore transmittit. Qui a Praelatis et Baronibus Vngariae partem suam sequentibus magna solennitate exceptus in Albam regalem deducitur, et illic ex more per Ioannem Colocensem Archiepiscopum, vacabat enim tunc Strigoniensis sedes, coronatur, et nonnullorum castrorum et municipiorum nanciscitur possessionem. Altera parte, quae Carolum Marcelli Siciliae Regem elegerat, ingenti sollicitudine et studio opponente resistentiam, et intendente ad ea quae praefati Venceslai Bohemiae Regis causare possent regiminis in regno Vngariae terminationem, quorum factionem Bonifacius Papa octavus mittendo in Vngariam Nicolaum Cardinalem Hostiensem fratrem ordinis Praedicatorum, prolegato de latere adiuuabat.

Vtroque Ducatu Swidnicensi videlicet et Vratislaviensi annis pluribus in rigore et iustitia gubernato, Dux Boleslaus Swidnicensis, alter filiorum Boleslai Legnicensis Ducis, qui primus exactiones principatibus suis et nepotum imposuit, et nobilium subditorum suorum scientia, quanta videlicet quisque arma in bellum laturus esset, habendo ad bona hereditaria respectum conscripsit. Qui et Monasterium ordinis Cisterciensis in Grissow dotavit et fundavit, moritur, et in eodem Monasterio Grissoviensi sepelitur, tres filios relinquens, Bernardum cui Ducatus Swidnicensis cessit, Henricum cui Iaurensis, et Boleslaum qui Sambicensem alias Monsterbergensem sortitus est Principatum.

Absumitur et anno eodem tertio decimo Calendas Decembris Ioannes Romka Vratyslaviensis Episcopus cum annis novem sedisset, cui Henricus de Virbna genere Polonus nobilis de domo et familia Dzialiosza succedit, a Iacobo Swinka Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus, cui ob industriam probitatemque ingenii, post mortem Boleslai Swidnicensis Ducis filiorum Henrici quinti Vratyslaviensis et Legnicensis Ducis, qui nondum maturitatis annos impleverant, Baronum et militarium Legnicensium et Vratyslaviensium concordi consensu gubernatio et tutela mandata est. Qui sumptus profusos faciens, thesaurum puerorum in Legnicz a Boleslao Swidnicensi conditum ad LX millia marcarum se extendentem pro magna parte consumpsit, pro quo a Ducibus et Baronibus Vratyslaviensibus magnas persequutiones expost pertulit.

Autumnali tempore stella crinita in Occidentali parte in Scorpionis signo apparuit, quae per unum mensem durans, faces sua radios aliquando ad Orientem, aliquando ad meridiem emittebat

Litthuanorum exercitus ad sex millia pugnatorum haberi aestimatus, terram Dobrzinensem magna crudelitate afflixit, eo anno, et tam truculentia quam spolijs in eam debacchatus. Et licet Polonici milites eos fuissent insequuti, non tamen illis poterant raptam praedam

et ri

et in abdita sylvarum conditam, excutere. Interim Lithuanicus exercitus maiori praedae aviditate stimulatus, in Culmensem terram descendit, et praedas atque caedes agere coepit. Quem fratres Cruciferi aggressi fuerunt, et septuaginta occisis caeteros in fugam vertunt, captivasque virgines et matronas Dobrinenses eripiunt atque absolvunt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SECVNDVS

Quietato Poloniae Regno sub Wenceslai Bohemiae et Poloniae Regis regimine et gubernatione, Barones, proceres et nobiles Cracovienses et Sandomirienses pudorosum et ignominia plenum existimantes, quod castrum et terram Lublinensem Rutheni, fervescentibus intestinis in Regno Poloniae gwerris et civilibus dissensionibus annis aliquot impune occupaverant, et a corpore Regni Poloniae abstractam suae illam facere conabantur ditionis, expeditionem pro rescindenda huiusmodi notae infamia indicunt. Et exercitu de terris duntaxat Cracoviensibus et Sandomiriensibus congregato, versus Lublini exercitum producunt. Ruthenorum autem principes id semper venturum veriti, quo fortiorem possent Polonis, de quorum adventu tam rumore quam visione personali certificationem acceperant, resistentiam opponere, Lithuanos et Tartaros caeterasque nationes barbaras in sui auxilium prece et precio adsciscunt, et copiosum ex suis, externisque auxiliatoribus, Polonisque multo et viribus et numero superiorem exercitum conferunt. Unde et Polonis advenientibus prope Lublin occurrunt, et aciebus instauratis praelium committunt. In quo cum aliquamdiu ancipiti Marte traheretur pugna, et Poloni robore, Rutheni numero vincere sperarent, omnipotente tamen Deo victoriam adiuvante eorum, omnis fortitudo Ruthenorum, Lithuanorum, et Barbarorum contrita est, et in fugam versi, plures numero aut caesi aut capti sunt. Nonnulli vero qui fuga dilapsi in castrum Lublinense se receperant, a Polonis obsessi, cum fame caeterisque difficultatibus contabuissent, verentes quoque fuga et caedes pavor animis oculisque illorum obversaretur, nec aliquid spei de ferendo a suis auxilio superesset, tam castrum quam se ipsos Polonis dedunt. Poloni alacres et victoria et spolijs recuperationeque castri et terrae Lublinensis insignes revertuntur. Ad hunc modum terra Lublinensis a Ruthenorum invasione, propria diminutione vindicata est

Gottfrido Magistro Prussiae sponte officio cedenti Siffridus de Vuchtunage substituitur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TERCIUS

Exutus et naturalibus et genitalibus terris Vladislaus Loktek Dux et dominus Regni Poloniae et de omnibus castris fortalitijs et munitionibus, quae pro voto tenebantur, non solum potentia et viribus Venceslai Bohemiae et Poloniae Regis, qui illum et omnes sibi adhaerentes odio persequebatur hostili, sed etiam universali Baronum et nobilium Poloniae conspiratione et consensione exutus, clandestinam tamen aliquorum Baronum Poloniae, in quorum pectoribus sinceram fidei et devotionis erga se velut in credebat constantiam, praesentiam et domicilia in privato et dissimulato habitu adibat. Petens et obtestans ne se desererent, neve in ignominiam sui generis et Poloniae gentis eum exulem, errabundum, et vagum in oris externis versari paterentur. Illi tamen suam potentiam et indignationem Venceslai Bohemiae et Poloniae Regis, sive ne contra edictum Regni praevaricarentur, et ob hoc in illos et familias eorum aliquid crudelius gravius pertimescentes, nihil in eum praeter nudam verborum suppellectilem, et promissionum blandarum umbram in cumulum compassionis speciem conferebant, alienosque reperit quos benevolos crediderat, fuit enim ingenij humani more mutaverant cum tempore. Qui statum et conditionem suam etiam ab his quos sibi nunquam defuturos fallax spes praesumebat, desertum spretumque, incognoscens, et deridium temporis gerens, futuro

vbiq;

ubique spirantes optimum ducens, in ignota abditaque loca sylvarum densitati consita secessit. Ibi quoque se prodi et a Praefectis Regis Wenceslai et signanter ab Ulrico de Boskowicz tunc Cracoviensi et Sendomiriensi Capitaneo genere Bohemo, cui suae captivitatis per Regem Wenceslaum mandata erat cura, comprehendi metuens, in Ungariam cum paucis, qui ab illius latere nulla adversitati usque poterant avelli, perniciem periculumque capitis devitans, secessit. Et longis erroribus exul ad Amadeum Palatinum Ungariae Baronem, ea tempestate potentia et divitijs clarum pervenit. Apud quem deploratis suis et domesticarum aerumnarum necessitudinibus, ex tanta rerum conversione Amadeum ad misericordiam flexit, quod et potens et dives Princeps supplex ad illum et omnium rerum egens, exilio insuper calamitosus advenerit. Qui regiam in eo magis quam exulis venerates maiestatem, benigne illum excepit, prosequitur et tractat, ac bono animo esse iubens, diffidentem rebus fortunisque suis erigit, et confirmat, pollicitus illi non solum iura hospitij, sed etiam in Regni sui recuperationem quaeque solatia oportuna praebiturum. Cui profundiori compassus charitate, liberaliorem se in illum agens, et munificum, quo magis intelligebat eum indignum illa sortis iniuria. Erexit autem anno eodem Wenceslaus Bohemiae et Poloniae Rex civitatem novam Sandecz in confinijs Ungariae sitam et in loco villa Kamyonecza ad Cracoviensem Episcopatum pertinenti; situm enim loci dum in regno Poloniae ageret contemplatus, quod editiorem collem sortitus, duobus etiam fluminibus parvo videlicet Danubio et Biala in utroque latus cingeretur, ad construendam futuram civitatem aptissimus videretur, dato castro et civitate Biecz Joanni Mushata tunc Cracoviensi Episcopo, locum cum ambitu iure patronatus Ecclesiae Sanctae Margarethae velut filiae et Sancti Adalberti velut matricis, Episcopo Cracoviensi reservato, de quo et Privilegium eius extat conscriptum speciale.

Wladislaus autem Lokitek Polonorum Dux in extremis positus oris, patientia admirabili exilium suum tulit, iustissima lege Dei, recognoscens se percussum esse, et multo minora, quam demerita sua exigebant, pertulisse. Tum quoque suarum transgressionum in Deum et in legem suam facies ante oculos obversabatur, subibatque gravis poenitudo animum eius, quod mandata divina praevaricatus Ecclesias Dei et ministros eius per descensus, stationes, et tallias gravaverit, quod matronis et virginibus ingenuis stupra intulerit, quod viduarum, orphanorum, et gravatorum causas parum diligenter audierit, nec pro illis defensionem opposuerit, quod salubri spreto consilio ex arbitrio proprio multa Deum et Rempublicam offendentia egerit, revolvens et destinans in corde suo et id etiam apud milites proprios et familiares suos exilis vocibus crebrius ingeminans, quod si prosperitas divina illi in regnum suum reditum largiretur, alium vellet agere hominem, alijs studijs et obsequijs legem colere divinam, alijs operibus se insinuare Deo, alium se universis subditis praestare rectorem. Virginis insuper Genitricis Mariae et Sanctorum omnium, praesertim tamen Sancti Stanislai Martyris et Pontificis implorabat patrocinia, et non tam precibus quam lacrimis et suspirijs se eorum intercessioni commendabat. Sedulus insuper in oratione persistens, etiam eleemosynarum largitioni utcunque poterat incurabat, vota vovens Domino, si illi felicitatem patrum suorum restituere dignaretur, ingenij humani vitio et more clarius, quam praesentia, perpendens transacta, et quantum voluptatis patriae res prosperae et fruitio afferat, profundius intelligens carendo quam fruendo

In festo Pentecostes anni eiusdem die, Wenceslaus Bohemiae et Poloniae Rex consortem suam Illustrissimam Ryksam, aliâs Elizabeth, Przemyslai Poloniae Regis filiam et ob nobilitatem generis, et resplendentiam probitatis, charissimo diligens affectu, volensque illi ampliora venerationis insignia, et apud externos et proprios procurare, de speciali expressoque consensu, Maguntinensis et Gnesnensis Archiepiscopi, eam in Reginam Poloniae et Bohemiae Regnorum in Ecclesia Pragensi, per Henricum de Virbna Wratislaviensem Episcopum coronari et inungi, sub plurimorum Baronum frequentia disposuit. Curiamque regalem illo et subsequentibus diebus celebrans, hastarum et aliorum generum ludos instauravit. Nicolao insuper Opaviensi Duce propter querelas et oppressiones, quae de illo afferebantur, amoto, Tierzhonem de Schachowicz Bohemum, in Regni Poloniae et terrarum Cracoviae et Pomeraniae gubernatorem et Capitaneum ordinat et constituit.

Conradus Dux Stinaviensis ob gibbositatem a natura productam hoherlensis appellatus, filius Conradi Glogoviensis Ducis, praepositus Wratislaviensis in Salczburgensem Archiepiscopum concorditer electus, possessionem eiusdem Archiepiscopatus accepturus, notabilibus Praelatis, et Baronibus Poloniae ipsum conducentibus, illuc pergit. Verum ad Viennam usque pertingens, dum cognovisset Salczburgam, vinum tantummodo et non cerevisiam triticeam, qua ab infantia nutritus erat, habere, refuso Archiepiscopatu ex Vienna, Poloniam in Ducatum suum Stinaviensem, iam a fratre suo Henrico possessum et occupatum revertitur. Quem cum armis repeteret, capitur a Duce Henrico et in Glogoviam captivus deportatur, turrique et compedibus vincitur. Qui suorum vasallorum et militum videlicet nobilium de Kentna, et de Lubin sollicitudine et cura, de ergastulis nocturno tempore ereptus, Ducatum suum plene repetens, anno subsequenti quinto Idus Octobris moritur, et in Lubensi monasterio sepelitur, et universus Glogoviensis Ducatus ad solum Henricum qui Mechtildim filiam Alberti Ducis Brunsvicensis habuit uxorem, devolvitur. Tenui impedimento a titulo et antiquantum culminis Pontificalis Archiepiscopatus Salczburgensis, ob tenuitatem ut vero sensus et ingenii tam leviter aversus qui ~~potis~~ potu erat et ex proprio frumento et extero genus cuiuslibet cerevisiae sibi ordinare, et Pontificale petitum legittime sibi quaesitum non contemnere.

Sentatus

Irritatus exacerbatusque Francorum Rex Philippus, quod Bonifacius Octavus concilio contra ipsum Romae convocato ipsum excommunicaverat, et regno privaverat, conventu maximo apud Parisium indicto, tam ab Ecclesiasticis quam saecularibus sui Regni, petiit contra Bonifacium Papam consilium, et auxilium, et obiecta fuerunt Papae crimina, et titulus haeresis, et praedecessori suo Caelestino vivente intrusio, et ingressus illegitimus ad Papatum, et quod ei non erat parendum. Fuitque facta contra ipsum provocatio ad concilium generale. Deinde praefatus Philippus Rex, praefatum Bonifacium Papam in vigilia nativitatis beatae Mariae, in Anagnia civitate suae originis residentem, per Guilhelmum de Nogareto, et nobiles de Columna captivat, et thesaurus suus diripitur. Qui in captivitatem die tertia evadens urbem redijt, ubi propter magnitudinem iniuriae sibi irrogatae angustiatus, quinto Idus Octobris moritur, et in Ecclesia Sancti Petri sepelitur, cum annos octo, menses decem sedisset. Cui frater Nicolaus ordinis praedicatorum Hostiensis Episcopus natione Lombardus de Tervisio, undecimo Calendarum Novembris electus, qui Benedictus undecimus vocatus est, succedit. In ea autem captivitate Bonifacius Papa, proposita sibi cruce et Sanctorum reliquijs, Philippum Francorum Regem, quo procurante capiebatur, usque in quartam generationem fertur maledixisse, et dictum Guilhelmum Haereticum et haeretici filium ostendisse, nec in manibus inimicorum suorum unquam territum fuisse. In magnam arrogantiam erectus, ut se ipsum in spiritualibus et temporalibus dominum totius orbis assereret, de quo scriptum est, intravit ut vulpes, regnavit ut leo, moritur ut canis

Frequenti numero peregrinorum militum Prussiam confluente, duplici agmine in Letthuaniam itum est, et unum quidem agmen, cuius Conradus commendator de Brandeburg erat Capitaneus, in districtum Gartin, alterum quod Bernardus Commendator de Cruczborch regebat, in districtum Pograudim irruens, caede et igne omnia vastavit, et strage magna in Lethuanis commissa, cum spolijs et magno numero captivorum redijt. Egit et altera alteram in Lithuanos sub Quadragesimae tempore Commendator de Kinsberg expeditionem, et spoliis atque exustionibus villarum patratis, plures ducens captivos, triginta tantummodo de suis desideratis redijt [illegible]

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVARTVS

Licet superioribus annis et a tempore quibus ex obitu Andreae Regis, regno Ungariae provenerat vacatio, inter Venceslaum filium Venceslai Bohemiae et Poloniae Regis, et eorum Baronum Ungariae, qui partes suas sequebantur ab una, et Carolum filium Roberti Regis in aetate tunc puerili constitutum et aliorum Baronum suae parti adhaerentium, partibus ab altera, guerrarum vigerent et tractarentur dissidia, acriora tamen flammea tunc agi et frequentari coepta sunt. Coepit quoque et pars Regis Venceslai sensim languidior debiliorque esse, desciscentibus praecipuis baronibus ab eo, et in partem Regis Caroli facientibus secessionem, quod et Carolus ad succedendum Andreae Regi erat propinquior, singularique indole et ingenio atque venustate morum praeclarus, Ungarorum mentes in sui venerationem et cultum inflexerat, et Venceslaus desidia et superbia caeterisque corruptis moribus et flagitiis odium in se et alienationem animorum provocabat. Quo factum est, ut castra municipiaque obedientiam Venceslai Regis professa, Regi Carolo dederentur, et in persona sua, clandestini celebrarentur tractatus, quo facilius citra bellum interfici posset, expulsionem vel discrimen. Barones insuper Ungariae ~~nutrire magis~~ nulli parti fidi, nutrire magis dissensionem quam extinguere avidi sunt, ut castrorum et introituum regalium impunius illis esset detentio. Quare ad Venceslaum Bohemiae et Poloniae Regem in Pragam literis et nuntiis perlata, grandi fremitu et cholera incandescens, cum parato ex regnis dominiisque suis numeroso exercitu, Ungariam ingreditur, eamque militibus suis imperat diripi, populari, et vastari. Civitatem quoque Strigoniensem aggressus capit, et militibus exponit in praedam. A Strigonio versus Budam procedens, filium in mortis magis periculo quam regiminis solio constitutum, eripit et pluribus gravibusque damnis in Ungaria commissis, in Bohemiam revertitur, coronamque materialem Regni Ungariae secum asportat, et abducit, non magnopere pendens regnum Ungariae a filio suo alienandum frustrandumque esse, cum et vires illi fuerint, et Regni Bohemiae patre obeunte illi debebatur ampla largaque et certa successio, supervacuum ratus externa bello Regna quaerere, cum propria et hereditaria nullumque discrimen habentia suppetant. Inter haec Vuladyslaus Loktek Poloniae Dux adversarium suum Venceslaum Bohemiae et Poloniae Regem, bello Ungarico implicatum intelligens, Amici hospitis sui fretus suffragiis in Poloniam contendit, et castrum Ecclesiae Cracoviensis Pelczyska Vislicensi oppido imminens occupat, et exinde faventibus sibi incolis, praesidium Bohemorum ex Vislicia disturbat et expellit, Vislicenseque oppidum situ plurimum munitissimum, item castrum et oppidum Lelow in suam redigit potestatem, regionemque circumquaque positam compellit ad praestandam sibi deditionem et tributum

Venceslao Bohemiae Rege cum filio suo de Ungariae Regni possessione et iure excedente, filii Henrici et ceteri Ungariae Barones ad novandum rursus proelium, Ottonem Bavariae Ducem ut factionis suae parti contra Carolum Robertum praeesset, in Ungariam introducunt. Ubi in Alba Regali corona legitima, prece vel pretio sibi per Venceslaum Bohemiae Regem restituta, per Benedictum Vesprimensem, et Antonium Canadiensem Episcopos inungitur in Regem Ungariae et coronatur. Exindeque primum Budam, deinde in Septem castrensem regionem procedens a Vuladyslao Voievoda captivatur, et post miserabilis carceris quos aliquanto tempore sustinuit, de Regno Ungariae cum dedecore propulsatur. In qua etiam captivitate, corona materialis Regni Ungariae per praefatum Vuladyslaum Voievodam a praefato Ottone Bavariae Duce fuit extorta et recepta.

Sub eodem tempore Lestko Vladislaviensis et Cruswiciensis Dux, filius Zemomisli Cuiaviae Ducis, Vula-

dislai Lokthk nepos germanus, volens molestiis capti
uitatis, in quam pro Carolo Rege Ungariae militando, in ma
nus Venceslai Bohemiae et Poloniae Regis inciderat euadere,
terram suam et fratrum suorum Przemislai et Casimiri com
munem Michalouiensem, ipsis etiam fratribus Przemislao et
Casimiro indignis reclamantibus et inuitis, Conrado Stzaac
magistro Prussiae in centum et octuaginta marcis Thoru
nensibus, pignoris nomine, pacto et conditione legis Commis
soriae obligat, eiusmodi quod infra biennium habeat posti
cam reddito mutuo liberandi, alias lapso biennio et pecunia
non soluta, ducatus ipse Michalouiensis ad Magistrum et or
dinem Cruciferorum censeatur deuolutus, de quo et Magister
Conradus praedictus literalem dedit recognitionem. Quamuis
autem processu temporis tam ipse Dux Lesthko, quam fra
tres sui Premislaus et Casimirus, et per se et per nuntios
et signanter per Ioannem de Plomikow Palatinum Vula
dislauiensem plenam et integram mutuatae pecuniae Ma
gistro Conrado praedicto et ordini obtulissent solutionem, nul
latenus tamen ad recipiendum mutuum, et ad relaxan
dum et reddendum terram Michalouiensem quibuscunque
precibus poterat induci. Propterquod Duces praedicti pa
trimonio et haereditate sua ludificatione praefatorum Cru
ciferorum tam miserabiliter exclusi, Ducis Vuladislai Lokthk
solatijs et expensis fouebantur. Terraque praedicta
Michalouiensis tam turpi et foedo commercio a Magistro
et ordine Cruciferorum capta est damnabiliter detinetur.
Vt autem haec posteris praebeant notitiam clariorem, co
piam obligationis Magistri Conradi, in maiorem euiden
tiam eorum quae narramus, subnexui, quae talis est. Vni
uersis praesentium inspecturis. Nos frater Conradus
Sarcus Magister fratrum domus Teutonicorum per Prussi
am, notum esse volumus, quod cum de consensu fratrum
nostrorum Illustri Principi domino Lesthoni Duci Cuia
uiae, et domino iuueni Vuladislao ad instantiam ipsius
centum et octuaginta marcas Thorunensium denariorum
ac demum centum et viginti marcas denariorum eorun
dem fideliter mutuassemus, ipsi nobis et nostris fratribus
pro eadem pecunia territorium suum Michalow cum omni
bus terminis suis, nomine pignoris obligarunt, ita videlicet
quod

Quod si idem territorium a proximo festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi infra biennium per ipsum aut fratres suos Premislaum et Casimirum inclitos Duces et dominos Cuiavie a nobis et nostris fratribus per solutionem supradicte pecunie non fuerit exsolutum, cum nullis aliis exsolvi debeat, extunc nobis et ordini nostro proficiat et sic ad nos et ordinem nostrum devolutum perpetuo possidendum. Si autem infra prefatum biennium quocunque tempore sibi predictus Dominus Lesco aut fratres eius Principes predicti pecuniam solverint supradictam, extunc ipsis predictum territorium prout ad ipsos pertinet reddemus et tenebimur reddere, bona fide promisimus, etiam et promittimus predicto Domino Lestconi interim quo tenemus et habemus nomine pignoris predictum territorium in eo contra voluntatem nullas faciemus expensas, nec sumptus aliquos ad quorum solutionem faciendam ipsum postmodum compellere deberemus. In quorum omnium memoriam et tutelam sigillum nostrum presentibus est appensum. Testes sunt Reverendus Guntherus de Swarzburg Provincialis terre Culmensis, frater Henricus de Dubin Commendator in Thorun, frater Otto Commendator in Schonense, frater Henricus de Vurderts Commendator in liellow, frater Gosuinus vicecommendator, frater Petrus Commendator in Redino, et plures alii ordinis nostri fratres. Dat. Thoruny anno Domini millesimo trecentesimo quarto, Calixti pape et Martyris.

Wernerus Comes de Hohenberg, Adolphus cum germano suo de Vintsinck et Theodoricus Elner, plures quoque alii Rhenenses milites Prussiam Cruciferis contra Litthuanos auxiliaturi adveniunt. Itaque Prussie magister Conradus Szak exercitu in Litthuaniam ingressus, hiemis tempore illam circa territorium Garthin caedibus et flammis vastat, spoliat, in hominibus et pecoribus sicum refert. Sub tempore sedime Quadragesima Commendator de Konigsberk in ampliori gentium turma venit in Oukaym, ubi Litthuanus vocatus Suuit iuxta clandestinam pollicitationem Cruciferis factam castrum prefatum, cuius erat Burgrabius, Cruciferis aperit, qui illuc nocte ingressi omnes passim mares et feminas senes et parvulos interimunt, castrum flammis tradunt, et dy

cum ido

currendo in vicinas regiones congesta praeda eam in Prussiam deduxerunt

Quinto Idus Octobris Conradus Dux Zeganensis et Praepositus Wratislaviensis primogenitus Conradi Ducis Glogoviensis obijt in Monasterio Lubens., in medio Chori sepultus

Benedictus undecimus, cum mensibus tantum octo, diebus decem, et septem, sedisset, Nonas Julij in Perusio moritur, et in Ecclesia fratrum Praedicatorum ante altare maius sepelitur, qui plurimis asseritur miraculis coruscasse. Post cuius mortem Cardinalibus super futuri Pontificis electione dissidentibus, vacavit sedes Romana, mensibus decem, diebus viginti novem Cardinalibus stantibus inclusis, et multipliciter arctatis a Perusinis non valentibus concordare. In duas enim se partes Cardinales sciderant, una Gallica pro Rege Franciae, altera Italica, hostis illi et infesta nimis quae partem Bonifacij fovebat viij Cardinalis. Itaque Nicolaus de Prato ordinis praedicatorum Episcopus Hostiensis vir solertis ingenij voluit se ad partem Bonifacij, et persuasit ut Burdegalensis Archiepiscopus Regi Franciae hostis, Bernardus, eligeretur. Quod cum effecisset, significarunt occultissime Regi Franciae, qui illico Archiepiscopum Burdegalensem sibi reconcilians, iureiurando illum astrinxit, quod in Francia resideret, decimas sibi per annos decem remitteret, Columnenses ad dignitates restitueret, quae omnia implevit, et vocatus est Clemens quintus, genere Vasco, et sedit in Avinione, coronatus in Lugduno xviij Calendis Decembris. Cumque de loco coronationis cum frequenti populorum turba procederet, concurrentibus et comprimentibus se turbis, et Papam coronatum videre gestientibus, cuiusdam muri ruinata materia cecidit et Joannem Britanniae Ducem cum alijs undecim collidens extinxit, Papa etiam coronam de capite decidens et ex corona carbunculum pretij sex millium florenorum amittens, ex quo plurimis admirantibus varij successus ominabantur proditurj

Quarta mensis Martij Jacobus Swinka

Gnesnensis Archiepiscopus in Vnieiow moritur et in Gnesnensi Ecclesia nona mensis eiusdem Martij funeribus omnibus legittime persolutis, sepelitur. Prima autem die mensis Maij pro electione futuri Metropolitani Gnesnensis consignata, Borzislaus Archidiaconus Posnaniensis et Canonicus Gnesnensis per formam compromissi concorditer eligitur. Qui non per Nuntios sed per seipsum negotium electionis celebrari volens confirmationi demandari, in Perusium, ubi Benedictus vndecimus cum curia residebat processit, Quo perveniens et Benedictum Papam rebus humanis absumptum reperiens, confirmationis suae dilationem integro fere biennio pertulit. Cardinalibus enim Ecclesiae Romanae post mortem Benedicti vota varia in conclavi fundentibus, electio Romani Pontificis tanto illo tempore fuit protelata ad Clementem demum quintum, qui Benedicto successit, in Avinionem venit, et illic electionis suae confirmationem non sine difficultate obtinuit

In die Sancto Pentecostes, Lithuanorum exercitus Lanciciensem terram furtive et nullo denunciante ingressus, eam spolijs et caedibus devastat. Civitatem quoque Lanciciensem accedens et sine resistentia capiens succendit. Cui cum praeda gravi et onusto, impedito quoque et pigro agmine incedenti, Casimirus Dobriniensis Dux et Vladislai Lokteki germanus cum gentibus suis venienti occurrisset, durum certamen in villa Troianow committitur inter utrosque. Licet autem favore divino cedentibus fugientibusque Lithuanis, et in tergis eorum sedentibus Polonis cessisset victoria, et omnis praeda, Lithuanis partim caesis, partim captis fuisset erepta, Dux tamen ipse Casimirus non solum Ducis, sed et militis occupans officia, et in ala quae labare caeperat, fortiter pugnans, multitudine telorum, lanceisque confossus, generoso spiritu fuso, gloriosam quidem et celebrem, sed non incruentam, Polonis mortem suam mero affectu lugentibus, victoriam dereliquit. Declinassent autem Lithuani eo ipso tempore omni nisu, insignia sua sequuti, certamen, nisi illos Polonus exercitus in loco apto consequutos decernere coegisset. Quibus enim praedocinijs assueta et propter inopiam

commeatusq

domesticamque esuriem explendam, vicinorum agros incursare soliti, pugnae discrimen magnopere vitabat. Tentavit sub hoc tempore dum in Poloniam Lithuani praedatum issent, castrum Gartin per fratrem Albertum de Hayn Magister Prussiae intercipere, sed cum secus res cessisset, venit solus, sed in castro validum praesidium reperiens retrocessit, quem Lithuani ingressi usque ad mundum caedendo et invadendo ipsum lacessebant, et multi hinc inde occisi et vulnerati

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRÆCENTESIMVS QVINTVS

Consistenti Wenceslao Bohemiae et Poloniae Regi in Praga una cum filio suo Wenceslao ex Ungaria pridem reducto, valetudo adversa sive ex morbo sive ex senio sive ut quorundam habuit assertio ex veneno illum coepit impetere, et sensim invalescere et grassari. Albertus enim Romanorum Rex Bohemiam, filius vero suus Rodolphus Moraviam duplici agmine ingressi hostiliter populantur, et circa montes Cuthnen utroque veniente exercitu maiori vastitati et spoliis Bohemiam per incendia et rapinas subiciunt. Ea belli nata occasione, quod morti Gutha conthoralis sua, et eiusdem Alberti Romanorum Regis sororis sequuta, Wenceslaus Rex de Egra civitate et Misnensi terra excedere, ac de montibus Cuthnis qui in redditibus praefati Wenceslai Regis argentifodinam caeperant [illegible], de octuaginta millibus argenti, pro Imperiali camera debitis, spondere recusaret, Et quamvis Wenceslaus Rex et ex gentibus dominio suo subiectis, et ex Marchionibus Misnensibus et Brandeburgensibus molliretur comparare exercitum, resistentem Alberto Romanorum Regi et filio suo Rodolpho Duci Austriae oppositurus, tantumque tamen et in pauciori numero quam sat erat, solatijs a suis et externis convenientibus, exercitus Romanorum Regis patratis in Regno Bohemiae et Marchionatu Moraviae plurimis in-

cendijs, rapinis, et spolijs ad propria incolumis redijt, prae
ter aliquos, quos infectio aquarum ex virulenta decoctione
purgamentorum argenti, et sordibus latrinarum aquis per
omnes Cuthnenses immissas, et procurata sub obsidionis tem
pore extinxerat. Ingravescenti autem morbo praefatus
Wenceslaus Rex nono Calendas Julij ex phtysi in Pragensi
civitate absumptus est, et in Monasterio aulae regiae Ordinis
Cistertiensis, quod ipse vivens erexerat, fundaverat, et do
taverat, iuxta regalem magnificentiam sepulturae traditus
Anno Regni Bohemiae sexto, Poloniae quinto. Post cuius mor
tem Boleslaus Wratislaviensis Dux filius senior Henri
ci quinti Wratislaviensis, qui in quindecimo anno existens,
filiam Wenceslai Bohemiae Regis Margaretham nomine,
ex prima uxore Juttha genitam, desponsaverat, et post
eius desponsationem quadriennio in domo et curia soce
ri morabatur, Poloniam ex Bohemia cum sponsa sua Mar
garetha revertitur

Erectus est in Bohemiae Regem, et in solio lo
catus paterno, morte Wenceslai Bohemiae et Poloniae Regis
sequuta, et funeribus eius iusto honore celebratis, filius
suus unicus Wenceslaus, et consensu unanimi Praela
torum et Baronum Bohemiae in Regem Bohemiae corona
tur. Qui etiam expletis huiusmodi coronationis in
signijs, cum tunc esset adolescens annorum septemdecim,
uxorem accipit virginem ~~solutam~~ Fiolam nomine, na
tam Ducis Mieczslai Teschnensis, et vinculo ma
trimonij contracto, tertio Nonas Octobris nuptiae ex
more celebrantur. Praefatus insuper Wenceslaus
Bohemiae Rex secundus, nihil de ijs, quibus pater
principabatur, minuendum ducens, etiam se Poloniae
Regem, quamvis nondum de illo investitus et corona
tus fuisset, et gerebat, et scribebat, cum nonnulla ca
stra et municipia pro eo in Polonia per suos praefectos
administrata, tenerentur. Non tamen res haec Vla
dislaum Lokthek Poloniae Ducem pavidum in agen
do fecit, sed morte Wenceslai primi Regis ad eum
perlata, ad subigendum sibi Sandomiriensis castrum
et ceteras

et ceteras terrae Sendomiriensis munitiones exercitum magis agrestibus quam militaribus viris fultum habens, processit, Et dum tenuem languidamque resistentiam invenisset, ex morte enim Venceslai primi Regis fere singuli in Ducis Vladislai Lohtek obedientiam et regimen, quam in Bohemorum, quorum et illos saevitas et fastidium ceperat, soluti erant procliviores, non solum castro, sed universa terra Sendomiriensi potitur, mira fide et devotione suum aspirantibus singulis regimen et principatum. Unde et praesidia Bohemorum, in quibuscunque locis terrae Sendomiriensis residentia, tunc aut exterminata sunt, aut fugata. Res quoque praefati Vladislai Lohtek ab eo tempore in prosperitatem conversae meliori ordine et loco ceperunt consistere, quoniam Barones et milites atque Optimates Cracoviensis et Sendomiriensis terrae, videlicet Vunzbyetha Castellanus, Albertus de Smygrod palatinus Cracoviensis, Zegotha palatinus, Pramotha Castellanus, Szmil Iudex Sendomiriensis, Clemens Cancellarius et Camerarius Cracovienses et plures alij in suam ditionem concesserant, a quibus et pluribus alijs cum gaudio susceptus, fide promissa effusius favor, plures enim se illi ex Polonis iunxerant, mireque dam ingenij humani, exilium longo tempore passo, et quem perisse plerique crediderant, ad misericordiam adstipulabantur. Quam etiam Bohemorum superbia et avaritia exauxerat, quos exterminatum iri et de Polonia pelli irrevocabili odio omnes flagrabant, Et licet Vladislaus Lohtek debile et pene nullum aerarium habuerit, in commeatu tamen abundabat armis et equis, quoniam singuli fere poloni Cracovienses et Sendomirienses ad adventum suum, mortuo Venceslao Rege officia instituerant

Conflagratione villarum et captione hominum apud Lithuaniam, frater Philippus de Balants patrata, praeda et captivis cum aliqua parte copiarum se praevertere praecedere iussus, a Duce Lithuanorum et suis gentibus consequutus, belli certamine extinguitur. In quo, dum et ipse et alii quatuor Cruciferi qui ordines ducebant occubuissent, clamore ad eos, qui praecesserant cum captivis perlato, accurrunt, et Lithuanos Ducemque eorum iam de victoria exultantes subito perculsos, magna caede edita in fugam vertunt, et male partam victoriam Lithuanos cogunt evomere.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEXTVS

Terra Sendomiriensi, in suam obedientiam atque ditionem Dux Vuladislaus Lokietek redacta, in Cracoviensem terram, non iam cum tenui, sed cum iusto et notabili exercitu, omnes enim et quosque Sendomiriensium nobiles ad secum militandum cogebat, decurrit. Ubi non solum primorum Baronum, sed Joannis Muschata Episcopi Cracoviensis, quem sibi promissa restitutione castri et districtus Biecz per Ungaros interrepti reconciliaverat, et Adalberti advocati atque civium Cracoviensium favore summam rerum adeptus est, et in Cracoviensem urbem caput et Metropolim Regni Poloniae cum gentibus suis prima die Septembris admissus. Castrum etiam Cracoviense quod tunc per Bohemos tenebatur, per deditionem accepit, Bohemis nequaquam resistere ausis, cum et victualium premerentur inopia, et Regem Bohemiae Venceslaum nullatenus sibi sperarent succursurum. Rex autem Bohemiae Venceslaus secundus, et suorum, qui ex Poloniae castris deiecti fugatique turpiter fuerant, continuis querelis, et his, quae per Ducem Vuladislaum Lokietek gerebantur, provocatus, expeditionem in Poloniam parat, ut maiores Poloniae partes, quae nondum a Duce Vuladislao Lokietek subactae fuerant, in fide contineat, et ipsum Ducem Vuladislaum de terris Cracoviensibus et Sendomiriensibus et de universo Regno Poloniae, cuius se Regem intitulabat et scribebat, excludat. Occupaturum se Poloniae Regnum et iure successionis paternae, et beneficiis armisque praevalentibus facile apud Polonos regnaturum crediderat. Sed fatum inevitabile, quo appetebatur, spes cogitationesque illius velut insanas irridebat. Comparato autem satis valido ex propriis et auxiliariis exercitu, versus Cracoviam procedit, et dum in Olomuncz consisteret recensendo pugnatorum propria et externa solatia, ubi ad illum nonnulli ex militibus Poloniae parti suae faventibus advenerant, ac in domo Decani Olomucensis in meridie sola duntaxat camisia propter aeris intemperiem velatus se sopori dedisset, a quodam milite qui suae rei dudum curam susceperat, pluribus vulneribus, quod ebrietati et turpissimae parti corporis diesque noctesque indulgeret, alio rum bona diriperet, aliorum uxoribus illuderet, tertia die Augusti confossus et obtruncatus est, omnibus quibus custodia corporis regii commendata erat, minime id sentientibus, et aut propriorum negotiorum actione aut sopori tunc deditis et occupatis. Unde et facinus huiusmodi ea obsitum erat caligine et quis auctor necis huiusmodi extiterit, quave de causa patratum sit, praesentes et futuros latuerit. Insimulatus tamen de vitio huiusmodi miles quidam Conradus de Potenstein natione Thuringus, quod a quibusdam ex curia Regis et de domo Decani Olomucensis currere, et gladium cruore aspersum ferre visus sit, furore eorum qui Regem lamentabantur occisum correptus et repentina rabie causa non digesta nec discussa, truncatus est, cadaverque suum canibus proiectum est, ab eisdem devoratum est, sed funus occisi Vencislai Regis instar inopis incultum est, uno duntaxat militis capiti parentatum, illic quoque furor militum in caedem passim et ultionem Regis prorumpentium conquievit. Assertio nonnullorum habet Albertum Romanorum Regem tres Suevos milites ad furiam Vencislai Regis Bohemiae misisse, et huiusmodi necem procurasse. Altera die videlicet quinta Mensis Augusti corpus Regis favore militum in Ecclesia maiori Olomucensi sepultum est, quod postea per sororem suam Elisabeth Bohemiae Reginam Joannis de Luxemburg consortem, de qua facturi sumus in subsequentibus mentionem, in Monasterium aulae regiae Pragensis translatum est. Habet et nonnullorum assertio Vencislaum Regem praedictum conspiratione propriorum militum necatum esse, quod et parum gravitatis Regiae in se habens, levia quaedam et haec ipsa magnum inconstantiae et variationis fluxum habentia, tractare solitus fuerit, et quod castra Regia et proventus, in ipsis mox Regni sui primitiis prodiga largitione distraxerit, verisimili coniectura, ampliora, nisi sublatus morte fuisset, distracturus. Non nisi enim plus minus uno anno regnavit, et in eo soboles masculina Bohemiae Regum deleta prorsus et extincta est. Caepitque ab eo tempore Bohemia externis et alienigenis Principibus subiecta esse, plus incrementi an pessumdationis invectum est ex eorum regimine susceptura. Barones etenim Bohemiae conventu apud Pragam in Octava assumptionis Sanctae Mariae super eligendo futuro Rege habito, in varia vota scissi, cum nonnullis placuisset Henricum Ducem Carinthiae tunc Pragae praesentem, qui filiam Regis Vencislai et sororem secundi Margaretham seniorem habebat in consortem, in Regem Bohemiae assumi, Tandem primoribus Baronibus ob pluribus et convenientibus rationibus magis probantibus Rodolphus Dux Austriae filius Alberti Romanorum Regis, Henrico Carinthiae Duce de Praga excluso, concorditer eligitur, et in Regem Bohemiae assumitur et coronatur. Et quo iustius solidiusque suum esset imperium, Elizabeth, quae Rixsza vocabatur, uxor Wenceslai Secundi Bohemiae et Poloniae Regis et filia Przemislai Poloniae Regis sibi matrimonialiter copulatur. Quamvis filiae Regis Wenceslai Secundi et sorores Tertij videlicet Margaretha consors Henrici Ducis Carinthiae, et Anna consors Boleslai Ducis Glogoviae, et Elizabeth virgo innupta, Barones Bohemiae, ne se desererent, neve de patrimonio suo exhaeredarent, et notis ac proprijs, externos et ignotos praeponerent, flexis genibus, non tam precibus, quam lachrymis fuissent aliquoties deprecatae. Praefata nuper Rixsza Przemislai Poloniae filia, et Wenceslai Bohemiae Regum olim consors, secundo marito Rodolpho Duce Austriae et Rege Bohemiae mortuo, tertium videlicet Hispaniarum Regem sortita est, ex qua filiam Sanciam nomine susceptam Alphonsus Aragonum Rex accipiens in uxorem, tres filios ex ea progenuit, videlicet Petrum, Alphonsum, et Fernandum, et tres filias Constantiam, Eleonoram, et Sanciam.

In Poloniae quoque Regno Wenceslao Rege praedicto occiso etiam vicarum Scysmatis non defuit. Nam licet Cracovienses, Sandomirienses, Siradienses, Lancicienses, Cuiavienses, et Dobrzinienses terrae, conventione in Cracoviensi civitate in die Sancti Egidij celebrata, Duci Vladislao Lokthek tunc praesenti innovassent regnum, ac in eius principatum et regimen nemine discrepante consensissent, terra quoque Pomeraniae Barones, et milites, Bohemorum Capitaneis et praefectis eiectis, morte Wenceslai Bohemiae Regis cognita, non enim pro ea tempestate vir in armis melior, et Regnum Poloniae facilius adunaturus reperiri credebatur, Praelati tamen, Barones, et milites maioris Poloniae, videlicet Posnanienses et Calisienses, inveterato odio contra eum usi, quod illis nimis avare superbeque superiori tempore imperitasset, posuerunt tunc nefandum abominabileque scissuram, nam Henricum Slesiae et Glogoviae Ducem filium Ducis Conradi Glogoviensis, eo quod ex sorore germana Regis Premislai Poloniae Salomea genitus esset, in suum dominum et principem eligentes, eius principatui et regimini annis aliquot usi sunt, et ipse Dux Henricus Glogoviensis per omne tempus quo vixit, se haeredem et dominum Regni Poloniae scribebat, et nominabat, licet alteri videlicet Vladislao Lokthek in Cracoviensi et alijs Ducatibus Regni Poloniae principanti, benedictionem et unctionem regalem nunquam fuerit sortitus. In administranda iustitia nimis

Severus

Suevis, et Polonis infestus, mores et conditiones illorum plurimum fastidiebat, Mechtildim filiam Alberti Ducis Brunsvicensis habens in uxorem, quorum praedonum et spoliatorum caeterorumque malefactorum praecipuus persequutor et mulctator, propter quod sub regimine suo terra Maioris Poloniae secura pace et quiete abundabat. Quo effectum est Ducis Vuladislai Lohtek truncato et diviso Principatu, etiam eius in Regem Poloniae per annos plures protelaretur coronatio, cum et Archiepiscopus Gnesnensis Borislaus unctionem et coronationem Regi impensurus, alterius ditionis et obedientiae princeps, nondum ex Avinione rediisset, et corona caeteraque regalia insignia in Gnezna ubi tunc Henricus Slesiae et Glogoviae principabatur, consisterent. Ut autem terra Pomeraniae undique ab hostibus circumsepta firma sibi duraret possessio, eam duobus Ducibus Premislao et Casimiro nepotibus germanis, filiis olim Ducis Zemomisl germani sui cum omnibus castris dat in tenutam, castro duntaxat et civitate Gdansk excepto, quod nobili Bogusio Iudici Pomeraniae in gubernationem commendat. Et his taliter compositis collecto ex Cracoviensibus, Sendomiriensibus, Siradiensibus, Lanciciensibus, Pomeranis, et Cuiaviensibus exercitu, expeditionem contra adversarium suum Henricum Glogoviae Ducem movet, et longum aestatis tempus populando dominia sua absumpsit, Henrico Duce praefato cum infirmiorem se cognosceret, in castris et fortalitiis se continente. Expeditione autem feliciter peracta in terram Pomeraniae descendit, et in ea, ordinando negocia publica universa, hyemis tempore morabatur, omnibus Pomeraniae militibus plurimum laetantibus de suo Principatu, et sibi devotam exhibentibus obedientiam et subiectionem. Ipse insuper Henricus secundus Glogoviae Dux propter Vladislai Lohtek Ducis impedimentum in Regem coronari Poloniae nulla ratione valuit, quoniam coronationem suam Gnesnensis Archiepiscopus Borislaus, nondum ex Avinione reversus, si eam praestitisset, multa incommoda causaturam verebatur. Unde praefatus Henricus non se Regem, sed haeredem Regni Poloniae, Ducem Slesiae, et dominum Glogoviensem, Posnaniensem et Calisiensem scribebat et gerebat. Descenderat autem Vuladislaus Lohtek personaliter in Gdansk, maximo honore tam militum quam civium de suo Principatu exultantium receptus, ubi a Swyancza Palatino Gdanensi, Vislao et Castellano de Puczky, Petro

Swanzevano

Succamerario Stolpensi, Bogussa iudice Pomeraniae, Petro et Laurentio filiis Swiencze, Petro de Polnow, Jasskone de Slawna, Laurentio Rugimuolda, nec non et universis Baronibus Pomeraniae, fidelitatis et omagii accepit iuramenta. Comitabantur autem Ducem Vladislaum Loktek in Gdansk et illic secum notabili morabantur tempore, Gerwardus Vladislaviensis Episcopus, Vincentius ~~Anscata~~ Cracoviensis, Lelcinus Posnaniensis, Bronisius Cuiaviae Palatini, Clemens Castellanus Siradiensis.

Ad intestinam monstruosamq Regni Poloniae divisionem geminatum aliud malum eidem Regno superna permittente iustitia accessit. Lithuani enim tunc gentiles, audientes Regnum Poloniae taliter et praemissimus scissum esse, per sylvarum et nemorum lustra, et invia, in terras maioris Poloniae subitam faciunt irruptionem, et oppida Calis, et Stawiszino, et villas in finibus eorum sitas invadunt, ac senibus et impuberibus trucidatis, multisq mortalibus promiscui sexus captis, plura millia nullo defensionem aut resistentiam faciente secum in servitutem abducunt, Principibus Poloniae et Masoviae, per quorum terras et dominia captam abigebant praedam, dissimulantibus genti suae liberationem impendere, et consurgere in hostes, nulla re quam nomine metuendos. Intelligens Prussiae magister frater Henricus de Plotzk eo anno in officium assumptus, natione Saxo, Litthuanos ad vastandum terras Regni Poloniae discessisse, et Lithuaniam defensoribus vacuam esse, ad vastandum eam exercitum transmittit. Qui ad castrum Lithuanorum Gartin forti Lithuanorum praesidio munitum, sub tegmine nebulae accedens et illud apertum reperiens, Lithuanos omnes subito hostium adventu perterritos, nullam facientes resistentiam, aut capit, aut trucidat, et spoliato castro atq incenso in propria remeabat. Commendator autem de Ginsberch moleste ferens suos castrum Gartin situ forti deseruisse, neq in eo militum posuisse praesidium, cum eodem exercitu illuc ire pergit, sed praeoccupatum locum a Lithuanis offendens impugnationem factam vereri videns in reditum, nonnullis erogatis spoliis discessit. Multis deinde militibus peregrinorum Prussiam advenientibus, novum infertur Litthuanis bellum. Qui cum ad pugnam cieri non possent, districtu Gartensi omni spoliis et igne vastato, Christianorum exercitus Prussiam remeavit. Sub idem tempus commendator de Ragnitha, castrum Litthuanorum Putewmken impugnare adorsus, castrum inferius conquirit, et Litthuanis illic repertis peremptis, superiori castri, quod probe a Lithuanis viderat defendi, conquisitione omisit. Quem in Ragnetham redeuntem, Lithuanorum nonnulli persequuti, dum spolijs dant operam, omnes, tribus tantum modo fugientibus, trucidantur. Lithuanorum unus Spudo nomine, castro Lithuanico, cui praefectus erat, Putsemhen vocatum, in potestatem Cruciferorum tradito, fidelis efficitur. Castrum a fundamento illis destructum est, spolia castri et captivi Prussiam adducta. Incendio quoque casuali in Cracoviensi civitate prope Parochialem Ecclesiam Sanctorum Omnium erumpente, carbo ignitus, vento flante, octava die Mensis Maij in Cathedralem Ecclesiam laminis plumbeis tectam delatus, non solum tectum eius, a plumbo magis altius quam restrictus, absumpsit, et muros parietesque Ecclesiae collisit, sed et universum castrum Cracoviense in suis turribus, palatijs, domibus, et structuris, ex lignorum materia fabrefactis, sua voragine perpetuo exterminio dissolvit. Satis documenti et cautelae posteris tribuens, ne in tegendis Ecclesijs, magis splendidis et nitorem praeseferentibus plumbi laminis, quam in coctis lateribus, minus splendoris habentibus, confidant. Civitas insuper Cracoviensis in pluribus domibus suis et in hospitali demolitione tectorum, et gravem iacturam ex huiusmodi incendio perpessa est

Semovitus filius Boleslai Dux Masoviae Monasterium Lubense, et domum Jerosolimitanorum amplioribus gratijs quam genitor suus Boleslaus libertat, sed in recompensam libertatis datae quasi mercato, et in futuram mercedem, villam Croszonna, a Paulo Abbate Lubensi, et Bernardo praeposito de Iessow recepit

Regnum insuper Ungariae simili dissidio, sed breviorem durationem habituro, quasi quadam peste serpenti contagionatum est. Dux enim Bavariae Otto in locum Wenceslai Bohemiae Regis, quem Ungari Ladislaum vocabant, contra Carolum Siculum convalescentem per aliquos Barones Ungariae, qui novis rebus studebant, surrogatus, novis Ungariam involverat dissensionum et guerrarum stridoribus. Accitus autem in Regnum Ungariae Otto praefatus Bavariae Dux, coronam materialem Regni Ungariae, quam Wenceslaus Bohemiae et Poloniae Rex, reducturus ex Ungaria filium Wenceslaum secum in Pragam detulerat, et Rodolpho tunc Regi Bohemiae sibi reddi obtinuerat, et illam secum in Ungariam vasculo subtiliter inclusam ne hostium praevalenti multitudine capi posset, ferebat, maximum rebus suis apud Ungaros afferre credens prosperamentum, sic corona ipsa, quam Vngari velut sacrosanctum insigne, speciali venerantur cultura, insigniretur, et Vngaris per eum dicte corone proveniret redditio. Sed quod ordinatum erat in salutem, id pene in perniciem versum erat. intempesta enim nocte iter Ottoni praevio facientes, flasculus cum corona decidens, tam Ottonis, quam suorum animos, quasi quoddam fatale superveniens malum, turbaverat, et ab omni spe excidisse viderentur. Illucescente autem die flasculus coronam continens repertus, nova iocunditate maerore depulso, Ottonem et suos refecit. In Albam autem regalem perveniens, per Benedictum Episcopum Vespermiensem et fratrem Antonium Canadiensem Episcopum in Regem Vngarie coronatur et inungitur. Et exinde Budam veniens et in capite coronam gestans, inspectante populo Budensi, castri et civitatis nanciscitur possessionem. Non post multos vero dies in insulam Csepel, faciens vacationis venationibus, descendens, a Ladislao Voivoda Transilvanense capitur, coronaq; Regni Vngarie naturalis, quam etiam secum ferre solitus erat, aufertur, et ipse in vincula est coniectus. Qui captivitatem beneficio cuiusdam ministri effugiens, et terram suam Bavarie pertingens, ius Regni Vngarie, ingenium gentis fluxum ac variabile expertus, prosequi destitit. Ab eoq; tempore res Caroli Martelli meliores esse ceperunt, et Baronum Vngarie similiter fides illi praebita. Cuius etiam firmandi solii causa, summi Pontifices Romani Bonifacius octavus, et Clemens quintus sibi succedens, mittendo legatos de latere, videlicet Nicolaum Episcopum Hostiensem Gentilem tituli Sancti Martini in montibus Presbiterum Cardinales et alios nuncios plurimum exhortationibus et consiliis, nonnunquam etiam censuris Ecclesiasticis cogendo Barones et bonorum regalium que detinebant restitutionem, magnopere adiuvabant. Qui etiam pro sui status ampliori robore Mariam virginem speciosam filiam Casimiri Ducis Theschinensis accepit in uxorem.

Obtenta Borzislaus Gnesnensis electus a Clemente quinto post diutinam praestolationem ex variatione tribunali Sedis Apostolice causatam, et post diligentem quandamq; examinationem sua electionis, confirmatione, in qua mentionem habuit concurrentem, accepta insuper a Petro Cardinali et Episcopo Ostiensi de mandato Sedis Apostolice consecratione consecrationi, dum in Avinione curia Summi Pontificis negotia Regni Poloniae et Ecclesiae suae, et praesertim causas iniuriarum contra Magistrum et Ordinem Cruciferorum super Culmensis Episcopatus abstractione, promovendo et sollicitando consisteret, correptus aegritudine, ultima die Iunij occubuit, et in Monasterio Ecclesiae Sancti Ioannis Evangelistae fratrum Praedicatorum Avinioni sepulturam accepit. Post cuius mortem Clemens Papa quintus, Ianislao Archidiacono Gnesnensi, viro nobili de domo   et probatae industriae tunc in Avinione praesenti, quem Borzislaus Archiepiscopus pro bene gerendis et expediendis rebus suae promotionis in suis tenebat obsequijs, non expectata Capitulari electione, cum provisio Ecclesiae praefatae in curia Summi Pontificis accidens dispositioni solius Sedis Apostolicae relicta esset, de ipsa Ecclesia Gnesnensi, septima die Novembris providit. Qui etiam illic consecratione accepta, ad sedem Gnesnensem reversus, miro omnium favore, et hilaritate exceptus, et possessioni eiusdem Ecclesiae nullo obice interveniente nactus, sedem Gnesnensem Annis pluribus gubernabat

In festo Beatae Mariae Magdalenae in Gallorum regno mandante et ordinante Philippo Francorum Rege omnes Iudaei in quibuscunque civitatibus et oppidis aut locis commorantes, una die fuere per satellites et officiales Regis capti, et bonis eorum singulis confiscatis, universi de Regno Franciae sine spe redeundi expulsi.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTIMVS

Nondum uno adversario, videlicet Henrico Glogoviae Duce debellato, nondum terris Maioris Poloniae, quae eiusdem Ducis Henrici Glogoviensis regebantur imperio quietatis, novus in terra Pomerania, Duci Vladislao Lokthek adversarius est exortus. Petrus enim Swancza Cancellarius Pomeraniae filius Swenczae Gedanensis tunc Palatini, principatum eiusdem Vladislai Lokthek et suorum Capitaneorum molesté ferens, seque ab eodem Duce Vladislao negligentius, et quam sorti suae conveniret praesumebat, indignius tractari, dolens, et in magnarum pecuniarum quantitate, quam se in tuenda Pomerania expendisse asserebat, solutione, á Duce Vladislao petita, repulsum se esse dolens, no

uare

nare res, et principatum eiusdem Ducis Vladislai in terris Pomeraniae turbare, prosapia generis, et possessionum copia sibi subministrante audaciam, a patre insuper suo Swanza Palatino Gdanensi suggestus in animum induxit. Marchionibus Brandeburgensibus, Vuoldemaro, et Joanni, multiplici respectu Duci Vladislao hostibus infestis adhaerens, tradere illis terram Pomeraniae repromittit, et ad occupandam eam, cordis eorum cupiditatis et hostilitatis ardore flammantia facit; dum esset unicum castrorum in terra Pomeraniae tenutarius et possessor, et inter nobiles et Barones terrae Pomeraniae natu et conditione maior, perficit, Machinamentis autem praefati Petri Cancellarij in cognitionem Vladislai Lokthek a fidelibus suis, ordinem et ambitus et manifestas rei exponebat, perlatis, Vladislai Lokthek novitate, acerbitateque rei, non secus quam dignum erat, permotus, in terram Pomeraniae in frequenti et potenti exercitu veniens, praefatum Petrum Cancellarium Pomeraniae comprehendit, et in Cracoviensi castro captivitati inclusit, Quem si in captivitate huiusmodi detinere perseverasset, neque regni Poloniae per alienationem terrae Pomeraniae truncatio, neque regni eiusdem per crebras guerras a Cruciferis motas, turbatio desolatioque provenisset. Verum duobus germanis dicti Petri Cancellarij, cum alijs Baronibus regni Poloniae pro liberatione praefati Petri Cancellarij, solerti studio laborantibus, et in fratris locum subire captivitatem, ipsumque Petrum Cancellarium in fide et potestate Vladislai Lokthek futurum varia sponsione repromittentibus, Dux ipse Vladislaus debita severitate remissa, petitionibus eorum condescendens, Petrum Cancellarium a captivitate solvit. In locum quoque eius duos eius germanos, Nicolaum et Joannem non parem virum habentes, in vincula pro obsidibus conijcit. Sed hi aliquanto tempore carceres et captivitatem perpessi, custodibus pecunia corruptis, sive quod verius puto, incautius asservatis, ruptis vinclis, captivitatem evadunt, et in Pomeraniam ad fratrem Petrum Cancellarium de liberatione sua plurimum ovantes perveniunt. In publicam autem et apertam rebellionem mox conversi, Marchiones praefatos de Bramburg, alias de Tzorzilerz, Vuoldemarum, et Joannem multis promissionibus ad invasionem terrae Pomeraniae inducunt. Vuoldemarus secundum praefatus et proprijs et Joannis nepotis sui, cuius tunc tutelam agebat, gentibus fretus, in Pomeraniam exercitualiter advenit, et cum praefati Petri Cancellarij fratrumque suorum et consanguineorum assistentia et consilio, quaedam loca et municipia expugnat, et intercipit, quaedam incendijs et spolijs devastat, Deinde ad castrum et civitatem Gdansk, velut ad caput terrae Pomeraniae, quod tunc per Bogussium iudicem Pomeraniae Vladislai Lokthek nomine tenebatur, exercitu admoto, illud obsidione vallatum, fortius quo potest impugnat. Civibus Gdanensibus, quorum praestantior pars ex Almanis iam tunc erat, aperto favore et assensu in dominationem et obedientiam Marchionum Brandeburgensium inclinatis, dedentibus Marchionibus civitatem. In hoc itaque periculo Bogussa iudex Pomeraniae, et Capitaneus Gdanensis, una cum Alberto Voislao et pluribus militibus et nobilibus terrae Pomeraniae qui in defensionem castri suo mandato vocati confluxerant, videns se circumdatum, cum et victualia sciebat sibi in brevi defectura, et non tam hostium impugnatione, quam civium Gdanensium discessione, et patenti dolo atque rebellione premeretur, plurimorum virorum qui secum militabant concilio congregato, Ducem Vladislaum Lokthek in quantis periculis et angustijs ipse et sui castraque et fortalitia terrae Pomeraniae universa versentur, admonendum, et ut celerius laborantibus succurrat, orandum decernit. Et quo celerius consultum huiusmodi posset confici et imminens periculum depelli; castro Gdansk aliorum Baronum fidei commendato, ipse cum altero Barone inter caeteros natu et conditione praestantiore, vocato Nyemira, assumpto, ad Ducem Vladislaum Lokthek celeriori quo potest cursu pergit. Qui cum in Sandomiria tunc agentem offendisset, quanta hostilitas et impugnatio castro, civitati Gdanensi amissa, et toti terrae Pomeraniae a Marchionibus Brandeburgensibus instigatione malevola Petri Cancellarij et fratrum suorum concitatis, et in quantis versentur anxietatibus ex ordine edocet, et ut celerem succursum rebus labare incipientibus impendat, suo et aliorum nomine summe precatur et orat. Dux autem Vladislaus Poloniae, ut erat vir ad singula agenda et conferenda animo et manu impiger, se personaliter venturum, et celerrimum laturum auxilium respondet. Verum dum praefati Nuntij Bogussius et Niemira saniori iam usurum consilio deduxerent, si Magistrum et Ordinem Cruciferorum de Prussia, singulari tunc amicitia et benevolentia sibi coniunctum adscisceret, et eius suffragio, quod ex vicinitate citius prodesse posset, in hostium repulsam uteretur, se quoque non solum bene sperare, sed certos existere, Magistrum et ordinem Cruciferorum, quod et eleemosinarii sui essent, et pluribus beneficiis obligati pronis animis desideriis Vladislai Lokthek morem gesturos, et necessitati praesenti, quamprimum requirerentur, omni potentia succursuros. Sanissimum propositum suum, fato impellente, variavit, existimans se succursum, quem eorum intercapedine per se difficile ferre potuit, per Cruciferos compendiosius laturum. Sarenum Nuntiorum Pomeraniae sententia probabilis et compendiosior, et Duci et Consiliariis visa, et tandem, ut est omnium dominum et praesertim Polonorum natura, ut malint ea quae forte administranda sunt per alios disponi, accepta est, et praefato Bogussae iudici et Capitaneo Gedanensi omnis sui negotii dispositio et ordinatio per Ducem Vladislaum Lokthek mandata. Is autem cum adiisset, dicto Magistrum Prussiae Henricum de Plotzsk et ordinem conventus, et omnia quae ut Ducis Vladislai Lokthek legatus ferebat, fideliter exponens. Suffragium per Magistrum et ordinem Duci Vladislao et terrae Pomeraniae ab hostibus afflictae, et praesertim castro Gdansk ne in hostium deveniret manus, ferri, commemoratis plurimis beneficiis per avum suum Conradum Mazoviae et Cuiaviae Ducem ipsorum fundatorem primarium, ordini praestitis, expetiit, dignam vicissitudinem et meritum pro opere impendendo favore et beneficio Ducis Vladislai Lokthek pollicitus in futurum. Magister autem Henricus et Cruciferi ad occupandam terram Pomeraniae, cuius cupidine dudum intestina ambitione flagrabant, apertam sibi credentes viam, in omnia Ducis Vladislai Lokthek postulata, non ipsius Ducis, sed propriis consulturi profectibus, quemadmodum processu temporis experientia aperuit ad liquidum certitudo, consentiunt, Et pactis quibusdam et signanter quod castrum Gdansk pro sui medietate, altera medietate dicto Bogussae iudici et Polonis remanente, uno anno integro custodirent et viriliter defenderent, propriis fatigiis et impendiis nullo respectu, nulla ratione, in debitum aut pignus Vladislao Duci aut castro Gdansk et terra Pomeraniae compensandis, quo lapso expensas illas in subsequenti tempore facturas, computare primum inciperent de medietate Castri Gdansk, Solutum expensarum post lapsum anni, computandarum a Duce Wladislao, Sabita, nude et simpliciter absq damnorum aut aliarum difficultatum interpositione cessuri. Sub his pactis fide et literis firmatis, Magister Prussiae Henricus dolo et versutia plenus, subsidiorum mittit solatia, spe quidem iuuandi Regem et propellendi Marchionem, re vera autem acerbissima occupandae terrae Pomeraniae cupiditatem menti iam circumferens. Cuius gentis medietatem castri Gdansk, a Boguscha iudice Pomeraniae, Capitaneo Gdanensi accipiunt, et fratrem Guntherum de Swarzburg Cruciferum cum alijs cruciferis et gentibus in notabili numero ad gerendum bellum contra Marchiones Brandeburgenses et Saxones, cum victualium congruenti prouisione transmittunt. In altera medietate Boguscha praefato, cum Baronibus et militibus Pomeraniae residente. Ex quo, Polonorum fuit de terra Pomerania alienanda principium, prolapsus difficulter et anxie per longas aetates erigendus. Cruciferis autem taliter ut praemissum in castrum Gdansk introductis, et castro victualibus in parte vtraq referto, Saxones, Polonorum et Cruciferorum virtute potentijs a castri Gdansk maenibus saepe repellebantur, confusi, saepe plures ex eis ultronea Polonorum et Cruciferorum inuasione cadebant trucidati. Adeoq Poloni et Cruciferi creuerant ausus, ut etiam crebri in castra fecerint incursus, quos dictatur in ciuitatem se recipiunt. Sed cum illic quoq impeterentur, Marchiones Brandeburgenses videntes de acquisitione castri Gdansk, omnem spem ademptam, cum situ et aquarum paludumq confluentia esset munitissimum, et praesidium illius esset duplicatum, famis quoq sublatum esset, in qua vna omnis spes eorum de conquirendo castro versabatur, dispendium, cum etiam iam aestate nequicquam et inaniter consumpta, hyemis rigor plus solito oras illas premens, exercitui esset onerosus, obsidionem soluunt, et tam ciuitati Gdanensi, quam aliquibus locis praesidijs impositis, de Pomerania excedunt Post quorum excessum illico ciuitas Gdanensis per Polonos et Cruciferos cassata et expugnata est, et occisi quamplurimi milites praesidij, quorum corpora Rudgerus Abbas de Oliva ad Monasterium suum devecta, in Cimiterio Sancti Jacobi ante claustrum sepelivit, civesq; defectionis authores, capite caesi. Ad multam tamen Petri Swancze et fratrum suorum Vladislaus Dux procedens, eos et fratres eorum, duobus castris, videlicet Trczel et Zbanskin et duobus oppidis Babimost et Zbanszin, quae adhuc in Polonia obtinebant exuit, et illa suo fisco Ducali applicat

Ducis Henrici de Bavaria et suarum gentium comitatus caterva, Theodricus de Aldenburg Magister Prussiae, expeditionem in Lithuanos barbaros agit, et in vicinio castri Litthuanorum vocati Vuelunya, duo castra nova, nomen uni imponens Frideberg id est mons pacificus, alteri Beier id est Bavariae erigit, et frequens ac forte tam Cruciferorum quam militum aliorum praesidium eisdem imponens, vaq; armis, bombardis, pro magna parte per Henricum Bavariae Ducem derelictis, et victualibus fulciens discedit. Ratus et castrum Litthuanorum Vuyelunya ad deditionem, et Lithuanos caeteros illius in suam obedientiam cogi posse. Sedeminus autem Lithuaniae Dux supremus, periculum impendens dispulsurus, Magistro Theodrico in Prussiam abeunte, castra noua cum forti exercitu circumdat, et pro illorum conquisitione duos et viginti dies magna cura et studio intendit, et multipliciter invasione obsessos quatit. Erat inter Prussiae obsessos unus Crucifer sagittandi peritus et qui ob id sagittariorum magister vocabatur, qui igneis sagittis barbaros vexans, die una, Ducem Litthuaniae Gedeminem ignea sagitta per corpus in dorsum transfixit, a quo vulnere moribundus illico animam exhalavit. Cuius morte sequuta exercitus Lithuanicus obsidionem solvit, et in propria abijt. Magister vero Prussiae Theodricus alteram eo anno expeditionem in Lithuanos resumens Henricum Prussiae Marsalcum in Lithuaniam cum exercitu misit. Qui districtu vocato Vuyedukly tam caedibus et flammis vastato, spolijs et captivis onustus Prussiam redijt

In die Sancti Galli Lithuani irruptione clandestina in Regnum Poloniae facta, terras Siradiensem et

Calisiensem ferocius quam ceteras invadentes spoliant, et caede igneq; plurimum vexatam praedam ingentem ex ea rapientes, antequam robur Poloniae exercitus in defensionem adunatum esset, in Lithuaniam concito gressu redierunt

Obsidione civitatis Horazdiegowicz Rodolphus Bohemiae Rex anno eodem faciens, et duorum Baronum Bohemiae videlicet, Bawarii de Strakonicz, et Vilhelmi de Hassenburg, qui sibi adversabantur imperio rebellionem punire et abrogare volens Dissenteria percussus quinto Nonas Julij interijt, et Regnum Bohemiae quod uno anno possederat, sine haerede reliquit Cuius corpus cum in Ecclesia Pragensi sepultum esset, Elizabeth sive Ricssza consors sua, olim Wenceslai secundi Bohemiae et Poloniae Regis relicta, et Przemislai Poloniae Regis filia, altare sub titulo Sanctorum Simonis et Judae ad tumulum suum erexit, et ut sacrificia pro salute viri sui praedicti agerentur, ministrorum dote sufficienti instituit. Baronibus autem Bohemiae in congregatione pro eligendo futuro Rege in Pragensi civitate indicta, in seditionem versi, Dobessium de Betsin et nepotem eius quod Friderici Ducis Austriae, et nuper mortui Rodolphi Bohemiae Regis partem promovens, Fridericum praedictum surrogandum in fratris locum astruebat, crudeliter obtruncant, et hac nece patrata rumore altius consurgenti clamorem attollunt clamitantes Austriales Duces aspernandos esse, et ad propaginem Bohemiae Regum redeundum. Qua sententia comprobata ab omnibus Henricus Stiriae Dux qui Annam Wenceslai secundi Regis Bohemiae filiam habebat pro uxore eligitur, et in Regem Bohemiae praeficitur et coronatur. Qui non longo transacto temporis spacio, celebrata apud Pragam curia solenni, Barones principales quos ambiguae et suspectae erga se fidei, suggestione civium Pragensium reputabat, aut captivat, aut obtruncat. Seditione quoque crescente; Saepe praefatus Henricus Rex, Misnensem praesidem cogebatur ad tutelam sui capitis invocare, Primictorem autem consorte sua germanam virginem Elisabeth suspe habens, ne aliquis Princeps connubio suo potitus ei Bohemiae Regnum surriperet, ipsam non alteri illustri, sed cuidam sortis humilis nobili Baroni de Bargow desponsare destinat.

nat. Rogata autem a Rege et Duce desponsationi consentiret, petebat, ne in ignominiam generis sui inferiori iungeretur, aut daretur sibi libertas ad ingrediendum, quatenus suspitio omnis conquiesceret, religionem. Verum precis respuente Rege et ipsa abnuente omnem precem, utrumque tali matrimonio durans mortem, in captivitatem iussu Regis reclusa est

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS OCTAVUS

Marchionibus Brandeburgensibus et Saxonibus a castro Gdansk repulsis, viribus etiam et potentia Petri Camerary et fratrum suorum confractis et debilitatis, civitate insuper Gdansk quae rebellaverat subacta, et in obedientiam subiectionemque Ducis Wladislai Loktek reducta, Cruciferorum praesidium quod in primordiis ingressus sui in Gdansk tenue pannosum et humile erat, frequenti subingressione gentium ad id studiose per Magistrum Henricum directarum, adeo auctum et dilatatum est, ut cum Bogussa iudex Pomeraniae, et alterius partis castri Gdansk capitaneo, saepe ad lites et controversias apertas inflato spiritu descenderent. Tantaque in civitatis et defensionis locum, eorum successit ambitio et impulsio, ut praefatum Bogussam et Barones militesque Pomeraniae principales in captivitatem conicere, cum essent numero et robore superiores, et universi castri Gdansk possessionem sibi usurpare non dubitarent. Praefatus itaque Bogussa iudex, suae et eorum qui secum detinebantur consulturus libertati, nova pacta et ordinationes cum Magistro et ordine confecit, literisque confirmat. His cavebatur ut Iudex praefatus Bogussa de altera castri Gdansk medietate cum suis exiret, et illud gubernandum et defendendum Magistro et Ordini relinquat. Magister vero et Ordo tenerentur de illo ad requisitionem Ducis Wladislai Loktek pure cedere, et illud, dicto Duci Wladislao Loktek restituere et resignare, sublata tamen et omnium expensarum quas pro conservatione et custodia castri praefati deinceps facturi essent plenaria et integra solutione. Verum etsi ordinationem praedictam dolum fraudemque continere constaret, a praedicto tamen Bogussa et ceteris Pomeraniae Baronibus, et in libertatis suae, et in castri Gdansk qualemcunque retentionem, Duci Wladislao Loktek improbe incon

sultique

sultiq. accepta est. Et sub huiusmodi pacto Bogussa Judex Pomeraniae praedictus, cum Stephano de Linsze et Niemirza alijsq. Baronibus Pomeraniae ex castro Gdansk erutus magno sumptu dimissus est, et Cruciferi praefati ceperunt ad occupandam terram Pomeraniae iterum recedentes.

Quintodecimo Calend. Aprilis Ducissa Eufemia filia Casimiri Ducis et consors Georgij Russiae Ducis absumpta est. Quam vir suus Dux Russiae Georgius sequutus vicesima prima Aprilis obijt, qui cum in die Beati Georgij natus, baptizatus, et nomen suum sortitus foret, etiam in die suo veneno absumptus est humanus, vir industrius et liberalis et in religiosos munificus, sub cuius regimine Russia et pacis pulchritudinem, et divitiarum amplitudinem inclita habebatur.

Et necem paternam et patruae vastationem Olgerts Lithuanorum Dux, qui Gedimino patre extincto successerat, ulturus, forti exercitu ex Lituanis et Ruthenis congregato, Prussiam hostiliter ingressus, eam caedibus et ignibus vastat, populationemq. latius extendens, capta et hominum et pecorum praeda Lithuaniam remeabat. Quem Henricus Prussiae Marsalcus quatuordecima die Augusti apud nemus, quod Galebonke nominatur, consequutus, quamvis se hosti videbat imparem confligit. Utrisq. autem pro victoria annitentibus, tanta caedes utrinq. edita est, ut pars utraq. pro victa discederent. Maior tamen aliquanto clades in Litthuanos, qui mille ducentis et viginti ex suis desideratis, etiam captivas animas et pecus relinquere coacti sunt.

Berungarius quidam senex Sacerdos Ducis quondam Venceslai Bohemiae Regis servitor, prolem reginam Elizabeth videbat virginem et domini sui filiam male tractari et in captivitatis custodia asservari dolens, eam Joanne Vuistegradensi Praeposito, quem Venceslaus Rex ex concubina susceperat, adiuvante, a captivitate solvit, et solutam in oppidum Elemburg super Albam positum deducit. Civibusq. eiusdem oppidi convocatis, quae esset, et qua necessitate impulsa in eorum fidem confugisset, aperit, ac demum ad eos concione habita, multa beneficia patris sui civitati praestita, quod eam ex vico rusticano in civitatem haud contemnendam erexit, quod eam muro forti cinxerit, quod eam pluribus libertatibus et privili-

gijs

Ejus insignem, famosamque reliquerint, ac demum suos casus et Henrici Regis Bohemiae crudelitatem in se depromptam, commemorat. Et quod duabus sororibus suis, altera Henrici Regis praedicti, altera Boleslai Glogoviensis Ducis felix et faustum coniugium sortitis, sibi indignitatem coniugii, quod illam Henricus Rex suscipere compellebat, aspernanti, in libertate et perpetuo castitatis voto consistere non liceret. Orans ne se in eorum praesidium confugientem excluderent, ne patris beneficia in ea mori et extingui sinerent, ne quoque eam in ludibrium conditionis suae et generis, vagari per exteras regiones paterentur. Omnium autem animis huiusmodi oratione in misericordiam conversis, cura eius a civitate suscepta est, et omnis securitas ac fidelitas illi repromissa. Ea aut. in illa existente coepit ad illam Baronum Bohemiae, eorum praesertim quos Henricus Rex in ipsis aut cognatis violaverat fieri concursus, ubi et frequentes tractatus de abrogatione regni contra Henricum habiti sunt, ex quibus nec in Praga quietus passus est consistere, sed ab his, qui partes Elisabeth, ab eo deficientes, sequebantur, pluribus insultibus per castri Pragensis in quo residebat impugnationem, eo etiam inspectante, lacessitus. Omnium etenim Bohemorū ad novandum res, quamprimū se occasio offert, aut lucri, vel honoris respectus suggerit, animus est naturaliter proclivis

Romanorum Rex Albertus Dux Austriae nepotis sui germani Joannis Sueviae Ducis propter iuvenilem eiusdem aetatem curam gerens, illum in cura sua donec adolesceret detinuit. Verum ille ex favore patrui insolescens, conspiratione facta, patruum suum Albertum Romanorum Regem, nihil tale suspicantem cum egrederetur de navi, transito Rheno, obtruncat et interficit. Cuius occisione patefacta Electores Imperii convenientes Henricũ Comitem de Lutzeburch in Romanorum Regem, Francofordiae in die Sanctae Catherinae eligunt. Qui ab Henrico Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani Epiphaniarum die coronatus, Corpora suorum praedecessorum Rudolphi et Alberti in locis occisionum tumulata effodiens Spiram deduxit, et honestissime sepelivit. Et missis ad Clementem quintum in Avinionem duobus Episcopis et tribus comitibus electionem suam confirmari, et pre benedicti-

om.

ori Imperatori Romano subscribenda tempus et diem biennio vel diutius elapso consignari obtinuit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS NONVS

Exclusionis iniuria Pomeraniae Bogussae et aliorum militum de castro Gdansk ad Ducem Wladislaum Lokthek in terris Cracoviensibus tunc agentem perlata, magna coepit una cum Praelatis Baronibusque et Consiliariis torqueri anxietate. Intelligens Cruciferorum velatam dolis fidem in perfidiam versam esse, et in Marchionum Brandeburgensium, Saxonumque locum magis callidos, magisque duros et fallaces hostes subiisse. Vehementerque tunc primum coepit paenitudine urgeri quod Marchionum Brandeburgensium et Saxonum impetus non suis repulisset armis, sed animi et propositi sui sententia mutata, Cruciferis frangendos commendasset, utrosque pro infestis hostibus cum multarum difficultatum accessione habiturus. Nondum tamen in Magistro Henrico et Cruciferis Prussiae omnem extinctam esse ratus fidem, credens quoque per tractatus mutuos eorum perfidiam posse restringi, Magistrum praefatum Prussiae Henricum per nuntios requirit, quatenus secum in aliquo loco competenti conveniat, iniuriasque sibi in Bogussa Capitaneo Gedanensi et militum suorum de castro Gdansk quaerebatur illatam, in benevolentia animorum discussuri. Annuente Magistro in villa Gyan alias Grawowicze prope Radzieiow in terra Cuiaviensi sita, Magistro personaliter cum aliquot Commendatoribus accedente, conveniunt. Ubi in praesentia Gerhardi Wladislaviensis Episcopi, aliorumque Poloniae Baronum, et eorum praecipue qui de castro Gdansk per Cruciferos exclusi fuerant, Wladislaus Poloniae Dux querimoniam exorsus, commemoratis pluribus beneficiis per eum et praedecessores suos praestitis, iniuriam exclusionis militum suorum de castro Gdansk longa oratione differuit, petens et requirens eam, cum castri Gdansk restitutione, resarciri, iniquum et acerbum nimis, apud quoque aetates futuras infamimis et detestandum cunctis saeculis scriptis, si ex auxiliatoribus hostes, ex eleemosinariis persequutores, et ex amicis et sociis infestos suos et suarum terrarum impugnatores debeat experiri. Magister autem Prussiae Henricus verbis

bis

bus competentibus ad diluendum patratum facinus usus non ad iniuriam, sed in profectum Ducis Vladislai Lohtek, exclusionem Bogussai et militum Pomeraniae, ut seditio saepius inter dissidentes et rixantes Ducis Vladislai Lohtek et suas gentes excitaretur, asserunt egisse, se quoque in fide data et pactis cum Bogussa iudice Pomeraniae percussis mansurum esse, nihilque de illis diminuturum, offerens se de castro Gdansk excedere, et illud Duci Vladislao Lohtek ad cuius dominium et iurisdictionem non diffitebatur illud semper pertinuisse et spectasse, resignare, dummodo sibi et ordini promissa per pacta, impensarum illic factarum per Ducem Vladislaum Lohtek impenderetur refusio. Tali responso Dux Vladislaus Lohtek, nullam ei reputans inesse vafrorum exhilaratus, omnem expensarum quantitatem etiam cum gratiis offert se restituturum, et pacta per Bogussam inita, quamvis se ignorante, servaturum diceret, tantummodo quota esset huiusmodi impensarum de uno duntaxat anno factarum quantitas. Magister vero Henricus latius virus effundere conatus, centum millia marcarum latorum grossorum respondit se in castri Gdansk defensionem, custodiam, et conservationem expendisse, multosque insignes milites, quorum non posset dari aestimatio, in gerendo bello contra Saxones perdidisse, nec tamen aliud quam solutionem impensarum flagitare, sine qua resignationem castri Gdansk nullo colore nulloue ingenio secuturam. Dux autem etsi immoderatissimam expensarum taxam pluribus et vincentibus rationibus refelleret, et quicquid iustus aequusque arbiter decerneret, se refusurum promitteret, Magistro tamen perseverante in sententia, et arbitrariam abnuente decisionem, dum nihil aliud quam fraus et dolus ex verbis responsionibusque Magistri elici possent, re infecta, animisque irritatis magis quam pacatis ex huiusmodi conventu discessum est. Suspectam deinde habens Magister Cruciferorum civium Gdanensium fidem, illorum perfidiamque, verum quae se offerre coeperat simulaturus, taedebat enim iam illos iniusti et usurpati dominii, munitiones praefatae civitatis, ne in Ducis Vladislai Lohtek legitimum redirent imperium, demolliri penitus procuravit atque frangi

Civibus

Clemens Papa quintus ad Ruthenorum Regem nuntijs insignibus missis, hortatur et requirit eum, ut iuxta sollicitationem suam per Nuncios et literas factam, ad obedientiam et unionem Ecclesiae Romanae venire non negligat. Qui Nuntios Apostolicos varios remittens, in Schismate inveterato perseverant, et Graecorum errorem potiorem duxit Catholica veritate.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS DECIMVS

Castro Gdansk ordine eo quo praemisimus in ditionem potestatemque suam Magistri et Cruciferorum redacto, dum Ducem Vladislaum Lokietek et occupatione belli Lithuanici et Ruthenici et ex dissensione intestina Regni Poloniae, cum aliis in terris maioris Poloniae imperitaret, pluribus et difficilibus curis detentum esse viderent, et ad sufferendum illatam et inferendam iniuriam oportunum, plures ex Almaniae partibus gentes donativo conduxerunt, universam terram Pomeraniae, ex quo eis castri Gdansk aliquanto tempore impune subactio provenerat, occupaturi. Valido itaque et potenti exercitu congesto, cum apparatu bellico, repentino adventu terram, quae tunc ut praemisimus per Przemislaum et Casimirum Gnewkowiensem et Mersalouiensi Duces nomine Ducis Vladislai Lokietek gubernabatur, ingredientes et civitatem Gdansk quae in obedientia Vladislai Ducis tunc consistebat, ipso die Sancti Dominici, pro quo ibi nundinarum dies, et populi ad forum frequentior concursus esse consueverunt, obsidione circumvallant. Haec cum pluribus diebus obsidionem tolerasset, militibus et nobilibus Pomeraniae eam strenue animoseque defendentibus, ad ultimum fraude aliquorum civium Gedanensium Teutonicorum, qui de prodenda civitate per tractatus clandestinos cum Cruciferis convenerant, nocte tradita est, et hostes per portam unam intromissi civitatem comprehendunt, omnes quoque milites et Barones nobilesque Pomeraniae, et quod crudelius est vulgus permiscuum occidunt, et vario mortis genere extinguunt.

Nec ulli Polonicae gentis parcunt conditioni, sexui, aut aetati, sed tam puberes quam impuberes et aetatem infantilam et lactantem absque ullo miserationis respectu extinguunt ut fama crudelitatis tanta diffusa, corda caeterorum perculsa ad faciendam in alijs civitatibus et munitionibus resistentiam pavescerent. Et deletis Baronibus et nobilibus regionis, Cruciferis illis occupatio dictae terrae provenit. Raro unquam Polonici sanguinis in alicuius victoriae acquisitione plus effusum, raro caedes inhumanior, nec ullum iniuria aut crudelitatis genus omissum, per quod hostilis manus in Polonorum exterminium debacchata non fuerit. Indignum facinus, atque teterrimum, nulli barbaro quantumcunque Tiranno comparandum, ingeminare ausi. Primum quidem ad defensionem castri Gdansk a Duce Vladislao Lokietek implorati, mox expulsis cum dedecore suis, quibus opem tulerant, castrum intercepserunt, paulatim deinde procedente tempore civitatem Gdansk, militibus, qui ad munitionas venerunt iuxta ac quibusdam civibus trucidatis, occupaverunt, quippe ut Polonis optabilius fuerit superatum se esse a Saxonibus, quam cum Cruciferis Saxonicis superasse, nam sive victoribus victorum iure servassent, sive de sedibus suis pulsi, non tamen inter dormiendum et quietem, intra sacros aditus et patrios focos pecorum more miserabiliter trucidati scelestissimis suffragatoribus omnia bona sua mobilia et immobilia longo tempore parta, omnes denique fortunas longo tempore cumulatas, ipsas denique coniuges, liberos, filias, et pignora, calamitose servituti reliquissent.

Conquisita civitate Gdansk et Baronibus nobilibusque Pomeraniae, vulgo quoque et lactantibus feritati plusquam barbaricae trucidatis, Magister Prussiae Carolus et Luczerburg ad conquirenda caetera castra Pomeraniae exercitum suum promovit et versus Tczow contendit, incendijs, caedibus, et spolijs universa quassando. Quod dum Casimirus Dux Gniewkowiensis, qui castrum et civitatem Tczow nomine Ducis Vladislai Lokietek patrui sui germani gubernabat, agnovisset, ad exercitum Magistri et Cruciferorum, non longe iam a Tczow tenentem stativa, assumpto secum Vincentio Dorino Knizmenski, tunc apud eum praesenti, et duobus Baronibus processit. Et illuc perveniens ad tabernaculum Magistri deductus, post Missae auditionem, qua Magistrum reperit occupatum, verba facit, orat, precaturque ut a rapiis depositis, a terra Pomeraniae fidei et gubernationi suae commissae conflagratione se temperet, ut illam contra ius fasque capere, et sibi usurpare desisteret, ut ex auxilia~~tore~~tore maiorem perniciosioremque se hostem, quam contra quem invocatus fuisset, cum sui et ordinis sui infamia sempiterna, non constitueret. Et promissorum et pollicitationum multiplicium, eidem Duci Casimiro crebrius ingeminatorum meminerit, quibus tam sibi quam Duci Przemislao germano suo pollicebatur, ut si terram Pomeraniae tenere eos contingeret, nullam se illis hostilitatem sed servitutis et auxiliorum solatia denunciabat praestiturum. Et quo Magister et Commendatores sibi assistentes facilius ad compassionem et miserationem flecti possent, supplicationem suam genibus flexis, manibusque complicatis ad Magistrum repetyt. Magister autem Cruciferorum Carolus humilitatem precesque Principis aspernatus, illisque magis in superbiam quam in pietatem pertractus, respondit, Non diffiteor inquit te fratremque tuum Przemislaum Ducem, ad terrae Pomeraniae suscipiendam gubernationem, meam Ordinisque mei repromittendo assistentiam et favorem, animasse, et utrique vestrum bonam spem fecisse, vos enim duos, quam aliquem alium graviorem mihi et potentem Principem in dicta terrae Pomeraniae gubernatione malebam succedere. Nunc vero promisso meo non variato, sed mutato in melius, de terra Pomeraniae magis mihi et ordini meo quam tibi et cuicunque alteri faveo. Id autem habebis a me et frater tuus Przemislaus, humanitatis praestitum, ut cum gentibus rebusque omnibus tuis quocunque libuerit excedas, et castra terramque Pomeraniae per me et ordinem meum de caetero possidendam relinquas, aut si id tibi convenire minime astruis, defensionem apponas. Quo dato responso Ducem Casimirum praedictum et suos os omnes prandij sonore excepit. Inter prandendum autem exercitus Magistri motis castris versus Tczow processit, et tam castrum quam civitatem vallavit, Dux autem Casimirus prandio peracto tristis gemensq[ue] abscessit et versus Tczew properans, castrumq[ue] obsidione cinctum videns, gradum retinuit, ne mortis aut captivitatis periculo incideret. Et e vestigio Vicariatum Decanum Gnesnensem ad Magistrum remittet, petens ut libertas ei et suis decedendi salvis rebus personis promissa servaretur, et quod Dux Casimirus securus posset castrum Tczowa accedere, et gentes suas atq[ue] res de illo auferre, Cui Magister respondens aiebat, Credidit forte Dominus tuus, nos somno et dormitioni occupatos esse et ab expugnatione castrorum terrae Pomeraniae quievisse, non in somnum sed in laborem tam valido et potenti exercitu comparato egressi sumus, non prius donec universam terram Pomeraniae ditioni nostrae subjecerimus, quieturi, Non igitur Dominum tuum falsa spes decipiat, sed si sapit relictis cum suis omnibus exeat, aut ad opponendum exercitui nostro resistentiam se coarmet. Dux autem Casimirus videns se et viribus imparem esse, et castrum Tczow nec arte nec loco munitum, sed nec victualibus providum esse, et sui et suorum consulens periculo, et indemnitati de castro Tczow cum suis omnibus excedit, et possessionem illius Magistro tradit, quod dein a Magistro et exercitu suo [illegible] est. Et ipse Dux Casimirus deducentibus eum gentibus Magistri, salvus in persona et rebus castrum Swiecze ad fratrem suum Przemislaum Ducem contendit

Redacto in ditionem suam castro Tczow Carolus Prussiae Magister exercitum suum in partes ulteriores terrae Pomeraniae promovit, et aliquot oppidis et villis ignobilibus videlicet Choynicza, Xolne, et alijs captis partimq[ue] exustis, versus castrum Swiecze advenit, id enim dicebatur unum in terra Pomerania per Polonos et Pomeraniae milites, et duos Duces Przemislaum et Casimirum Gnievkoviensem pro Vladislao Lokthek Duce tenebatur, caetera omnia aut expugnatione aut deditione in potestatem Magistri et Cruciferorum devenerant. Id quoq[ue] gentibus militaribus et victua-

lium abundantia refertum, obsidionem et impetum
hostilem tolerare, et ne universa terra Pomerania in
Cruciferorum subiectionem veniret, resistentia sua efficere credebatur. Unde et Cruciferi ampliori cura et studio,
eius oppugnationem adorsi quatuor validis bombardis
castri structuras tunc humiles et ligneas interdiu et
nocte validissime quatiebant. Duobus quoque patibulis contra faciem castri erectis, denunciabant Przemislao
et Casimiro Ducibus, alijsque militibus castri defensoribus, nisi castrum dederint, se patibuli supplicio,
expugnato castro, quod propediem eventurum rebantur, punituros. Et quo maiori percellerent defendentes castrum terrore, singulis diebus duos tresve
aut plures homines agrestes in rure captos suspendebant. Durante insuper obsidionis tempore, Crucifer quidam Zifridus quem Commendatorem Opidi
Gniew titulabant, genti Polonicae infestissimus
eam adversus nos crudelissimam tyrannidem depromebat, Castris siquidem mane egressus et
funibus corporis equi cui insidebat alligatis onustus, denunciabat se die illa non prius comesturum,
donec in Polonorum suspensionem omnes chordas
illas consumeret. Quod quidem inhumanissimo
scelere efficiebat, ut agrestes et miserabiles atque valetudinarij homines, qui in urbes munitas non refugerant, per praefatum Zifridum Commendatorem,
suspensione immerita, etiam crudelissimis barbaris
detestanda, tormentarentur. His facinoribus Magistro nequaquam prohibente, imo magis vel dissimulante vel probante. Dum praefatus Zifridus haberetur in exercitu Magistri praecipua insignis militari favore, ut est belligerantium homines in commendationem eorum quae crudeliter aguntur proclivi,
sua nobilitate et efferente flagitia, subita et convenienti ultione a divinitate perculsus est, Dum etenim
durum una ad focum artus calore refoturus consisteret, a Daemone repente correptus et iugulatus

et tandem in ignem dejectus est. Dignas profecto operum suorum poenas pendens, et qui alios jugulando innocenter peremerat, beneficiumque sepulturae suspensis abstulerat, jugulatus et ipse Satlinae ministerio, non in terra, quam mortibus hominum innocenter inquinaverat, sed ignis absumeretur incendio. Non movit autem horum omnium, quae agebantur, milites castrum defendentes, de propinquo monstratus conspectus, nec alicui illorum paviditas incussa est, sed pari fortitudine atque animo omnes tolerandam obsidionem et quoscunque casus decernebant. Magister autem praeter spem opinionemque suam obsidionem trahi, et oppugnationem suam nihil profectus afferre videns, veritus ne conatus sui ad irritum reciderent, cum et castrum situ esset forte, abluit enim illud et circumfluit pro magna parte Visla fluvius, aquis illic inflatus, et munitissimum, militum quoque magna defenderetur strenuitate, animum in dolos viribus nequaquam sufficientibus committit, et unum ex militibus ejus castri, vocatum Andream Czedrowicz de armis et familia Ripsonum ducens genus, auro corrumpit. Qui tradimentum ad quod conventus erat, exequuturus, chordas balistarum et omnia instrumenta bellica intempestae noctis silentio, violat, frangit et praecidit; et militibus castri dum novarum chordarum, et rerum, et instrumentorum ad defensionem ordinatarum non posset invenire instauratio, praecipuum genus impetendi hostes et repellendi eorum conatus enervat. Ex adiutore quoque factus transfuga ministerium quod praestiterat Magistro patefacit. Qua novitate Magister et universus exercitus exhilaratus, maiori ardore in castri expugnatione contendit, et turribus, castri moenia vincentibus extructis, eisdemque ad vicinum castri ab ea parte qua castrum flumine nudum est promotis, continua et valida impugnatione a telorum iactu experientia etiam prodenti videns se servum caput impetere. Castrenses autem etsi diebus aliquot impugnationi tantae corporibus oppositis restitissent, in periculum tamen ingens se videntes detrusos, ne gravius in se caſtro conquieſcere per Cruciferos conſuleretur, cum Magiſtro et Cruciferis paciſcuntur, ut Dominum ſuum Ducem Vuladiſlaum Lokthek de repellenda obſidione per ſpecialem Nuntium eis requirere et implorare liceat, quod ſi infra menſem non provenerit, ipſi caſtro ſalvis omnibus rebus et perſonis excedant. Verum nuntio tanti periculi ad Ducem Vuladiſlaum perlato, quamvis Dux Vuladiſlaus ſuccurrendum obſeſſorum periculo animum deſtinaſſet, Baronum tamen ſuorum ſaniori conſilio, qui vires hoſtiles ſuis ſuperiores noverant, et ſummam rerum in diſcrimen adduci delirum putabant, revocatus, Nuntium ad Swiecenses, ut ſibi qualicunque poterint ratione, ſi repulſa infra menſem non intervenerit, conſulant, remittit. Andream vero Caſtellanum Roſpergenſem gentibus ſuis in ductorem praeficiens, laturum obſeſſis ſuffragium, iubet quam celeriter ad Swiecie accedere. Qui negligentius iuſſa agens, et infirmum ſe ad ferendum laborantibus opem credens, nihil ſalutare aut memoria dignum agens, retrorſum, etiam non laceſſitus nec viſo exercitu hoſtili, abiit. Menſe itaque elapſo dum petitum et promiſſum non appareret ſubſidium, Caſtrum Swiecie poſt decem hebdomadas ex quo obſideri coepit, Magiſtro et Ordini deditum eſt. Et ambo Duces germani Przemiſlaus et Caſimirus, Bogumil Capitaneusque caſtri, Ottho Lexih inter Barones praecipuus, alii quoque multi tunc Pomeraniae Baronum et nobilium, fortunam ſuam increpantes, qua illos laevo ſydere et fraude deteſtandi Andreae Czedrowicz acciderat, cum rebus omnibus excedunt, Et ad Ducem Vuladiſlaum Lokthek non ſine profluvio multarum lacrimarum profecti, ab eoque benigne ſuſcepti, domicilijs et haereditatibus ſtatui ſuo cuilibet congruis, donati ſunt. In hunc modum per eum Ordinem, quem in ſolatia contra exteras et barbaras gentes Poloni advocaverant, quem quoque ex inope et pau[illegible] largitione et donatione Principum ſuſtulerant, Pomerania primum Regno Poloniae [illegible] cum ſtrage et interitu multorum millium hominum Polonici generis adempta eſt. Tales quoque fructus ex advocatione et fundatione Ordinis praefati referre coepimus.

Narrat

Maioris Poloniae Baronum animos Henricus maioris Poloniae et Glogoviae Dux, a se alienatos et sibi plurimum infenses propter nonnullorum rituum et iurium violationem intelligens, seditionem diutim glisentem compressurus, Janussium Comitem dictum Boberstheyn cum forti exercitu, non ex proprijs tantummodo sed etiam ex Almanys collecto, in partes Maioris Poloniae transmittet. Qui cum castrum Wlerzko primum obsidere coepisset, Dobrogostius de Schamotuli cognominatus Parunsz de domo Nalancz filius quondam Tomislai Palatini Poznaniensis, congregato ex Polonis notabili exercitu venit contra Janussium Boberstken et congressu inito multis utrinque cadentibus praefatum Janussium Boberstken conflixit et castris et omnibus spolijs suis potitus

Secundo Calendas Maij in oppido Kowale terrae Cuiaviensis, Ducissa et consors Vladislai Loktek Hedvigis filium Casimirum enixa est, cuius ortum et natalem singulari commemoratione dignum, futurae tradere aetati ratus sum, per illum enim ad legum instituta abrogatis abusibus Poloni reducti sumus, et florentem atque beatum statum eius ope et prudentia, quae etiam in puero eluxit, sortiti, cuius etiam cura, sumptu, et animo munifico Regnum Poloniae pulcherrimorum murorum fabrica exornatum est

Quinto Idus Decembris Henricus maioris Poloniae et Glogoviae Dux in Glogovia moritur, et in Lubensi Monasterio sepelitur, quatuor relinquens filios videlicet Henricum cui Zegan, Conradum, cui Olszna, Joannem, cui Stinavia, et Gora, et Przemislaum cui Glogovia, cum suis pertinentijs in divisionem cesserunt, Terrarum autem Maioris Poloniae nulli illorum contigit portio, Praelati enim et Barones Maioris Poloniae morte Henrici Ducis sequuta, renuerunt a filijs suis, quos videbant consilys et regimine Theutonicorum instinctos, ad id inflammari et conduci, ut universam gentem Polonicam extinguerent, et delerent. Quo effectum est, ut Gnesnae conventione generali habita Ducem Vladislaum Loktek in Dominum et Regem eligerent, principatu et dominio filiorum Ducis Henrici in totum abrogato, quatenus depravato Schismate, quo se a ceterys Regni Poloniae terris sequestraverant, sublato, facilius totius Regni Poloniae adunatio proveniret, Ea autem conclusione et decreto Praelatorum et Baronum maioris Poloniae non obstanti starti; cives Posnanienses Przemck civitatem Baronum Posnaniensium, Ducibus Glogoviensibus velut hostibus patere tradidit, et Ecclesiam maiorem Posnaniensem incastellaunt, praesidiumque in ea hostile admisit, perquod crudeliter nimis in Praelatorum et Canonicorum Posnaniensium domos fuit saevitum. Fueruntque omnes aedes eorum exustae; et Nicolaus dictus Schamotula presbiter civis Posnaniensis interfectus, Multa quoque damna alia et strages commissa, Praesidio autem huiusmodi per milites Poloniae depulso, fuit sancitum et laudatum, quod nemo ex filijs civium Posnaniensium ad dignitatis aut praebendas Ecclesiarum Cathedralium Regni Poloniae debeat promoveri vel assumi

Joannes altus Episcopus Plocensis moritur, dum annos quatuordecim sedisset et in Ecclesia Plocensi sepelitur. Cui Joannes Wraba succedit, a Praelatis et Canonicis Plocensibus via scrutinij electus, et per Janislaum Archiepiscopum Gnesnensem confirmatus et benedictus, nobili genere et actione de domo et familia Nalancz

Post varias seditiones divisionesque intestinas quibus Vngariae Regnum post mortem Andreae Regis afflictum est, alia quoque pernicie premi coepit. Frater Gentilis de ordine Minorum Sancti Martini in montibus Cardinalis, per Sedem Apostolicam, cui tunc Clemens quintus praesidebat, procurante Philippo Francorum Rege, cui stricta affinitate non iungebatur, ad pacificandum regnum Vngariae et ad stabiliendum thronum Caroli Marcelli missus, annis tribus et amplius, salutiferas admonitiones suas, quibus Barones Vngariae ad restituendum occupata per eos, et longo tempore possessa regalia, inducebat, contemptum et derisum iri animadvertisset, principales Barones Vngariae et hos praesertim qui maiorem rebellionem suis motibus offerebant, Apostolica authoritati damnat Anathemati, et eorum terras et dominia Ecclesiastico subijcit interdicto. Quo effectum est ut multa corpora morientium Baronum et nobilium Vngariae extra aedes sacras et Cimiteria, terrae prophanae mandarentur. Quo malo Vngari perculsi conventum in Pesth agunt, Vbi inprimis Vladislaum Woiewodam Transilvaniae coronam materialem, quam rapto, ut praemisimus Ottoni

Bavariae Dux, vastus fuerat, qui et ipse per Cardinalem praedictum, quod cum Stephano Serviae Rege Schismatico, data ei filia affinitatem iunxerat, excommunicationis vinculo innodatus erat, et omnes Barones reddere regalia Carolo Marcello, et ipsum veneratione regia et cultu prosequi compellunt. Quibus compositis et omnibus regalibus redditis, et interdictum cum Censuratis, relaxatione sublatum est, et Carolus praedictus in alba regali tunc primum ab ipso Cardinali unctus et in Regem Ungariae coronatus, solidum et pacificum Regni Ungariae regimen sublatis competitoribus et divisionibus cunctis adeptus est. Qui etiam processu temporis Mariam filiam Casimiri Teschinensis et Bithomiensis Ducis Poloniae, accepit in consortem, virginem tunc forma rara praestantem.

Eo anno in Italia Polonia Bohemia et Almania maximis tempestatibus coortis, tanta inundatio subsecuta est, ut multa oppida, villae et rura, simul cum hominibus et pecoribus perpetua alluvione absorberentur. Sol quoque ultima Januarij passus est Eclipsim, ex quo subsequuta est magna sterilitas vini et Bladi qualem nemo meminerat a praedecessoribus audisse. Prae inopia quoque panis et bladi herbas et radices ad trahendam vitam homines manducare compulsi sunt

Paternas iniurias Boleslaus Wratislaviensis Dux filius Henrici quinti, in filio Conradi Glogoviensis Henrico ulturus, movit illi bellum, et terram suam crebris invasionibus vastat, Henricus vero Glogoviensis satis animi ad resistendum habens, cum Boleslao confligit, et multis hinc inde cadentibus succumbit. Ea victoria Boleslaus Wratislaviensis Dux elatus oppidorum et villarum militibus suis donationes facit, curias insuper, choreas, et hastiludia celebrare caepit, et ad famam suae liberalitatis multis concurrentibus militibus, grandi aere alieno se involuit. Henricus autem Glogoviensis Dux praefatus, qui et ipse Regnum Poloniae obtinere nitebatur, cum esset a Praelatis, et Baronibus Poloniae maioribus, velut nepos ex sorore Poloniae Przemislai Regis Poloniae ad Posnaniensem et Calisiensem Ducatus assumptus, et ob id se non solum Glogoviensem Ducem, sed et Regni Poloniae haeredem titulabat, quinto Idus Decembris apud Glogoviam moritur,

tur, et in Lubens. Monasterio sepelitur. Quatuor filios ex Mechtilde filia Alberti Ducis Brunsvicensis relinquens, videlicet Henricum, cui pro sorte cessit Zeganum, Conradum, qui Olsznam, Przemislaum qui Glogouiam, et Joannem qui Stinauiam et Goram sortiti sunt. Posnaniensis enim et Calisiensis Ducatus pater eorum Henrico absumpto, filios qui Teutonicorū tantummodo sequuti consilia ab illis regebantur, pertesi, illico in Vladislai Lokthek consenserunt obedientiam, et facilius reintegrato corpore Regni Poloniae efficeretur. Inter filios autem praefati Henrici Glogouiensis Ducis, cum Przemislaus Glogouiensis Dux vigentioris esset ingenij, et prius eligeret mori, quam Joanni Bohemiae Regi, ad id illum et fratres suos stringenti subijci, veneno, a proprijs vasallis toxicatus, nullam relinquens ex se prolem interijt, et apud Lubense Monasterium requiescit. Cessit autem Henrico Zeganensi et Joanni Stinauiensi in commune Glogouia. Conrado ~~pro~~ Stinauia contentato. Sed illico Joannes Stinauiensis Joanni Regi Bohemiae mediam partem oppidi Glogouiensis se contingentem, non eodem anno, sed temporis processu vendidit, et Henrico fratri venditione huiusmodi multa dispendia subministrauit. Joannes Bohemiae Rex alterius partis, quae Ducis Henrici erat, Capitaneo largitione corrupto, exercitualiter versus Glogouiam aduenit, et Glogouienses ciues detrectantes eum ad possessionem totius ciuitatis admittere obiurgatos, ciuitatem a Capitaneo Henrici Ducis sibi contraditam ingreditur, et vniuersum Glogouiense oppidum per vim occupatum in suam redigit ditionem. Sub hac oppressione et grauamine Henricus Zeganensis Dux absumptus, et in Monasterio Lubens. sepultus. Filius eius vnicus eiusdem nominis Henricus, ternam iniuriam molestè tulit, adeo pa media partis Glogouiensis oppidi, ut pro recuperatione Joannem Bohemiae Regem et filium sibi in Regno succedentem Carolum continuis guerris et inuasionibus vexaret. Nec se habebat Carolus Bohemiae Rex cum notabili exercitu adueniens, et Glogouiensibus ciuibus ferre opem longo iam tempore ab Henrico lacessitis. Patrij autem occupationem alterius partis Glogouiensis oppidi vatis, prout erat prout erat, integram eam Henrico Zeganensi Duci suam ditionem et subiectionem profitenti, restituit, et diuturnam concertationem meliori compositione extinguit. Obeunti in super Joanne Stinaviensi, et oppido Gora, inter Conradum Olsznicensem, Ducem, patruum, et nepotem suum Henricum Zeganensem et Glogoviensem Ducem partito, Conradus praefatus Olsnicensis Dux ad grandaevam senectutem perveniens moritur, et in Zebnicensi Monasterio sepelitur, unicum filium Conradum relinquens.

ANNVS DOMINI MILLESIMꝰ TRECENTESIMVS VNDECIMꝰ

Universa terra Pomeraniae et castris eius Magister Carolus et Cruciferorum ordo dolo armisque expugnata, Baronibus quoque et militibus eius partim necatis, partim expulsis, Magister Carolus praedictus pro eius ampliori occupatione animum simul et curam intendit, et per Nuntios literasque Ducem Vladislaum Lokthek precatur, ut secum in loco competenti conveniat, super terra Pomeraniae, et eius occupatione placitaturus. Dux autem Vladislaus terrae Pomeraniae praedictae restitutionem et damnorum refusionem sperans, per aliquos tractatus et conditiones posse melius, quam per guerram componi, in conventionem cum Magistro et Ordine ob huiusmodi causam tenendam consentit. Tandem autem in Brzescz Cuiaviensi oppido, dum tam Dux Vladislaus cum Praelatis et Baronibus Regni Poloniae, quam Carolus Magister cum Commendatoribus suis convenissent, coepit Vladislaus Dux Poloniae, commemoratis multifariis beneficiis, a Principibus Poloniae Ordini impensis, per quae ab humili sorte atque tenui in eam amplitudinem atque substantiam pervenissent, gravius suas iniurias a Magistro et Ordine illatas, queri, quod crudeliter patrimonium suum et haereditatem terram Pomeraniae hostiliter, diffidatione non praemissa, oppidis et castris exustis occupassent, et quod in Baronibus et nobilibus aliisque fidelibus suis crudelem caedem aut exclusionem egissent, attenderent religionem suam, attenderent et vocationem, recentiaque sui avi Conradi beneficia, qui eos primum in regiones has accersivit, et donationes largas contulit, obliteratum iri non sinerent, neve cum praedicta haereditate Pomeraniae, in cuius defensionem adsciti fuerant, spoliare dignum ducerent, divinam ultionem si humana defuerint, quandoque contra se in compensationem

nem tot malorum effundendam habituri. Carolus interim Magister, nihil horum, quae obijciebantur, sciens valensq defendere, omnia enim sonora, et nulla caligine aut circumfusione velanda, nullo ingenio humano poterant refelli, supplicare Duci Vladislao et Praelatis Baronibusq Regni Poloniae, quam obiecta purgare nefanda, adversus, magno studio, maiori quoq calliditate flagitavit, ut terram Pomeraniae circa ordinem sinerent consistere, ut quoq ab eo et Ordine, tam terrae Pomeraniae quam damnorum illatorum refusionem, in auro et argento et pecunijs acceptam, insuper proprietatem ac titulum per patentes literas se profiterentur in perpetuum vendidisse et resignasse. Offerebat ad haec Magister et Ordo caenobium cuiuscunq Dux Vladislaus mallet ordinis, de numero quadraginta Monachorum, pro sua, suorumq progenitorum salute, data sufficienti dote, fundaturum. Castrum quoq Nyeszow cum villis Orlow et Murzinow restituturum, et pro qualibet sua et Regni Poloniae necessitate et guerra quadraginta lanceis suis damnis et expensis perpetuo serviturum. Non movit autem haec supplicatio oblatioq Vladislaum Ducem, sed ad indignationem stomachumq accendit, dum contra suam et consiliariorum spem, non terrae Pomeraniae restitutionem, sed quaedam levia et indigna videbat sibi offerri, Et proinde edito ad hanc supplicationem responso, quod nulla supplicatio, nullave oblatio ad venditionem terrae Pomeraniae posset eum permovere, tristes, inquit, defertis eleemosinas, iniqua sacrificia, provocaturi Deum in detrimentis quae de raptis et extu mihi hostes illi contigerit offerri, tristis et furibundus, et de recuperatione terrae et haereditatis suae Pomeraniae multa volvens, ex Brzescie discessit. Tenuitq ab eo die usq ad tempora Casimiri tertij Poloniae Regis et usq in annum Domini Millesimum, quadringentesimum, sexagesimum sextum, Ordo Cruciferorum Pomeraniam tyrannice et per iniuriam occupatam, ultra quam tanti ordinis conditio et Christianitatis religio postularet, donec miseratione divina operante, proprijs militibus, civibus et subditis, contra Ordinem consurgentibus, et annis quindecim Casimiro tertio Poloniae Rege assidue ordinem bello prementi, Regno Poloniae reddita et reunita est

Repulsum se, ac in petitione et spe sua Magister Prussiae Carolus spretum videns, magno tamen ardore ad occupandum terram Pomeraniae, propter portum maris, cuius iam inescatus erat largo introitu, ferventius curam et studium, ut quocunque titulo etiam phantastico eam sibi et Ordini approprient, et usurpet, intendit. Ad Voldemarum itaque Brandeburgensium Marchionem et nepotem suum Joannem, praedestinata animo exequuturus, Nuncios mittit, ut sibi terram Pomeraniae pro decem Marcarum millibus latorum grossorum vendat, et perpetua venditione inscribat, donet, et resignet, pacisciturus, nihil veritus ab eo se terram Pomeraniae petere, quem non longe transacto tempore, Polonorum et suis armis ab iniusta occupatione fugaverat. Voldemarus autem Brandeburgensis, pecuniam decem millium marcarum sibi per Magistrum oblatarum, pro lucro insperato et votivo gaudens offerri, cum sciret se et praefatum Joannem nepotem suum nihil iuris, proprietatis, et tituli habere, in venditionem et resignationem huiusmodi velut in rem non sui iuris ultro annuit et consentit, et pecunia decem millium Marcarum latorum grossorum in Slupsk, ut vero alii asserunt in noua halis per Nuntios et homines suos videlicet Peczkonem de Lessow, et Luthonem de Vuel, a Magistro et ordine accepta et numerata, terram Pomeraniae Magistro et Ordini per certi tenoris literas vendidisse se et resignasse profitetur. Illarum tenorem inserere libro huic operaepretium visum est, ut summa ambitio, summaque iniquitas, scelerata voluntas et vendentis dementia appareat, simulque constet, quam nefariis et exquisitis dolis fraudibus et ingeniis ad occupationem terrae Pomeraniae Magister et Ordo aspiraverit. Literarum itaque Marchionum Brandeburgensium, huiusmodi venditionem et resignationem testantium, tenor talis est

In nomine Domini Amen. Quoniam iuxta verbum viri sapientis, generatio praeterit, et generatio advenit, nihil stabile nihilque permanens est sub Sole, sed vanitati atque mutabilitati subiacent universa, et ne cum labentibus annis rerum magnifice gestarum et perutiliter, pariter labatur et aboleatur memoria, munificentias et libertates praesertim in pias causas, et loca religiosa collatas, scriptura convenit perpetuare. Nos igitur Voldemarus Dei gratia Brandeburgensis, Lusaciensis Marchio, tutorque Illustris Joannis Brandeburgensis Marchionis, ad universorum notitiam praesentium et futurorum cupimus devenire, attendentes quanta et qualia virtutum religionis ac devotionis bene-

ficia per religiosos viros Christi milites Magistrum et
fratres ordinis Hospitalis Mariae Theutonicorum, pervigi
lanti Athletae Christi, in suis membris, in Prussiae partibus
maxime, in plantanda extensione fidei Christianae et eiusdem
plantatae defensione, continue impendantur quemadmodum tam
eorum sanguis, qui pro Christi nomine signa sua militiae proprio
sanguine rubricantes, ad dominum emigrarunt, quam eorum
vita, qui in negocio fidei adhuc ferventis spiritu sub continua
expectatione martyrij pro aeterno gaudio gladios et tormenta
infidelium subire non metuunt, quotidiana facti evidentia
satis perlucide manifestat, Proinde ad barbarum fortitu
dinis Paganorum conterendum, et ob salutem et prosperum
atque pacificum statum Christi fidelium terrae Pomeraniae inco
larum, de nostrorum Consiliariorum sano consilio et con
sensu, ad laudem et honorem Dei, et gloriosae matris eius
virginis Mariae, et in remissionem nostrorum, ac progenito
rum nostrorum, peccaminum, ac etiam ut praefatorum fra
trum virtutum operum participemur, eisdem Christi mi
litibus, quorum spes virtus Deus est, videlicet Magistro
et fratribus ac eorum ordini, partem praedictae terrae nostrae
Pomeraniae, videlicet castra et civitates /Danszk, Dersoviã
atque Swetzam, nec non omnem terram circumiacentem
quae ad dicta castra ab antiquo pertinebat, pro decem
millibus Marcis Brandenburgensibus argenti et ponde
ris pure rite ac rationabiliter vendidimus et vendimus cum
castris, castellis, villis, munitis, Theloneis, vectigalibus, foris
cum agris cultis et incultis, vijs, invijs, pratis, pascuis, Sylvis,
nemoribus, lacubus, paludibus, venationibus, piscationibus,
borris, mellificijs, cum omni utilitate et fructibus, quae di
cta terra in praesenti percipi poterunt, in his, quae di
vam humano se repraesentant conspectui, aut quae super ter
endi sub ~~ter~~ terra futuro tempore apparebunt, aut qui percipi
in sale, plumbo, ferro, cupro, argento, auro, aut in cuiuslibet
generis metallo quoque nomine censeatur, et si in ea quomo
dolibet poterunt reperiri, cum omni dominio, iure, iudicijs, ac
proprietate in perpetuo libere possidendam. Quam nomina
tam pecuniam nobis recognoscimus esse solutam integra
liter, et ex toto et ad usus nostros et incliti Ioañis Marchio
nis Brandenburgensis cuius tutelam gerimus esse conver
sam. Saepedictam vero terram praefatis Magistro et
fratribus ac ipsorum ordini voluntarie resignamus, ipsosque
ac

ac ipsorum ordinem in possessionem eiusdem quietam et pacificam inducentes, cum omni pleno dominio et integrali libertate et proprietate renuntiantes Nihilominus pro nobis ac pro Illustri Joanne Marchione Brandeburgensi superius nominato ac pro nostris suisque successoribus et haeredibus legittimis in perpetuum omnium actioni, impetitioni, defensioni, exceptioni, omnibusque alijs privilegijs ac literis gratiam ac iustitiam continentibus iam impetratis seu etiam impetrandis, iam habitis, seu habendis, ac omnibus quae in posterum quocunque iure canonico vel civili absque amiculo contra praesens instrumentum de facto vel de iure possent obijci vel opponi, nihil prorsus iuris, dominij, utilitatis, advocatiae, patronatus, vel cuiuslibet alterius iurisdictionis vel potestatis, quocunque nomine possit appellari, nobis seu inclyto Joanni Marchioni Brandeburgensi et haeredibus seu successoribus nostris, in omnibus contentis in praedicta parte terrae nostrae sic venditae, retinentes, sed omnia et singula cum libertatibus et pleno ac integro iure proprietatis et possessionis et dominium, in praedictos Magistrum ac fratres et ipsorum ordinem in perpetuum transferentes. Insuper profitemur et recognoscimus nos saepedictis Magistro et fratribus, a Serenissimo nostro Domino Henrico Dei gratia Romanorum Rege et semper augusto, super huiusmodi nostro contractu, confirmationis literas impetrasse. Ut autem haec omnia piae donationis nostrae facta rata permaneant, ac inviolabilia perpetuo tempore perseverent, praesens scriptum super hoc confectum nostri sigilli appensione duximus roborandum, quod quidem dictus Marchio Joannes sui etiam sigilli patrocinio, cum ad annos aetatis legittimae deputatos pervenerit, confirmabit. Testes autem huiusmodi contractus sunt nostri fideles domini, Henricus de Regenstein, et Ulricus de Lindow comites, Ludolphus et Hasso de Wedele, Bernardus de Plozch, Henricus et Fridericus de Halvensleve, Droiseko de Cratze, Henricus Henningus, Henricus de Stegeli, Bernardus de Bruk, Henricus de Werben milites, Henricus de Grantzon praepositus, Olatho nostrae curiae protonotarius et quamplures alij nihilominus fide digni testimonio decorati. Actum et datum in curia Bredon Anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, In vigilia Beati Jacobi Apostoli.

Cresenti

Crescente in diebus illis Baronum Bohemiae contra Regem suum Henricum Carinthiae Ducem, indignatione et odio, seditione insuper militum, et rebellione populi, sensim gliscente, saepe Rex ipse Henricus invasioni hostili lacessitus, pluresque de suis Australibus pro eo militantibus aut caesos aut captos videns, in castro Pragensi, superne prospectans suorum et hostium certamina, se concludebat. Acceperat in sui tutelam et defensam novorum militum ex Austria supplementum, non enim aliter etiam intra parietes constitutus a fraude Bohemica rebatur securus. Barones autem Bohemiae dum aperta rebellione dolisque contra Henricum Regem saepe tentatis, serius arcuerent, ad alia ingenia aliosque dolos rursum conversi, Henricum septimum Romanorum Regem, Comitem de Lucemburg qui propter praestantiam morum, virtutum, et actionum suarum, quibus alios illustres et in principatu constitutos, antibat, Alberto Romanorum Rege et Duce Austriae, scelere et impietate germani nepotis Joannis occiso, ad imperium concorditer fuerat surrogatus, in civitate Spirensi tunc agentem, et causis adventus sui, discriminibusque Regni Bohemiae, quibus collisione intestina attritum est, expositis, precibus et persuasionibus plurimis excitarunt, ut filium suum Joannem, quartumdecimum annum tunc agentem, Elizabeth virginem, filiam olim Venceslai secundi, et sorori Venceslai tertii Regum Bohemiae, ad quam Regni Bohemiae ex pluribus respectibus venit successio et haereditas, matrimonialiter coniungat, et de regno Bohemiae investiat imperiali iure, et uxoris sorte, Henrico Carinthiae Duce, universis Bohemis infesto et exoso eiecto, illic regnaturum. Henricus autem Romanorum Rex, ad singula quae Bohemi deposcebant persuaso, Elizabeth virgo vigesimum sextum annum agens, in Spiram adducitur, et nuptiis iuxta magnificentiam Regiam celebratis, praefatoque Joanne de Regno Bohemiae iure Imperiali investito, ipsum cum sponsa nova et gentibus armatis, adiungens illi Petrum Maguntinensem Archiepiscopum, et quosdam comites et Barones Almaniae, pro faciliori Henrici Bohemiae Regis exterminio, Bohemiam remittit.

Rei

Qui cum Pragam perveniens, illam obsidione cinxisset, Henricusque Rex Bohemiae resistentiam opponeret, fraude tamen civium Pragensium Nonis Decembris, portis civitatis apertis, Joannes Comes Luzemburgensis cum omni gente secum militante in Pragam receptus est. Henricus autem Rex Bohemiae videns fraudibus et dolis Bohemicis undique se septum, altiora discrimina, et sui status dedecus veritus, castro Pragensi cum consorte Margaretha et suis omnibus intempestae noctis silentio excedit, in penatibus suis Carinthiae securius degere mansurus. Pragenses autem civitatis caeterae exemplum secutae omnes deditione facta, in Joannis comitis Luzemburgiensis obedientiam venere. Ipseque Joannes Comes Baronibus Bohemiae id procurantibus et sollicitantibus pridie Nonas Februarij in Regem Bohemiae, consors vero sua Elizabeth in Reginam per Petrum Moguntinensem Archiepiscopum inungitur, et in Ecclesia Pragensi coronatur. Qui a tempore coronationis praedictae, Baronibus Bohemiae ad illum instigantibus, se non solum Bohemiae sed et Poloniae titulabat et gerebat Regem, quamvis nullum jus Regni Poloniae, electionis, vocationis, aut successionis quantumlibet remota, sortiri illum contigerat. Ex eo tempore usque ad Sigismundum Imperatorem Bohemia per annos ferme centum viginti sex in potestate Luzemburgensium fuit, sub illisque et praesertim sub Wenceslao quarto in varias haereses atque errores prolapsa est, quos sub diversis regibus et annis multis, ut in sequentibus narrabimus, tenuit, practicavit, et dogmatizavit

Primarius Litthuanorum Dux Wittenen, omnibus suarum gentium copijs collectis et ordinatis, terras Prussiae sub carnisprivij tempore ingressus, magnam partem per caedes et flammas redegit in desolationem et favillam. Captis autem quingentis animabus in Litthuaniam prospere, praedis spoliorum et captivorum onustus, reversus, idolis suis, de fortuna quae illi apud Prussiam contigerat, gratias agens, quasi Dii illi eorum propitiationem contulissent, holocausta et libamina offerebat. Commendator interim de Hensberk uno agmine, et quinque Commendatores altero agmine diversoque itinere Litthuaniam

niam, furentes et bilem gestantes, ingressi, singula quae occurrebant, nulli deferendo aetati, conditioni, vel sexui, aut occidunt, aut exurunt, et tam Ducem Lithuanorum Vithenen, quam gentem suam post actam expeditionem vacantem comessationi et voluptatibus gravissime perturbant et lacessunt. Lithuani autem decernere non ausi, magno captivorum numero potiti, in Russiam absque incommodo reversi sunt. Eam vastationem Dux Lithuaniae Vithenen, ultum iri satagens, quatuor millibus pugnatorum, facto ex caeteris delectu, comparatis, in vigilia Ramispalmarum Prussiae oram intrat, et cuncta ferro et igne caedendo, praedasque agendo usque ad Brunsberch grassatus, Ecclesias Dei, vasis et clenodijs suis spoliatas, dat in flammam, Divinissimum vero Eucharistiae Sacramentum in terram cum ignominia proiectum, ore et pedibus obterit, conspuit, et conculcat, exprobrans captivis Christianis Deum eorum, cui cultum et honores divinos exhibent, se disperdidisse. Maxima itaque caede et incendijs in Catholicos debacchatus, Magistro et Cruciferis pugnam detrectantibus, in Lithuaniam pellens captivorum magnam multitudinem et spoliorum supellectilem regrediebatur. Cum autem stativa in via sylvarum ad collem in limitibus terrarum consistentem locasset, recogniturus et inter suos divisurus captivos, adducunt, et virginibus atque mulieribus quae solae absque viris et matronis mille quadringentarum numerum explebant, caepit illudere, quaerens an nossent ubi eorum Deus consisteret. Iubens autem sacrarium ex Crutenorum terris, in quo Sacramentum Corporis Iesu Christi claudebatur, receptum, adferri, fracto sacrario, prophana manu, divinissimum Eucharistiae Sacramentum exceptum, ante pedes virginum et aliorum captivorum proiecit, quod nefandissimo ore conspuens et spurcissimis pedibus calcans atterebat, cum ea contumelia atque probro, En deum, quem colitis et invocatis, sub vestris oculis conteri, non valentem neque mihi, resistere, neque sibi aut vobis cultoribus suis auxiliari, vester me illum conculcante et conterente. Iam Dij mei potentiores sunt, quorum adiutorio prosperor, et quorum nutu vos captos et vinctos detineo, quibus satius est honorem et cultum divinum, quam vestro exhiberi. Hij improperijs et contumelijs sauciati, et nec quicquam contra barbari principes rationem habere velut captivi ausi, suspirijs et fletibus immensis, quos magnitudo doloris pro iniuria sui conditoris eliquabat, barbari superbam arrogantium contumeliam tacite precabantur. Non tulit superna Maiestas diutius blasphemari nomen suum, altera siquidem die diluculo octavo videlicet Idus die Martis mensis Aprilis, Supremus Magister Henricus de Plotzk cum octuaginta millibus, fratribus de ordine et forti aliarum gentium propriarum et externarum numero Ducem et exercitum Litthuanicum in eisdem statiuis quibus nomen blasphemaverat divinum, consequutus, pugnam acriter conserit. Et licet Litthuani aliquandiu fortiter restitissent, ad extremum omnes victi fugatique sunt. In fugientes vero et victos acriter saevitum, neminem servari placuit, singuli captivorum aut in patibulum acti aut vinclis suffocati, ex tanto Litthuanorum exercitu, nemo praeter Ducem et duos eius comites, qui et ipse in capite vulneratus, aufugit. Cruciferi tam victoria quam castris et spolijs hostium potiti, solutis etiam suorum captivorum agminibus clarius in domos reversi, in memoriam tam famosi triumphi, Monasterium Sanctimonalium in Thorun fundant, fabricant atque dotant. Egit et alteram Commendator de Brandeburg in Litthuanos expeditionem, et vastato destructo Scogrodin, necnon Duce Litthuaniae tam Litthuanos quam Samagitas continente in armis cogereter confligere, citato agmine discessit. Egit et tertiam in Litthuanos eo anno Magister Henricus de Plotzko expeditionem, et secunda Julij Litthuaniam ingressus, ferro et igne districtum Salseniken vastans etiam tria castra illic conquirit, et incendit. Datis autem multis militibus Litthuanorum in stragem septingentos in captivitatem ducens, superato Memel, duodecim fratribus desideratis, qui per insidias Litthuanorum, dum Cruciferi flumen Memel traijcerent, occisi sunt, regressus est.

Clemens Papa quintus in Avinione tunc

agens, perpendens Magistrum et fratres, totumque ordinem, domus Teutonicorum Beatae Mariae de nigra Cruce, in Prussia et Livoniae partibus constitutos, plures crudelitates in varias Catholicorum provincias, perpetrasse, Joanni Archiepiscopo Bremensi et Magistro Alberto de Mediolano, Canonico Ravennatensi, Capellano suo, tam horrendorum facinorum, per literas Apostolicas committit inquisitionem, et examen. De quibus caedem per ipsos fratres in civitate Regni Poloniae Gdansk factam, et alia teterrima scelera commemorat. Quarum literarum tale habetur in Rigensi Ecclesia originale, in quo triginta et unus articuli contra eosdem fratres conscripti, deducuntur.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Venerabili fratri Joanni Archiepiscopo Bremensi, et Dilecto filio Magistro Alberto de Mediolano Canonico Ravennatensi Capellano nostro
Salutem et Apostolicam benedictionem

In vinea Domini licet immeriti cultores positi et custodes, sic in ipsius cultura salubrique custodia nos debemus ministeriis exercere, ut in ipsa infatigabiliter operantes extirpandis vitiorum spinis et peccatorum tribulis, quae superserum eius interim obumbrare conantur, nec non plantandis virtutum germinibus, in quibus altissimus delectatur, fervore spiritus et diligenti sollicitudine intendamus ipsam ab illis praesertim oppressionum discriminibus tueamur, quae sub pietatis specie clanculo subintrantes difficilius praecaventur. Sane tam praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum quam nostris continuatis successivis temporibus exclamatione valida et insinuatione famosa ad audientiam Sedis Apostolicae est deductum, quod praeceptores et fratres hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, ad hoc solum per sedem eandem in Rigensis Liuoniae et Prussiae prouincijs constituti, ut Ecclesias ac personas Ecclesiasticas aliosque Catholicae fidei professores, vallo fortitudinis munientes ipsos a Paganorum et Schismaticorum tueantur incursibus, et ad dilatandum ibi Catholicae fidei nomen et cultum iugiter elaborent in grauem proh dolor nostri Redemptoris iniuriam, fidelium cunctorum opprobrium, et eiusdem fidei detrimentum, facti sunt hostes domestici, et familiares sunt redditi inimici. Non insurgentes pro Christi nomine aduersus hostes, sed in eorundem fauorem, quod stupor auditibus, varijs calliditatum generibus, dimicantes, potius contra Christum, ad id praecipue prout euidentia facti ostendere dicitur intendentes ut Ecclesijs omnibus earumque facultatibus, alijsque bonis fidelium, dictarum partium, eorum usibus applicatis, in rerum amplitudine contabescant. Propter quod dimissa Christi militia, imo contra Christi fideles armis nequitiae, bellum miserabile conserentes, nonnullos Archiepiscopos qui fuerunt pro tempore, aliosque Praelatos et personas in dignitatibus constitutas illarum partium, non absque iniectione manuum in ipsos, timore Dei postposito temere violento detestabili et sacrilego ausu, capere, diris mancipare carceribus, et alias diuersas graues corporales afflictiones inferre damnabiliter praesumpserunt. Sic de xiiij Ecclesijs suffraganeis quas Ecclesia Rigensis Metropolitana partium earundem habere consueuerat, septem totaliter deleuerunt, septem alijs in tali statu dimissis ut plus sint dedecori et pudori decentiae pastoralis, quam si penitus non adessent. Nam de quatuor earum eiectis Canonicis in eis Canonice institutis, fratres sui ordinis pro Canonicis in dictis Ecclesijs locauerunt, quos in eisdem de facto instituunt et destituunt sicut volunt, et tres eorum confratres pro Canonicis se gerentes eligunt in Episcopos, quos ijdem Praeceptores fratres mandant de suis confratribus eligendos. Ele

cti

Et vero taliter, falsa, imo verius, confirmatione nulla obtenta, se faciunt consecrari, nullam obedientiam eidem Rigensi Ecclesiae eorum Metropoli facientes. In residuis autem tribus Cathedralibus Ecclesiis vacantibus, intrudunt personas quas volunt, etiam minus dignas, de quibus per potentiam suam abusivam electionem faciunt celebrari, et de modo et forma electionum huiusmodi, nulla examinatione praemissa per antedictos fratres suos sui ordinis, pro Episcopis se gerentes, electos huiusmodi in Episcopos faciunt consecrari, omnia bona earundem Ecclesiarum, quae insignes consueverant habere Pontifices possidendo, et magnas earum facultates, redditusque abundantes propriis usibus, non absque periculoso earundem Ecclesiarum dispendio, enormiter applicando. Sicque ut liberius in praedictam Metropolim et Ecclesias, praelatos, provinciam et partium praedictarum valeant saevire, eorumque municiones, castra, terras, iurisdictiones et iura propriae subiicere ditioni, eisdem Paganis nequam, amicitiae foedere unientes, ac publicum eis adversus dictos fideles impendentes auxilium, consilium, et favorem, ferrum, arma, equos et alia mercimoniorum genera, per quae dicti Pagani fideles eosdem possint acrius impugnare, vendunt, et per alios ipsis vendi permittunt. Quodque gravius est, iidem praeceptores et fratres non solum a confinibus eorundem Paganorum, in quibus contra illorum incursus debuissent se murum defensionis opponere, in detrimentum fidelium recesserunt, sed quoddam castrum Rigensis Ecclesiae eisdem Paganis pro certa quantitate pecuniae venundantes, regnum Lettoviae, quod quondam Rex Lettoviae ad fidem Christi conversus, prolem non habens legitimam, eidem Ecclesiae Rigensi contulerat pro animae suae salute, dictis Paganis non absque iactura multitudinis innumerosae fidelium dimiserunt. Cuius occasione, duae solemnes Cathedrales Selonensis videlicet et Ruthenensis Ecclesiae, consistentes in regno praedicto totaliter sunt deleti. Quibus castro et regno praedicto ad manus dictorum infidelium taliter devolutis, dicti Pagani a locis confinium repulsis fidelibus, magnam partem dictarum provinciarum tunc fidelium multitudine populosam, in solitudinem redegerunt, eisdem fidelibus partim peremptis gladio, partim eorundem Paganorum miserabili iugo suppositis perpetuae servituti, quodque detestabilius est, si quando iidem Praeceptores et fratres offendendi Paganos, sub cuiusdam umbrae pallio, velint ostendere se gerere voluntatem, illos fraudulenter impugnant, ut ex eorum facto fideles atrocius impugnentur, eosdem Paganos ex tenuis praedae damno modico, ad destruendum reliqua castra eiusdem Rigensis provinciae, pravis nocendi artibus irritantes.

Fertur etiam de ipsis execrabile facinus, dictu nephas, quod cum Rex Paganorum cum suis subditis fuisset ad fidem Christi conversus, ac diversos Episcopos successive et Presbyteros saeculares, ac fratres Praedicatorum, et nostrorum ordinum in toto Regno suo ordinasset ad extirpationem errorum, et illuminationem et plantationem Orthodoxae fidei permansuros, iidem Praeceptores et fratres, proh pudor, velut eiusdem fidei subversores, quosdam eorundem Episcoporum, Presbyterorum, et fratrum inde deiici, quosdam vero interfici, latentibus et occultis studiis procurarent, et taliter Pagani etiam ad fidem conversi, lumine veritatis abiecto, errores proh dolor pristinos resumpserunt, et sic quondam Catechumenorum Ecclesia Cathedralis in dicto Regno consistens, cum sua civitate et Dioecesi non absque multorum fidelium animarum et corporum deplorando periculo, miserabiliter sunt deleta. Populum etiam Christianum terrae Semigaliae, habentem Episcopum et Presbyteros Orthodoxos, qui eis Ecclesiastica Sacramenta ministrabant, iidem Praeceptores et fratres totaliter deleverunt. Nobiliores eiusdem terrae, quos ad convivium invitarant vant, proditionis nefandae et miserandae saevitiae, mutilatione capitum perimentes, reliquam multitudinem populi dictae terrae, ultra quam centum millia utriusque sexus ad terras Paganorum crudeliter profugarunt, dictique fideles, eorundem Paganorum, in depressionem fidei, perpetuae sunt redditi servituti, Propter quod Episcopatus Samigalliae qui septem dictas amplas Dioeceses obtinebat, totaliter de medio fuit sublatus, Et ut omnino impediatur ampliatio fidei in partibus praelibatis, et ~~propanum~~ praedicandi verbum Dei facultas subducitur. Ex quo cum fratres ordinis nostri in castro Brunsberg eiusdem Rigensis dioecesis, praedicationi dictorum Paganorum insistentes, verbum Dei continue disseminarent, ac frater quidam dicti Ordinis iugiter per Paganos discurrens virtute verborum et operum coruscando, diu quolibet multos Paganos cognitione verae fidei illustratos, sacro regenerationis lavacro innovabat, eisdem fratribus minoribus de dicto loco ignominiose deiectis, eundem locum funditus destruxit, nullos omnino eiusdem verbi praedicationi insistere permittentes, Ecclesiasque, oratoria, et capellas, pro Neophitis aedificare non permittunt, ita quod dicti Neophiti in rudimentis fidei non instructi, ac in Ecclesiis cum Orthodoxis participium non habentes, nec in fide, nec moribus fidelibus sunt conformes, pessimum etiam ritum eorundem Paganorum sectantes, confratres suos, si quos contingit interdum in hostili congressu vel conflictu aliquo vulneribus sauciari, contra morem eiusdem fidei Orthodoxae, priusquam expirent, impietate quadam saevissimae feritatis extinguunt eorum corpora, flammarum incendio concremando. Ac ut praemissa et alia eorum detestabilia scelera, eiusdem Sedis Apostolicae effugiant notionem, universos fideles, clericos, et laicos, cuiuscunque dignitatis aut status existant, ad exponendum querelas de ~~ipsis~~ ipsis, tantarum persecutionum necessitate cogente, ad Sedem Apostolicam eam accedentes, crudeliter persequuntur, mortem eis per se et alios inferendo, sicut hec in personis quondam Magistri Alexij Doctoris decretorum, plebani Thorunensis, et aliorum quamplurimorum, quos redeuntes a Romana curia, ad quam venerant contra eos quaestum, crudeliter occiderunt, dicitur liquido apparere. Nec dum finem premissis enormitatibus imponentes, sed mali esse boni credi sub pallio ignorate nequitie cupientes, passus et itinera debita, per qua de civitate Rigensi exitus et reditus ad eandem quadam necessitate inevitabili patet, ea faciunt custodia detineri, ut non nisi personis quas volunt, gressus ex ea pateat vel regressus. Sicque dicta civitas exitum et reditum liberum non habentes, eiusdem obsidionis anguste dispendia cogatur deplorare. Ad quam quidem obsidionem preclusis itinerum quorumcunque vestigijs fortius angustiandam, quoddam castrum a superiori parte ac portum Monasterij Dunamundensis Cisterciensis ordinis, eiusdem Rigensis Diocesis, in quo eadem Rigensis Ecclesia ius obtinet patronatus, ab inferiori parte eiusdem civitatis consistentes, absque quibus civitatem eandem nec per terram nec per maris vestigia aliquis potest ingredi vel exire, quodam illicito emptionis titulo, cum Monasterij alienatio sacris sit prohibita Canonibus, et etiam ipsius Monasterij Dunemundensibus per pie memorie Gregorij Pape IX predecessoris nostri privilegium speciale, cuiuslibet alienationis contractus sit specialiter interdictus, temeritate propria occuparunt, et detinent occupata, propterque in eisdem provincijs in quibus Ecclesiam suam, fetu nove prolis ad fidem conversa Dominus ampliabat, familiari peste interiorem exercente sevitiam, non solum fides radicata et fundata non proficit, sed ex persecutione domestica nisi celeri occurratur remedio, nomen ibi deperit Christianum. Novissime ad nostrum perlatum auditum, quod dicti preceptores et fratres Hospitalis eiusdem Dilecti filij nobilis viri Uladislai Cracovie et Sendomirie

dominicæ Crucis terram hostiliter subintrantes, in civitate
Ruansi ultra decem millia hominum gladio peremerunt,
infantibus, vagientibus in cunis mortis exitium inferentes,
quibus etiam hostis fidei pepercisset. Iidem quoque præce
ptores et fratres quamplura alia detestanda dicuntur com
mittere, quorum series se nimis extenderet, si singulariter
singula præsentibus clauderentur. Nos igitur qui di
sponente Domino, eiusdem dominicæ vineæ regimini præ
sidemus, desiderantes, ut in ea virentes, virtutum palmi
tes coalescant, succisis tribulis vitiorum, attendentes
quoque quod præmissa, quæ de dictis præceptoribus et fra
tribus referuntur, ut pote perniciosa et nostræ fidei con
traria, imo cunctorum Christi fidelium cordibus inimica,
sub dissimulatione transire salva conscientia nequiramus, con
siderantes etiam, quod in talibus debitæ correctionis differre
remedium, nihil esset aliud, quam licentiam delinquentibus indul
gere, discretioni vestræ, de quorum circumspectionis
industria plenam in domino fiduciam obtinemus, hortan
das attendi duximus et monendas, vobis per Aposto
lica scripta districte præcipimus, mandantes, quatenus
ad partes illas seu ad loca illarum partium, quæ vobis
pro executione huiusmodi negotij videri poterunt ma
gis apta, vos personaliter conferentes, et habentes præ
oculis solum Deum contra prædictos præceptores et fra
tres eiusdem hospitalis, in dictis provincijs et partibus
consistentes, super præmissis omnibus et singulis, nec
non super articulis quos sub bulla nostra vobis desti
namus inclusos, ac super alijs criminibus et excessibus
super quibus vos inveneritis publice diffamatos inquira
tis diligentius veritatem, eaque diligenter et sollicite in
quisita, quæcunque inveneritis, in scriptis redacta ac suffi
cienter instructa, nobis sub sigillis vestris procuretis
fideliter intimare. Cæterum castrum et Monasterium
Dunemundense, quod dicti præceptores et fratres, ut
præmittitur, ~~super~~ sub cuiusdam emptionis colore detinent
occupatum, per eosdem præceptores et fratres facientes
expeditum, et liberum omnino dimitti, ipsumque ad eius
dem Sedis beneplacitum, præfata Sedis nomine teneri ac per
personas

personas idoneas et fideles, quas ad hoc eligendas in diocesi vestra prospexerint, faciatis cum diligentia custodiri. Ut autem ad praemissorum executionem eo liberius intendere valeatis, quo maiori fueritis per nos authoritate muniti, vobis invocandi ad praemissa omnia et singula exequenda, ubi et quando expedire cognoveritis, tam Praelatorum quam etiam Principum et aliorum saecularium, cuiuscunque conditionis vel status existant, vel quacunque dignitate praefulgeant, auxilium et succursum, contradictores quoque et rebelles, nec non testes, quos ad hoc duxeritis convocandos pro excommunicationis, suspensionis et interdicti, nec non privationis privilegiorum eisdem concessorum a sede praedicta, sententias compescendi, tam de duabus dietis in concilio generali, quam de aliquo extra civitatem et Diocesim nisi in certis exceptis casibus et illis ultra unam dietam a fine suae Diocesis ad iudicium non vocando, et alijs quibuscunque constitutionibus, quae vestrae possent in hac parte iurisdictioni, vel potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare. Aut si testes quos ad hoc evocari contigerit, fuerint Praedicatorum, vel minorum, vel aliorum ordinum quorumcunque, vel si praedictis ordinibus a praedicta sede indultis existat, quod Praedicatorum ordinum fratres ad perhibendum testimonium in quibuscunque causis vel negocijs compelli non possint, seu si dictis Praedicatori et fratribus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari suspendi vel interdici non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet alijs indulgentijs et literis Apostolicis quibuscunque in quacunque forma verborum concessis, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta praemissorum executio posset quomodolibet impediri nequaquam obstantibus, plenam vobis concedimus, tenore praesentium, facultatem. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Avinione xiij Calendas Iulij Pontificatus nostri anno quinto. Anno Domini Millesimo Trecentesimo Undecimo.

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS DUODECIMUS

Mutilato Regno Poloniae, et magna et nobili sui corporis terrae videlicet Pomeraniae portione, Duci quoque Vuladislao Lohtek spiritum obiter gerenti maestum et afflictum, altera quoque illi afflictio subministrata est. Albertus namque Cracouiensis advocatus, cum civitatis Cracouiensis consulatu et Magistratibus, regimen et Principatum Ducis Vuladislai moleste ferens, quod et taliis, exactionibus, angariis, pro administrandis bellis, quibus impetebatur, eos premeret, et furum, praedonumque flagitia, per quae viae solitam securitatem amiserant, non coerceret, cum Boleslao Opoliensi Duce, missis Nuntiis et initis clandestinis tractatibus, de dedenda Cracouiensi civitate componunt. Is namque, quae secum directa compositaque erant, exequuturus, congesto notabili exercitu, Cracouiam possessurus advenit, et ab Advocato Consulatuque et universa Cracouiensi civitate portis apertis susceptus est, cum omni subiectione et honore. Castrum tamen Cracouiense quod in fide Ducis Vuladislai manebat, quamvis molientibus civibus, nulla arte aut ingenio poterat redigere in suam ditionem. Propter quod in domo Alberti advocati praedicti, valvae, quae ad Sanctum Nicolaum ducit, contigua, recollectus, aliquanto tempore Cracouiae mansionem firmavit. Vuladislaus autem Dux periculi damnique gravitate plurimum angustiatus, quid sibi in tam perniciosa novitate exterminium status sui redolente, agendum esset, consultabat. Omnibus autem quamprimum periculum rescindendum, et congregatis tam militarium, quam agrestium copiis Cracouiensem urbem obsidione arcendam suadentibus, Dux ipse Vuladislaus saluberrimo usus consilio, exercitum quidem fortem Cracouienses obsessurus, congregare non negligit, legatos tamen ad Boleslaum Opoliensem in Cracouia consistentem mittendos de pace tractaturos, cum certis mandatis, quibus suasit agere in occu

panda aliena urbe animus sanari posset, primum censuit,
cum notabili exercitu eos subsequens ultorem et occupatorem
ne civitatis redderetur obsessurus. Hi cum ad praesentiam
Boleslai Opoliensis Ducis Cracoviam advenissent, et man
data Ducis Uladislai, quibus illum ad excedendum de
haereditate sua requirebat exponerent, petentes ut sorte
sui Ducatus contentus, infame turpeque quod sibi putaret ad
levem civium Cracoviensium auram Cracoviam venisse, et
eo superstite, filio insuper suo Casimiro in spem successionis procreato,
illam usurpare posse, corrigeret, dum nondum funestus Mars
inter utrosque desaeviret, et capita mutaret in melius, sibi quoque
documento esset quam irato molestoque animo sui patrimonii oc
cupationem esset laturus. Sin vero in sententia persisteret, pro
maiori se illum quam Albertum advocatum et cives Cra
covienses per quos in id sceleris adscitus sit, hoste habiturus.
Boleslaus autem Opoliensis Dux eorum omnium, quae in
evictionem oppugnationemque suam composita erant non igna
rus, submisse ac modeste Nuntiis respondet. Adventus
quoque sui in Cracoviam et occupationis eiusdem causas in
Albertum advocatum et cives Cracovienses retorquet, asse
rens se nihil hostile aut moribus suis indignum egisse, et Cra
coviensem urbem ad persuasionem Advocati et civium Cra
coviensium venisse, cuius dum sibi iuxta spem promissam iu
stum non sentit provenire imperium se de illa sine cuiusquam
laesione et iniuria ad penates suos excessurum. Nec respon
sionis remoratur effectum veritus ne a Duce Uladi
slao et exercitu suo occupatus, captivitatis aut fugae
dedecus exciperet. Sed Alberto Advocato Cracoviensi
et aliquibus civibus Cracoviensibus, qui se noverant
pro suis fore factis premendos, metu gravi illos premente,
cum se nossent per defectionem maiora commisisse, quam
quibus posset ignosci, assumptis in Opol regreditur, fre
mens dolensque quod cum eisdem Alberti Advocati et civium
verbis fide praestita, se occupationi Cracoviensis civitatis
non sine sui grandi obtrectatione et infamia miscuerat.
Uladislaus autem Dux Cracoviam cum militum frequen
tiori numero quam solitus erat ingressus, advocatiae Cra
coviensis omnes reditus et introitus, molendinorum, ma
cellorum et camerarum, domorum, et aliorum locorum ha
bentur

bentium largam suppellectilem, sua Ducali mensa attribuit et infiscat. Aliquos autem cives Cracovienses seditionis praefatae authores, in horrorem patrati sceleris ut essent pro exemplari et cautela futurorum comprehendit, et eius per vicos tractos in patibulum aut rotam egit. Ex domo autem Advocati arcem erigit et in valva Sancti Nicolai turrim extollit atque illic militum collocat praesidium, vacillantem caeterorum Cracoviensium civium fidem, arce illa et praesidio, fidam sibi de caetero effecturus.

INSIMULATUS etiam est licet falso Joannes Muscata Episcopus Cracoviensis, eo quod natione Vratislaviensis et Slesita esset, tradimenti praedicti conscius fuisse, et in Vladislai Ducis exclusionem, Boleslai vero Opoliensis admissionem, cum Alberto advocato et civibus Cracoviensibus formaliter et expresse consensisse. Et ob id plures persequutiones et odia in persona et bonis Ecclesiae suae crebro, et captivitatem per Vladislaum Ducem interpretatam pertulit, nec castri et districtus Lucz possessionem et restitutionem, de quo per Ungaros, regente illud Abbate Tinciensi spoliatus fuerat, quodque tandem ab Ungaris resignatum fuerat, poterat promereri. Praefatus autem Albertus Cracoviensis advocatus nec in Opoliensi oppido sibi tutum consistere ratus, cum et illic saepius tam a Duce quam a nobilibus et civibus pro fraude in Dominum suum naturalem commissa, non probris solum varijs sed et captivitate squalida et diuturno tempore perpessa laceraretur, tristis et maestus Oppolia excedens, in Pragam se contulit, atque illic cum coniuge et liberis pannosam et miserabilem vitam, scelus quod in Dominum suum Ducem Vladislaum Lohtich commiserat, frequenti sermone et memoria increpans et damnans duxit

Concilio generali Clemens quintus apud Viennam congregato, ordinem templariorum qui annis circiter centum octuaginta quatuor duraverat, propter inauditam, et quam nec dici fas est, praeuaricationem et infamiam, aboleuit, et destruxit. Bonaque temporalia eiusdem Ordinis Hospitali Sancti Joannis Hierosolimitani, et alijs religionibus concessit Anno vero sequenti in duorum Cardinalium ad id specialiter missorum praesentia, Magister templariorum cum nonnullis eiusdem Ordinis Commendatoribus, Parisijs igni publico undecima mensis Martij die, crematus est, Cuius causa post publicata est, quae fuit prophana professio cum abnegatione Christi et exspuitione super crucem, in opprobrium crucifixi, prout plures eorum confessi sunt

Henrico de Ploczsko Prussiae Magistro de officio cedente Henricus de Trir, qui et Carolus appellatus successit, qui castro Cristmemel prope Ragnetam in confinijs Litthuanorum ad fluenta Memel aedificato, ad fulciendum illud naues et homines quadringentos cum victualibus transmittit quarum plures coorta tempestate perire. Duae expeditiones eo anno in Litthuaniam, una quidem per Magistrum contra castrum Bisen itinere terrestri, altera per Wernerum Commendatorem de Ragneta nauali classe per fluuium Memel contra castrum Morgist acta, parum attulere profectus, nam praeter paucos captiuos et spolia nullo effectu uterque exercitus potitus est. Egit et tertiam Henricus Marsalcus sed cum sua et exercitus sui pernicie ingenti, nam castro Bisen inconquisito relicto, in tres districtus Wedichat, Miadnichi, Cruwrzin et Czymierzany adiit, in quibus castro ignobili Sirdetin expugnato, hominibus singulis in abdita syluarum dilapsis, in tecta innocua per dies plures saeuiebat, sub quibus exercitus suus nusquam locorum victualia reperiens magna fame coepit vexari. Qua inedia inualescente redire per spatium centum et amplius milliarium coactus multos de suis inedia extinctos amisit. Sed et si qui domos uno die viginti milliaribus iter agendo attigerant, auidius quam stomacho debili conueniebat, esca sumpta, extinguebantur. Miserat et Dux Litthuaniae praefectum suum Surminum virum ingeniosum et callidum cum centum nauium classe contra castrum Cristmemel, qui naues Cruciferorum varias in flumine Memel reperiens incendit, tandem a Cruciferis ex castro cum eo confligentibus victus trecentis quinquaginta de suis amissis, cum reliquis eadem in classe vectus Litthuaniam refugit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS TERTIVSDECIMVS

Fraude et furore Alberti aduocati, et aliquorum civium Cracouiensium, qui sceleris patrati erant suscitatores, et capita condigna animaduersione expiata, caeterae multitudini, quae magis contagione quam deliberata voluntate insanierat, a Duce Vladislao Lokthek parsum est. Cum nonnulli eorum, nec tunc quidem nosse viderentur, quo audaciae progressi fuerant, quid quoque facinoris in principem, quid in patriam, quid in parentes, et liberos moliebantur. Veritus autem Dux Vladislaus, ne furoris extincti aliquando scintilla in flammam proditura resurgeret, potentiam ciuitatis in eligendo consulatu Magistratibus restrinxit, ut quo truncatior illis esset authoritas, eo minus in Principem rebellionis calcitrationisque ederent. Mulctat itaque Vladislaus Dux ciuitatem Cracouiae iure eligendi Consulis, quae in illam diem erat illi perhennis, et eam Palatino Cracouiensi pro tempore existenti attribuit, ordinans atque constituens, ut non solum in decedentium Consulum locum viros spectatae et singularis virtutis et prudentiae, ex ciuium Cracouiensium numero deligat, sed etiam decernendi potestas circa illum consistat, qui consules annis singulis urbem regere et in Consulatu praesidere, resque urbanas administrare quotannis debeant. Eo itaque modo Consulum Cracouiensium creatio et ciuitati adempta et in Palatini Cracouiensis ditionem translata est. Grassabatur, et assiduus furor Vladislai Principis recrudescebat in Albertum olim Cracouiensem aduocatum, in eam [illegible] progressus, ut ultionem ab absente, quam non poterat fuga interueniente a praesente, exigeret. Villam enim optimam Lyanthowicze non longe a fluuio Srzyeniawa sitam, et uberem glebam habentem per uxorem Cunonomiri et filium eius Monasterio Miechouiensi in primordio eius fundationis donatam nullo alio interueniente demerito, nisi quia idem Albertus a fratre suo germano tunc Praeposito Miechouiensi temporali donatione obtinebat, volenti et iniusto arbitrio, a Monasterio Miechouiensi abstulit, et fisco Ducali appropriauit. Ab eo quoque tempore Monasterium Miechouiense villa praefata castratum est

Octauo Calendas Maij Dux sanctissimus sic prudens et iustus, furum, praedonum, et malefactorum vir acerrimus persequutor, et hostis, Boleslaus Mazouiae filius, Semouiti filij Conradi Mazouiae frater, patruelis Ducis Vladislai Lokthek in Visegrod moritur, et in Ecclesia Plocensi sepelitur, tres superstites filios relinquit Semovitum Troydenum et Vankonem qui sibi in Ducatu Masoviae successerunt, derelinquens, Duas in vita uxores sortitus, unam Litthuanam multum honestam ex qua Semovitum et Troidenum et unam filiam progenuit, Alteram Bohemam ex qua unum filium Venceslaum qui et Vanko apellatus est, et unam filiam suscepit. Quem Boleslaus Opoliensis Dux sequutus, dum et ipse in Opoliensi castro obiit, in Monasterio minorum sepultus. Post Oppoliensem Vulgadyslaus filius Ottonis Ducis Calend. Januar. consumit.

In Apostolorum Sanctorum Petri et Pauli, qui in diem Dominicum eo anno cadebat festo, Henricus Septimus Romanorum Rex et Comes de Luczemburg sumpta corona apud Mediolanum duabus civitatibus Verona et Cremona expugnatis, murisque earum et turribus demolitis, uxore quoque sua Margaretha filia Ducis Brabantiae apud Januam, dum obeunti apud Minores sepulta, Romam venerat, per Hostiensem Episcopum Nicolaum, et duos alios Cardinales ex Avinione per Clementem quintum missos, in Ecclesia Sancti Joannis de Laterano, Roberto Siciliae Rege potenti gentium armata Ecclesiam Sancti Petri et Burgum ei contiguum, in illius ignominiam et adversitatem occupante, in Romanorum Imperatorem benedictus, unctus, et coronatus est. Sub ipsa autem Coronationis die et alijs subsequentibus diebus, quibus Henricus Imperator Romae demoratus est, crebro inter Imperatoris Henrici, et Regis Siciliae Roberti gentes proveniebant strages et certamina, nonnullis Romanis partes Regis Roberti enixius adiuvantibus, Unde evenit ut et Leodiensis Episcopus et Abbas Vizenburgen. et plures alij de parte Imperatoris insignes milites in seditionibus huiusmodi animas profunderent, et si qui caperentur Romani passim gladio aut aquarum suffocatione plecterentur. Tandem Henricus Imperator Roma egressus Florentiam suum detrectantem Imperium obsidere contendit. Cuius dum expugnationi intenderet, obsessique praesertim de vulgari populo fame premerentur, in sacro die Assumptionis Beatae Mariae Virginis, qui in feriam sextam inciderat, pro devotione sua Sacramento Altaris volens refici, per hostiam sibi pro Sacramento, per quendam fratrem ordinis ut fama fert Praedicatorum ministratam venenatus, sive ut aliorum habet verior assertio naturali aegritudine de pustula sub dextri cruris genu, exorta, quae Anthrax vocatur, vexatus, apud Bonumconventum pagum xij miliaribus a Senis distantem occubuit. Cuius morte sequuta Florentinae civitatis obsidio soluta est, et cadaver suum Pisas delatum, in Pisarum maiori Ecclesia magnifico et excellentiae Imperiali convenienti cultu sepulturae mandatum est. Post cuius mortem varia gerebantur in terris Imperij disturbia. Vir nunquam elatus prosperitate, nunquam deiectus adversitate, imperavit annis circiter quatuor, mensibus octo et diebus decemocto. Joannes insuper filius suus Bohemiae Rex ex eo tempore insanire et insolenter Bohemiae Barones Proceres milites et nobiles contemptui habere caepit, praeferens alios quoslibet Almanos, et universos Bohemos habens ludibrio, conferens officia et Magistratus in Suevos et Rhenenses, et Bohemos ab eis excludens. Cam contumeliam hanc Bohemi iniquo animo ut par erat ferentes ipsum de Regno Bohemiae turpiter eiciunt, et propulsant, Regina Bohemiae Elizabeth in Praga apud se retenta.

Apud castrum Maurum, supra Rodanum, Clemens Papa quintus moritur et inde corpus suum transportatum fuit Carpentoratum, ubi curia fuit, et exinde Vasconiam transvectum et sepultum in Ecclesia Sanctae Mariae de Uzesta Vasatensis Dioecesis in villula minus insigni. Sedit annis octo, mensibus decem, diebus quindecim. Hic Petrum de Morono olim Caelestinum Papam sub nomine Sancti Petri Canonizavit, et vacavit sedes annis duobus, mensibus tribus, diebus decem et septem. Nam licet Cardinales numero viginti tres morte Clementis sequuta apud Carpentoratum civitatem conclave ingressi ad electionem futuri Pontificis procedere statuissent, dissidijs tamen subortis electionem irritam reliquerunt, et vacavit sedes annis duobus, mensibus tribus. Hic composuit Clementinas

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS QUARTUSDECIMUS

Non contentus Carolus Prussiae Magister et Ordo Cruciferorum temporali dominio terrae Pomeraniae, Duci Vladislao Lokthek contra ius phasque violenter ablato, in ea quae divinitati et Ecclesijs dicata sunt, famescentem ambitionem extendunt, et decimas quae in omnium frugum, quae iuxta consuetudinem vetustam in manipulis Archiepiscopo Gnesnensi, et Vladislaviensi. Posnaniensique Episcopis caeterisque Monasterijs, Praelatis, et beneficiatis Dioecesum praedictarum annis singulis solvebantur, abrogat, et in pecuniales vix vicesimam partem eorum, quae prius importabat, valentes, redigit, prohibens de quolibet manso culto et possesso, de quo ante occupationem suam ~~dec~~ decima manipuli reddebatur, non nisi duos scotos usuales pro decima per colonos reddi, sua vero et omnium Commendatorum atque Curiarum praedia a solutione cuiuslibet decimae etiam pecunialis decernit esse penitus libera et exempta. Quasdam insuper villas Ecclesiarum et Monasteriorum Dioecesium praedictarum proprietati et dominio suo applicat et usurpat, Ex quo mensarum Archiepiscopalis, Episcopalis, et Monasteriorum aliorumque beneficiorum inferiorum introitus plurimum extenuati et in perpetuam quandam maciem redacti sunt, nonnulla quoque beneficia cum titulis suis perere Verum etsi Gnesnensis Archiepiscopus, Vladislaviensis quoque Episcopus, in cuius Dioecesi fere universa terra Pomerania consistit, Posnaniensis etiam Episcopus et alij Monasteriorum et beneficiorum rectores, defensione ecclesiastica usi, Magistrum et Ordinem in genere speciesque et villarum rusticos, pro tam enormi iniuria et beneficiorum suorum laesione censuris Ecclesiasticis percellerent, subijciendo etiam quaedam loca Ecclesiastico interdicto, Magister tamen et Ordo appellationibus ad sedem Apostolicam interpositis se tuebantur, et vigorem censurarum eludebant, atque sub huiusmodi appellationum praesidio continuatis ausibus in usurpationem eorum quae iuris divini et Ecclesiarum erant, vehementius grassabantur, non cum hominibus tantummodo sed cum ipsa quoque divinitate et caelicolis in expletionem suae avaritiae bellum gerentes. Ea quoque tempestate Culmensis Ecclesia in pluribus et notabilibus villis, quas illi Regum et Principum Poloniae munificentia donaverat, per Magistrum et Cruciferos damnabiliter spoliata est

Electores Imperij pro eligendo Imperatore post mortem Henrici agentes in Francfort supra Maenum convenientes, in discordia vota scissi, discordem electionem confecerunt, et Archiepiscopus quidem Coloniensis, Henricus Rudolphus Comes palatinus Rheni, et Saxoniae Dux Fridericum Austriae Ducem Alberti olim Romanorum Regis filium, altera vero pars videlicet Ioannes Bohemiae

Bohemiæ Rex filius Henrici Imperatoris, Petrus Maguntinus, Balduinus Treuerensis Archiepiscopi, et Vuoldemarus Brandeburgensis Marchio, Ludouicum Ducē Bauariæ in Regem Romanorū eligunt. Et Ludouicus quidem Bauariæ Dux per Electores partis suæ Aquisgranum deductus, a Moguntinensi Archiepiscopo Petro coronatur. Fridericus vero Austriæ Dux ab Henrico Coloniensi Archiepiscopo huius coronationis accipit insignia. Ex quo Imperij Principibus in duas partes diuisis et vnoquoq suam partem enixe promouente, varia hinc inde inter partes consurgebant bellorū discrimina. Prælio autem campestri inter Ludouicū Bauariæ et Fridericum Austriæ prope Moludorff commisso, quamuis a parte vtraq acerrime æquo Marte aliquantulum pugnatum esset, vtraq pars cum maximis copijs in prælium descenderat. Ludouico tamen Bauariæ, quem Joannes Bohemiæ Rex cum gentibus suis Bohemis personaliter adiuuabat, cessit victoria adeo insignis, prospera, et famosa, vt etiam Fridericus Austriæ Dux competitor suus in Romanorum Regem electus, captus et viuus in potestatem suam veniret. Ab eo quoq tempore Ludouicus Bauariæ Dux possessionem eorum, quæ Imperio debentur, sortitus, Romanorum regnum liberius securiusq administrauit. Fridericum quoq Austriæ Ducem competitorem suū de iure regni, et munitionibus, quæ sibi obedienter erant, cedentem, iuramento fidelitatis et subiectionis ab eo exacto a captiuitate absoluit.

Circa natalem Domini Cometes apparuit, cursumq suum circa polum in nocte faciens, longam comam suam, nunc in Occidentem nunc in Orientem, aliquando vero in Austrum et Aquilonem porrigebat, durauitq vsq ad finem mensis Februarij. Anno post apparuit et alter Cometes in parte Orientali, qui sicut minor erat priori loco ita et duratione. Tres etiã simul lunæ in cælo apparuerunt.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVINTVS DECIMVS

Bello

Bellis externis et commotionibus domesticis paulisper in Regno Poloniae sedatis, famis omni bello atrocior, Poloniae regiones invasit. Dum etenim nivibus ultra solitum terram occupantibus veris dies supervenisset, fruges terrae mandatae a calore vernali paludamento nivis opertae depastae extinctaeque sunt. Ex qua coeli inclementia contagione famis ad universos pervolante plures ex agrestibus afflixit, plures atrocitate sua confecit

Annos pubertatis Henricus et Vladislaus Duces filii Henrici quinti Vuratislaviensis Ducis transgressi, fratrem suum Boleslaum sentientes coeptam prodigalitatem in donando et expendendo non remisisse, Vuratislaviensem Ducatum magna importunitate obtinuerunt sibi partiri, quatenus fraterna prodigalitas in solius Boleslai verteretur, non in commune discrimen. Iuxta autem numerum Ducum tres designatae sunt partes, una Vuratislaviensis, secunda Legnicensis, tertia Bregensis, ea tamen conditione apposita, quod is qui Vuratislaviensem portionem sortiretur, quadraginta octo marcarum, is vero qui Legnicensem, triginta duo marcarum millia, ei soli cui Bregensis obtingeret, esset propter inaequalitatem portionum, superadditurus. Quod cum a Ducibus probatum fuisset, Boleslaus ad habendas pecunias aspirans, Bregam praeter sortem accepit, reliqui duo Henricus et Vuladislaus sortiri portiones designatas iussi, Henrico obvenit Vuratislaviensis, Vuladislao Legnicensis. Et Henricus quidem Vuratislaviensis pecunia apud militares et cives Vuratislavienses mutuata, fratrem suum Boleslaum Bregensem, de quadraginta octo millibus marcarum iuxta ordinationem divisionis exsolvit, Dux vero Legnicensis Vuladislaus natu iunior et qui in Ecclesiasticam sortem aspirans, in Subdiaconi gradum erat promotus, non valens pecuniam conquirere, Legnicensem civitatem Boleslao Bregensi fratri in triginta duobus millibus marcarum obligat, cum quo velut germano et manere et cibum capere et conversari una simul in Legnicz coepit

Exercitu forti et numeroso Samagitae congesto, subito Raznetham aggressi obsidione cingunt, pro

Quorum repulsione etsi Cruciferi et ceteri castri Ragnethe deffensores, vario congressu adnitebantur, casi tamen et victi a Samagitis dimicatione, turri tantummodo manica contenti, omittunt, Samagittae etsi longum tempus in obsidendo exegissent, cum castri expugnationem intelligerent difficilem, quod probe a Cruciferis defenderetur, conculcatis segetibus, quae usque ad maturitatem pertingebant, omnia etiam in circuitu vastant, et exurunt, ac in domos regrediuntur. Samagittarum ceptum Lithuaniae Dux Vithenem adiuturus, cum frequenti Lithuanorum, Samagitarum, et aliarum gentium numero, Prussiam veniens, castrum Cristmemel obsidione vallavit. Ad cuius expugnationem provisione bombardarum, decem et septem diebus varios conatus intendit. Dum autem durant, milites ab Henrico Prussiae Magistro missi penetrare et ad obsessos ingredi omni ingenio contenderent, a Lithuanis casi et usque ad unum omnes obtruncati sunt. Quod ubi Henricus Magister comperit, contractis tam equestribus quam pedestribus copijs, sex millium armatorum, adversum illum ire pergit. Sed Lithuanorum Dux certior ab exploratoribus factus Magistrum Prussiae adventare, obsidione soluta in sua se recepit. Quem Magister Henricus consequi non valens, in terras nihilominus hostiles Lithuaniae se contulit, et plures de Lithuanis aut occidit aut capit, Regressusque ad castrum Cristmemel, quicquid per barbaros erat ruinatum, instaurat.

Quamvis post obitum Clementis quinti Cardinales ad substitutionem Summi Pontificis procedere, conclave apud Carpentoratum ingressi fuissent, ob grandem tamen turbationem illic exortam inde recesserant, et in diversis civitatibus aut villis amplius quam annis duobus stabant. Diligentia tamen Philippi Comitis Pictaviensis fratris Regis Franciae, qui super hoc anno et dimidio laboraverat, apud Lugdunum sunt congregati, et in conventu fratrum Predicatorum Apostolorum Petri et Pauli inclusi, quadragesima in vigilia ab inclusione videlicet septima die mensis Augusti Jacobum de Caturco ex fratre Arnaldo Episcopum Portuensem Cardinalem concorditer eligunt, qui Joannes vicesimus secundus est appellatus, Nonis Septembris in Lugdunensi Ecclesia coronatus. Ex Lugduno curiam in Avinionem transfert, et Sanctum Ludovicum Episcopum Tholosanum ordinis minorum, filium Caroli secundi Regis Siciliae et patruum germanum Ludovici Ungariae et Poloniae Regis canonizat septimo Idus Aprilis apud Avinionem. Anno quoque sequenti praedecessoris sui Clementis constitutiones ordinat publicari et ad studia generalia transmitti. Anno vero Millesimo trecentesimo vigesimo quinto, decimo Calendas Maij Beatum Thomam Clerfordensem Episcopum Theologiae et Canonum Doctorem canonizat. Huius tempore Ludovicus Dux Bavariae in Romanorum Regem electus, missis ad Joannem Papam nuncijs, rogabat ut Romam ad coronandum eum personaliter venire dignaretur. Sed Papa Joanne iustam excusationem opponente, Ludovicus ipse in Italiam accendens, de consilio suorum et quorundam Romanorum, absentiam Papae molestius ferentium, Antipapam alium creavit, appellavitque Nicolaum. Quem Joannes Papa legittimus propter scandalum et errorem Scismatis ex malignitate inductum anatematizavit, una cum praefato Nicolao Antipapa et sequacibus suis, Bavariae terram Ecclesiastico subjiciendo interdicto

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS SEXTUSDECIMUS

Maturum et longa expectatione digestum tempus, divisione praesertim intestina ex morte Henrici Slesiae et Glogoviensis Ducis sublata, et terris Maioris Poloniae videlicet Posnaniensibus et Calisiensibus, in unam Monarchiam, a qua vivente Henrico Duce Glogoviensi praedicto, pestifero scismate exciderant, redactis, Vladislaus Lokthek Dux et dominus Monarcha Regni Poloniae coronari ratus, quo eidem Regno sui decoris et excellentiae posset restitui imago, simulque de recuperatione terrae Pomeraniae, de qua se per elemosinarios suos fratres Cruciferos de Prussia spoliatum gemebat, sollicitus, communicato Praelatorum et Baronum Regni Poloniae consilio, Gervardum

Vladislaviensi

Vuladislauiensem Pontificem, virum singularis et ra
~~ra~~ ra prudentiae, et ferventissimum patriae, ad cuius com
moda sese natum educatumque, depromebat amatorem,
ad Summum Pontificem Johannem vicesimum secundum
in Avinione tunc tenentem sedem, qui post biennalem
sedis Apostolicae propter discordiam inter Cardinales e
xortam vacationem eo anno electus fuerat, decernit
transmittendum, suapte legationis huius munus ad
rescindendas et patriae et suae Vladislauique Cele
sis graues atrocesque iniurias a Cruciferis de Prussia
datas, ut dictum exuberantes, deposcentem. Etiam
in instructionibus mandatum est, ut Ducem Vla
dislaum Lokitek, cui fere omnium Ducatuum Regni
Poloniae esset successio, strenuitate et animositate subli
mem, industria vero, prouidentia, disciplinaque milita
ri ceteros suae aetatis Duces excellentem, Summus Pon
tifex in Poloniae Regem Diademate Regio decerne
ret coronandum, subueniretque Summus Pontifex sta
tui Regni Poloniae multipliciter colapso et coronatio
ne huiusmodi contra barbaras et vicinas nationes
illud infestantes, priorem resumpturo vigorem. Item
ut Magistrum et Ordinem Cruciferorum de Prus
sia, terram Pomeraniae nuper per violentiam a regno
Poloniae abstractam et temere occupatam reddere,
et de illa cedere Apostolica authoritate et censura
compelleret. Hac enim via, Regno Poloniae superio
ribus guerris et intestinis dissidijs debilitato et
quassato, et nondum in robur vitale erecto, pro recu
peratione terrae Pomeraniae aptior commodiorque visa est.
ne occupatio dictae terrae, dum armis et materiali
gladio expediri rescindique pro illa tempestate non po
terant, saltim Ecclesiastico gladio, praesertim ne per
diuturnitatem firmarent, rescinderetur. Cruciferi
quoque nossent acceptam iniuriam et terrae Pomeraniae
occupationem Polonis curae esse, et ex cordibus eam
ipsorum nunquam abolendam. Instructionibus
autem verbo dictis, etiam litera Praelatorum et Ba
ronum Regni Poloniae ad Summum Pontificem et Car
dinalium coetum titulata superadditae sunt, ut ma
gnitudinem earum rerum pro quibus Gerwardus E

piscopus

Episcopus mittebatur, et fervorem mittentium sermone et scriptura germanica testarentur

Marsalcus Prussiae Henricus de Polczsk Saxo genere ex proprio tantummodo milite exercitu collecto Lituaniam ingressus, districtum Pasow vastat et exurit, et quingentis Lituanis captis, Prussiam reversus, plures milites ex Reno in Linsbeck gratia exercendae in barbaros militiae offendens, alteram iter in Lituanos expeditionem egit, destruendumque Medeniky ingressus, castro Bisen conquisito et exusto, octuaginta quoque Lituanis qui illic reperti erant, necatis, etiam districtum Medenicense continua vastatione et incendiis redegit in favillam. Magister deinde Prussiae Henricus cum maioribus copiis Lituaniam repetens, castro inferiori Gardenen expugnato et exusto, cum superius probe defenderetur, dum Lituanos ad congressum intelligeret cogi non posse, exercitu quadrifariam diviso, populationem, vastationem, et incendia iussit latius extendi. Effectum est, et plures numero districtus Lituanorum ad eam diem intacti, et incensi et vastati sunt, et captivorum longus ordo congestus. Dum autem spoliis et captivis Christianorum exercitus subfarcinatus ex Lituania rediret, Prussiae Marsalcus pedibus iter, quo propositum suum fieret secretius conficiens, ad Jungedam castrum diluculo perveniens, illud si arbitrabatur facili ob soporem et negligentiam Lituanorum intercepturum. Sed dum spe sua frustratus castro tantummodo inferiori exusto, regrederetur ad suos, a Lituanis illum persequentibus invasus est. Multis autem utrinque occisis, si qui de parte Marsalci superfuerant densitate sylvarum tecti, manus Lituanorum effugiunt. Frugibus autem ad maturitatem pertingentibus, intrat iterum Marsalcus Lituaniam, et duobus castris Pistin et Jungedam expugnatis et exustis, omnia etiam sata aut conculcat aut adurit. Eam ulturus molestiam David praefectus castri Lituanorum Garten, cum octingentis armatis Prussiam invadens, districtum Vurnstorff, igne, caedes, spolia et captivitatis hominum, devastat, Hunc Commendator de Cappow, dum rediret, assequutus certamine inito, et captivos ab eo liberat. et quinquaginta quinque occisis, ceteros in fugam agit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS DECIMUS SEPTIMUS.

Cognito Magister et Ordo Cruciferorum de Prussia Gernardum Vladislaviensem Episcopum ad Summum Pontificem, et pro dirimenda controversia cum Duce Vladislao Lokthek et ad querendum de eorum temerarijs ausibus et factis Avinionem transijsse, coeperunt vehementius solliciti esse, ut utriusque rei praepedirent consummationem, et exactione quidem de universis terris quas occupaverant, pro administrandis et exequendis ijs, quae adversus missionem Gernardi praeparaverant de una terra Pomerania, quamvis ex recenti bello languida et pannosa, solum usualium a marca exigendo, triginta marcarum millia habuisse feruntur, Ijs quidem et alijs pecunijs, ex portu Gedanensi et mercibus naufragio periclitatis, quas lege, quae appellatur Rsodia, extunc usurpare coeperunt, sub breviusculo tempore rescorum coaluerunt, creveruntque in immensum, crescentibusque opibus, animus suapte temerarius et insolens in maiorem superbiam erigebatur. Missis itaque in Avinionem Nuntijs qui propositiones et querelas Regni Poloniae frivolis et sinistris responsis eluderent, alios Nuncios ad Joannem Bohemiae Regem cum donarijs et largitionibus magnae importantiae transmittunt, et precibus sollicitant et facile inclinant. Cumque proceres Poloniae pararent Vladislaum Lokthek in Regem erigi, ne in Regno illum suum et Regni sui futurum habituros Hostem, cum et ipse posset ius Regni Poloniae iustius quam Vladislaus petere, ratione consortis suae Elisabeth quae filia erat Wenceslai Bohemiae et Poloniae Regis illum legittime contingente. In hanc sententiam Nuncij Regis Bohemiae Joannis Avinionem missi, petitionem Regni Poloniae per Gerwardum Vladislaviensem Episcopum factam, privatim et publice impediunt, et pluribus respectibus Regnum Poloniae ad Joannem Bohemiae Regem, qui etiam illius titulo in hanc diem fungebatur, astruunt devolutum, offerentes se loco et tempore singula quae proposuerant et allegaverant probaturos.

Cicetus propter multiplices transgressiones iustas et legittimas Joannes Comes de Lutzeburg Bohemia Rex a Baronibus et militaribus Bohemia, evictionem suam ignominiosam ulturus, contractis Almanorum et Supranter Suevorum auxilijs, adiuvanti etiam illum Boleslao Bregensi et Legnicensi Duce, Bohemiam ingreditur, et eam igne, spolijs et caede pervastat. Cui Vilhelmus Zayecz occurrens primum Suevos confligit, deinde et Joannem Bohemia Regem solatys Suevorum nudatum expellit. Joannes ipse Rex pro gestis Bohemorum indignatus, qui Den thomis in primis haberet acceptos, Regnum Bohemia multis expost calamitatibus subiecit, et omnium fere Bohemorum odijs in eum concitatis, plurimis contumelys et probris conditio sua et nomen per Bohemorum protervos lacerabatur. Subibat quoque animos Bohemorum magna poenitudo, quod virum Alemanici sanguinis suapte sibi et linguario eorum Sclavonico infestum, scabrosis quoque moribus plenum, in Bohemia Regem delegissent, iam tunc in eorum perniciem grassantem, et amplius nisi sibi ex templo consuluerent grassaturum

Tanta eo anno fames Poloniam et Bohemiam invasit, ut matres filios angustiata comederent. Lupi insuper famem evasuri in obvios quosque, etiam tensas portantes, balistas, irruerent, et perniciores clarissime devorarent.

Quintadecima die mensis Decembris Maria consors Caroli Ungaria Regis, et filia Casimiri Polonia Ducis Theschnensis, Bitomiensis, in Themeswar moritur, et in alba Regali sumptu regio tumulatur. Cuius morte sequuta Carolus Ungaria Rex Beatricem filiam Henrici Romanorum Imperatoris, et germanam Joannis Bohemia Regis in secundum matrimonium superduxit, quae et ipsa vix anno vitam producens, fatis intercepta, apud Varadinum sepelitur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS DECIMVS OCTAVVS

Tadeus

Tactus gravi et intrinseco dolore Vuladislaus Legnicensis Dux, filius Henrici quinti Vratislaviensis Ducis, quod sortem suam et Ducatum Legnicensem, germano suo Duci Boleslao Bregensi in triginta duobus Marcarum millibus vigore divisionis inter fratres celebratae, debitorum, obligasset, cum eo pannoso et egeno existente Boleslaus et Legnicensem et Bregensem sortem haberet, guerrandum contra Boleslaum Bregensem Ducem fratrem suum, nequiorum consultorum seductus consilio, duxit. Ratus per guerram fratrem Boleslaum et debitum relaxaturum pecuniarium, et fratri de Legnicensi Ducatu cessurum. Quantis itaq; potuit amplioribus et Legnicensem proprium, et Bregensem fraternum, Ducatus, rapinis, spoliis, incendiis et praedis devastat. Cuius temeritati Boleslaus Bregensis Dux validam resistentiam opponens, cum et milite praestaret, sumptu, et armis, conatus suos perfringit, et saepius fusum fugatumq;, tandem comprehendit, et in carcerem in Legnicensi castro coniectum, dimidio anno in pedibus et manibus alligatum detinet captivum. Agentibus demum communibus amicis fit reconciliatio, inter eos, eo pacto, et conditione, ut Boleslaus Bregensis Dux, Legnicensem Ducatum in pecunia sibi decreta teneat, et Vuladislao fratri annis singulis quingentas marcas, quibus statum suum ducere posset, solvat. In hoc foedere a captivitate Vuladislaus Dux Legnicensis solutus, nihil de iis quae pepigerat, servans, Boleslaum Bregensem Ducem, asserens illum largas et multiplices largitiones promisisse, graviter et moleste impetit. Quo promissionem negante, coactus est Boleslaus Bregensis Dux, arbitris et Baronibus communibus decernentibus, per triplex iusiurandum facere purgationem. Dum itaq; Vuladislaus Legnicensis Dux secus sibi omnia cessisse quam speraverat vidisset, phrenesim haurit, et delirans, militi cuidam, qui castrum Horusberg situm in montibus habebat, se adiungit, et ex castro huiusmodi cum explicatis profugis

gis, et aere alieno gravatus, praedas agere in Legnicensi et Bregensi Ducatibus coepit. Sed dum in villas Iankow et Vuirbin in terra Bregensi sitas, spoliaturus illas, impetum fecisset, a rusticis, qui pro sua securitate, centum armatos conduxerant, captus est, cum viginti complicibus, et Boleslao Bregensi Duci praesentatus. Qui cum illum iterum in vincula trusum, anno integro in Legnicensi castro detinuisset, tantam tamque ingentem phrenesim induit, ut et seipsum, et singulos sibi ministrantes, conaretur occidere, nemoque illi auderet propinquare. Mitigata tandem phrenesi et vinculis dimissus, nunquam stabilem tenuit gradum, sed delirantis in modum cum uno vel duobus comitibus, nunc apud Ecclesiasticos, nunc militares, aut scultetos hospitalitus vescebatur. Sub hac quoque mentis alienatione et vesania, aliquanto tempore versatus, tandem ad animum sui compotem redierat.

Opponente Gervardo Vladislaviensi Episcopo in curia Romana tunc in Avinione constituto, super iniuriis Ecclesiae suae, a Magistro et Ordine de Prussia, debitam defensionem, et praedictos Magistrum et Ordinem tum propositionibus publicis in Apostolico consistorio editis, tum monitoriis poenalibus a Sede Apostolica, in restitutionem eorum, quae in decimis, et villis, mensam Vladislaviensem contingentibus, in terra Pomerania occupaverant, directis, debita animadversione percellente, Magister et Cruciferi cum in Episcopum saevire non possent, in suos conceptam depromunt crudelitatem. Et Paulum eiusdem Gervardi Episcopi in terra Pomerania procuratorem, in villa Sobkowo capiunt, et carcerali deputatum custodia longo tempore tormentant. Qui diros cruciatus et captivitatis molestias volens evadere, trecentas marcas pro sui liberatione iuxta depactationem numerata pecunia Magistro persolvit. Conceperat enim summus Pontifex Ioannes vicesimus secundus, et ex Gervardi Vladislaviensis Episcopi, et aliorum multorum instructione, grave odium in Cruciferorum ordinem pluribus praevaricationibus laborantem, adeoque illum execrabatur, quod illum iuxta ar templariorum exterminare disponebat

Absumitur eo anno Joannes Wrabia Plocensis Episcopus, octo annis in Pontificatu exactis, et iusto honore apud Plocensem Ecclesiam sepultus, Florianum de Koscielecz natione Cuiauiensium accepit successorem, ex peste Epidemia infectus, quae vniuersum Poloniae Regnum grandi infestatione vexabat. Erat autem Florianus ipse genere nobilis de Stirpe et domo Atrnorum, electione Capitularium substitutus, et a Janislao Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus et consecratus, de speciali annuentia et fauore Venceslai alias Vuanconis Mazouiae Ducis

Solutio denarij Sancti Petri pro lampadibus per Casimirum primum Regem Poloniae Romanae Ecclesiae et eius pontifici repromissa, quae in id tempus per fundos reddebatur, collectoribus Apostolicis agentibus, innouata est. Licet enim ab exordio institutionis ipsius de domo et familia qualibet, tres tantummodo denarij vsuales, et auenae cribrum soluerentur, huiusmodi tamen consuetudine abrogata, sancitum est, vt de quolibet capite coloni et rusticani hominis vnum denarium annuatim exsoluant vsualem, quae etiam in diem hanc et vsque in aetatem nostram continuantur

ANNVS DÑI MILLESIMꝰ TRECENTESIMVS DECIMVS NONVS

Concertatione super iure et titulo Regni Poloniae coram Joanne Papa XXII° et consistorio Apostolico per Geruardum Vuladislauiensem Episcopum, pro Vuladislao Poloniae Duce, et Monarcha, et nuncios Joannis Regis Bohemiae in longum progressa, quamuis allegationes pro parte Joannis Regis Bohemiae propositae, fuissent per Geruardum Vuladislauiensem Episcopum sufficienter et ad plenum confutatae, et praefatus Geruardus Episcopus etiam post nunciorum Regis Bohemiae ex Auinione discessum, sollicito studio Summum pontificem et Cardinales de decernenda sibi pro Duce Vuladislao Lokthek corona

impulerit

impeteret, Papa tamen nolens esse Joanni Regi Bohemiae, qui cum Francorum Rege Philippo affinitati iungens, filiam eius filio suo Venceslao acceperat, et in curiam Francorum Regis habendum tradiderat, ubi immutato nomine, Caroli nomen est sortitus, molestus, a Decreto quidem, super quo nomine Regni Poloniae instabatur, abstinuit, literas tamen, quibus Praelatorum et Baronum Poloniae animi, dubietatis caligine dispulsa, in coronationem Ducis Vladislai provocarentur, eisdem Praelatis et Baronibus Poloniae scripsit, se quidem denunciato decreto excusans, Praelatorum vero et Baronum Poloniae mentes ad accelerandam coronationem Vuladislai Ducis, subtilibus calaturis, et quid fieri vellet, redolentibus, inflammans, Super quo et Gerardus Vuladislaviensis Episcopus negotij praefati ferventissimus promotor, sermati largiori, Apostolicam habens exploratam voluntatem, Ducem Vuladislaum, Praelatos quoque et Barones Poloniae per literas et Nuncios commonefecit, cum suam residentiam apud curiam Romanam, donec negocia Regni et Ecclesiae votivum sortirentur effectum, ipse firmaverat, quatenus sine cunctatione aliqua coronationem Regiam felicem habituram exitum expediant, et peragant. Super terrae autem Pomeraniae occupatione, Papa rescriptum Gnesnensi Archiepiscopo, Posnaniensi Episcopo, et Abbati de Mogilno transmisit, mandans ut summaria informatione accepta, si Magistrum et Ordinem cruciferorum, terram Pomeraniae occupasse reperirent, eos ad restitutionem illius per censuram Ecclesiasticam cum brachij saecularis invocatione compellant, Quae omnia ut ad liquidum possent a succedentibus aetatibus agnosci, et nullo pacto aut ingenio in dubium revocari, utriusque rescripti Apostolici continentiam, fidem his quae praescripsimus daturam, adiecimus

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gnesnensi, eiusque Suffraganeis Salutem et Apostolicam benedictionem.

Dudum venerabilis frater noster Gervardus Episcopus Vladislauiensis, vester, et dilectorum filiorum vestrorum Abbatum, Monasteriorum, priorum, praelatorum, et Guardianorum Minorum ordinis et conventuum eorundem, nec non Capitulorum, Ecclesiarum, et Nobilium virorum, Ducum, Comitum, Baronum ac universitatum, ciuitatum, et castrorum per Regnum Poloniae consistentium Nuntius, ad hoc specialiter deputatus, destinatus, ad praesentiam nostram accedens, nobis vestras et eorum literas praesentavit, per quas Apostolatui nostro inter caetera significare curastis, quod ab olim post obitum clarae memoriae Regis Poloniae, qui tunc erat, seditionibus et dissidijs ac guerrarum discriminibus intestinis inter ipsius habitatores Regni, peccatis exigentibus, suscitatis, regni status eiusdem, quod solebat florere divitijs, tam propter hoc, quam et crebros Tartarorum, Lithuanorum, Ruthenorum, et aliorum Paganorum incursus, qui Polonorum gentem quasi nonnullam obsidione captivam, diversis vicibus abducentes, in miserabilem redegerant servitutem, et lumine fidei derelicto, in nostri contumeliam redemptoris, idolatriae servire cogebant, nec non propter occupationes diversarum Regni eiusdem partium, et locorum defensore carentium, quas nonnulli alienigenae violenter invaserant, erat gravissima depressione collapsum, In Ecclesijs vero, Monasterijs et alijs Deo dicatis locis, fidelium devotione constructis, in quibus devotis laudibus colebatur omnipotens, cultus divini nominis neglectui tradebatur, quorum aliqua spelunca latronum effecta, aliqua solitudini derelicta, et multa ipsorum ruinae vastationis subiacebant, Adjicientes nihilominus in literis supradictis, quod nisi per Sedis Apostolicae providentiam et circumspectionem super his occurreretur celeriter remedio oportuno, verisimiliter poterat formidari, ne terra ipsa ad exinanitionem irreparabilem deveniret, Propter quod tam vos per Episcopum, et literas supra dictas, ductas, quam idem Episcopus per seipsum, cum multa nobis instantia supplicastis, et cum Regnum supradictum esset nobis et Romanae Ecclesiae nullo mediante subiectum, et in signum subiectionis huiusmodi, census, qui Denarius Beati Petri vocatur, nobis et eidem Ecclesiae pro deberetur, eiusdem Regni, aperientes viscera pietatis, et eius calamitatibus ac pressuris paterno compatientes affectu, et illud clementis propitiationis oculis intuentes, de tali Rege provideremus eidem, qui se patenter ostenderet exemplum, qualiter subditos oporteret per iustitiae semitas ambulare, quique in potentia virtutis altissimi, dirigeret in directa, insolentes reprimeret, restauraret deperdita, dictumque Regnum tantae calamitatis angustijs quibus subiectum incessanter, Deo auxiliante, subductis, statum resumeret quietis, et dulcedinis primitivae, Dilectum filium nobilem virum Vuladislaum Cracoviensem, Sendomiriensem, Siradiensem, Lanciciensem, Cuiaviensem, Regnique Poloniae ac terrae Pomeraniae Ducem et haeredem, ac etiam possessorem, strenuitate sublimem, industria, providentia, militia stipatum, multitudine vasallorum onustum, divitijs munitionibus et fortalitijs praepotentem, promovendum per nos in Regem Poloniae, concorditer nominando, supplicantes instanter, ut praefatum Ducem in Regem dignaremur ipsius Regni Poloniae, de benignitate Apostolica promoveri et coronari diademate Regio mandaremus. Quia vero nobis ex praemissis firmae spei fiducia suggerebat, quod praefatum regnum per promotionem huiusmodi ad virium suarum potentiam restauratum, fortius dictorum paganorum praevaleret incursibus, et facilius pestiferos conatus reprimeret, communem ubertate pacis cultu servato iustitiae frueretur, libertas Ecclesiastica ex praemissis dissidijs conculcata suum resumeret Deo propitiante vigorem, Ecclesiasticae personae dicti Regni et Ecclesiarum earundem ab oppressionibus relevatae possent vacare commodius circa cultum divini nominis ampliandum, ipsiusque Regni fideles in divinis beneplacitis prosequendis et erga eandem Ecclesiam Romanam, quam ipsi matrem eorum et dominari recognoscunt, fidelitatis et devotionis firmiori stabiliri constantia, praedictos Episcopum et literas benigne recepimus, et ea quae idem Episcopus super eiusdem promotione Ducis proponere voluit coram nobis libenter audivimus, dictarumque literarum tenorem cum multa iucunditate perspeximus diligenter. Demum autem charissimi in Christo filii nostri Joannis Regis Bohemiae illustris, supervenientibus Nunciis, per eos fuit Apostolatui nostro humiliter supplicatum, ut cum eidem Regi ius in dicto Regno Poloniae competeret, quod se offerebant suo loco et tempore probaturos, abstinere ab ipsius promotione Ducis dignaremur. Sed idem Episcopus post Nunciorum ipsorum instantiam, sicut prius crebris vicibus contrarium certitudinaliter affirmando proposuit, quod Rex praefatus in dicto Regno Poloniae nullum ius proprietatis seu possessionis sibi poterat vendicare; sed cum plenum ius praedicto Duci tanquam ipsius Regni domino naturali et haeredi legittimo, cui successit iure naturae, a suis progenitoribus, debebatur in Regno competenter supradicto, pro huius saepedicti Ducis promotione tam pro parte vestra, quam per seipsum, suppliciter insistendo. Nos igitur volentes unicuique iura sua servare, ab huiusmodi promotione ipsius Ducis petita, ad praesens providimus abstinendum. Non intendentes per hoc iuri vestro et aliorum supplicantium praedictorum, praeiudicium aliquod generari, quin illo sic uti, sicut quando vobis expedire videbitur, valeatis, quod cū cum suis alterius non laedatur. Datum Avinione tredecimo Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno tertio.

Duplici malo, expulsione videlicet de regno Bohemiae turpi, et clade perniciosa, Joannes Comes de Luczemburg Bohemiae Rex insperate obrutus, quid ageret ignarus, neque enim vires neque opes sibi suppetere ad humiliandam Bohemorum rebellionem videbat, ad summum Pontificem Joannem papam vicesimum secundum, et ad Ecclesiasticum solatium confugit, et censuras ut uxor sua Elisabeth sibi redderetur, dari obtinuit, sed cum proceres Bohemiae censuras et interdictum nihili pendentes contemnerent, ab Ecclesiasticis Bohemiae rogati, ire Reginam Elisabeth ad Regem Joannem in Luxemburg decreverunt, dantque libertatem et licentiam abeundi, conducentibus illam Almannis a Joanne Rege missis, usque ad Pilznam cum pervenisset, proceres Bohemiae poenitentia acti illam insequuntur, et prope Thachow consequuti, Almannis repulsis, ad Pragam reducunt, Ab eo quoque tempore nulla ratione poterant induci ut reddere Reginam Regi, quam iustitiae censuras, animo contumaci et obdurato mallent. Joannes autem Comes Luxemburgensis et Bohemiae Rex armis omissis, dolis utendum potius ratus, ad quos illum etiam suapte vafra natura et callidum ingenium adiuvabat, per communes amicos agit cum Bohemis de pace, illosque sibi, morum suorum et actionum correctionem per iusiurandum pactionem et foedus solenniter celebrata, repromittens, conciliat. Regnique Bohemiae annis aliquot intermissam administrationem assumit. Ardens tamen pro contumeliis, vituperiis et cladibus, quas superioribus annis susceperat, in Bohemicam ultionem, clandestine illam effecturus, cum aperte non posset nec auderet, amoenissimum pratum muro circumdat, et in eius circuitu turres locat, ludique torneamenti Bohemis indicit, per Almannos milites in eiusmodi turribus clandestine includendos, Barones et proceres Bohemiae sub medio certaminis torneamenti distentos occisurus. Id malum, hancque fraudem dum Elisabeth regina Bohemiae persensisset, gentis suae tam miserabilem necem amovisura, Baronibus Bohemiae quae in eorum capita comparata sunt mala denunciat, Et illi citato agmine exercitualiter congregati ad torneamenti pratum conveniunt, et tam murum circularem, quam turres in eorum discrimen magno sumptu fabricatas, a fundamentis subruendo, dissolvunt. Qua novitate perculsus Joannes Bohemiae Rex, veritusque ne quandoque fraudes suae et dolositates in caput eius reciderent, non apposuit amplius fraudes perniciosas struere, et contra Bohemos debacchari

Mortuo sub hoc tempore Henrico de Vurzbino Episcopo Vuratyslauiensi, nono Calend. Octobris, et in Ecclesia Vuratyslauiensi sepulto, Vuratyslauiense Capitulum electionem de futuri Pontificij substitutione celebrans, bifariè diuisum est. Quidam enim Vitum, alij Lutholdum Canonicos Vuratyslauienses eligunt, et discordia pestifera tam inter electos quam eligentes liuorosa aemulatione consurgit. Neutra autem parte de iure cedente, fidebat enim vterq electus iuri suo, quaestio ad tribunal Summi Pontificis delata, annis prope septem litigatum est, et grandes sumptus nequicquam, et inutiliter emuncti. Licet enim post multas altercationes Vitus retulisset victoriam, octo tamen tantummodo diebus post relatum ex aduersario Luthold triumphum superuiuens, morte subtractus est.

Amaro et exulcerato Boleslaus Bregensis et Legnicensis Dux ferens animo, et patris sui Henrici quinti captiuitatem depopulationemq et nonnullarum ciuitatum et oppidorum alienationem, in Conradi Ducis Glogouiensis patrui sui captiuatoris et depopulatoris nepotes saeuiit, et Conrado filio Henrici Glogouiensis cui Olszna et ciuitates a patre suo depopulatae obtigerant, bellum mouit, quod tam infesto tractat peragitq animo, vt Conradi Olsznensis aduersarij sui principatu incendijs et spolijs deuastato, et per aliquot certamina fuso, Conradum ipsum ad fundum egestatis redegerit, vt post equum tantummodo retinens vnum, pallio lineo amiciebatur. Bello tandem huiusmodi Baronum communium interpositione sedato, coactus est Conradus Olsznensis Dux ex foedere tunc icto Namslauiam, Bevoltow, Cruczbork, Byczen, et Cunczestad Duci Boleslao Bregensi, et Legnicensi restituere, et perpetuam de illis facere cessionem. Vuolauiam vero atq Lubens etsi ad Legnicensem Ducatum pertinent, et a patre suo Henrico quinto iniuste abstracta fuerat, Boleslaus Bregensis et Legnicensis Conrado Olsznensi, sua compassus egestati dimisit et donauit. Accessione autem tot bonorum ditatus, Slesiae principes gloria et forma antecebat. Quam amplius cumulaturus, in milites, clientes et vasallos liberalius quam sat erat se gerere, sumptus insuper prodigos et damnosos facere cursu caepit. Ex quo multifariis se debitis, per usurarios contractus involvens, oppidum Nimpcz cum suo, Duci Bernardo Swidnicensi, distraxit, item Hainoviam et Aurengem montem in pluribus Marcarum millibus creditoribus ~~aut~~ quibusdam Vratyslaviensibus obligat.

Famis malum cum annis duobus transactis Poloniae Regnum variis et excruciandis vexasset incommodis, etiam in annum tertium ebulliens, et amplior quam ante saeviens universos percellens, adeo plebesque afficit maceravitque, ut parentes filios, et filii parentes pro excludenda fame occiderent, et illorum nefandis carnibus vescerentur. Nonnulli insuper cadavera in patibulum actorum raperent, et ventrem rugientem illis implerent. Erant qui cibo immoderatius stomacho debili et exangui commisso, in ipso comestionis articulo, aut cito post, caderent extincti.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS VICESIMUS

Praelati et Barones, proceresque et Nobiles universi Regni Poloniae, summi Pontificis Joannis XXII auditis literis, et his quae tacite suadebant singulari digestione recensitis, adhortamentis insuper Gerwardi Vladislaviensis Episcopi persuasi, Ducem Wladislaum Lokietek expressiori decreto Papae non expectato, in Regem Poloniae coronandum universali acclamatione favore et consensu decernunt, et diem Dominicum Sanctorum Fabiani et Sebastiani ad eam rem conficiendam indicunt. Ut autem coronationis praedicta solemnia et magis decora essent auspicia, placuit a Gnesnensi Ecclesia honorem coronationis Poloniae Regum rescindi, et illum Cracoviensi Ecclesiae, quae et ipsa quondam Metropolitana fungebatur excellentia, applicari dignum et iustissimum existimantibus Patribus et proceribus universis Cracoviensem Ecclesiam et urbem, quae tum situ, tum frequentia et cohabitatione hominum, tum murorum structuris, et omnium rerum quae illi a circumvicinis porriguntur provincijs, celeberrima, varijs etiam decoris, praesertim tamen Sancti Stanislai martirio et Sanctorum plurimorum corporibus extat miro cultu et veneratione nobilitata, praerogativa illa amplius illustrari. Die itaque Dominico, festo Sanctorum Fabiani et Sebastiani adveniente, ad Cracoviensem urbem ab omnibus statibus ordinibusque Praelatorum et Baronum Poloniae ventum est, et Dux Vuladislaus Loktek in Cracoviensi Ecclesia per Janislaum Gnesnensem Archiepiscopum, Missam de Spiritu Sancto solemni officio celebrantem, assistentibus sibi Joanne Muscata Cracoviensi, Domarato Posnaniensi Episcopis, et Tinecensi, Mogilensi, Andrzeioviensi, Brzesensi Abbatibus, in pontificalibus et mitris infulatis, et multitudine Procerum, Baronum et nobilium copiosa, in Regem, Ducissa vero Hedvigis consors sua Ducis Boleslai Posnaniensis filia in Reginam Poloniae inunguntur, et diadematibus regijs quae etiam et Gnezna cum pomo et sceptro alijsque insignibus regalibus Cracoviam translata sunt, coronantur, et dies illa cum omni celebritate et solemnitate omnium traducta. In crastino vero coronationis Vuladislaus Rex fasces regijs vestitus, in urbem Cracoviensem ad thronum sibi praeparatum cum Praelatis et Baronibus descendens, girata prius urbe, a civibus Cracoviensibus ultro illud praestantibus accepit omagium, et fidelitatis iuramentum. Ab eo autem tempore Cracoviensis Ecclesia iure coronandi Poloniae Reges primum dotata, insignita, et privilegiata est, perpetuis temporibus illo fruitura, communique edicto sancitum, ut in castro Cracoviensi velut arce firmissima, corona, aliaque deponantur et observentur regalia, quae in Gnesnensi urbe hostilem invasionem nequicquam defendere valente, tute servari non poterant, et in Ecclesia Cracoviensi Regum et Reginarum Poloniae de caetero coronationes expediuntur, quod et Cracoviensis uiendis urbs sit multorum hominum capacissima, et in procurandis alendisque eisdem, in omnibus rebus ad usum hominum pertinentibus faciunda, tam propriis quam forensibus et advenis, voluptatis et delicias, pulcherrimumque et securum sui spectaculum prabitura. Ab ea autem dux Vladislaus Lokthek Poloniae Rex ab omnibus subditis Regni Poloniae magna reverentia timore et charitate cultus est, et cuius fata, dum in Pannoniis exulabat, irriserant, illius postea thronum supplices summa veneratione adorabant

Correptus adversa valetudine Ioannes Mushata Cracoviensis Episcopus, dum illam hebdomadis aliquot ferret, tandem septima Februarij, Sacramentis omnibus procuratus, religiose et devote de vita mortali, cum Cracoviensem Ecclesiam annis sex et viginti rexisset, excessit. Cuius corpus in Monasterium clarae tumbae delatum, illic in choro in latere sinistro iuxta ordinationem quam vivens fecerat, conditum est, et funeri iusta honestaque soluta exequiae. Epitaphium, hoc, quod sequitur, illi ibidem in saxo incisum, quoniam commodissime legitur, nullamque refert antiquitatem, apparet inde, recentiori longoque post tempore, a Monasterij illius quodam Abbate appositum fuisse

Ioannes Muscata ego fui, gente Silesius, Philosophiae Doctor et Praesul Cracoviensis. Mihi Abbas Tinecensis Bucz oppidum et castrum amisit, damnumque resarciens Ecclesiae meae Cracoviensi Przeszczizam villam dedit iure compulsus, terdenis iugeribus emptis. Suburbium Cracoviense Biskupie fundavi, villasque prope Vuchozham, Darsicze et Traphi Ecclesiae Cracoviensi emi. Me nobiles de domo Toporcorum in villa Cunow commorantem residentem, captivum detinuerunt, evadensque captivitatem, exilij passus sum angustias, Subordinante mihi hoc malum Rege Poloniae Vladislao Lokethk, plus enim Venceslao Rege Bohemiae, regnum Poloniae favisse creditus sum, quam Lokethkoni. Venceslao autem Rege Bohemiae in Olomuncz occiso, Vladislaus me sibi omnibus modis reconciliare studuit, privilegia nova Ecclesiae Cracoviensi mei gratia concessit, antiqua confirmavit, Pelczska cum villis restituit, pro damnis CCC Marcas argenti mihi dedit. Capitaneos meos per me excommunicatos a gratia, curia, et regno suo removit, donec satisfactione mihi data, per me sunt absoluti. Vivens elegi mihi hic sepulturam Cracoviae, moriens VIII Februarii hoc sub lapide sum sepultus Anno Domini 1306. Praefui Ecclesiae Cracoviensi annis XXVI, in ordine Episcoporũ XXIII

Post cuius mortem Praelati et Canonici Cracovienses, qui tunc pro festo Purificationis Sanctae Mariae recenter elapso generale Cracoviae iuxta morem agebant Capitulum, Vladislao Poloniae Rege instigante, vocatis absentibus, ad electionem futuri Pontificis procedentes, Nankerum Canonicũ Cracoviensem genere nobilem de domo Oxa, ex provincia Opoliensi ortum, propter virtutum et morũ singularium, quae in illo dudum perlucebant, redolentiam, in Episcopum Cracoviensem per formam scrutinii concorditer eligunt. In quem et Vladislaus Poloniae Rex a Capitulo Cracoviensi et ipso Nankero electo rogatus, regium ut patronus praebuit assensum. Fuit autem electio sua per Joannem vicesimum secundum confirmata, et ipse per Janislaum Gnesnensem Archiepiscopum, in Episcopum Cracoviensem ordinatus. Quanti autem precii vir, et quanta religionis Pontifex fuerit, in ipso suae assumptionis primordio mox monstravit. Nam Ecclesiam suam Cracoviensem, situm angustum habere prospiciens, quae opere veteri, iuxta opes illius temporis ex humilibus constans structuris, recenti etiam deformata erat incendio, novam demolita veteri, opere sumptuoso ex quadrata petra iniciavit. Latitudinem cuius atque longitudinem quantum spatia loci patiebantur extendens. Hinc quoq; subsequutum est ut multa insignia sepulchra Principum et Pontificum nova aedificatione supereminente obruta perierunt. In aedificationem autem tam nobilem tamq; sumptuosam Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis, non solum Nankerus Cracoviensis Episcopus duas partes, et Capitulares tertiam, sed et Clerus totius Dioecesis Cracoviensis subventionem charitativam contulit, Et cuiuslibet beneficij, cuiuslibet Parochialis Ecclesiae etiam de collatione Regia et Laicali vacantis, primi anni fructus in sumptus fabricae exigebantur et reddebantur.

Post facta Coronationis solemnia Vladislaus Rex Poloniae, de rebus publicis, et praesertim de stratarum publicarum pacificatione, furumq; et praedonum exterminio, Praelatis et Baronibus Poloniae suis consilijs certatim cum relevantibus, varias constitutiones et edicta decrevit, et ut executioni omnia firmiusq; mandarentur providit. Quoniam autem de amissione terrae Pomeraniae et eius occupatione vehementi angebatur dolore, de illius recuperatione, quam potuit tunc curam impendit. Ordinavit itaq;, Consiliarijs suis id laudantibus et probantibus, ut iuxta Commissionem Apostolicam Archiepiscopo Gnesnensi, Episcopo Posnaniensi, et Abbati de Mogilno factam, iudiciarius contra Cruciferos instauraretur processus. Rescriptum quoq; Apostolicum in sui praesentia Janislao Archiepiscopo Gnesnensi, Posnaniensi Episcopo, iubet exhiberi, vigore cuius citatio contra Fridericum Magistrum et Commendatores Cruciferorum de Prussia, ad instantiam praefati Vladislai Regis est decreta. Et Pontifices praefati pro iustitiae administratione rogati, omnem operam iuxta se ardue navaturos obtulerunt. Quibus taliter confectis, Pontificibusq; et Baronibus pro cuiuslibet merito praemiatis, ex Cracovia discedens et in Sandomiriam se cum Illustri Hedvigi regina conferens, tempus Quadragesimae illic exegit, Ubi et Philippum Cancellarium, Zbigneum Vicecancellarium Regni Poloniae et Joannem Canonicum Kurdinsem, capellanum suum, in Procuratores, et causae contra Cruciferos super terrae Pomeraniae occupatione defensores et tractatores constituit, et eos ad procurandum et promovendum causam, cum sufficientibus instructionibus et impensis remittit, Dans eis et cuilibet eorum in mandatis, ut causam praedictam fervent sollicitudine quam citius possent provehant, et ad debitam consummationem perducant. Caepit et extunc Vladislaus Rex vota quae in exilio positus voverat domino reddere, iustitiam quoq; et pietatem cunctis praeferre, iura reddere, viduis, orphanis erudiunt, benignos esse, faciles aditus ad se praebere, potentes iuxta mores in decernendis iustis iudicijs aestimare, et singulas suas actiones ad normam legis divinae referre, adeo ut felix audire potuit suum exilium, in quo legi divinae et mandatis eius obsequi didicisset. Sed et Rebus publicis magnum adfert profectum, Reges et Principes fuisse calamitosos et miseros, et aliena adivisse praetoria, et alienum mendicasse panem. In propria angustia cognoscunt, quales sese divinitati, quales subditis debeant exhibere.

Intermissam Saepius Lithuanorum vastationem Marsalcus Prussiae Henricus de Plotzk resumpturus, exercitu tam de equite quam de pedite instructo, habens secum quadraginta fratres Ordinis, qui ordines ducerent, Lithuaniam invadit, et Medniczensem districtum quam potentius potest in partes singulas conflagratione et caede devastat. Lithuani interim et Samagitae nihil ea vastatione deterriti, armis sumptis, angustias unius saltus, quem Cruciferi in redeundo transituri erant, occupant, et maioribus arboribus circumquaque saltum succisis, Marsalco Prussiae et exercitui eius insidias subornant. Dum itaque Marsalcus Prussiae et exercitus eius insidiarum ignarus, saltum ingressus esset, a Lithuanis circumventus, inprimis ipse, deinde primores milites strangulantur, et quasi laqueo capti ad unum omnes aut deleti aut capti sunt. Litthuani et victoria et spolijs hostium potiti, Dijs suis pro praestita victoria litantes thura ingenti pira extructa, unum ex Cruciferis advocati fratrem de Sam: lentis cum equo et armis in holocaustum incendunt, Gerhardus Rude nomen eius

Iudiciario processu contra Magistrum Prussiae Fridericum, et Commendatores, totumque Cruciferorum ordinem per procuratores Vladislai Regis Poloniae instaurato, citatione a iudicibus delegatis Apostolicis, videlicet Ianislao Gnesnensi Archiepiscopo, Domaratho Posnaniensi Episcopo, et fratre Nicolao Abbati de Mogilna Gnesnensis Dioecesis Ordinis Sancti Benedicti, decreta et debita executioni mandata, Magistroque, Commendatoribus, et Ordini, personaliter per potentem virum Archidiaconum Vnieiouiensem, et Laurentium Plebanum in Brzescie citatis, primus terminus in Brzescie, praesidentibus omnibus tribus iudicibus servatus est. In quo procuratoribus Regijs propositiones et articulos contra Magistrum et Ordinem Cruciferorum offerentibus, Ziffridus de Lossow Sragbeker, nomine procuratorio Friderici Magistri, et Ordinis Cruciferorum comparens, mandatumque sufficiens ad causam coram Iudicibus reproducens, contra eorum iurisdictionem verbo excepit, cuius causa cum fuisset replicationis repulsa, appellationem nomine Magistri et Ordinis, a gravamine praesenti et omnibus in sequuturis ad Sedem Apostolicam interposuit, et de Brzescie excessit. Iudices autem Apostolici frivola appellatione Magistri et Ordinis non obstante, decreverunt instantibus procuratoribus regijs ad ulteriores actus, et terminos procedendum, tribunal quoque suum ex Brzescie in iuniorem Vladislaviam transtulerunt, et per annum fere integrum ad omnes actus et terminos essentiales in contumaciam Magistri et Ordinis, per procuratores regios coram iudicibus praefatis fuit processum. Et pro verificatione articulorum pro parte Vladislai Regis Poloniae contra Magistrum et Ordinem Cruciferorum oblatorum, testes notabiles, pontificali, abbatiali, et militari dignitate insignes, fuerunt inducti, et sufficienter examinati, quo processus ipse iudiciarius plus soliditatis contraheret, per processus Iudicum et publica edicta in valvis Ecclesiarum in Thorun affixa, Magister et Ordo, ad omnes et singulos actus vocabatur gradatim et successive

Vngariae Rex Carolus superatis extinctisque bellis intestinis, quibus non a vicinis hostibus, sed a proprijs Baronibus et signanter a Matthaeo de Trenczino Palatino Transilvaniae ea tempestate opum et gentium multitudine potente premebatur, rebellibusque Baronibus partim exterminatis, partim bello occisis, aut sub iugum missis, ipso etiam Matthaeo Transilvaniae Voiwoda, morte absumpto, dum gloriosus et praeclarus victor in throno Regni Vngariae ex triumphis superioribus de adversarijs suis relatis, firmatus consisteret, laetabatur quidem pacis amoenitatem ubique sibi provenisse; orbitatis tamen suae reminiscentia secretis cruciabatur suspirijs. Nam etsi duas illustres matronas duxerat Mariam Casimiri Ducis Bitomiensis et Theschinensis filiam, et ea abeunte Beatricem Henrici de Luczemburg Comitis, Romanorum Regis filiam, et Ioannis Bohemiae Regis sororem sibi matrimonialiter iunxisset, frustra tamen filiorum in spem Vngariae Regni generandorum, ex unius sterilitate, ex alterius vero in partus periclitatione orbatus est. Huius tamen sterilitatis opprobrium, et orbitatis suae dedecus, volens exuere, ad Vladislaum Poloniae Regem, procis notabilibus missis, filiam eius virginem Elizabeth, forma et moribus praestantem et decoram, sibi in consortem dari expostulat. Cuius preces de Praelatorum et Baronum Poloniae consilio, Vladislaus Poloniae Rex, dum ad gratiam exauditionis admisisset, firmantur literis et promissis sponsalia, et virgo praedicta Elizabeth, a Baronibus et Proceribus Poloniae cum sufficienti dote et regali apparatu Budam deducta, Carolo Ungariae Regi die Dominico in Octava Sanctorum Petri et Pauli copulatur, quam celebratis ex more nuptijs procurat coronari in Albaregali in Ungariae reginam. Cui tanta a divinitate collata fuit faecunditas, ut quinque illi pulcherrimos masculos videlicet Carolum, Vladislaum, Ludovicum, Andream, et Stephanum, per successiones et intervalla annorum produceret. Quae cum tanta filiorum numerositate esset sublimis, humilitatis tamen excellentia et larga liberalique pietate et erogatione in omnes, et praesertim in Ecclesias et Ecclesiarum ministros, orphanos et pauperes, adeo sibi omnium statuum et ordinum homines devinxerat, ut universi illam miris efferrent laudibus, et singulari colerent velut parentem veneratione.

Duodecima die Marcij Posnaniensis Ecclesiae Domaratus alias Domeracus Episcopus, vir nobilitate et virtutibus clarus, de domo et familia Grzymalitarum stirpem ducens, cum annis in Posnaniensi Ecclesia sedisset moritur et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Cui Joannes tertius dictus Doliwa nobilis de genere Doliwitarum Praepositus Posnaniensis succedit, a Gnesnensi Archiepiscopo Janislao de consensu et annuentia Vladislai Poloniae Regis confirmatus et in Ecclesia Posnaniensi consecratus.

Gravatus et pressus aere alieno Boleslaus Bregensis et Legnicensis Dux in Henricum Sextum Wratislaviensem Ducem virum mitem et simplicem et ex moderamine locupletem, livoris stimulum convertit, dolens illi Wratislaviensem fortunam videlicet inter sortes praestantiorem obtigisse. Unde ipsum per certos Barones compellat et requirit, quatenus Legnicensi Ducatu, quod haeredis masculini sexus non relinquebat, recepto, sibi qui abundabat filijs cederet de Wratislaviensi. Verum dum Henricus Sextus Wratislaviensis id facere recusasset, maiori bile exardescens, Ducatum suum Wratislaviensem ordinavit clandestinis spolijs rapinis et invasionibus

cx

ex Marcinkowicze castroq; Bregensi destructis curijs et munitionibus, fingens se dominum quae fieri mandaverat vicinarum affligi et vexari. Sed cum eas quoq; vexationes Henricus Sextus Vratislaviensis Dux partim patienter ferret, aut dissimularet, partim per milites suos reprimeret, Boleslaus Bregensis et Legnicensis Dux iam non fratri Henrico sed consiliarijs suis iratus, Nicolaum de Banz Canonicum Vratislaviensem, Henrici Ducis Consiliarium de Ecclesia Sancti Egidij trahi per satellites suos mandavit, et in Jelczcze deduci, ubi aliquanto tempore vinctus, tandem amicorum et fratrum intercessione aegre absolutus. Alium insuper Henrici Ducis Consiliarium civem Vratislaviensem vocatum de Molensdorff de Ecclesia Sanctae Elisabeth per curienses extrahi ordinavit, et Canonico et Civi pro culpa imponens, quod in Henrici Ducis consilio personam suam sugillassent. Qui equo impositus, valido clamore ferri sibi praesidium per cives petijt, captivatoribus nisi sileret occisionem sibi imminentibus. Sed cum in clamore perseveraret, veriti captivatores per concursum populi periculum, de equo deiectum occidunt, et de civitate celerrime se, ne apprehenderentur, evolvunt, Duciq; suo Boleslao Legnicensi et Bregensi, qui ante portam illorum operiebatur adventum, seriem gestae per eos rei exponunt. Ille autem plurima turbatione afflictus, quod spe sua in singulis frustrabatur, vivum enim et incolumem civem Vratislaviensem Molensdroff optabat accipere, non caesum, quoniam per illum credebat se ab Henrico Duce aliquam concordiam suae ambitioni profectum alaturam extorsisse, alias rursum vias quibus cogitata perficeret, molliri non desijt

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS VICESIMUS PRIMUS

Causa super terra Pomerania et eius occupatione contra Magistrum et Ordinem Cruciferorum de Prussia anno integro, per procuratores Vladislai Regis, coram Gnesnensi Archiepiscopo, Posnaniensi Episcopo, et Abbati Mogilnensi ventilata, et omnium terminorum essentialium observatione, literarum, privilegiorum, et munimentorum exhibitione, testiumq; notabilium inductione; ad plenum et sufficienter fundata et instructa, dum adeo maturata perfectaq; esset, ut non nisi finalis decisio, et sententiae diffinitivae prolatio in ea restaret agenda, petentibus procuratoribus Regijs per iudices Apostolicos in ea conclusum est, et decima dies Februarij mensis ad ferendum diffinitivam sententiam pro termino peremptorio in Iuniori Valadislavia assignata. Cum autem dies praedicta advenisset, procuratores Regij citationem ad ferendum sententiam diffinitivam contra Magistrum et Ordinem, per affixionem patentem in valvis Ecclesiae Thorunensis, et in alijs Cathedralibus et collegiatis Ecclesijs per organum et publicam denunciationem Vicariorum et Hebdomadariorum debitam executionem demonstrante reproducentes, sententiam diffinitivam ferri instantius expostulabant. Iudices autem Apostolici Magistro et Ordine diutius expectato, et saepius citato, dum Tiffridus de Papow, gerens se pro procuratore Magistri, et Ordinis, compareret, et pro eis replicationes, provocationemque, appelationem, verbo et scriptis interponeret, replicationibus et appelationibus huiusmodi tanquam frivolis et temerarijs reiectis et refutatis, concluserunt in causa, et ipso Tiffrido procuratore Magistri et Ordinis praesente ad sententiam diffinitivam in Ecclesia Sancti Nicolai in circulo in Iuniori Valadislaviensi oppido sita, tribunali posito, processerunt, Ipsamque per organum Ianislai Archiepiscopi Gnesnensis, sub ratihabitatione aliorum duorum videlicet Domarati Episcopi Posnaniensis et Nicolai Abbatis de Mogilno, primum in scriptis in Latino, deinde in vulgari Polonico per organum Nicolai Abbatis de Mogilno, ut ab omnibus populis astantibus intelligeretur promulgaverunt. Magistrum Cruciferorum Fridericum et Ordinem ad restitutionem terrae Pomeraniae illicite occupatae, et ad solutionem triginta millium marcarum monetae et ponderis Regni Poloniae, ratione fructuum perceptorum et damnorum, et ad solvendum centum quinquaginta marcarum latis grossis Bohemicalium, ratione expensarum in causa huiusmodi factarum, astante cleri et populi multitudine condemnarunt, Cuius quidem sententiae tenor pro maiori declaratione eorum quae narravimus talis est

In nomine Domini Amen

Exorta coram nobis, Ianislao divina et Apostolicae sedis

providentia

prouidentia Sanctæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopo, Damaratho Dei gratia Posnaniensi Episcopo, fratri Nicolao Abbati de Mogilno, Gnesnensis Diœcesis, Ordinis Sancti Benedicti, a Sede Apostolica delegatis, inter Inclytum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniæ illustrem, ex parte vna, et religiosos viros Magistrum et fratres domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum parte ex altera, super terra Pomeraniæ, materia quæstionis, Sanctissimus Pater Dominus Ioannes Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summus Pontifex suas nobis direxit literas in hæc verba.

Ioannes Episcopus Seruus seruorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gnesnensi, et Episcopo Posnaniensi, ac dilecto filio Abbati Monasterij Sancti Benedicti de Mogilno Gnesnensis Diœcesis, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Grauem dilecti filij nobilis viri Vladislai Ducis Poloniæ querelam accepimus, continentem, quod Magister et fratres domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum, non attendentes, quod quondam Conradus Dux Poloniæ auus eiusdem Ducis, eosdem Magistrum et fratres, quos veros credebat Catholicæ fidei defensores, et ad partes illas pro defensione ipsius fidei primitus aduocauit, et nonnulla mobilia et immobilia bona liberaliter concessit eisdem, alias eos dictus Conradus et successores sui benigne et fauorabiliter prosequendo. Sed ipsi dicto Duci se reddentes ingratos, et ad bona ipsius rapacitatis manus extendentes, illicite Ducem ipsum terra sua Pomeraniæ Vladislauiensis Diœcesis, quæ de Regno Poloniæ fore dignoscitur, temeritate propria spoliantes, illam cum hominibus, vasallis, castris, villis, possessionibus, et bonis existentibus in eadem contra iustitiam occuparunt, et detinuerunt iam per octo annos et amplius, sicut adhuc detinent, violenter, fructus et redditus et prouentus prouenientes ex illa percipientes indebite et iniuste, illam sibi reddere contradicunt, in ipsius Ducis graue dispendium, et Regni prædicti diminutionem enormem, et scandalum manifestum. Quare nobis Dux præfatus humiliter supplicauit, ut prouidere sibi super hoc de remedio opportuno dignaremur.

Nos igitur volentes eidem Duci in suo iure deesse, in quo sumus omnibus debitores, Discretioni vestrae per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo vestrum, vel per alios, super praemissis, authoritate nostra summarie de plano sine strepitu et figura iudicij procedentes, si rem inveneritis ita esse, Magistrum et fratres praedictos ad restituendum dicto Duci, terram, homines, vasallos, castra, villas, possessiones, et bona praedicta cum fructibus redditibus proventibus medio tempore perceptis, per censuram Ecclesiasticam, apellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij saecularis, non obstantibus de duabus dietis edictis in Concilio generali, et felicis recordationis Bonifacij Papae octavi praedecessoris nostri, per quas Iudices a Sede deputati praedicta extra civitatem et Dioecesim, in quibus deputati fuerunt, non alibi quam in civitatibus et locis insignibus procedere aut vices suas committere, vel aliquos ultra unam dietam, a finibus suae Dioecesis trahere prohibetur, et alijs contrarijs constitutionibus quibuscunque, dummodo ultra terciam vel quartam quis extra suam Dioecesim ad iudicium non trahatur. Seu si dictis Magistro et fratribus vel quibusvis alijs communiter seu divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca trahi, vel ad iudicium evocari non possunt, per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum indulto huiusmodi mentione, et quibuslibet privilegijs, indulgentijs, et literis Apostolicis generalibus vel specialibus eisdem Magistro et fratribus ac Ordini concessis, communiter vel divisim quorumcunque tenorum existant, per quae vestrae Iurisdictionis explicatio possit in hac parte quomodolibet impediri, et de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Dat. in Avinione tertio Idus Septembris, Pontificatus nostri. Anno quarto

NOS Igitur iuxta formam mandati nobis directi, praefatos Magistrum et fratres ad nostram præsentiam fecimus citari. In termino itaque peremptorio ipsis partibus per nos assignato, Discreti viri domini Sbigneus Cancellarius Regni Poloniæ, et Sbisco Cancellarius Siradiensis, tunc subcancellarius, et Magister Joannes Rudensis procuratores eiusdem Domini Regis, nomine procuratorio ipsius comparuerunt coram nobis suum procuratorium exhibentes. Ex parte vero dictorum Magistri, et fratrum, frater Syfridus de Papow eiusdem Ordinis, procurator eorum similiter cum procuratorio comparuit. Petitione autem pro parte præfati Regis Poloniæ recepta et diligenter discussa, considerantes iuxta tenorem literarum Apostolicarum quod in causa eadem posset lite non contestata procedi, receptis testibus pluribus idoneis, pro parte dicti Regis, et eis seorsum et sigillatim examinatis, attestationibusque ipsorum apertis et publicatis, ac ipsius causæ meritis plene discussis, parte dictorum Magistri et fratrum citata, ad definitivam sententiam audiendam, et præsente ipsorum procuratore prædicto coram nobis in termino ad hoc præfixo constituto, et præhabita nobiscum deliberatione sufficienti, et communicato consilio sapientum, procuratoribus præfati Regis præsentibus, et sententiam proferri cum instantia postulantibus, Dei nomine invocato, quia ijdem procuratores Domini Regis intentionem suam clarissime comprobaverunt, prædictos Magistrum et fratres domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum, ac dictum Syfridum procuratorem ipsorum præsentem eorum nomine et Commendatorum de Gdansk, de Gnew, et de Swiecie qui dictam terram Pomeraniæ possident, ad restitutionem eiusdem terræ cum suis pertinentijs, et ad solutionem triginta millia Marcarum monetæ et ponderis Regni Poloniæ, ratione fructuum perceptorum, et qui percipi potuerunt ex illa, prout procuratores dicti violentia prædicta data, probata per testes, quantitatem prædictam fructuum per suum iuramentum legitime comprobaverunt, et ad satysfactionem expensarum in causa factarum præfato domino Regi Poloniæ, seu procuratoribus ipsius prædictis faciendam in hoc scripto sententialiter condemnamus. Quas quidem expensas ad centum quinquaginta Marcas grossorum Pragensium taxamus, eo quod Procuratores dicti Regis praefati se eas dixerunt in hac causa expendisse, prout suis declaraverunt iuramentis. Lata est hac sententia in Ecclesia Sancti Nicolai in iuneni Iunivladislavia, Vladislaviensis Dioecesis post Missam, quarto Idus Februarij Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo primo, praesentibus fratribus nostris Nicolao Decano, Gerhardo Scolastico Gnesnensi, Ioanne Archidiacono Posnaniensi, Petro Cantore Vladislaviensi, Michaele Praeposito Crusviciensi, Venceslao Calisiensi Archidiacono, Vincentio Alberto Gnesnensi, Vincislao Posnaniensi, Ioanne Plocensi Ecclesiarum Canonicis, et Religiosis viris, Francisco Priore Posnaniensi Ordinis fratrum Praedicatorum, Vincislao Custode provinciali, Michaele Guardiano Vladislaviensi fratrum minorum et alijs quam plurimis saecularibus et religiosis. In quorum omnium testimonium et evidentiam certiorem, praedictam sententiam per subscriptum publicum nostrum scribi et in publicam formam redigi fecimus et ad maiorem cautelam nostrorum sigillorum appensione muniri. Et ego Boguslaus de Sindomiria, et ego Nicolaus quondam Ludovici de Strigonia clericus Posnaniensis

Diffinitiva. Sententia per Iudices Apostolicos super terrae Pomeraniae occupatione, et damnis ac sumptibus inde sequutis, pro Vladislao Poloniae Rege obtenta et promulgata, Nuntio quoque Magistri, et Ordinis Sifrido de Passow refutatorijs Apostolicis consignatis, sententia ipsa, quia non tenebantur aliquali legitima appellatione suspensa, petentibus Sindicis Regijs, per Iudices praedictos Apostolicos executioni mandata est, et processus executoriales, cum omnium censurarum fulminatione, interdicto etiam Ecclesiastico in terras et loca in quibus Magister et Commendatores demorarentur, adiecto Decreti rigori; quorum in universis

versis terris et dominiis Regno Poloniae et provinciae Gnesnensi subiectis, Magister et Ordo Cruciferorum singulis diebus festivis coram populi multitudine denunciabantur et excommunicati, et Anathematizati, et in eorum praesentia et adventu Ecclesiasticum interdictum tenebatur.

Et licet vigore appellationis a sententia diffinitiva pro Vladislao Poloniae Rege per Iudices Apostolicos lata in causa commissa, pro absolutione multis variisque fatigiis et impensis apud Sedem Apostolicam, adhibitis etiam favoribus et promotionibus variorum Principum desudassent, nullatenus tamen illam Regiis Procuratoribus impedientibus, et quaslibet eorum propositiones et allegationes eludentibus, donec in totum rei parerent iudicatae, potuerunt impetratione eius pervenire.

In festo exaltationis Sanctae Crucis, Lithuani terram Dobrzinensem, quae tunc a Duce Semovito relicta tenebatur, venientes improvise, eam vastant, et oppido Dobrzin spoliato et exusto captis utriusque sexus hominibus, nonnullis vero trucidatis, veloci fuga degrediuntur.

Dantes Aligeri Florentinus Poeta Ravennae in exilio moritur, aetatis suae anno quinquagesimo sexto. Qui in vulgari seu Italico opere insigni, in quo de caelestibus Sphaeris, et inferni atque anteinferni cameris curiosissime tractat, personas virtuosas et caelestes induxerit, edito, memorabilis apud Italos habebatur et celebris.

Die Veneris vigesima sexta Iunii Eclypsis Solis notabilis, a tertia usque ad sextam horam perseverans

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS VICESIMUS SECUNDUS.

Considerans Ioannes Bohemiae Rex et Comes de Lucemburg, Principes Poloniae et Slesiae et eos praecipue qui regno Bohemiae per vicinitatem erant proximi et confrontati, viros simplices et parum industrios existere. Iam enim et ex conversatione et aliorum relatione qualia sortiti essent ingenia, quibusque agerentur moribus, habebat exploratum, eorum principatus, castra, civitates, et dominia, nervos sui et prosperitatis facere in animum induxit. Unde et aliquos ex illis ad maiorem conversationem et familiaritatem suam, plurimis largitionibus, similique et affabilitate adsciscit et pellicit, et pluribus artibus calliditatem vafram redolentibus, tanquam vicinos et notos sibi conciliat et devincit. Ea enim est callidorum natura, ut in parvis exiguisque fidem astruant, quo facilius in arduis et maximis fallant. Primumitaque Boleslaum Ducem Zanbiczensem alias Monsterbergensem, Ducis Bernardi Swinnirzensis germanum, suorum ingeniorum hamo comprehendit, et tum praemiis et largitionibus, tum liberalibus et amplissimis promissionibus inescatum, ad ea quae moliebatur inclinat. Castrum quoque et oppidum Clodzko, quod in Poloniae Regno situm, utriusque Regni Poloniae videlicet et Bohemiae claudebat confinia, ab eo sibi resignari, et pro levi tenuique pecunia vendi faciliter, velut ab homine parum providentiae et sensus habente, disponit. Cuius possessionem et proprietatem sortitus, homines illic praedae et rapinis assuetos, in quantitate notabili locat, mandatque ut Duces Poloniae et Sleziae sibi contiguos, spoliis, rapinis aliisque incommodis lacessere non intermittant. Filium deinde Carolum Marchionem Moraviae mittit, qui obsidione Frankstein cingat, et ad feudum Boleslaum Falkenbergensem cogat. Sed inde repulsus etiam pecunia apud filium suum Nicolaum Frankstein coemit munitionem. Inter ipsos quoque Poloniae et Sleziae Principes, dissidiorum germina iactis et in caedes guerrasque mutuas illos armat, ut civilibus domesticisque collisionibus attriti, sua suffragia et arma expetere cogantur, aut ipse pro dirimendis litibus arbiter electus, decernendi quae vellet imperium nancisceretur, facillime in Principum differentia cupiditatem suam expleturus specturus. Vuratyslauiensis insuper ciuitatis ambiens dominium, vario astu mentis, quo id assequeretur, nocti et interdiu flagrabat, omnesque curas suas praecipuas ad id vnum efficiendum intenderat. Vnde Boleslaum alterum Legnicensem et Bregensem Ducem, filium quondam Henrici Vuratyslauiensis et Legnicensis Ducis, in fratrem germanum Henricum, cui Vuratyslauiensis Ducatus sorte obuenerat, pecuniarum et Clenodiorum, rerumque concupiscibilium profusa donatione subornat. Qui cum ab eodem fratre Boleslao guerra et iniuriarum spoliorumque multiplici genere ut in superioribus praemissimus, premeretur, cum esset vir pacificus et bellis insuetus, sed nec posset Ducatus sui propter paupertatem facere contra fratrem germanum, Regis Bohemiae suggestionibus bellum sibi inferentem, liberationem et repulsam, ad Vladislaum Poloniae Regem, sciens illum virum bonum et iustum propinquo affinitatis gradu sibi coniunctum, se totum conuertit, et Vuratyslauiensem ciuitatem et Ducatum sibi perpetuo cessit et resignauit, mallens illum a Polonis quam Bohemis possessum iri. Vladislaus autem Poloniae Rex etsi possessione Ducatus et ciuitatis Vuratyslauiensis apprehensa, aliquanto tempore illum gubernasset, et Ducis Boleslai Legnicensis compescuisset fregissetque conatus, expost tamen eidem Henrico Duci paupertati compassus, Ducatum et ciuitatem Vuratyslauiensem sibi restituit, ut et suae fratrisque germani Vladislai qui in Diaconum iam promotus erat, nubilibusque iam quatuor sororibus de dotibus et necessitatibus prouideat, et debita fidei ac beneuolentiae vicissitudinem rependat. Ioannes itaque Bohemiae Rex Ducem Henricum Vuratyslauiensem Ducatum recuperasse audiens, plurimum gaudij et voluptatis ex hoc coepit, qui de Vladislai Regis Poloniae in Vuratyslauiensem Ducatum successione, spiritum amarum et anxium gestauerat. Non igitur bellis, et impressionibus erga illum, sed callidis ingenijs et blanditijs utendum satius putat, propterquod illum ad se accersitum, multiplici honore et largitione pertractat, et tam liberalitate sua quam astutia ad resignandum sibi civitatem et Ducatum Vuratislauiensem inducit. Praefatus enim Henricus Dux Vuratislauiensis in Boleslaum Legnicensem et Bregensem Ducem grandi odio aestuans, cuius quoque impressiones et gravamina vindicaturus, facile in resignatione et in alienatione civitatis et Ducatus Vuratislauiensis, militaribus et civibus etiam Vuratislauiensibus, suis vasallis ad id cum impellentibus consenserat, Recepto itaque a Joanne Bohemiae Rege oppido Cloczsko solum ad vitae tempora usu et tenuta, civitatem et Ducatum Vuratislauiensem Regi perpetuo resignat, et de illo exercet perpetua donatione, licet cum gravi Regni Poloniae, de cuius corpore Ducatus et civitas Vuratislauiensis semper fuerat, iactura et iniuria, Ducatum praedictum Joanni Regi Bohemiae inscribendo, Venditio autem praedicta non solum in Regni Poloniae, sed etiam in duorum fratrum suorum germanorum, videlicet Boleslai Legnicensis et Bregensis, qui illum a Rege Bohemiae pecunia corruptus, bello in suam perniciem vexaverat, et Vuladislai Ducum et trium filiarum praefati, Offeza, Guttha, et Elizabeth eorundem discrimen, nec divino nec humano iure sed sola iniquitate violentia et impressione constat esse confecta. Quippe Henricus ipse Dux Vuratislauiensis nullam posteritatem sui femoris virilis relinquens, nulla iusta arte aut ingenio resignationis et donationis huiusmodi perpetuae poterat celebrare contractum, Qui cum esset tam scelestus et iniquus, potuerat, nisi potentia Regis Bohemiae et favor militarium et civium Vuratislauiensium, qui in sortem Regis Bohemiae se laetabantur translatos, obstitisset, quolibet iure per fratres Boleslaum et Vuladislaum Duces, quibus eiusdem civitatis et Ducatus, obeunte Henrico duce debebatur successio, rescindi. Ubi itaque tempore Ducum Vuratislauiensium cessavit successio, et civitas Wratislaviensis obedientiam Regis Bohemiae professa, a Poloniae Regni corpore, se velut apostatatrix curavit subducere, et alterius ditionis apparere. Sed census denariique Sancti Petri qui ex illa et universa Wratislaviensi Dioecesi praestatur Summo Pontifici, et Ecclesiae Cathedralis Wratislaviensis, per Boleslaum primum Polonorum Regem et patrem suum Ducem Mieszkonem fundatae, Gnesnensi Archiepiscopo iure Metropolitico subiectio, multaque alia insignia et decora quorum obliteratio saepius tentata nunquam provenit, sed magis proluxit, clamant et demonstrant, Wratislaviam Polonorum Regni provinciam fuisse, propitia divinitate ad corpus et unitatem Regni Poloniae, abrogato iniusto superboque imperio quandoque redituram, postquam domini Polonicae plebi propitiati fuerint, et Poloni sordes scelerum suorum, ob quae huiusmodi mutilatio Regni eorum sequuta est, dignis contritionibus absterserint

Wratislaviensis Ducatus et civitatis donationem et alienationem, violentam et temerariam, ex causa scelesta, et contra ius fasque confectam, Boleslaus Bregensis et Legnicensis Dux in cuius principaliter praeiudicium redundabat, rescindere adversus Bohemiae Regem Joannem monet, precaturque per affinitatis iura, duas enim sorores germanas uxores habuerant, ne patrimonium suum et sortem haereditariam ad se et natos suos, morte Henrici Sexti Ducis Wratislaviensis sequuta, devolutam, Ducatum videlicet et civitatem Wratislaviensem occupare iniuste concederet. Memor iurisiurandi quod sibi super divinissimo Eucharistiae Sacramento praestiterat, nunquam se ad terras et dominia, eum quomodolibet contingentia aspiraturum, et contra quamlibet personam Ecclesiasticam et mundanam se sibi auxiliaturum. Repeteret insuper superiora tempora, sub quibus in difficili et periculoso temporum articulo contra nonnullorum Bohemorum hostilitatem, vitae et statui suo insidiantium, arma cum notabili suorum militum caterva, proprio aere, propriisque periculo, nullam consecutus necessitudinem, aut praemiationem pro eo et in sui defensam tulerit, quod illum prope ex Bohemia ignominiose pulsum per se et gentes suas restituerit, et pro tot officiis desisteret saltem in eius gravi damnum et praeiudicium grassari. Bohemiae vero Rex Joannes omnibus praefere quae Boleslaus Bregensis commemorabat silentio absolutis, id unum refellendum duxit; Fateor inquit me tibi contra quamlibet personam auxilia devovisse, sed non contra meipsum, quem in promissione ipsa circumscribebam. Cum itaque irritatis magis quam quietatis animis alter in alterius odium inflatior incederet, Bohemiae Rex Joannes omnibus Wratislaviensibus iam ditionem suam et obedientiam professis mandavit quatenus sibi Hanoviam et aureum montem, quae illis Boleslaus Bregensis Dux pignori obligaverat, praesentarent, comminatus se ea per potentiam nisi dicto pa rerent recepturum. Rediit interea ex Mazovia Wladislaus subdiaconus, Legnicensis Dux, germanus Boleslai Bregensis, ubi uxore virgine filia Boleslai Mazoviae Ducis in matrimonium propter dotis quantitatem ducta, certo tempore, donec dotali pecunia consumpta etiam uxorem perosus inde remearet, immoratus fuerat. Is Regem quoque Bohemiae accedens, Legnicensem ei Ducatum, quem Boleslao Bregensi, in triginta duobus marcarum millibus obligaverat, venalem exhibuit. Astruens Ducatum praefatum Legnicensem sortis suae esse, de quo et civium Legnicensium literas patentes produxit. Rex autem Bohemiae Joannes solita vafritie usus literas quidem Legnicensium ad se recipiens, deliberaturum se Wladislao Duci respondit. Boleslao vero Bregensi Duci in cameram paucis arbitris adhibitis, accersito, literas Legnicensium eius monstravit, monens ut et ipse exemplum fratris Henrici Wratislaviensis Ducis sequens, in suam et Regni Bohemiae ditionem concederet. Ablaturum se illi Legnicensem

ſem Ducatum minitans, ſi altercaret. Tertius Boleſlaus Bregenſis huius minaci denunciatione, et propter facultatum ſuarum imminutionem ex prodigo ſumptu et largitione ſequutam, parum animi ad reſiſtendum habens, periculumque altius et alienationem Legnicenſis Ducatus veritus, Joanni Bohemiae Regi ſe ſubiicit, et aliena illicite appetens privatur propriis, et tam ſibi quam filiis, fratribus et poſteris connectit iugum et cathenam miſerandae ſervitutis.

Notabili militum ex Polonia, Rheno, Bohemia et Miſnia numero, adhaerente Bernardo Duci Swidnicenſi, cum ſua gente, item domino de Suevia, item duobus comitibus de Rheno, in Pruſſiam pro agenda in barbaros militia adventanti; Chriſtianorum exercitus, Cruciferis illum dirigentibus, in Litthuaniam et Samagitarum oras deſcendens, primum diſtrictum unum Vuarten, deinde alios duos Ruſſigen et Celogen vaſtat, et caſtrum Piſten conquirit. Barbaris autem diſtrictuum praefatorum callido et vafro ingenio facientibus deditionem, et ſe ſingula obedienter implere pollicentibus, a caede et captivitate eorum temperatum eſt, neque in viros conſaevitum. Sub idem autem tempus Litthuaniae Dux in Livonia expeditionem agens, Epiſcopatu Derpatenſi et aliis diſtrictibus vaſtatis concrematiſque, quinque millia Chriſtianorum apud Livoniam captorum cum caetera praeda et ſpoliorum multitudine Litthuaniam deduxit. Cum vero iſtam Chriſtianorum exercitus vindicaturus, etſi alteram iam appetente hyeme in Litthuanos et Samagitas expeditionem egiſſet, aſperitate tamen hyemis preſſus, nullo memorabili edito opere Pruſſiam remeavit. Verum David, caſtri Litthuanorum Gertin Capitaneus, nihil frigoris ſaevitia motus, cum frequentibus copiis Pruſſiam ingreſſus, diſtrictum Rewel in Livonia vaſtat, et pluribus Chriſtianorum interfectis, Eccleſiis quoque incenſis, et ſacris vaſis ereptis, ſacerdotibus quoque Domini aut captis aut caeſis, quinque millia captivorum et praedam ingentem ſecum ferens, in ſua se recepit. Litthuani deinde et Samagittae subrachim Syomi civitatem Memel et tria castra in eius vicinia oppugnant, et conquirunt, et multis Christianorum illic caesis aut captis, multiplicibus etiam spoliis potiti, tam civitatem quam castra exurunt. Post haec destructum Vuelonu adeunt, et strage magna edita Commendatorem de Capyom cum suo exercitu occidunt, et confligunt, et in multitudine captivorum et spoliorum Litthuaniam revertuntur. Vastavit et David Capitaneus Litthuanorum de Garthin Mazoviae Ducatus, et pluribus villagiis Ecclesiis et viris spoliatis, et incensis, hominibusque aliquibus caesis, etiam plures agrestis captivos Litthuaniam deduxit. Magistro Prussiae Carolo mortuo Vernerus de Orszali substitutus est

ANNUS DNI MILLESIMUS TRECENTESIMUS VICESIMUS TERCIUS

Litthuanorum Principes de suis aliisque gentibus exercitu collecto, videntes sibi superiores terrarum Poloniae vastationes, imponere vastationem vero Pruthenicam prospere et votive provenisse, furtivis clandestinisque itineribus in terram Dobrzinensem, quae tunc a Duce Vladislao Semoviti filio, Vladislai Poloniae Regis germano nepote tenebatur, insiliunt. Ad oppidum autem Dobrzinense caput terrae, in die conversionis Beati Pauli, vel secundum alia annalia in die exaltationis Sanctae Crucis, oppidanis impetum eorum et subitum adventum non praesentientibus, irruentes, illud primum conspergerunt, et illo igneo voragine conflagrato, terram Dobrzinensem diebus aliquot, senes et impuberes occidendo, variis complent spoliis et ita silvis et latebris quibus venerant, ducentes hominum grandem numerum ad decem millia aestimatum, et spoliorum praedarumque magna suppellectili in sua tuguria Litthuanica redierunt. Ab hoc tamen agmine, et a militibus, qui ex Reno, et Bohemia

Prussiam venerant, et a Cruciferis invasi, multa, non faciendo locum pugnae, pertulerunt incommoda, ignique in tecta, et in Barbaros ferro saevitum est, multisque caesis, non mediocris numerus spoliorum et captivorum Prussiam relatus.

Valetudine adversa Gerwardus Wladislaviensis Episcopus in curia Romana, quae tunc sub Joanne XXII° in Avinione consistebat, infirmatus, dum illic annos septem cura Episcopatus sui Wladislaviensis, quem Magister et Ordo Cruciferorum de Prussia confundere moliebantur, serio spiritu defendendo, exegisset, ad ultimum invalescente aegritudine ad extremam horam perveniens, prima die mensis Novembris spiritum Christo reddidit, et in Ecclesia Sancti Joannis Evangelistae fratrum Praedicatorum requiescit tumulatus, in Pontificatu Wladislaviensi tribus et viginti annis exactis. Joannes autem Papa praedictus, capitulari electione non expectata, cum vacatio Ecclesiae Wladislaviensis reservationi in corpore iuris clausa esset, solius Sedis Apostolicae provisioni reservata, Matthiae de Golanczewo Decano Wladislaviensi, tunc in Avinione praesenti, de Episcopatu tertia die mensis Decembris, et pontificatus Joannis Papae praedicti anno septimo providit et ipsum Ecclesiae Wladislaviensi praefecit in pastorem. Qui de mandato summi Pontificis a Petro Episcopo Penestrino Cardinali in Episcopum nono Januarij anni subsequentis consecratus, in Poloniam ad sedem suam rediit, et favore Wladislai Poloniae Regis suam provisionem et consecrationem gratificante, a Clero et populo processionaliter exceptus pacificam Ecclesiae suae adeptus est possessionem. Cognominatus autem est praefatus Matthias Episcopus Palukha, vir nobilis de domo et familia bipennium, de villa Rosznathawy ex patre Slawnik Castellano Nakliensi ortus. Cuius mater cum duodecim filios uno partu et prodigiose effudisset, caeteris omnibus eo die quo geniti et baptizati fuerant extinctis, Matthias praefatus solus supervixit, quod et illorum numero unus asseritur extitisse.

Ludovicus

Ludouicus Bauariae Dux Romanorum Rex competitori suo in Romanorum regno Friderico Austriae Duci, cum auxilio Joannis Bohemiae Regis deuicto, et deinde sibi pacificato et reconciliato, Italiam ingreditur, et obsessa Pysa ac deuicta Romam aduenit. Magna populi laetitia susceptus. Ubi in contumeliam Joannis Papae vicesimi secundi, qui Friderico Austriae Duci contra ipsum fauerat, Fratrem Petrum de Corbaria ordinis minorum in Papam erigit, qui illico ut suae insaniae nihil deesset, nouos Cardinales creat, et Ludouicum Romanorum Regem in Imperatorem in Ecclesia Sancti Petri coronat. Et ab illo die Scisma magnum in Ecclesia Dei inualuit, Joanne Papa cum curia sua in Auinione existente. Intelligens autem Ludouicus Romanorum Imperator Italorum animos fluxos et variabiles esse, et tradimentum a Romanis veritus, Joannis enim Papae ingenijs utens, duos Cardinales, unum de domo Columnensium, alterum de domo Ursinensium creauit, relicta Roma et Italia, ducens secum suum Papam et Cardinales ab eo creatos in Alemaniam rediyt. Et quadraginta duos annos imperauit, et censuras Apostolicas nihili pendens, dum venationi daret operam cadens ex equo collique ceruice fracta expirauit.

ANNUS DNI MILLESIMUS TRECENTESIMUS VIGESIMUS QUARTUS

Dobrzinensis terra, et per Lithuanicam incursionem et per Cruciferorum de Prussia continuam vexationem quae illam praedis et spolijs partim publicis partim secretis non sinebant quietam esse, vehementer afflicta et penitus desolata, Vladislaus Dobrzinensis Dux et Vladislai Poloniae Regis germanus nepos, videns quod terram praedictam non valeret aduersus duos aduersarios potentes defendere, veritus etiam, ne terra ipsa in Cruciferorum venire cogeretur ditionem, sano usus consilio ad Vladislaum Poloniae Regem tunc Cracouiae agentem, personaliter accedit, illumque obsecrat et rogat, quatenus sibi et genitrici suae Anastasiae, relictae olim Semoviti Ducis Dobrzinensis in magno angustiarum discrimine constituto, subveniat, et aliquod dominium, in quo cum matre sua praedicta honestum statum ducere posset, consignet, post mortem suam cum orbus et sine liberis esset, ad ipsum et Regnum Poloniae reversurum. Terram quoque Dobrzinensem cum castris et municipijs illius ab eo acciperet resignatam, ne eam a Barbaris vel Cruciferis occupari contingat, profitens se non posse intendere ad illius defensionem. Vladislaus autem Poloniae Rex communicato Consiliariorum suorum consilio precibus praefati Vladislai Ducis Dobrzinensis et iure permotus sanguinis et necessitatis, ampliora quam petebat, terram videlicet et Ducatum Lanciciensem tam ubere gleba quam introitibus alijsque conditionibus optimis, terra Dobrzinensi multo superiorem, sibi et matri suae Ducissae Anastasiae ad vitae duntaxat tempora concedit et largitur et inscribit, et sibi illius dat plenam possessionem, terra nihilominus Dobrzinensi ab eo recepta. Cuius desolationibus et iniurijs Vladislaus Rex Poloniae plurimum compatiens, ad eius defensionem, locationem, et refectionem plurimos sumptus et curas, singulari enim ad illam afficiebatur charitate, tanquam eam quae avita successione eum contingebat, impendit.

Ad componendum differentiam et litem annis iam aliquot inter Archiepiscopum et cives Rigenses ab una, et Magistrum Livoniae fratresque suos partibus ab altera, gravi odio vigentem, duo Apostolici Nuntij Rigam pervenerunt, qui Regem Lithvaniae Gediminum adeuntes, relinquere idola et fidem Christi suscipere persuadebant, omnes tamen conatus reciderunt in irritum. Sub quo tempore David de Gartin Capitaneus, iussu eiusdem Ducis Gedimini, terram Mazoviae hostiliter invadens, oppidum Poltowsko Episcopi Plocensis et centum triginta villas incendit in die Sanctae Elizabeth invadens, caedibus, flammis, et spolijs universa vastavit, et triginta Ecclesias Parochiales incendit et

quatuor millia animarum in captivitatem duxit;
Alius quoque Litthuanorum exercitus in Livoniam de
scendens, eam in aliquot locis vastans, praedam cum
captivis reduxit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS VIGESIMUS QUINTUS

Sollicito studio et sedula meditatione perpendens
Vladislaus Poloniae Rex plures terras Regni sui Polo
niae Litthuanorum furtivis et clandestinis inva
sionibus, abductis colonis, que inhabitatoribus vacua
tas et desertas esse, Litthuanisque rapta praeda fu
giendi facultatem non facere, sed in terras suas, sil
vis densis, fluminibusque lacubus et paludibus stagnosis,
clausas, lupino et ferali more reverti, quas si illum
cum exercitu ingredi ad refellendas propulsandasque
iniurias contingeret, verebatur ne exercitus suus
fame deficeret victualium, neque enim terra illa tunc sere
batur, sed Litthuani silvestribus feris et piscibus aqua
ticis contenti, agriculturam et caetera ad usum et vo
luptatem hominum pertinentia negligebant, contabesceret,
et vel cum pudore iacturaque sua ampliori quam hosti
rediret, vel hostili impugnatione languidatus fame
periret, aut in silvis ignotis circumventus, turpem de
ditionem aut ignominiosam mortem subire cogeretur.
His igitur crebra deliberatione cum praelatis et Ba
ronibus suis calculatis et digestis, dum efficax reme
dium pro rescindenda Litthuanorum lupina invasione
diu quaesitum reperiri non posset, illud captum et
tractatum est, quatenus affinitatis et parentelae vinculis
iungerentur, si quo modo homines ferales ad mansuetudinem
victumque humanum possent reduci. A Gedimino itaque
Litthuanorum ea tempestate Principe supremo, missis
procis Vladislaus Poloniae Rex filiam in coniugium filio
suo Principi Casimiro dari optat, non aurum non argentum,
expertes enim omnium fuerunt tunc Litthuani erant, sed omn
captivorum qui superioribus annis in Polonia regionibus per
Litthuanos capti et abducti erant, restitutionem pro
dotalibus

dotalibus muneribus ferunt latiorem. Cum magna gratulatione Gedeminus Lithuaniae Dux procis auditis in affinitatem huiusmodi ultroneum iuxta conditionem interpositam, praestat consensum, et Nuntiis Regiis filiam suam tradens, omnes Polonorum captivos cuiuscunque sexus, status, vel conditionis relaxat, et in Poloniam ad sedes suas remittit, Relaxatione itaque captivorum dotata, Cracoviam perveniens, a Nanckero Cracoviensi Episcopo de fide instructa, gentili errore deposito, et barbaro nomine abrogato, in Cracoviensi Ecclesia, vigilia SS. Petri et Pauli baptysmatis unda abluta est, et Anna nominata, quam Casimirus Princeps, regius filius, qui iam annum sextum decimum attigerat, in Parentis utriusque et Praelatorum Baronumque Poloniae praesentia, in eadem Cracoviensi Ecclesia solenniter agente Nanckero Episcopo Cracoviensi missarum solennia, desponsat, et nuptiae iuxta magnificentiam regalem Cracoviae cum magna omnium hilaritate et tripudio celebrantur. Pace autem per huiusmodi affinitatem inter Polonos et Lithuanos composita, et si qui ex Lithuania soluti redierant, et alii Poloniae inhabitatores securitate bona praestita, terram diutius ferentem sterilitatis opprobrium colere adorsi, sub brevi tempore mirum in modum non veteres solum sed et novas in quibusdam vacuis locatas villas fecerunt habitabiles, et multorumque hominum locatio~~ne~~, divinitate praestante faecunditatem, tam hominibus quam terris locupletem et refertam, tam Polonis quam Lithuanis a bellis quibus se impetere consueverant quiescentibus, et magnam inter se observantibus animorum unionem atque charitatem

Cracovienses et Sendomirienses milites, iussu Vladislai Lokthek Poloniae Regis, Mazoviam hostiliter ingressi, illam magna depopulatione vastant, et civitate Ploczensi conquisita, flammis ipsam tradunt, spoliis illic pluribus potiti. Vuenceslaus enim alias Vnanych Mazoviae Dux conditionis suae oblitus, et federibus saepissimis Regni Poloniae tortus, cum Cruciferis de Prussia foedere inito, eorum hostilitatem infestam contra Regnum Poloniae omnibus suis conatibus et studiis adiuvabat, In cuius ultionem expeditio ipsa cum collectione gentis propria acta est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS VIGESIMVS SEXTVS.

Hostili luctuq respectu qua a Litthuanis terris Regni Poloniae solebat inferri, sublato, et propterquem in tantos adversarios et rebelles crebro dispositam expeditionem intermitti oportebat, Vuladislaus Poloniae Rex revocatis in animum plurimis scandalis et iniurijs quibus Regnum Poloniae per Marchiones Brandeburgenses superiori tempore, et in interfectione dolosa Przemislai Regis, et in vastatione Pomeraniae terrae eiusdemque iniqua venditione fuit multifarie lacessitum, expeditionem ea aestate contra Marchiam Brandeburgensem, et Vuoldemarum eius Marchionem indicit. Et contractis magnis sui Regni gentium copijs, solatijs etiam vicinorum populorum videlicet Ruthenorum, Vallachorum, et Litthuanorum stipatus, Marchiam Brandeburgensem citra et ultra Odram sitam, post festum Sancti Joannis Baptistae ingreditur, et a Brandeburg usq in Francofordiam, quanto latius fieri poterat, populationem iussit extendi, Neq expugnationi castrorum aut urbium intendit, sed omnia rura et villae dabantur in depraedationem et in flammam. Et cum universam Marchiam, complendo omnia spolijs, caedibus, et flammis, sine resistentia aliquali plurimum itineris conficiens, pertransisset, Residentibus copijs firmavit castra, Equitibus in hostium agrum pondum volatum excursionem facere iussis. A quibus dum praeda omnis generis hoste nusquam resistere audente, adducta fuisset, neq enim Marchiones Brandeburgenses in patulum prodire aut acies conserere cum potentijs suis ausi erant, ditatus praeda ingenti et spolijs, magnisq rerum copijs cum universo exercitu suo, sanus et incolumis, Vindicatis et debellatis Saxonibus, pluribusq eorum in captivitatem abductis, talione reddita, Poloniam felix et sospes triumphator redyt. Multa foeda in ea expeditione in Ecclesias Dei et Monasteria religiosarum, in virgines quoq et matronas, et mi- cum Polonis una militantibus, Vladislao Poloniae Rege, a barbaris nequicquam ausus sacrilegos et nefarios inhibente, commissa sunt, et impuberes atq senes caesi, in captivitatem vero miserabilem a Polonis et Litthuanis plusquam sex animarum millia abducta. Sanctimonialis quaedam cum stupri vim a Barbaro pateretur, instructurum se illum, si se ab ea contineret, spopondit, quo pacto nullo unquam ferro posset violari, experimentum promissi ferendo cruciamentis primum sumpserunt. Id dum barbarus exequitur, virgine occisa, ludificatus, didicit servandae venerandaeque pudicitiae gratia, in id facinus ab ea se arreptum, morteque ipsa exemplum relinquens, menti honestae atque Deo deditae magis pudicitiam curae esse, quam vitam. Miles quidam Polonus Andreas ex Mazovia, iniurias suas et gentis suae a Dauid Lithuano Capitaneo in Gartsin illectas, aestuans ultum iri, in Lithuanorum exercitum, iam tunc a Poloniae Rege licentiatum venit, et praefatum Dauid in omnium conspectu obtruncans, persequentium illum Lithuanorum manus effugit. Centum quadraginta villae et totidem Ecclesiae igni vel absumptae sunt, duo Cruciferorum, et duo Monialium Monasteria extructa.

Sexta Maij die Bernardus Slesiae et Swidnicensis Dux gener propter filiam, Vuladyslai Poloniae Regis, obijt. Cuius filius Boleslaus cunctis sibi succedens fidelitatem incontaminatam erga Regnum Poloniae servans, alijs omnibus Ducibus Slesiae a Regno Poloniae apostatantibus, et se in servitutem Regis et Regni Bohemiae dedentibus, in fide et obedientia Regis et Regni Poloniae solus duravit, furore et infamia plenum ducens, proprijs et naturalibus Regibus neglectis Bohemicos praeponere.

Sub hoc anno et tempore Nankerus Cracoviensis Episcopus per Ioannem Papam XXII ad Ecclesiam Vuratyslauiensem, per mortem primum Henrici de Vurbna, deinde Viti, vacantem translatus est. Translationis autem suae causa potissima fuit, quod dum Ecclesia Vuratyslauiensis, per mortem Henrici de Vurzbina Episcopi Vuratyslauiensis viduata extitisset, fuit super ea integro fere septennio et amplius, per duos Vitum videlicet et Lutholdum in discordia electos, in curia Romana litigatum, et licet Vitus triumphasset, vix tamen octo diebus post victoriam supervivens, morte ut demonstravimus fuit subtractus. Ne igitur praefatam Ecclesiam Vuratyslauiensem lite superiori depressam, novis litibus et iacturis involui contigisset, Episcopus Nankerus postulationi de se per Vuratyslauiense capitulum, quod Ecclesiam Vuratislauiensem, providentia et sagacitate ipsius Nankeri instaurari et refici credebat, consensit. Alapae etiam contumelia, quam a Vuladyslao Lokiek Poloniae Rege pro exigentione quaestioni institit, et defensioni iurium Ecclesiae suae Cracoviensis, constanter se opponens, pariter pertulit, ipsum impellente, dum in Ecclesia Cracoviensi sex annis cum dimidio sedisset. Nankero autem Episcopo in Wratislaviensem Ecclesiam translato, Joannes Grotsonis de Slupcza nobilis de domo Rawitarum succedens, a Joanne Papa xxij° in Episcopum confirmatur Cracoviensem. Et licet Vladislaus Poloniae Rex alium, videlicet Ottonem Praepositum Gnesnensem, Cancellarium Regni Poloniae in Episcopum Cracoviensem, missis etiam ob id specialibus clientijs promoveri institisset. Joannes tamen Papa de conditione Joannis Grotsonis, cum quo in Studio Bononien familiaritatem contraxerat, item de moribus, de prudentia, de scientia, notitiam habens, precibus Vladislai Poloniae Regis neglectis, Joannem Grotsonis de Slupcza velut suum notum, et contubernalem, pronunciat et promovet in Episcopum Cracoviensem motu proprio, et ipso Joanne Grotsonis penitus ignorante; qui decima octava mensis Junij in anno subsequenti, in Cracoviensem Episcopum consecratur per Janislaum Archiepiscopum Gnesnensem, nobilis generis; ex patre Grotsone, et matre Anna, de domo et familia Rawitarum.

ANNUS DNI MILLESIMUS TRECENTESIMUS VIGESIMUS SEPTIMUS

Principes Poloniae, Slesiam iure successionis paterna obtinentes, Bohemorum Regno vicini, et signanter Opolienses, Theschnenses, Glogovienses, Legnicenses, Zeginenses, Olesnicenses, Stinavienses, Falkembergenses, Bregenses, in acerbam invidiam, molestiamque amaritudinem provocati, quod Vladislao Lokthek sibi imposuerint Regni Poloniae, ipsis inconsultis et invitis, diadema, et quod se Poloniae Regem vocitet, et gerat, cum Poloniae dominia potiora sub eorum Ducatibus consisterent, minorque et inferior portio in qua Vladislaus Poloniae Rex imperitabat, ea in qua ipsi principabantur, videretur, unde illum non Poloniae Regem, ne appellatio ipsa in synonimia vulgata, amplitudinem eorum expressam diminueret, titulique eorum detraheret et aboleret fulgorem, sed Cracoviensem Regem et ipsi vocitabant, et a suis subditis mandabant vocitari,

tamen ne Vladiſlaus Rex Poloniæ ſucceſſor, marte virtuty
adeptus potentiam, illos aut eorum filios vel nepotes ſibi et
Regno Poloniæ faceret feudales et ſubiectos, pluribus con
gregationibus mutuo habitis, et quod illi pro cintando
iugo, per patrem quondam Principem, ſed etiam nunc vix
dimidiam et humiliorem partem Regni Poloniæ obtinentem,
imponendo, facere expectat, crebris tractatibus decernunt.
Invidia autem, qua Polonorum genus anxius, quam cæte
rarum nationum, ſicut in principio operis præfatus ſum, e
xercetur, operante, ad id Ducum præfatorum et eorum
Conſiliariorum pervenit maligna conſpiratio et conſenſus,
ut ad Joannem Bohemiæ Regem tunc ipſi Vladiſlao
Poloniæ Regi hoſtem infeſtum, deficerent, et nullius iugi
et ſervitium nulla amplius re quam livore impellente,
et nonnullis cauſis quas expreſſimus, ſe transferrent,
Abrogata itaq; nobilitatis ſuæ libertati, qua in eamdem
uſq; perfundi erant, tam ſtirpis ſuæ vetuſtate, qua ex Re
gum Poloniæ illuſtriſſima domo originem acceperant,
quam poſteritati ſuæ futuræ, imperij dedecus, pectore
invidia depravato, ingeſturi, ad prædatum Joannem Bo
hemiæ Regem, liberalitate et largitionibus etiam eos, ad
ea quæ animo deſtinaverant, invitantem, Pragam ac
cedunt, et ſtirpis, conditionis, atq; nobilitatis ſuæ obliti
in iugum ſervitutemq; Bohemicum ſeſe ſupponunt, et præfato
Regi Bohemiæ præſtant cum ſuis Baronibus et nobili
bus homagium, et fidelitatis atq; obedientiæ debitæ iu
ramentum. Neq; tanti mali patratione contenti in ali
ud facinus provecti ſunt. Candidam enim Aquilam quæ
eſt Regni Poloniæ univerſale inſigne, et quam ipſi quoq;
pro armis et Ducalibus ornamentis geſtare conſueverant,
immutant, et hi quidem albam in nigram, alij in glau
cam aquilas, cum camporum varietate et permixtione
transmutant, ne quid commune cum Poloniæ Regno ha
bere viderentur. Procurante autem humani generis
hoſte, et ſuperſeminante in optima quondam terra loliū,
Principes et nobiles Sleſiæ adeo Polonos contemptos et
exoſos habere dehinc cœperunt, ut de eorum felicitate,
amplitudine, et gloria mordeantur et doleant, in eorum
vero caſibus et infortunijs magnopere lætentur et exultent.
Nec ulla gens in vicinatu Regni Poloniæ conſiſtens fer

tur esse Polonis, quantum gens Slesitica, magis aut invida, aut infesta, quia in rechiam suam demonstrant apostasim, et repudiando uterum suum, a quo exivit, licet ab ea pietatis, charitatisque materna ubera, quibus quoslibet Slesiae principes et alumnos ad se in suis necessitatibus et pressurijs confugientes iuxta ac proprios, solatur et refovet, nunquam fuerint aversa. Sperans aliquando in tam praecipitem errorem lapsos filios, ex regione dissimilitudinis, ad se suumque gremium, revertendo excussoque errore, quandoque propitiatione inspiratos superna, reversuros. Factionem autem praefatam illustris Princeps Boleslaus Suidnicensis Dux, filius Bernardi Ducis execratus, et reliquos Slesiae principes, ne ea contaminarentur, prudentissima persuasione admonuit, et ipse ne in eam prolaberetur, quantumcunque altis Regis Bohemiae oblationibus, potuit pervinci, Poloniae se Ducem clamitans, et a Poloniae Regni unitate et corpore nunquam discessurum, fratribus, consanguineis, et nepotibus suis, in vita et morte, ne in dissensionem sequestrationemque trahi se permitterent, interminans.

Ultima mensis Julij die Cruciferorum exercitus, quem Otto Crucifer provincialis ducebat, et Vianko Masoviae Dux, qui eisdem Cruciferis praebebat personalia solatia, in terram Cuiaviae facto hostili descensu, illam spolijs, et flammis vastant, Castrumque Nowale circumvallantes expugnant, et concremant. Nec erubuit praefatus Vianko alias Venceslaus Masoviae Dux viperino more, uteri sui, nationis, et gentis, corrosor et vastator cum gente Masovitica existere, et perfidiam grandem nullo unquam tempore abolendam, Sirrino foetore olidiorem, de se posteris relinquere; Communione et consanguinitate identitateque sanguinis et idiomatis, tam Dux ipse qui erat Vladislao Poloniae Regi tunc nepos prope germanus, ex patre Boleslao patruele fratri germano Duce Masoviae genitus, quam ipsa gens Mazoviae, quae debebat exitium et Regni proprij et gentis Polonicae non secus quam perniciosam pestem abhorrere.

Nona die mensis Martij Lithuanorum Princeps collecto ex proprijs gentibus et alijs finitimis notabili exercitu, itineribus secretis et invijs Saxoniam ingreditur, et circa Francofordiam supra Odram statim positi vniversam terram Saxoniæ quamvis superiori anno per Vladislaum Poloniæ Regem bello vexatam et attritam, in suis residuitatibus et reliquiis barbarico more invadunt, Saxonesq; capiunt, et nemine adversante rapta præda, festina fuga in Litthuaniam revertuntur.

ANNꝰ DNI MILLESIMꝰ TRECENTESIMVS VIGESIMꝰ OCTAVVS

Obstinatos et Censurarum Apostolicarum rigorem contemptui habentes, Magistrum et Ordinem Cruciferorum de Prussia, Vladislaus Poloniæ Rex perpendens, tactusq; nimia cordis anxietate, quod patrimonium suum et hæreditatem terram Pomeraniæ annis iam prope viginti occupassent et eam detinerent occupatam, castra et fortalicia nimis fortissimis erigentes in eadem, et omnia iura divina et humana, quibus eos Vladislaus Rex ad restitutionem dictæ terræ Pomeraniæ stringi induciq; sperabat, ducentes in ludibrium et abusum, sciens vidensq; sibi patrocinium Censurarum Ecclesiasticarum, in quibus sordescere, quam occupata reddere malebant, in nullo profuturum, imo ea Cruciferos rebellionis et maioris pertinaciæ animos induisse, expeditionem contra illos indicit, et solatia a genero suo Carolo Vngariæ Rege cæterisq; vicinis Principibus contrahit, armis iniuriam suam et Cruciferorum improbam temeritatem vindicaturus. Ordinatis itaq; exercitibus, qui et ex propria gente et ex solatiis auxiliatorum in grandi numero convenerant, in potenti virtute Chelmensem terram ingreditur. Neq; expugnationi castrorum aut vrbium intendit, sed omnem terram Chelmensem vsq; ad Ossam vastat, et omnes villas eius atq; curias flammis consumit. Pervagataq; terra Chelmensi et exusta nullam resistentiam reperiens, Cruciferi enim mænia tantummodo tueri contenti, occasionem pugnandi non faciebant, nolentes in apertum prodire discrimen. Itaq; omnis regio, nullo resistente facile patuit direptioni. Cum omni præda et vniversis illic comprehensis et quæsitis spoliis, sanus et incolumis, Poloniam, deinde Cracoviam est feliciter regressus. Vbi præstitis donationibus his qui secum vna militaverant, externis auxiliis

auxiliis

xilijs eos plurimum pro virtute et merito cuiuslibet honoratos et ornatos in propria remittet. In Ducem autem Masouiae Venceslaum, alias Vuanhonem, Vladislaus Rex iustam iram gerens, quod Cruciferos hostes suos publice et clandestine, gentibus suis et victualibus in eo bello iuverat, misso exercitu, omnem fere Ducatum suum igni et spolijs vastavit. In cuius ultionem vicissitudinariam Cruciferorum exercitus, cum praefato Vuanhone Masouiae Duce et gentibus suis, terram Cuiauiae hostiliter ingressus, eam spolijs et igne vastabat. Militibus autem Poloniae vastationem suam repressuris, in aciem prodeuntibus, duro certamine inter utrosque commisso, frangitur Cruciferorum et Mazouitica acies, et Duce Vuanhone Masouiae per fugam sibi et suis consulente, Commendator Thorunnensis ductor Cruciferorum exercitus, ferme cum suis omnibus occiditur, et universus hostilis in exterminium datur exercitus.

ANNꝰ DÑI MILLESIMꝰ TRECENTESIMUS VIGESIMUS NONUS

Digresso autem Vladislao Poloniae Rege ex terra Chelmensi, et in Cracouia quiescente, Ioannes Rex Bohemiae Comes de Luczemburg sollicitatus multis Cruciferorum largitionibus et promissis, cum exercitu ex Bohemis et Almanis mercenarijs militibus, congesto, Prussiam advenit, Cruciferis auxilium contra Vladislaum Poloniae Regem laturus. Cuius adventu Prussiae Magister Vuernerus de Orzela, qui postea ab uno de ordine miserabiliter interfectus, occubuit, et Ordo Cruciferorum in magnam superbiam erecti, in terram Dobrzinensem, eodem Ioanne Rege Bohemiae, et suo exercitu comitatus, aciebus ordinatis, resistentia nusquam praestolata, in veris et quadragesimae tempore, descendit. Et castro Dobrzinensi vallato, illud machinis proiectionibusque lapidum, aliquot septimanijs nocte ac interdiu quatiebat, gentibus Regijs strenuam et animosam opponentibus defensam. Tamen omnibus propugnaculis et munitionibus castri demolitis et dirutis, castrum Dobrzinense Magister praedictus, per deditionem Pauli de Spicimir dicti Ogon, Palatini Lanciciensis qui in illo erat tunc Capitaneus, et aliarum gentium regiarum, quae nullatenus ad eius defensionem poterant amplius intendere, comprehendit, et totam terram Dobrzinensem, praefectibus, et tenutarijs Regijs et his nobilibus qui violare fidem Regi promissam nefas ducebant, exclusis, in suam redigit possessionem atque potestatem. Committebant autem Regij milites cum gentibus Cruciferorum particularia certamina et multos ex illis et praesertim qui frumentatum pabulatumque ibant, referebant triumphos. Sed et naves, in quibus flumine Visla vehebantur, pro Regis Bohemiae et Cruciferorum exercitibus victualia, suffocatis gentibus eas ducentibus, interripiebant, et Cruciferorum agmina quam maxime lacessebant. Occupatione autem terrae Dobrzinensis et castri novi vacantes, nono Calendas Maij in civitatem Vladislaviensem, frater Herstung Crucifer, qui castrum Dobrzinense tenebat, cum multitudine exercitus ex eodem castro improvisi adveniens Ecclesiam Cathedralem et civitatem Vladislaviensem singulas Canonicorum domos spoliat, et ipsam Ecclesiam, cui saepe barbari pepercerant, cum civitate et domibus Canonicorum igni supposito exurit, Sanctorum reliquias, quae servabantur in ea, novo, quinimo nefando sacrilegij genere, cum omni decore et ornatu earum, et nonnullos homines, Ecclesias quoque et villas in circuitu, igni incendio concremaverunt, et quamplures alios etiam in Cimiterio eiusdem Ecclesiae crudeliter occiderunt. Matthiae Episcopo et Canonicis eiusdem Ecclesiae alijsque clericis et Laicis habitatoribus civitatis Vladislaviensis post combustionem ipsius, edictis poena capitis et mutilationis membrorum prohibentes expresse, ne domus seu quodvis aliud aedificium aedificare illic quovis modo praesumerent. Territorium insuper Ciechocin ad mensam Episcopalem pertinens occupantes, nulli alij nisi Magistro et Ordini, census, decimas et tributa mandabant solvi et in omnibus deferri et obediri. Deducit post haec et Joannes Bohemiae Rex et Prussiae Magister Wernerus suos exercitus Masoviam, et civitate Plocensi per plures dies impugnata et obsessa maximis spolijs et incendijs Masoviam afficiunt. Dux autem Masoviae obligante se Joanni Regi Bohemiae, ut ei tanquam Poloniae Regi subesset, obsidio soluta est. Crudelitatem debitatem corde gestatum et odium in Polonos depromens, dum non in Sanctuaria solum, sed etiam in sacras aedes, et ei virgini, cuius se, licet falso, regulares profitentur, dicatas, flammis et spoliis grassarent. Violentam insuper, et quamdiu perduraret iniustam, sic Magister et Ordo habere terrae Pomeraniae possessionem, a Joanne Bohemiae Rege praedicto, qui se, ut superius memoravimus, non solum Bohemiae sed et Poloniae Regem et gerebat, et titulabat, data grandi argenti, auri et pecuniarum summa, petit terram Pomeraniae velut per Regem Poloniae, et plenam ad id potestatem habentem, de novo conferri, donari, et inscribi, venditioni, et resignationi Voldemari et Joannis Marchionum de Brandeburg quam superius ~~[illegible]~~ commemoravimus, ratus erat, prout irritam et inanem et absque viribus esse, nullitatem viris magis quam efficaciam ostensuram. Praefatus autem Joannes Bohemiae Rex et sacra auri cupiditate, et livore, quo in Vladislaum Poloniae Regem flagrabat motus, praedictam terram Pomeraniae, nullo iure, titulo aut proprietate eum contingentem, praefato Magistro Prussiae Wernero, et Ordini Cruciferorum donat, largitur, resignat, et inscribit, ab omni posteria ridendus aetate, qui ad eam levitatem temeritatemque se prece et precio trahi permisit, ut alienas terras et dominia usurpatione nefaria venderet, et ementum improba instantia ac largitione pellectus, sortes haereditatesque alienas pro libito donaret, et conferret. Potest etiam in praemissis maximus ambitionis Cruciferorum Ordinis ardor notari, qui, ut terrae Pomeraniae occupatio posset eis licentius provenire, donationem praefati Regis Joannis Bohemiae de praedicta terra, quam sciebant verum et legitimum patrimonium Vladislai Regis Poloniae existere, et etiam insigne ex provinciis Regni Poloniae esse, non sunt veriti petere, donationis ipsa violentam occupationem terrae Pomeraniae apud homines duntaxat, non Deum, qui non operum solum sed mentium inspector et retributor est, contectum. Sed ne his qui rerum harum et meritorum causae ignari sunt vana quaedam et deliramenta in patriae favorem nos eatenus sensisse, copiam donationis Joannis Bohemiae praedicti, pro verificatione omnium praemissorum, quae talis est, annectimus.

Nos Joannes Dei gratia Bohemiae et Poloniae Rex, ac Lucemburgensis Comes ac Elysabeth per eandem gratiam eorum Regnorum Regina ac Comitissa Lucemburgensis, collateralis sua, ad universorum notitiam tam praesentium, quam futurorum, volumus tenore praesentium in perpetuum pervenire, quod cum inter singula pietatis opera, quibus ad aeterni Regni pervenitur solium, illud maxime animarum saluti prodesse credamus, cum religiosis locis, aut Deo dicatis hominibus, qui Domino quotidie famulantur, aliquid, de quo proficientes in melius augmentum suscipiant, datur liberaliter et confertur. Jam quia religiosi viri fratres videlicet Bernardus de Orzela, fratrum Ordinis Hospitalis Sanctae Mariae domus Teutonicorum Hierosolimitanae Magister Generalis, ipsique fratres terrae Prussiae domini, quorum conditio laudabilis, vitaque ac religionis sacrae gestat exercitium memorabile, nos afficit, graves ac intolerabiles pro dilatione fidei Orthodoxae, ob cuius etiam defensionem contra Lithuanos et ipsorum sequaces quoslibet, hostes Christi pestiferos, prout ipsi vidimus, murum inexpugnabilem se exponunt, angustiati, fessi, caesi, et irremediabiliter saepius et afflicti. Nos, ut Magister et fratres praedicti labores et expensas ac curas huiusmodi in se et suis adiutoribus ac subditis, ferre, ipsique intendere ut antea, et resistere fidei Christianae oppressoribus possint ubilibet, participationem bonorum, quae per eos sunt ubilibet, operum, summopere affectantes, ut de bonis mundi huius caelestia nancisci, et Regum domino conregnare aeternaliter mereamur, pro praedecessorum ac successorum progenitorum ac haeredum nostrorum nostraque animarum salute, nec non peccaminum nostrorum remedio, ipsis Magistro et fratribus ac toti Ordini communicatam manum pari consensu ac unanimi voluntate, nulla fraude inducti seu dolo aliquo circumventi, puro, libere et irrevocabiliter inter vivos nomine simplicis puraeque eleemosinae propter Deum et venerationem gloriosae virginis Mariae de liberalitate et munificentia regia, consensu nostrorum fidelium accedente, damus, donamus et conferimus

conferimus

ferimus terram Pomeraniae, et quicquid ad eam ~~[illegible]~~ vel in ea, in toto, vel in eius parte, nobis haeredibus et successoribus nostris Bohemiae et Poloniae Regibus aut Regnis, iuris, proprietatis, dominij aut actionis competijt hactenus, aut competere potuit quomodolibet in futurum, ad habendam, tenendam, regendam, utifruendam, et possidendam, per eosdem Magistrum, et fratres, successoresque eorum, ac ordinem totum, iure proprietatis perpetuae pacificae et quietae, quicquid eis aut suis successoribus deinceps placuerit perpetuis faciendum, cum omnibus et singulis quae intra praedictam terram, seu infra aut supra vel etiam subtus terram eandem, cum accessibus et egressibus suis continentur, Cum omnibus videlicet suis iuribus, appendijs, pertinentijs, civitatibus, oppidis, castris, villis, allodijs, campis, agris cultis et incultis, pratis, hortis, montibus, vallibus, planis, rubetis, desertis, vijs et invijs, fluminibus, rivis, sylvis, stagnis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, in aqua vel ad ventum expositis, venationibus, aucupationibus, piscationibus, pascuis, iurisdictionibus, libertis, sculteciis, iuspatronatus, Ecclesiarum, feudis, vasallationibus, militijs, clientibus, subiectis, agricolis, servitoribus, homagio quorumque seu alio quovis titulo, censibus, redditibus, proventibus, et fructibus, et universaliter cum omnibus et singulis utilitatibus, quae habentur supra infra vel intra terram praedictam, vel etiam sub terra eadem, in Mineris, vel metallis, auri, argenti, cupri, stanni, plumbi, ferri, vel gemmis aliorum cuiuscunque, et etiam lapidibus, sale, vel alijs obventionibus quibuscunque et in quibuscunque rebus consistant, integrum cum omni usu seu regalitatem. Nobis aut alteri nostrum, successoribus seu haeredibus nostris ex eis vel praedictis rebus aut quolibet earum modo aliquo pertinentem, nihil in eadem terra, aut suis pertinentijs nobis haeredibus vel successoribus nostris, proprietatis, iuris, actionis, vel dominij penitus reservantes. Ut autem haec nostra praesens donatio pure et simpliciter propter Deum, sicut premittitur et rationabiliter ac iusta donationis titulo celebrata et consummata, robur perpetue obtineat ~~[illegible]~~ firmitatis, promittimus nostro heredum ac successorum nostrorum nomine contra eam nullo unquam tempore facere aut iure facere vel venire per nos vel alios publice vel occulte in toto vel in parte, nec eam ~~inmutare~~ immutare in vita vel in morte, occasione ingratitudinis cuiuscunque, seu tam presentium, quam etiam supervenientium liberorum. Volentes ad maiorem certitudinem, vel etiam cautelam, ut ex nunc Illustris Carolus primogenitus noster fide prestita corporali loco iuramenti, spondeat et promittat, dictis Magistro et fratribus, pro se suisque successoribus stipulantibus, quod dictam terram seu aliquam eius partem per se vel alios nullo unquam tempore impetat de iure, vel de facto modo aliquo seu requirat. Sed ipse cum omnibus suis contentis donationem huiusmodi ratam gratam habeat firmiter, in futurum. Renunciantes sponte et expresse pro nobis nostrisque successoribus et haeredibus universis exceptioni doli mali in factum, actioni, beneficio, restitutionis in integrum, constitutioni et consuetudini cuilibet contrariae, literis et Indulgentijs Apostolicis, imperialibus, seu a Romanis Regibus impetratis, vel etiam impetrandis, omnique iuris Canonici vel civilis auxilio, per quod nobis, haeredibus, aut successoribus nostris saepe prefatis, posset aliquod suffragium, Magistro vero aut fratribus seu ipsi etiam Ordini praenotatis praeiudicium quodlibet generari. Porro etsi ipsa terra seu aliqua eius pars Pomeraniae per Illustrem Dominam nostram Elisabeth Bohemiae et Poloniae quondam Reginam relictam quondam recolendae memoriae Domini Wenceslai olim Bohemiae et Poloniae Regis soceri et praedecessoris nostri, vel haeredes eius fuerit impedita, ipsam terram et quamlibet eius partem ab impetentibus, et quolibet impetente desbrigare et liberare nostris promittimus laboribus et expensis. In quorum omnium testimonium et cautelam, praesentia fieri et sigillis nostris iussimus communiri. Datum et actum Thorun Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo

Sicut verum Dominum honorant. Praesentibus Spectabilibus et nobilibus viris fidelibus nostris. Jofrido Comite de Lunnige, Henrico Comite de Vulnow, Ulrico domino de Hanow, Petro de Rosenberg, Henrico de Lippa, iuvene Wilhelmo de Lanstein, Timone de Kolurz, Ottone de Bergow, Bernardo de Sumburg, et alijs quamplurimis idoneis et fide dignis quos in omnium supradictorum testes duximus requirendos

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS TRIGESIMVS

Festivitate Sancti Joannis Baptistae proximante, cum ex nimio fervore Solis segetes in maturitatem debitam ultra solitum cursum perductae essent, Wernerus de Orzela Prussiae Magister mercenario milite ex Almanis et Bohemis conducto ad oppugnandum terras Regni Poloniae proximas, ex assistentia et instigatione Joannis Bohemiae, ausus fremens in frequenti et numeroso exercitu ad Castrum Nakiel veniens, illud nona Julij capit, et exurit. Ubi et Capitaneum eius Henricum militem cum alijs defensoribus comprehendit. Abinde autem in terram Cuiaviensem, et castrum Wyszegrod descendens, illud conquisitum exurit. Ne autem castro Radzeiow potiretur, et regnum ex illo praedijs et spolijs affligeret, gentes regiae antequam Magister ad illud pertingeret, sponte igne adhibito illud septima die Julij consumunt. Adducit postea exercitum ad castrum Episcopi Vladislaviensis Racianz, et illud pluribus diebus machinis arietibusque instrumentis fortius quo potest quatit et oppugnat. Et licet plures nobiles utriusque sexus homines, qui fortunas substantiasque suas illic deposuerant, viriliter defensioni castri institissent, non tam castro, quam personis, coniugibus, liberis, pignoribusque et substantijs suis, quae illic congesserant, consulturi, crebra tamen bombardarum iactione omnibus oppugnaculis aut confractis aut debilitatis, dum nec quisquam posset defendentium oppositionibus consistere, pactione quoque ex quo castrensibus aqua referebatur, esset illis Cruciferorum potentia ademptus, multique tam senes quam parvuli siti periclitarentur, quartodecimo die mensis Julij patefactis undique introitibus castrum Raciasz conquiritur, et Magister Prussiae cum suo exercitu pluribus pecunijs, armis et thesauris, variaque rerum et spoliorum suppellectili potitur. Plurimos etiam homines nobiles et plebeios illic captos et miserijs solutos ex pacto quadringentibus Marcis Polonicalibus a Magistro redimunt, et in pristinam libertatem restituunt. Et quoniam in castrorum conquisitione multos insignes milites amiserant, neque enim cessit illis sine multa sanguinis effusione victoria post strages cladesque, tum accepta magna illos pænitudine et amaritudine pro disideratis, quorum numerus in decuplo strage hostili superior erat, afficere, in rabiem quandam versi, suorum parentando funeribus omnis Poloniae generis homines tam senes quam adultos, viros et mulieres, et quod horrendum est, sacerdotes et ministros Dei, parvulosque et sugentes ubera miserabiliter perimebant, spolijsque et cædibus hujusmodi non contenti, etiam in tecta innoxia et in villas circumiacentes, quæ post superiora incendia pauca remanserant, et quæ aliquantulum fuerunt refecta, flammis ea demoliendo, sæviebant. His autem patratis in domos pluribus suorum amissis revertuntur cum magna spoliorum et pecorum præda. Capti autem fuerunt in conquisitione castri prædicti Swantoslaus frater Matthiæ Episcop. Vladislaviensis germanus, item Vincentius Castellanus de Starogrod, Nicolaus Zablotsky, Nicolaus de Volya, et alij quamplures, interfecti vero ~~plures~~ Paulus de Crosgno iudex Gnewkoviensis, Zira de Hlohya, Demetrij Surta incarius Brestensis, Bogutha filius Cristini Iudicis Vladislaviensis, Albertus de Trzaslowo, Czolo de Smarszowicze, Jacobus de Raciansz et alij quamplures. Quintadecima quoque mensis Septembris castrum Gnewkoviense per eosdem Cruciferos conquiritur, et crematur. Ad solvendum autem fratrem suum Swantoslaum castrosque captivos et ad rehabendum castrum Raciasz ceteraque bona in Pomerania per Cruciferos occupata Matthias Wladislaviensis Episcopus tanto ferebatur, sive id pusillanimitas quaedam, sive carnalitas efferebat, affectu, ut iniussu Wladislai Poloniae Regis et sui consilii, Sabbato cum Magistro Prussiae Vernero apud Thorun in die Sancti Bartholomaei conveniens, ignominiosum foedus sub et Capituli sui Wladislaviensis firmatum literis foedus pepigerit, omnes decimas terrae Pomeraniae manipulares, quae sibi et suo Clero iuxta morem vetustum Regni Poloniae et provinciae Gnesnensis manipulatim de quolibet grano solvi consueverant, remiserit, in sex tantummodo grossos obligando se praefatae remissionis primum Metropoliticam deinde Apostolicam confirmationem infra unum annum expediturum, mensam suam Episcopalem et cleri sui beneficia vehementer mutilando.

Cruciferis autem in Prussiam divertentibus, Wladislaus Poloniae Rex, qui sub omni illo tempore quo Cruciferi terras suas hostiliter invaserant, magna cura et studio exercitum de propriis et externis gentibus congerebat, volens cum Cruciferis nisi celeriter excessissent, decernere. In sui quidem solatium et Ungarorum exercitus, cui Wilhelmus Austriae Dux praeerat a Carolo Ungariae Rege missus, et Gedemin Lithuaniae Dux cum Litthuanorum et Samagitarum exercitu personaliter advenerat, terras Cruciferorum in forti robore sui exercitus ingreditur, et terram Culmensem passim urit, et depopulatur. In ultionemque suorum qui per Cruciferos inhumaniter caesi erant, caedes in omnes ubilibet late exercendo, nec ulli sexui aut conditioni indulgens. Clauserant autem Cruciferi Regi Wladislao iter et ripas utrasque fluvii Drwancza per aliquot milliaria, arctis sudibus truncis Oxygonis fascibus, et lignorum compaginibus communierant, locatoque suo exercitu ex altera parte fluvii Drwancza, in quo et Prussiae Magister Vernerus de Orsla et Livoniae Magistri personalem praesentiam agebant, regium operiebantur

tur adventum, transitum sibi per fluvium Drwancza et bombardarum provisione et campestri praelio, confisi de viribus gentium suarum robore et arte qua fluvium munierant, prohibituri. Rex autem Wladislaus ad fluvium Drwancza perveniens, pluribus diebus illic consistere coactus est, quorumque enim Rex se cum exercitu vertebat, illic Cruciferorum copiae e regione sua adventabant, et ne Rex cum gentibus suis fluvium Drwancza in locis praesertim languidiorem undam habentibus, superaret, summa vi summaque cura bombardis atque telis uti nitebantur. Rex autem nova agrestis instructione, vado fluminis comperto, a flumine Drwancza motis stativis iter in retrogradum flectit versus Brodniczam se simulans iturum, ut hostes a defensione ripae avertat, Locat autem in sylvis abditisque locis gentium suarum expeditarum aliquot millia, hisque mandat ut quam celerius possent, hostibus a ripa aversis fluvium superent, fumoque signum praestent, Quae omnia dum iuxta Regis ordinationem provenissent, et omnis exercitus Cruciferorum ad Brodniczam divertisset, credens ut Regem illic venturum, milites Regii ex statione prodeuntes fluvium Drwancza absque impedimento et prohibitione aliquali transeunt, et fumo iuxta quod fuerat imperatum, Regi qui ad tria milliaria versus Brodniczam iter confecerat, signum ostendunt. Quo Rex accepto reflexo itinere et gradu concito ad fluvium Drwancza et hesterna stativa sua perveniens, flumine Drwancza circa molendinum Lubicz facile superato, molendino conquisito et incenso, et his qui erant in praesidio caesis, aliquibus captis, acies ordinat, conflictumque cum hostibus magno aestu magnaque aviditate praestolatur. Iustis enim armis indutas et copias tam pedestres quam equestres habens exercitatas et pugnaces, nihil avidius quam cum hostibus pugnam conserere, et aut gloriosam victoriam ex hoste tam infesto et improbo referre, aut honestam mortem si ita fatis datum fuisset, obire aestuabat. Cruciferi autem praeter spem atque opinionem

Suam exercitum Regni Marti virtute suoque multo superiorem fore videntes, cum et exercitum habuerant ex novo et Mercenario milite et multis generibus collectum, nec illi satis fidere auderent, certare in certamine et aperta acie decernere discriminosum putantes, dissoluto campestri exercitu in municiones et castra discedunt. Rex autem desiderio pugnae fraudatus, latius mandat vastationem extendi, milites autem imperata Regis exequendo, omnem terram Culmensem igne cedeque et spolijs infra dies quindecim conficiunt, et quoslibet vicos et civitatum suburbia exurunt, fretusque multitudine et militum numero abundans, multas passim manus in Prussiae regionem, et in extrema quaeque finium praedatum mittebat, praedamque et magnam vim pecorum aliquoties exactam in Poloniam remittebat, agros vastans, vicos exurens, oppida funditus demoliens, multa illic fortiter egit, multos agros hostilis incendijs et populatione vastavit, et tempestatis instar multa solo stravit, Descendit posthaec in Dobrzinensem terram et castrum Dobrzinense expugnare aut intercipere satagens, aliquot diebus in eius expugnatione immoratus, dum videret illud strenue defendi, in Culmensem terram regreditur, et circa castra Schonsee et Lipno aliquantulum immoratus, in ulteriora producere exercitum parabat. Caduceatores ex parte Magistri et Cruciferorum apud Grudzancz existentium, cum blandis oblationibus de pace missi, Regem a proposito avertunt, qui cum tam potenti exercitu etiam terram Prussiae ultra Ossam positam potuisset quemadmodum in animo destinaverat posuisse in desolationem et exterminium, suasque iniurias ulcisci, restitutione terrae Dobrzinensis, et omnium castrorum ac munitionum, quae in illa alijsque locis Cruciferi locaverant primus percepta, de campestribus statim excedere, et ab ampliori terrae vastatione abstinere, firmatis inscriptisque Treugis ad diem Beatae Trinitatis anni futuri.

turi duraturis consentit. Ea tamen conditioneque interposita ut super occupatione terrae Pomeraniae et damnis inde sequutis, durantibus Treugis, Carolus Vngariae Rex pro parte Vladislai Poloniae Regis, pro parte vero Cruciferorum Joannes Bohemiae Rex arbitri tunc electi haberent plenum posse iustum pronunciandi arbitramentum, et compellendi utramque partem ad suae decisionis observationem. Haec etenim conditio Vladislaum Poloniae Regem amplius movit, ut armis depositis Treugas acciperet, sperantem per illam suae haereditatis et patrimonij absque effusione sanguinis Christiani restitutionem proventuram. In hunc modum pax in diem Beati Joannis Baptistae per sufferentias composita, guerra atrox intercepta est, et Vladislaus Rex Poloniae cum omni exercitu suo incolumis et alacer in Regnum suum, Litthuaniae Duce Gedimino in Lithuaniam divertente reversus

Carolo Vngariae Regi pluribus iam annis statum agenti in Vngariae Regno beatum et tranquillum ab omni bellico fremitu interno et externo circumscriptum, dum et pulcherrimorum filiorum numero putaretur inter mortales felicissimus, et rara prudentiae dote, qua plures ante se Reges anteibat, tam subditis quam advenis esset spectabilis et admirandus, subito in tam clara stabilique serenitate grandis tempestas coorta pene cum eius filiorum statum evertit, et in miserrimam sortem felicitatis eius cursum, nisi divinitas propitiata providisset, mutavit. Erat namque inter Barones Vngariae quidam nobilis Felicianus nomine vir primum sortis mediocris, et qui superiori tempore in Matthaei de Trenczino Palatini Transilvaniae obsequijs moratus, ab eo in gradum praecipuum fuit evectus, relicto ad Regis Caroli obsequia se conferens, favore largitioneque Regis celebris inter Barones primores habebatur. Regis insuper Caroli animum sedulitatis et obsequiorum officiis adeo devinxerat, ut quaeque Regis abdita et penetralia pro quolibet tempore sibi paterent promiscue. Caecitateque cupidine occupandi di Regni, magnis ausibus inflammatus, tam Regē quam Reginam et prolem eorum caede cruenta summovere in animo destinat, et ad perferendum temerarium scelus, saepe de loco et tempore, quo id aptius exequeretur, secum tacitus pertractat. Dum autem Carolus Rex feria tertia post Octavas Paschae quae erat dies Martis, decima octava mensis Maij in curia ante castrum Vissegrod sita, cum consorte sua regina Elisabeth, et duobus filijs Ludovico et Andrea inter prandendum consisteret, nullusq; ex militibus et custodibus corporis praeter ministros tabulae deservientes, et hos quidem paucos et numero adesset, Felicianus filio et familiaribus aliquot comitatus, solita licentia, Rege vescente ingressus, acutissimum mucronem, quem sub clamide tectum gestabat, vehementissimo impetu, et qualem spes et extrema desperatio causabant, in Regem vibrat, et reginam. Quibus subito periculo perculsis, contra mucronis tamen ictum, dextras pro capitum opponentibus incolumitate; Carolo Regi in manu exiguum, licet tamen vulnus inflictum est, Elisabeth vero Regina dextra, qua orphanos et pauperes alere, miserabilibus personis ministrare, vestes sacras et ornamenta sarcire, et alia pietatis opera solita erat exercere, amputatis quatuor digitis mutilata. Ad pueros deinde Regios, fratres duos conversus, in eorum necem toto nisu, priorem in parentibus admissum correcturus errorem, velut furibunda fera grassabatur. Sed curatoribus et paedagogis puerorum periculum in se excipientibusq; conatus Feliciani recedunt ad irritum. Perhibente autem quibusdam rumore Joannes filius Alexandri de comitatu Potohen aule Scenis ingenuus, qui Dapiferi officio tunc fungebatur, Felicianum in pueros regios, crudelitatis et necis opera edere anhelantem, primus aggressus, sic uno ictu inter collum et scapulas inflicto, repressit debilitavitq; ut omnes

distulerit

deflueret praeceps in terram. In quem caeteri milites et servientes Regis, certatim pro fide declaranda irruunt, et corpus multis pugionibus attritum, in partes discerpunt. Capitur et tunc Feliciani filius, qui familiaribus pro magnitudine periculi et sceleris in fugam versis, ut patrem fuerat deserturus, nequaquam potuerat evadere. Comprehenduntur et in fuga Feliciani satellites, et tam ipsi quam infelix Feliciani filius ad caudam alligati equorum, tamdiu per vicos et plateas tracti sunt, donec ossibus nudatis miserrime expirarent, quorum cadavera passim per vicos iacentia, cum illis sepulturae officium exhiberi iudicaretur indignum, a canibus discerpta, atque depasta sunt. Testa capitis Feliciani Budam, manus vero, pedes et caetera cadaveris membra in principaliores Ungariae Regni civitates distributa, in terrorem et notitiam tanti facinoris portarum valvis affigenda ablegantur. At filiam tandem ipsius Feliciani Claram quidem nomine, sed sorte et proventu obscuram, furor militum eiusdem in ultionem tentatae mortis et vulnerum regiorum, operam navantium peremit. In curia Reginae Elisabeth inter virgines nobilium Reginam concomitantium morabatur, pulchritudine et forma excellens, facile omnium aliarum decorem praeminebat. Sed valentibus ad haec militum animis, nec formae dilatum est. De grege puellarum extracta, quoniam facinoris paterni credebatur fuisse conscia, in naribus, labiis, et utriusque manus digitis truncata, per civitatis vicos et villas in spectaculum semianimis et misera ducta, vociferare crimen suum et paternum confessione publica compellitur, iuste illi truncationem membrorum, propter scelus in Regem, Reginam et prolem eorum, non cupiditate Regni sed iniuriae magnitudine tentatum, accidisse. Hac excruciata altera filia Feliciani nomine Zeba natu maior, quae cum marito Kopay connupserat, capite damnata est, et filii Kopay in exilium acti, plures denique alii praefati Feliciani fratres et cognati, aut morte aut exilio mulctati sunt.

Nonnulli in Polonia venientes illic perpetuum agunt incolatum, vocitanturque Amadewones, aquilam albam sine pedibus pro insigni nobilitatis deferentes, quorum successio et genus, quamvis in humili et vix nota sorte, etiam et hactenus perdurat. Habet et nonnullorum assertio, Felicianum militem in eam rabiem lapsum ideo fuisse, quod Elisabeth regina Ungariae filiam ipsius Feliciani Claram apud se demorantem, germano suo Casimiro filio Vladislai Regis tunc in Ungaria agenti, eius decore rapto, prostituendam tradiderit, vel ut prostitueretur, dissimulatum vultum et animum gesserit. Valetudinarium enim se praefatus Dux Casimirus, quo facilius fames libidinis suae impleret, fingens velut languens, lecto iacere coepit. Ad quem visitandum cum soror germana Elisabeth Hungariae regina, a qua plusquam germano diligebatur affectu introisset, et cordisque illi non corporis aegritudinem, qua super virgine Clara cruciabatur amore, probe nosset, familiaribus qui aegrum observabant quasi secum nonnulla secreta tractatura, de cubiculo eiectis, sola illic non nisi cum praefata virgine Clara eam comitante remansit, et verbis aliquibus in speciem factis digressura, virginem Claram apud Ducem Casimirum prostituendam reliquit, rata prostitutionem huiusmodi parum aut nullius momenti culpam fore, et nec prodituram ad publicum, neque aliquod causaturam discrimen. Divinitati autem sceleris prostitutionis exhorrenti, secus omnia quam Regina Elisabeth arbitrabatur, provenere. Virgo enim Clara a Casimiro Duce prohibito oppressa prostitutaque, prostitutionis suae dedecus Feliciano parenti secrete celatum re observans, stuprum suum insinuat. Qui indegnitati rei et iniuria permotus ad obtruncandum Carolum Regem et dominum suum et Elisabeth reginam coniug pignora, secundo Casimirum Ducem ex Hungaria in Poloniam abysse, animum destinat, et obtruncationis facinus ordine quem descripsimus attentans, sibi et universae domui suae miserabiles cruciatus intexuit. Asserit

Pannoniae

Panoniorum proceres, ex eo die, quo [illegible] facinus apud illos patratum est, omnem felicitatem ab illis et regno eorum defluxisse, et innumeras clades et vastationes a barbaris etiam usque ad nostra tempora derivatas in illos venisse. Elisabeth etiam Ungariae Regina opprobrium ministerij sui in vita et morte ferre coacta, Kikutawa Regina, in vulgari Polonico quod significat manu manca vocitabatur. Casimiri vero Ducis expost Poloniae Regis semen parvo tempore durans ultio divina delevit.

Sorotium huic sed alioquin exaturandibus, in Hispaniarum annalibus legimus accidisse. Gotthorum enim Rex Rodericus, filiae Juliani Comitis Spattanorum apud curiam suam dimoranti vim inferens ab eodem Juliano Comite, Arabicis illum adminiculantibus circa fluvium Vedelar octo continuis diebus dimicans conflictus et occisus est. Et universis fere Hispanis ab Arabibus occupatis, Gotthorum genus Asiae Europae et Africae inclita triumphis, unius hominis pessimi data flagitio, prope in exitiale excidium exterminiumque acta, armis Arabicis ingruentia succubuit.

Casuali et extraordinario periculo Carolus Ungariae Rex evitato, in aliud atque ingens, voluntarium quidem et deliberatum, non tam sibi quam suis exitiale est prolapsus. Bazarado enim Valachiae Voiwodae, suggerentibus, et ad id eum multipliciter sua superbientibus, Thoma Voiwoda Transilvaniensi, et Dionisio Baronibus bellum causa belli non extanti indicit. Thoma et Dionysio praefatis, Valachiae ambientibus principatum. Zeuerino autem expugnato et Dionisio tradito, Legati Bazaradi veniunt ad Carolum, petentes ut ab armis discederet, Bazaradum septem millia marcarum argenti, et Zeuerinum, dato filio pro vade, ei largiturum, et in potestate sua futurum, ulteriorem in terras suas expeditionem, sine Regis et exercitus sui periculo transigi non posse. Rex autem Carolus atque humilibus legatorum superbe respondens, comminatus est Bazaradum velut unum ex bubulcis et pastoribus ovium suarum e tugurijs per barbam extracturum. Et licet a consiliarijs rogatus

ut monitus

Vt metuens responsum, susceptis quae offerebantur cederet a sententia et priori responso non poterat dimoveri, et promoto exercitu, non provisis commeatibus, neq itineribus exploratis, Alpes et invias syluas, arctaq intravit loca. Illas quoq diebus aliquot peragrans, famis inedia, antequam eas superaret exercitus, laborare caepit. Ad quam restringendam, ampliora etiam Regem veritum discrimina, Treugae pacis a Bezarado magis petitae, quam datae sunt, ea conditione apposita, ut a Bezarado darentur periti et fideles itinerij Duces Regem Carolum et copias exercitus eius compendiosiori via, in plana Vngariae reducturi. Sequebatur itaq Carolus Rex et suus exercitus Duces a Bezarado datos, iter monstrantes, nullum dolum, pace data hosti reconciliato, inesse praesumens. Duces autem itinerij iuxta instructiones et mandata quae a Bezarado acceperant, Regem et exercitum eius ad stricta et arcana montium perduxerunt, ubi Valachi et a fronte et a tergo exercitum Regis invadunt, caeteri autem superne tela et saxa iacientes, plures mortales, cum nec pugnandi nec resistendi praestaretur facultas, tuti ipsi ab omni invasione, passim miserabili morte confecerunt. Carolus Rex sero superbae responsionis et spretae oblationis et consilij paenitens, dum videret fortissimos quosq milites suos absq dimicatione ante conspectum suum et oculos morte indigna confectos esse, induvijs, insignibusq regalibus ne agnosceretur abiectis, et in filium Dionysij de Sow nomine collatis, qui et ipse postea Rex creditus, saxis et telis obtritus est, fugam capessit, et cum paucis ignominiosam mortem, aut calamitosam captivitatem aegre evadit, reliquus exercitus regius aut miserabili morte aut turpi captivitate vel fuga confectus. Valachi omnium rerum, quas tantus consueverat habere exercitus, sine bello potiti, reliquias miserabilis exercitus, sacerdotibus etiam dominis qui Regem comitabantur, non parcendo, aut crudeliter trucidabant, aut pro voto depraedabant. Carolus Rex fuga cum paucis salvatus, in Visegradum privato sordidoq habitu plurimos lugu

bres

bris ejulatus et lachrymas, de strage et ruina sui exercitus vociferans et effundens pervenit, praesentibus et posteris abutendi Summi oblatione, et conditione hostis inflato spiritu aspernandi efficax praebitura remedium

Sextodecimo Calendas Junii Venceslaus alias Vanko Mazoviae filius iunior Boleslai Mazoviae Ducis ex Bohemia susceptus crudelis et severus in milites et subditos in Vuisegrad moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur, filium unicum Boleslaum, quem ex filia Gedimini Lithuaniae Ducis susceperat relinquens

Sub Pontificatu Joannis vicesimi secundi Archiepiscopo Rigensi tunc in Romana curia agente, fratres domus Theutonicorum Sanctae Mariae de nigra cruce, post varias oppressiones, violentias, et damna, fundatoribus suis Episcopis Livoniae et eorum subditis illatas, civitatem Rigensem a primaeva eius fundatione ad Rigensem in temporalibus et omni dominio, pertinentem Ecclesiam invadunt, obsident, expugnant, et occupant Eo nimirum in Archiepiscopum Rigensem fundatorem suum usi officio, quo et Cruciferi de Prussia in Reges et Principes Poloniae fundatores suos in occupanda terra Pomeraniae usi fuerant

Decima nona Octobris in castro Mariemburg Wernerus de Orszla Prussiae Magister ab uno suorum fratrum Cruciferorum Joanne de Rudorff in caenaculo multis vulneribus confossus interiit, et poenas occupatae Pomeraniae terrae dedit. In cuius locum Lutherus de Brunswik successit

Pisani Petrum Corbariensem, fratrem Ordinis minorum electum Romanum pontificem, quem Imperator Ludovicus in Germaniam transiens Pisis reliquerat captivant, et ad Joannem summum Pontificem in Avinione tunc degentem transmittunt. Apud quem errorem suum confessus, vitam sibi tantummodo concedi suppliciter exorabat, sed iussu Papae in carcerem honestum trusus et triennio molestias captivitatis perpessus interiit Praefatus secundum Ludovicus Imperator moleste ferens se a Joanne Papa xij° excommunicatum nuntiari, praefatum

tum Petrum Corbariensem civitatem Ecclesiae scissurus, in Antipapam erexerat, Schismaque vicesimum primum introduxerat, quod parvo tempore duravit, eodem Petro Corbariensi capto et cedente.

Vladislaus Primus Poloniae Rex missis ad Joannem vicesimum secundum in Avinione tunc agentem, notabilibus Oratoribus, et exposito quanta bella, invasiones, depopulationes, terrarum Regni sui a Tartaris et Lithuanis barbaris, interdum simul coniunctis, interdum sparsa manu et clandestinis invasionibus, Regnum Poloniae attriverant, praedaque citato agmine rapta, senibus etiam puberibus necatis, pubentibus vero in servitutem miserabilem redactis fugientes abduxerant, petebat se passagio universali sive Cruce contra Tartaros et Lithuanos danda a Joanne Papa, et consignatione aliquot millium florenorum, quo facilius barbaris fieret resistentia, iuvari. Summus autem Pontifex interpositis quibusdam rationibus et excusationibus utrumque negavit. Ne tamen Regios nuntios vacuos a se remisisse, absque aliqua consolatione videretur, Jubilaei anni gratiam in festo Sancti Stanislai in Maio tribus diebus, et in translatione eiusdem Sancti Stanislai in autumno aliis tribus diebus in Ecclesia maiori Cracoviensi agendam concessit, ea conditione, ut quilibet illam meriturus duos aureos in capsas imponeret in defensionem contra Tartaros et Lithuanos barbaros a Vladislao Poloniae Rege convertendos. Agebatur itaque Cracoviae in utroque festo Sancti Stanislai annus iubilaeus et multitudine magna et universo Regno Poloniae Sed et ex regno Ungariae, Slesiae ora, vicinisque partibus concurrenti; non mediocris summa auri collecta est, et in defensionem Regni Poloniae per Vladislaum Regem praefatum fideliter conversa.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TRIGESIMUS PRIMUS

Bellum per Vladislaum Poloniae Regem cum Cruciferis de Prussia gestum, etsi anno superiore prout demonstravimus per Treugam, aliasque conditiones, pacem perpetuam esse

duras

treugas, fuisset dilatum, Cruciferis tamen conditionem in Treuga appositam negligentibus, et Joannem Bohemiae Regem iuxta obligationem suam pro decidenda quaestione et lite super terra Pomeraniae exorta, non adducentibus, nec pollicitationem et conditionem huiusmodi in aliquo parentibus, licet Vladislaus Poloniae Rex Carolum Ungariae Regem ad diem et locum constitutum satisfacturus conpactatis adduxisset, mox de integro renovatum, maximoque Regni Poloniae periculo, summam rerum, nisi propitiatio divina tulisset remedium, cursurum, gestum in ea plurimum est. Id autem ex re et occasione ut fit tenui, ortum, maximum parturivit conflictus, incendium. Vladislaus enim Poloniae Rex ad obeunda belli imminentis munera, ad expediendas quoque Respublicas, Regni sui quae corporalem requirebant praesentiam, videns se gravatum et senio grandaevum esse, in festo Benedictae Trinitatis in oppido Chanczyny XIIII Junii generalem omnium terrarum suarum tenet conventionem, ubi et de bello cum Cruciferis gerendo, et de rebus publicis expediendis Praelatorum et Baronum suorum sano usus consilio, certas facit ordinationes et edicta. Inter quas filium suum Ducem Casimirum viginti et unum annos natum, castum adolescentem ea indole ut iam tum appareret eius Regnum opulentius, quam id quod a patre successurus erat facturum, terris Maioris Poloniae praefecit, et plenam illarum gubernationem et administrationem in singularum rerum ut domestica rite curarentur, et reliqua, quietior esse, curis magis longinquarum loci terrarum ~~soll~~ solutus, Cracoviae consistat, ad reliqua, abrogato destitutoque Vincentio Posnaniensi, Palatino, a Maioris Poloniae Capitaneatu, demandat, pluribus monitis et interminationibus illum obstringens, ut iustum in subditos ageret imperium, et pro recuperanda terra Pomerania, caeterisque partibus Poloniae Regni, a Cruciferis, Saxonibus, et Bohemis occupatis, omnes conatus labores, et studia conferret, Invasiones quoque Ruthenicas, pubescentibus tunc lacertis, patrum imitatus morem, et militum robore refelleret, habiturus in omnibus, si metum et amorem divinum in pectore sincere gestaverit, et a subditis subiectionem devotam, et in singulis actionibus suis continuam prosperitatem. His mandatis filium stabilitum et instructum, et munia patris exequi sollicitantem, in maiorem Poloniam cum militum caterva non sine lacrimarum effusione remittit

tet, Ipse Cracoviam regreditur, Senilis annos in quietis dul
cedine de caetero absumpturus. Sed quod in statu Regni erat
ordinatum stabilimentum, id illico sanam perniciem produxit
-Vincentius enim de Szamorzani Palatinus Posnaniensis, de nobi
litate et familia quae fasciam defert pro insigni et in vulgari
Polonico domus Nalecz vocatur, ademptum sibi maioris
Poloniae Capitaneatum. Et lucris ex illo provenientibus, quibus
eius aestimatio in sublime tendebatur, se privatum graviter et
iniquo animo ferens, magno furore indignatus, non secus
quam aliquam feritatem naturalem, simulque quadam
sua fore facta post destitutionem suam, plurimum
mo et invidiae habitura interius, altum iri, pati fasti
dio patere, sed non ad ultimum excitatae, crimen proden
di Spiritu malignitatis ausum, opus non sane legitimum in animum inducit,
exequendo aut secum aut cum aliquo fido amico, nec in illo quicquam
deliberationis aut consilij captat, sed sine omni cunctatione,
qua potest celeritate; spe novandarum rerum, et cupiditatis
ac superbia furore, effrenata temeritate incensus, ad Ma
gistrum Prussiae Lutherum advolat. Quem cum in Marien
burg offendisset, plurimis verbis et promissionibus pertrahit
eum, ut armis sumptis Poloniam maiorem invadat, num
quam praestabilius tempus, sed maxime affectatum esse astruit, in quo
uberioribus donis fortunae, Magister et Ordo, si id ni ve
lint suapte negligere, potiri possunt, et ordinis sui efferre
dilatationem, cum tam ipse quam omne genus suum, quo
nullum aliud ea tempestate in illis oris ostendebat pra
stantius, partes Magistri et Ordinis essent amplexus, adiu
turi se Ducem belli, se exploratorem, se omnium quae expeditio
illa requirebat administratorem, se denique castra et municipia
maioris Poloniae adhuc sub sua potestate consistentia, resi
gnaturum, et filium Regis Ducem Casimirum, in manus Magi
stri unum pollicebatur traditurum. Tam ampla oblatio
nis et bene gerendi belli quod propediem cum Poloniae regno
gesturus erat, occasionem Magister Prussiae Lutherus neque
quam sibi negligendam duxit, sed satis potenti et frequenti
exercitu qui ex Almaniae regionibus donativo conductus ad
venerat, duos Capitaneos illi praeficiens, videlicet Theodoricum
et Aldemborg Marsalcum et Ottonem de Lutherberk
ex sententia Commendatorum et Vincentij Palatini Posnaniensis
cuncta gesturos in Polonia quam secretius potest transmittit,
in Thorun ipse Magister sub expeditionis tempore mora
turus. Exercitus itaque Magistri superato circa Thorun flu
mine

mine Visla, ad castra et oppida Brzescie et Juniwladislaviam primum Vincentio de Somorzan Palatino ducatum praebente, in die Sanctae Mariae Magdalenae applicat et oppidanis remissas vigilias observantibus, pro hostibus proprijs et amicis creditis, ad ipsas portas, quae patebant, insiliunt, parumque abfuit, ut tam castris quam oppidis praevalere potuerunt, donec per signa, armaque hostes cogniti, per cives militesque in castris consistentes, plurima caede iis qui laxius portes manibusque accesserant, edita ignominiose repelluntur.

Accepta apud Brzescie et Juniwladislaviam non mediocri suorum Cruciferi clade et repulsa, in maioris Poloniae interiora, furtivis itineribus, concito gradu, antequam eorum hostilis ingressus vulgaretur, et priusquam Vladislao Regi tumultuarios milites colligendi ulla esset facultas, Vincentio Palatino Posnaniensi ad circumeundam concremandamque patriam, dirigente, monstranteque viam, perveniunt, et Oppidum Slupczam Posnaniensis Episcopi, nihil tunc hostile veritum, facto repentino insultu capiunt. Quo omnibus fortunis spoliato et incenso, principalioribusque civibus in vincula coniectis, properant in Pisdri; ibi enim filium Regium Ducem Casimirum consistere ab exploratoribus Vincentius Palatinus didicerat, perveniunt. Ea sibi spe proposita quod illic essent praefatum Ducem Casimirum, adventum eorum et incursionem minime suspicantem, occupaturi. Vehementi itaque invasione oppidum Pisdri aggressi, facili illo cum ad sui custodiam neglecta, nulla provisa in defensionem forent, potiuntur. Dux tamen Casimirus, periculo quod imminebat, parum ante denunciato, ex Pisdri cum fidelibus militibus discedens, et in loca silvestria velut tutiora se conferens, spes hostilis favore divino fefellit. Cruciferi itaque nobilem et praecipuam praedam se amisisse dolentes, maiori furore et insolentia in cives Pisdrienses debacchantur, et pluribus captivatis, caeteris caesis aut tortis, oppidum Pisdri cum Ecclesijs et Monasterijs succendunt, spolijs non modicis ditati. Conflagrato autem et spoliato oppido Pisdri, Omensem oram oppido vicinam, citra et ultra Vartham sitam, spolijs et incendijs Vincentio Palatino Posnaniensi in omnia huiusmodi facinora paratos et repressionem verentes urgente, hostium animos corripiunt. Demolitis autem et igni passis plurimis oppidis et villis nullam experti, iuxta assecurationem a Vincentio Palatino praestitam, resistentiam, in Thorun multorum oppidorum et villarum Maioris Poloniae secum vehentes praedam Vincentio

Palatino Posnaniensi etiam illos comitanti revertuntur. Cruciferi siquidem viri magis quam ingenii humani more, in cupiditatem, quo plura per iniuriam occupaverant, ampliorem incensi, nec accessione Pomeraniae contenti, totius Regni Poloniae imperium affectare, aut saltem illud, ne alicui usui foret, delere, si minus, languidare ex mala conscientia, digna quamvis sibi per illud eventura veriti, coeperunt, diuturnam earum terrarum quas impressione et sanguine occupaverant possessionem non habituri.

Successibus et spoliis ex Polonia per exercitum suum Lutherus de Brunswig Magister Prussiae relatis, plurimum exhilaratus, commendato Vincentio de Schamotuly Palatino Posnaniensi, quod fidem promissam sincere custodiens ea qua inerat, exequutus fuisset, maiores animos maioresque spiritus, ipso etiam Vincentio Palatino, illos et fide praestita et in posterum praestanda verbis augente, assumit. Multoque mercenario milite ex Regno et partibus Almaniae conducto, etiam copias non solum ex propriis gentibus, sed etiam ex Livoniae regionibus per Magistrum Livoniae missas in frequenti numero contrahit, et exercitum ingentem ordinat, praeficiensque illi praefatum Theodricum de Aldemburg Marschalcum in Capitaneum, Otthonem pincernam, Zigandum Egelspergensem, Joannem Dobrinensem, item omnes Commendatores singularum terrarum, videlicet Culmensis, Michaloviensis, Prussiae et Pomeraniae, quas superioribus annis dolo et fraude occupaverant, omniumque conventuum pugnatores et milites, ut exercitus esset auctior, illi adiungit, et ad vastandum rursum Regnum Poloniae sub ductu Vincentii Palatini Posnaniensis, quem largitionibus et promissis praesentibus et futuris ad fidem aeque praestandam obligat, transmittit, advenisse rarum tempus et nullatenus negligendum ratus, in quo vastatio Regni Poloniae, et illius quaeque direptio potest ipsis optimum provenire; Regem quoque Poloniae de renunciando iuri terrae Pomeraniae posse impelli. Gravem itaque equitatum et peditum insignem numerum, et milites expertos et armis exercitatos habens, exercitus Prutenicus circa Thorun, cuius Ottho de Lucerburg Commendator provincialis ductor fuerat, Vislam traiecit, et terra Cuiaviae nulla vastatione, praeter commeatum violata, illam enim civis sui et proprietatibus in redimendo facere destinaverat, in terram Lanciciensem perveniunt, et civitatem principalem terrae Lanciciensis, castro per milites regios egregie defenso, conquirunt, et omnes villas eiusdem terrae, atque oppida deflaurimus rendo in girum succendunt. Ex Lanciciensi terra ad oppidum Calisz iter vertunt, et castro conquisito, ab oppido cum multa suorum strage repulsi, quinque diebus Joannis Bohemiae Regis, qui se in mutuum solatium cum Bohemico exercitu venturum spoponderat, praestolando adventum, stativa agunt. Sed adventu Bohemiae Regis frustrati, a Calisz promoto exercitu, versus Zninam et Gnesnam pervenientes, etiam Ecclesiae Metropolitanae Gnesnensi cum suo oppido Znina, Nakel, Srzoda, Pobiedziska, Kleczko, Kostrzyn, et villis atque oppidis passim discurrendo flammas miscent. Flagrabant autem omni studio corpus Sancti Adalberti in Gnesna reperiendum inde auferre. Primum itaque Ecclesiam Gnesnensem adorti, et spe sua frustrati, corpus Sanctum diutius quaesitum nec repertum, caetera Ecclesiae Gnesnensis ornamenta, vasa sacra, et clenodia, non secus quam barbari diripiunt. A Gnesna Vincentio Palatino gressus eorum regente versus Vniejow et terram Siradiensem dantes spolijs et incendijs, violentisque virginum et mulierum deflorationibus et corruptionibus operam, procedunt, et castrum principale Siradiense, castrumque Vniejow, et oppida eis annexa, item oppida, Varthan, Szadek, Staw, et villas circumquaque consistentes, Monasteria quoque et Ecclesias in dictis oppidis et villis consistentes, ablatis omnibus suppellectilibus et rebus quas illic reperire poterant, ignis conflagratione demoliuntur. Priori autem Monasterij Siradiensis ordinis praedicatorum Nicolao genibus curvatis et provoluto apud Hermanum Commendatorem Elbingensem, cuius notitiam bonam, dum esset conventus Elbingensis Prior, contraxerat, supplicanti, ut a caede hominum innocentium, et praesertim a spolio Monasterij eorum et Ecclesiae etiam crematione in quod se plures homines cum bonis et fortunis contulerant, abstineret, et aedibus sacris parceret, despectis precibus Prioris, Pruthenico linguagio pro maiori superbia demonstranda respondit Xeprest quod est non intelligo. Monasterium quoque irruens, singulas res divino nomini in calicibus crucibus, ornamentis casulis dicatas, et fortunas diversorum hominum, fractis concussisque scrinijs et cistis abstulerunt. Monachos quoque Sancti Dominici quotquot in conventu erant, caesos, homines vero utriusque sexus induvijs usque ad denudationem extremam spoliare non verebant. Siradiensi terra spoliata et exusta iterum ad oppidum Calysz exercitus hostilis affluebant, Quod dum aliquot diebus sine aliquo profectu, locus enim alveo fluminis Prozsne, qui in pluribus partibus stagnat, munitissimus, impugnassent, facile natura enim et situ fluminis Prozsne ubique septum, inaccessibilis est, eorum impugnationis, conatus, et studia irrisit, et plures de exercitu eorum propius portas et moenia pro demonstranda animositate tendentes accidere, interceptos iusta nece extinxit. In quorum ultionem Cruciferi in oppidum Konin et in villas et oppida tectaque innocua multifaridius, complendo omnia spoliis rapinis et caedibus saeviebant, cum agris magis quam cum hominibus urendo populandoque impium trahebant bellum. Neque tamen tot incendia, tamque late manantia facinora committere ausi, nisi illos Vincentij de Schamotuly Palatini Posnaniensis, patriae propriae proditoris obstinata iniquitas ad ea peragenda, et incendisset, et admisisset. Quapropter maledictus furor impij Vincentij Palatini, quia pertinax, et indignatio eius, quia dura, vesanus furor animosus indignationem, impetuosus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor honestatis, crudelis in se, homicida in proprios, proditor sui domini, hostis in domesticos, vastator patriae suae, in omnes sibi et domui suae opprobrium sempiternum, omnium pectora Polonorum suam in memoria provocaturus in amaritudinem, et se suamque progeniem facto notatque cauterio.

Tam graui autem et tam horrenda vastatione milites et nobiles Poloniae qui ad lacum Xyczamel et in circuitu eius habitabant cognita, credentes hostes ne ad se quoque penetrarent, septem miliaribus in longum aggerem a Zwolda et Lamga villis incipiendo, usque ad oppidum Quinoszino extruunt, fossaque profunda cingunt, illarumque a se distantes fossato huiusmodi coniungunt, rati hostes trans aggerem penetrare non ausuros. Verum cognito ad lacum praedictum plures milites et agrestes convenisse, et pecus frequens ex regionibus quas vastaverant illuc conditum esse, tria equestrium millia illuc transmittunt, nobilem et frequentem praedam consecuturos. Milites autem et nobiles Poloniae, qui se illuc abdiderant certiores de adventu hostium, denunciantibus agrestibus facti, Vladislaum Poloniae Regem cursant, qui illis Marsalcum suum aliquot antennis Cyruensium suorum transmittit, cum lato erecti, hostibus ad aggerem occurrunt, Quinso copias eorum augentibus, hostes tanta caede confligunt ut pauci admodum evitarent mortem, neminem enim

capi

cæsi, aut captum agrestibus sequentibus servari licebat, evaderent. Cladem tunc Cruciferis inflictam etiam ossium humanorum multitudo in palestrae loco consistens, in eam usque attestatur diem.

Quamvis autem Vladislaus Poloniae Rex cognito Cruciferorum in terras sui regni in forti multitudine altero ingressu, quamvis in aetate paene decrepita constitutus, et in diebus suis longius progressus, Martis opus omne et bellicos strepitus mollities ac temperatis affectibus refugeret, et rugosa iam fronte senex, tepescens viribus et corpus gerens in mortem, senecta corporis ad munera belli invalidus, senilis et languidus, artus superioribus bellis et annis sentiret exhaustos, virtuti tamen erat naturae incommodum, difficultatis et laboris bellici administrationis, instar ira vivacitatem subministrante, et vires. Et cum exercitu plurimorum militum suorum ex Cracoviensi, Sandomiriensi, et maioris Poloniae terris, collecto, hostibus praefatis Cruciferis, tunc terra Lanciciensi insidentibus, occurrisset, statuisset cum illis quamprimum decernere, et tam saevam regni sui vastitatem reprimere, et propulsare, gravis enim, licet non militaribus solum sed domesticis quoque abscessisset muneribus, in corpore tamen decrepito, vigebat vis animi consiliique. Pluribus tamen gradibus copias hostiles suis videns superiores, et plurimum sub signis equitatum in ordinibus stare, a quo si pugnam iniri contingeret, posset sua acies interrumpi, in discrimen universae dimicationis, quemadmodum animo destinaverat, nec satis ad obsistendum sibi virium ratus venire, cum in firmiore robore veritus, exercitum hostilem in omnia quae divertebat loca sequens, ex abditis et insidiosis locis data opportunitate frangi et crebra strage et irruptione duta, afficiebat eos praesertim qui aut pabulatum seu alimentatumque ibant, aut ad spoliandas incendendasque villas discurrebant. Constituerant autem Cruciferi, dum apud Lanciciam in residendo agerent, Regem praelio invadere, ordinatisque aciebus perhaerere illum cogebant ad pugnam. Sed Rex suas tunc vires metiens et de statione prosper secedens distulit certamen. Hinc quoque effectum est ut hostes sua invasione territi, aut prodire longius ad inflammanda rura pertimescebant, aut prodeuntes obtruncabantur, nec late manare potuit ab universo hostili exercitu patratum incendium, huiusmodi repressione et pavore saepius restrictum. Rex interim Vladislaus corpore cruciabatur

tur et spiritu, dum et sui Regni praedam et incendium intueri cogeretur, fumo et favillis sagittis oculos vultumque eius et exercitus sui implentibus, et strepenti clamore plorantium subditorum, opemque suam non tam vocibus quam fletibus exposcentium, ad miserationem moveretur, ad certamen tamen ineundum et suorum paucitate dissuadebatur et aperta periculatione prohibebatur. Fluctuans igitur multa spiritus anxietate, inopsque consilii et quid in tot malis sibi restaret agendum secum volvens, mira dudum exercitati intellectus eruditione inspiratus concepit deficientibus viribus, astu et dolo utendum esse, et eo instrumento vires hostium contundendas fore; quo ipsi quam maxime in gerendo praesenti bello valebant. Ad Vincentium itaque de Schamotuly Posnaniensem Palatinum hostilem exercitum suo ductu suaque industria gubernantem expertae fidei nuntios secretos mittit, monetque illum ut miserae afflictaeque patriae suae, sua proditione in deformitatem etiam hosti lugendam perductae reliquiis consulat, stultitiam quoque suam et ingratitudinem, perversum animum ac intentum patriae afferendum in eius salutem et stabilimentum convertat, nec cunctetur gestis sua proditione traducere ad ruinae languorem, qui patriam hosti prodere duxit non indecorum, habiturus perpetuam impunitatem patratae in Regem et patriam hostilis proditionis, si scelus scelere compensaverit, Cruciferos perduxerit ad mutuam strages et iustae ultionis. Motus his verbis infelix proditor Vincentius, iam enim furori suo pro destitutione sua a Capitaneatu maioris Poloniae, patria in favillam et cineres redacta, et cuius miserabilis imago satietatem praestiterat, poenitentiaque animum subibat in tam horrenda execrandaque opera sibi et posteritati suae perpetuam infamiae notam inurentia recidisse. Offert se ad omnia quae salutem patriae adferre possent fidelem operam in quantum, in omnibusque Regis Vladislai ordinationi. In conspectum quoque Regis nocte praebita oratione Cruciferis quorum exploratum erat opinionibus, per minores consiliis instructa colloquia admissus, primum sibi per Regem et filium suum Casimirum ducem tunc etiam praesentem, petit de his quae in Regem filiumque suum et patriam admiserat ignosci. Quo minus cunctantur obtento hostilem exercitum numero quidem magnum re autem ipsa tenuem et languidum, impedimentis magis quam viris refertum, facile si quis invadere audeat, vincendum, ad fugam magis quam ad pugnam proclivem, et ipso sarcinarum spoliorumque onere sibi ipsi gravem; semper in quaesita amittat paululum, vastam et tumultuariam multitudinem, paucitate expedita cessuram, plurimis verbis sententiisque ad erigendum Polonorum animos astruit et declarat, Et quo minor de relatione sua haberetur ambiguitas, se ad ineundam pugnam, ad invadendum a fronte hostem, primosque hostiles impetus, qui feroces et validi consueverunt esse, excipiendum pollicetur. Magna orationis persuasioneque sua et Regi et militibus audaciam futuri triumphi formaverat, in magnos ausus animos perculsos erexerat neque enim magis posse prodesse amicum in bello, quam cum se hostem fingeret; neque magis nocere hostem quam cum inimicus putaretur. Vladislaus Poloniae Rex magnopere optaverat, adeptus rem spei promittit opportunitatem tribuente fortuna congressionis cum hoste facinus granditer adimpleturus. In hanc spem conclusionemque dimissus, data acceptaque fide, inventus magis quam rogatus, sincere ea quae spoponderat exequendi ad Cruciferos regreditur, parata omnia referens per explorationem didicisse. Vladislaus autem Polonorum Rex etsi probe nosset neque magnitudine se neque numero parem esse futura dimicatione, fortunae tamen rem committendam, et altera die proelium cum hoste conserendum decrevit, praestare enim visum est, omnia extrema perpeti, quam proelium cum eo hoste qui patriam in famulatum redegerat, omitti. Filium tamen Casimirum ex ipsa pene acie iubet in castrorum fortiora loca Gregorio Nekanda militi illius salute et cura commissa, de genere hic Bipennium erat, succedere regno et patriae si hostes potiri victoria forte contigerit suo tempore successurum. Iam exercitus Pruthenicus in Prussiam redibat, iam in regium villagium Plowcze quod alio nomine Blewo dicitur, vicum ignobilem sed futura cladis universorum magnitudine, prope Radzeiow oppidum situm, et sua strage insigniendum pervenerat, opportunum ad explicandas copias, ad ordinandas acies vastam et expeditam habens planitiem, locum liberum, nihil enim silvestre circa est, etiam ad ea quae in vicinioribus sunt habens prospectum, Iam illic hostes stativa fixerat, dum subito Rex et suus exercitus qui retrorsum abysse creditus fuerat, aciebus ordinatis, infestisque signis, illucescente vicesima septima Septembris die, Sole primum oriente, cum exercitu instructo et ordinibus ad pugnam paratis se ostentans, Cruciferos diu an apparere aut decernere auderet discredentes, donec strepitus et fremitus armorum et equorum fidem fecisset, in ambiguitate detinuit, vehementem et subitum pavorem in Cruciferorum castris excivit, in tantam turbationem terroremque convertit, ut vix magno cum clamore et tumultu se colligendi, atque acies et ordines constituendi spatium daretur. Obiectis tamen in Polonos in paucos et impreparatos penetrarent catervis ferreis, tumultuario magis quam iusto ordine Cruciferi aciem constituunt. Correptis itaque Cruciferi armis, aciebus utrinque extructis obviam Regi et suo exercitui procedunt. Wladislaus Rex paulisper ut interim caligo et nebula, quae adeo densa erat, ut vix vir virum cerneret, dissolveretur, suos continens, pro adhortationem militum brevi et abscisa oratione, prout temporis qualitas patiebatur, usus. Hi enim inquit proditoris suspiratis hostes, in quos pergimus, animi Conradi beneficio eleemosinaque adeam usque furiam, quae pro delendo regno meo, ac vestroque sempiterno grassatur exterminio, perducti, qui pro impartitis et susceptis a Regno nostro et gente beneficiis, furiosum sequuti Saladinum, patriam vestram cuius beneficio Saxenus evenerat ademptionem et occupatione iniusta terrae nostrae Pomeraniae et inclitam mediam fratrum vestrorum dem gentium caede et exterminio parum contenti, in ca et incendiis debere conversi sunt, deputantes pudori spoliis fundationibus et originibus eorum superesse memoria. Quodnisi superbia et inexpleta avaritia terras nostras. Quos as occupare gestientes exagitaret furor et fames, visceraque spuerent profecto si non Deum caelestesque superos, quam solo habitu disserunt, religionis normam, suaque certe et suam vocationem Conradi Ducis Poloniae beneficia mi in has oras, et obligationis suae tenorem, qui se et Chelmensi terra conquisita Prutenica expulsuros, qui se et de his Prutenica impartituros, et contra Barbaros Principi victis Poloniae solatia laturos, eorum sceptrum manu, qui in genuas virgines et matronas ceterasque generis nostri feminas libidinibus suis polluere, templa Deo sacrata violare, caedi mares et mulieres innocentes perimere, omnia denique divina et humana pessundare, non sunt veriti. Incredibilis illis audacia regni nostri aut occupandi aut evertendi, insatiabilis sanguinis nostri fundendi sitis. Justis itaque contra tam nefarios homines induti armis, ferocius quo possumus pugnemus. Neminem in loco ubi consistimus ignavum esse licet, haurit hostis tuum, si suum sanguinem fundere detrectaveris. Unusquisque nostrum non se, sed coniugem, sed liberos, sed patriam, caeteraque pignora cogitet. Idque in animo et in respectu habeat qualis nostra virtus in praesenti certamine enituerit, talem deinde fortunas et patriae, liberorum, et pignorum nostrorum fore; Justo nostro certamini ferre divinitatem opem certos vos facio, quae et pro iustitia consuevit stare ara; et hostili agmini pro execrandis facinoribus in hoc impio bello admissis, se monstrabit infestam, poenas debitas ab illo per vestras dexteras exactura. Dispar praeterea pugnandi nobis et illis ratio, illi enim mercenaria militia oppugnatum nos veniunt, plenis spoliis caedibusque profanis, nobisque iniustum bellum inferunt, nos bellum non tam gerimus quam repellimus, multifariisque iniuriis provocati, pro reliquiis miserae patriae, pro coniugibus, et liberis, pro templis et sacris in hac acie stamus, hostes compellunt nos, vim et arma inferentes subditi nos et amici quorum voces exaudire mihi videor, in subsidium vocant. Illic variarum gentium colluvies, et onustum nefariis facinoribus, flagitiis, et spoliis agmen, geminatis spoliis si vicerint potituri. Orabat postremo nonnullos ex nomine appellans, ferrent opem, adiuvarentque, suasque et patriae iniurias pro agro et merso, et adempto ultum irent, nullo alio in loco aeque sibi gloriam paraturos, hunc quisque diem qualis cuiusque sit virtus ostensurum. Sic fatus videns milites sua adhortatione in certamen accensos, canere signa iubet, primamque cohortem, ex quinque unam, in qua Curiensium et veteranorum militum robur fuit, cunctis pro locis ordinibusque muneris sui pollicentibus operam, in medios hostes induxit. Concurrunt autem utraeque acies infensis animis, numero hostis, virtute superabat Polonus, variique tunc martium et animi a Polonis edebantur facinora, ex quibus plures hostium contingebat aut occumbere aut vulnerari, raros capi, paucos enim parcendi aut miserendi Polonos tangebat cura, singulis ad vincendum aut ulciscendum intentis. Anceps praelium aliquanto tempore stetit, in cadentium enim aut sauciatorum numerum, multitudine abundantes, Cruciferi vegetas et integras iubebant succedere acies. Poloni tunc iusta ira stimulante, severa edendo opera, obstinaverant animos vincere aut mori, unde nec referebant pedem, sed quodam indissolubili glutinio glomerati, in eorum, quos straverant, locum, gradum promovebant, praesentiaque Regis non animosis tantummodo sed et ignavis cunctationem auferebat. Accedebat Solis, dieique, dispulsis nebulis, quae maiori ex parte in Autumno suscitari solent, serenitas, mitificum et aptum provehendo praelio, et hilaritatem animis pugnantium infundendo tempus. Curam tamen iniecerat tam Regi quam militibus Vincentii de Samotuly Palatini Posnaniensis dolositas, ne fallaci versutia suae exercitum Polonicum in cladem occultam adduceret, qui patriam omnem incendiis conflagrasset. Ipse tamen Vincentius de Samotuly Palatinus Posnaniensis qui in illam diem in castris Cruciferorum obversatus fuit, Vladislaum Poloniae non fefellit Regem, sed in perturbatos hostes cum gentilibus et armigeris suis irruens, fidior Regi et patriae, post fugam, quam Magistro et Cruciferis post beneficia, plurimam in hostibus stragem fecit, et ad purgandam extenuandamque suae proditionis infamiam, multa suae fidelitatis et strenuitatis decora inspectante Rege

Regi et universo exercitui monstravit, praeliumque in aliquot locis remissius gestum, acclamando, adhortando, non militis solum sed et Ducis munere fungens, restituit, atque notorio et evidenti experimento sollicitationis suae constantiam solidavit. Congruenter quippe contractae culpae in prodenda patria obiurgatus, illam quoque ut sibi fides et honos apud suos posset restitui detersurus, ultimae audaciae, Mortisque offerre in animum induxerat, morte honesta turpem proditionem exornaturus quam quanto fuit crudelius committi, tanto gloriosius adhibita pietate reserari. Caesis in terra prostratisque principalioribus hostium aciebus quas milites de Ordine aut Imperii conducti ducebant, et sub quibus Hermannus Elbingensis et Albertus Gdanensis Commendatores Cruciferorum, insuper longus ordo recedebat dum ad reliquas copias minus animi, minus roboris habentes Polonorum agmen pugnando pervenisset, perculsae suorum strage parumper restiterunt, Polonisque ferocius insistentibus cedunt, et aversa, ut semel dedere terga, etiam certiorem capessere fugam, plenamque Vladislao Regi victoriam consequutam fuisse autumant. Novus exercitus quem Magnus Commendator et Russz de Plauen ducebant, et qui ad obsidendum oppidum Byezoru diverterat, advenit, de cuius adventu Rex certior a speculatoribus factus, Theodoricum de Aldemburg Marsalcum, Otthonem de Bunsdorff Commendatorem et quinquaginta alios sex ex Cruciferis potioribus in superiori certamine captos iussit observari, militesque monuit ne labori succumberent, fortibusque animis pugnarent, eundem fructum suae dimicationis, eamque fortunam in secundo iuxta atque in primo percepturi. Commendatoris itaque magni et Russz de Plauen exercitu veniente praelium ex integro resumptum est, Commendatore magno, quasi certam in sua potestate teneret victoriam, suis mandante, ne quemquam Polonum vivum servarent. Obstinatius autem utrisque pugnantibus Commendatori magno Otthoni de Bunsdorff qui de

aliis

alijs cedi furi usserant imprimis et Hermano de
Elbing, Alberto in Gdansk Commendatoribus, cum pluri
mis alijs caeso, hostibusque pro magna quantitate obtritis,
tumultu turbationeque repletis etiam in fugam spe
ctantibus, plerique Polonis prorumpunt videre, Crucife
ris in fugam conversis, Inde iam non pugna sed fu
gientium caedes permaxima fuit, Polonus enim saevi
quos iniusta caede hostis extinxerat parentumque fu
neribus, magis caedi quam captivitati fugientium in
sistebat. Rex nullum spacium perculsis et fugienti
bus dari oportere existimans, milites exhortatur
magno ardore ut hostes a tergo circumveniant fugi
entes, fortunam illis praeclari sermonis oportunitatem
dare, ut fortunae beneficio usi fugientes capere caedereque
non desisterent, Qui etsi magno labore fatigati,
quantum tamen eorum vires ad persequendum, las
saeque manus ad caedendum valebant, animo ad
omnem laborem parati, partim Regis imperio, quan
tum equorum vires ad currendum, et dextrae ad necan
dum valebant, caedendo tamen, animo vegeto obe
diendo regio imperio fugientes persequebantur. Me
mores siquidem Poloni quanta superioribus et prae
sentibus guerris stupra fammis intulissent, quam cru
delibus incendijs patriam eorum deformassent, nulla
parcendi aut miserendi cura tangebantur, sed de
ditionem offerentes partim trucidabant, ad horam
enim nonarum durant pugna cum in ortu Solis
coepisset, adeo utrique parti ad vincendum pertinacia,
quadraginta et amplius hostium millia caesa ea
pugna feruntur, pauca capta, sterni enim et extin
gui Polonus fugientes malebat, multumque caedis a
iusta ira editum. De Polonis duodecim tantummodo
nobilitate insignes, inter quos fuit praecipui Zegotka de
Moravicza, vexillifer Cracoviensis, Cristinus de Ostrow
vexillifer Sandomiriensis, filius Pramotka Castellani
Cracoviensis

Cracoviensis, et Jacobus de Schmusko Castellanus Tarnoviensis, quingenti de vulgo communi desiderati, ut non mirandum solum sed stupendum sit, tam insignem triumphum cum paucorum dispendio stetisse, Divini muneris nullus ambigat praesentem victoriam benignitati et beatissimi Stanislai Patroni et Prothomartyris Poloniae suffragiis et meritis provenisse, cum et in dicata Sancto translationis die mirificentissimus triumphus acciderit, et tam pauci ex Polonis occiderint. Castris hostilibus omni genere spoliorum refertis, exercitus Polonicus potitus, magnas illic divitias opesque comperiens vehementer ditatus est. Captivi omnes insigniores et inter alios nobiles Russe de Plauuen, qui se ad portas urbis Cracoviensis exercitum adducturum jactabatur, in Cracoviam cum signis hostilibus perducti, locum quem animo metiebatur, in dispari tamen sorte et fortuna attigerunt. Tum primum Cruciferi cum Polonis gerere se bella sentire coeperunt, Superiori enim tempore Cruciferi ordo Polonorum militiam agminaque contempserat, et nunquam se, roburque suum a Polonis vinci posse asserebant. Victoria Cracoviae aliisque locis Regni Poloniae nunciata, laetum spiritum ex admodum tristi in hominibus, et pro incendio Regni afflictis, et pro futuro eventu pugnae, ne in discrimen caderet, sollicitis, creavit. Postero die ubi primum illuxit, Rex in certaminis locum ad legenda suorum corpora, faciemque etiam hostium, hostibus spectandam stragem descendit. Ubi dum suorum legit recognoscitque caesorum cadavera, offendit illic unum de militibus suis, qui in pugna egregie dimicans, multis confossum spiculis habebat corpus, inter caesos et mortuos supinato corpore iacere, vivum, utraque manu patifacto ex vulnere, ventrem, visceraque sua, intestina propria attrectantem, Florianum nomine cognominatum Szary, quem diligentius intuitus, et pia illi miserationi compassus, ad milites illum cunctantes conversus,

sus, quam atrox inquit est sumus nostri militibus quam
contemplamur poena, Tum ille spiritu resumpto, atrocior
est, respondet, si quis durum vicinum in una villa
consistentem, qualem ego sum expertus, tulerit. Tum Rex,
animo aequiori inquit esto, et si ex praesenti vulnere in
columis evaseris, scito te liberalitate mea duri vicini
societate cariturum. Sublatus inde, et perfectam cu
rationem adeptus, regia quoque largitione in equestrem
gradum evectus, stirpi suae quae tres lanceas defert
pro insigni, ex ipso rei eventu proclamationem novam Dzialsza,
abrogato vetusto Koszlerogi indidit. Ossium summa
magnum acervum etiam in praesentem diem in Slowezi
consistentes cladis magnitudinem testantur, quae
Mattheus Vladislaviensis Episcopus aedificato illic
Oratorio contexit. Eam pugnam magnifice gloriosque
gestam, scriptores Polonicarum rerum, annalis, ut
fere omnes caeteras pugnas, absurdo scribendi genere
mandarunt memoriae; quam nec ego scripsissem
extimabimus, nisi a nonnullis, qui dum gererentur in
terfuerant, ad mea usque tempora superstitibus, in
corruptam illius seriem agnovissem. In qua plura
quam quadraginta millia hostium desiderata tra
duntur, ex Polonis tantummodo quingenti. Heroica
spectataque virtute Vladislaum Poloniae Regem eo
bello fuisse notatum est. Maxima enim iuxta ac
minima per se administrabat et adibat, nec provide
bat aut imperabat modo quae in rem essent, sed pleraque
per se conficeret, nec labori et vigiliis indulgens
ad singula belli munera operam navabat. Non
minoris in his quae Marte expedienda forent viri ani
mi, quam consilij, quo curabat ut milites munia sua
fidentius atque alacrius obirent. Omnium quoque oculi
tunc in eum coniecti admiratione percellebantur, quod
vir absque aetatis et decrepitae, cui sat erat specta
torem se tantummodo certaminis praebuisse, ardua et
periculosa

periculosa adiisset invasissetque facinora, et audaciae fortitudinisque singularia opera edidisset. Quanta autem in Rege ipso fuerit virtus, quantus in defensione et ultionem patriae ardor, hinc cognosci potest, quod membris frigescentibus, calore pene extincto et corpore gelido et effeto imbecillitatis suae oblitus, periculosam dimicationem assumpsit, tanto tamen gloriosior, quanto per maiora obstacula erumpens, hostili sanguine, patriae restinxit incendia, et suis desideratis clade ingenti parentavit. Ab orto siquidem sole usque ad vesperam vegeto corpore constitit, in acie et quoties impendebat discrimen adversus hostem, dextra laevaque acinatem et clypeum opponebat, fessis et laborantibus subveniens, et saucios integros subducens, nunquam notatus est maestum et consternatum, sed sub animo hilaritatis tenore erectum semper vultum habuisse. Qua quidem esset senectute gravi affectus, cuius tamen et imbecillitatem naturae virtute animi et bellicas superabat difficultates, prava libidine efferventis animum, dummodo a lacessendi cupidine potiretur. Neque ignavia aut negligentia quicquam admisit, nihil senectute de prisco vigore flammaque militari notatus remisisse, quamvis nervis aeger corporisque difficilis. Non minor autem erat omnium Cruciferorum et eorum praecipue qui exercitum ducebant et eorum qui ordines dirigebant, imo et omnium militum mercede conductorum pro consequenda parte sua victoria pertinax providentia atque cura. Singuli enim propugnatores, qui non solum in primis aciebus sed etiam qui in sequentibus ordinibus collocati fuerant, ne acies eorum dissolverentur a Polonis, aut militis sui loco discederent, et resilirent a pugna, longis catenis ad invicem per balteos coniugati atque connexi dimicabant. Sed militum Polonici furentis animus a iusta ira concitus, assistente illis propitiatione divina, et beatissimi praesidio Stanislai, facile omnia eorum machinamenta contrivit et dissolvit.

Strage huiusmodi tam rumore quam nuncijs per Prussiae Magistrum destinatis ad Joannem Bohemiae Regem tunc Vratislauiae agentem perlata, Rex ipse de statu Ordinis et rebus eius plurimum sollicitus, tristis et anxius, veritus ne Poloniae Rex grauius quicquam in Ordinem post victoriam consuleret, aut de euertendo Ordine, et recuperandis per Ordinem terris occupatis, curam operamque nouaret, altero bello sibi inferendo auertendum distinendumque illum a proposito statuit. Et proinde celeritati nimia cum copijs quas vndecunque contrahere potuit in Poloniam descendens, Posnaniensem ciuitatem obsidione cingit. Qua nouitate ad Vladislaum Regem perlata, Prussia in quam vastandam processerat, omissa, versus Posnaniam cum Bohemiae Rege congressurus exercitum ducit. Sed Rex Bohemiae et victorem exercitum, recentique caede hostili madentem, et suis copijs multo superiorem pertimescens, auersusque Prussiae vastatione, quod tantummodo intendebat, contentus, de suis nonnullis militibus amissis, et bombardis caeterisque instrumentis oppugnandarum urbium relictis, citato cursu fugae speciem habenti, ne praeoccuparetur, Vratislauiam redijt

Ampliores autem clades inter Regem Poloniae Vladislaum et Cruciferos, duo Reges Vngariae Carolus et Bohemiae Joannes prohibituri, in die Sancti Martini conueniunt et pacificare Regem cum Cruciferis studijs suis conati sunt. Verum cum de Pomerania terra Regi Poloniae nullatenus cessuros constaret, conatus Regum fuit irritus. Cruciferi itaque vocatis ex Almania stipendiarijs, inter quos principaliores erant Comes de Bergow, et Posso de hohenzicz circa diem Sanctae Elizabeth Cuiauiensem terram ingressi eam igne et spolijs vastant, et quatuordecim diebus in ea absumptis cum spolijs in Prussiam redeunt

Boleslaus Dux Masouiae et Russiae, filius Ducis Troidem Masouiae vxoratur et accepit in vxorem filiam Gedimini Ducis Lithuaniae gentilem et barbaram, quae fonte baptismatis a sordibus idolorum abluta, nuptiae ex more apud Ploczka celebrantur.

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TRICESIMUS SECUNDUS

Cladem suam Cruciferi ad villam Plowcze habitam in tristi et amaro recensentes spiritu, continuo studio meditationeque adnitebantur, intendebantque ut casum tam notorium et acerbum, per quem apparebat et famam opinionemque potentiae eorum apud exteras nationes plurimum celebrem, et vulgatam diminutam obscuratamque esse, et robur nervusque eorum militiae elanguisse, Missis in Bauariam, Almaniam et Bohemiam crebris nuncijs literisque, nouos milites in supplementum eorum qui superiori strage occiderant, conducunt. Ad occupandum quoque terram Cuiauiae, et expugnandum eius munitas urbes exercitum post diem Circumcisionis domini traducunt, oppidumque Brzescie obsidione cingitur, quod dum Cruciferorum exercitus usque ad Parasceue sola obsidione continentus, fame constrictum sibi dedendum putaret, iratus spe non respondenti, in die Veneris Sancto deuotione tanti temporis, quam etiam agrestes colunt non praeterit, neglecta, impugnat, et illud cum castro infra dies quinque bombardis fortissimis vexatum, dedentibus se oppidanis conquirit, et praesidio illic locato iuuenem Vladislauiam per spontaneam deditionem capit, illudque similiter praesidio forti militum, locatum relinquit. Ad castrum demum Gniewkow quod tunc a Casimiro Duce Gniewkowiensi tenebatur peruenientes ad eius expugnationem intendit, quatitque crebris arietibus et proiectionibus bombardarum primaria. Dux autem Casimirus videns se resistentiam facere non posse, paciscitur cum illis, ut saluis rebus fortunisque suis et personis castro excedat, et illud incendat, sub hoc pacto permissus excedere hoste spectante castrum suum quod unicum pro suo principatu habebat, flammante incendio, in naturam cineris redactum conflagratumque est. Et Cruciferi tam terram Cuiauiae quam Dobrzinensem occupantes, castra, ciuitates et municipia in locis principalioribus et situ naturaque munitis ex coctis lateribus fabricare, quo terra praedicta facilius

relictis solidiusque minus proprietatemque eorum concederet,
coeperunt. Milites autem et nobiles terrarum praedictarum
de villis haereditatibusque suis, rebus, fortunisque omnibus,
primum spoliati, eiecti, in Cracovienses terras cum uxoribus
pignoribusque suis se conferentes, in conspectum Vuladislai
Regis admissi, providere sibi non tam precibus quam fle
tibus precabantur. Quorum calamitati Vuladislaus Rex
pia miseratione compassus, regales villas, oppida et prae
dia illis consignavit. Hanc autem calamitatem Alber
tus de Hosciulecz Brzestinensis Palatinus magno devitans
animo unus solus repertus est qui in castro Pakosc se
recludens et egregie illud tutatus est, et saepe hostibus
fusis devinci arciarique non potuit in deditionem. Consi
derantes autem Cruciferi oppidum Brzestense languidum
habuisse et habere situm, illud demoliuntur et ruinant,
ne Rex Poloniae oportunitate quaesita ipso aliquando potiri
posset, et in loco alio apto et idoneo arcem et civitatem lo
cant, murisque coctilibus ac fossatis profundis communiunt,
qua etiam in hodiernum diem usque perseverat

Terrae Cuiaviensis occupationem, suorumque
militum et nobilium de suis sedibus indignam expul
sionem Vuladislaus Poloniae Rex, magna anxietate ani
mi et spiritus, ut par erat, excipiens, velut cui inter ce
teras provincias Regni sui incunabula et prisca sortis
suae recentia vestigia perferent, magis peculiari af
ferebatur charitati, ad illius recuperationem omni nisu,
animo aetatem repugnantem permovente, intendere decre
vit. Et contrariis et propriis et auxiliantibus copiis, cum
et Carolus Rex Ungariae gener suus qualitati necessi
tatis soceri pensata, aliquot millia militum pro illa ex
peditione illi pro suffragio praestitisset, circa festum as
sumptionis Sanctae Mariae exercitum in hostiles terras
personaliter habens secum filium Ducem Casimirum in viride
robur tendentem, promovit, et quo ad obeunda belli mune
ra quasi quodam instrumento proelii exercitio, et militia fer
vore

nore utebatur, per terras Masoviae descendit. Hostes autem cum pugnandi facultatem superiori clade adhuc pavidi non facerent, spolijs et incendijs terram Culmensem vastat, et omnes vicos villasque eius incendit. Quibus Lutherus Magister excitatus copias educit, decernere ipse ferox animo aestuans, ab aliquibus Commendatoribus et stipendiarijs correptus, quod ad effusionem Christiani sanguinis praeceps esset, nec intelligens Martem utrisque esse communem, et regem milite et armis praestantiorem fore. Ne in terras quoque ceteras promoveretur incendium, advocatores a Magistro et Ordine mittuntur, qui pacem persuadent, pacem petunt, pollicentes Magistrum sub aequis conditionibus et pacem accepturum, et ea quae bello occupaverat, redditurum. Hac oblatione seductus Rex magis quam motus, bellum treuga ad festum Benedictae Trinitatis alterius anni duratura, suspendens, ad maiorem Poloniam armatus cum universis copijs remeabat, Poloniae Ducibus qui ab eo ad Joannem Bohemiae Regem defecerant, in eo quod restabat ~~aetatis~~ aestatis Autumnique tempore, ne incassum tanta militiae robur comparasse videretur, bellum illaturus, qui terras sui Regni furtivis et clandestinis invasionibus lacessebant. Quinquaginta autem et amplius Ducum ipsorum munitionibus fortalitijsque expugnatis et incensis, principatus insuper ipsorum et terras igne et spolijs consumens, exterminans, et adurens, ad castrum et oppidum Koscian, quod pro Rege Bohemiae tenebatur, pervenit, et illud cinxit obsidione. Sed dum Bohemi, Slesitae, et Almani, qui castrum tenebantur, loci naturam, qui paludibus et stagnis ubique septus est, confisi, obsidionem suam irriderent, filius Regius Casimirus tam proprios quam externos milites cohortatus, ad impugnandū castrum iniussu patris processit, Quia ipse universus exercitus mira alacritate accurrens non prius oppugnandi finem fecit, donec manibus conscensis et defensoribus superatis, castrum obstinatis ad moriendum animis in suam potestatem mirabili virtute redegit. Nec oppidum capto expugnatoque castro, moram fecit, sed extemplo per omnes in Regis Poloniae subiectionem, cuius ditionis se et locum esse meminerant, proclivius deditum est. In eorum autem qui expugnationi castri intendendo caesi vel vulneribus affecti fuerant, vicem, Casimirus Dux neminem ex his qui castrum defenderant, hostibus, vitae reservandum permisit. Jussu etenim suo singuli ut desideratis parentaretur, mucrone percussi sunt. Hoc taliter gestis Casimirus Dux, ore omnium ac sermone summas in eum laudes dei promentium celebris habebatur, creditus in virum egregium tam domi quam foris evasurus. Ab eo autem tempore castrum et oppidum Kosczyan Regno Poloniae, beneficio et brachio Vladislai Regis et filii sui Casimiri vindicatum, in eius fide et ditione perseverat. Hoc tanquam fatali et Imperatorio militarique Vladislaus Rex edito opere, exercitum, in Regnum salvum et incolumem reducens, copias dissolvit, ipse cum Ungarorum et Cracoviensium militum equitatu, et cum filio suo Casimiro Duce, Cracoviam remeavit. Cui redeunti omnium Ecclesiarum processiones et omnium ordinumque statuum homines, ultro obviam egressi, illius felicem regressum devotione et favore cohonestarunt. Singulis autem militibus auxiliariis, praesertim pro eorum merito, expeditis, cum et grandaevus senio aetateque Vladislaus Rex, et bellicis fatigis sudoribusque esset, debilitari atque languescere coepit, et in grabatum decidit, omnemque rerum publicarum administrationem a se extunc abdicavit. Ingens adeo solis ardorque aestus in Poloniae regionibus eo anno provenerat, ut ante festum Sancti Joannis Baptistae fruges ad debitam maturitatem natae ad quemlibet usum aptae forent, et amnes desiccatis alveos suos flumina deseruerunt, et tam fervida ignitaque siccitas apud homines veteranos sine exemplo accidens, prodigii monstrique haberetur loco.

In festo Natalis Beati Ioannis Baptistae Vincentius de Somorzani Palatinus Posnaniensis, cuius proditionis facinora in superioribus declaravimus, dum iuxta fidem a Rege sibi praestitam in ea patria quam suo ductu suisq; consilijs perurat flagraverat, regio etiam tutus edicto non violaretur, eorum quae in patriam admiserat vix quicquam aut parum pensi habens, consisteret, eorum qui vastationis suae et incendij angebantur inimmodica conspiratione, telis confossus et obtruncatus teterrimae proditionis, per quam templis, delubrisq; facultatibus atq; tectis et ~~mumminum~~ numinum caelestium et civium suorumq; sceleratas faces et expilationem acerbas intulit, poenas dedit. Incertum morte sua relinquens proditaneane an ultione patria magis insigni facinus admiserit, sera quidem sed dignissima morte mulctatus, qui vitam et decus a patria acceptam ad illius perniciem calamitatemq; converterat, qui templis et aedibus superum, sordidas faces iniecerat, qui in tota innocua et in facultates fratrum et contribulium suorum incendijs et rapinis saevierat, qui ordinibus universis sceleratas et acerbissimas intulerat expilationes, qui denique omnia divina atq; humana ad explendum truculentum cupiditatis suae genus inquinaverat, qui prodendae et exterminandae patriae rationem et societatem cum hoste communicaverat, cuius facinus inauditum hominum memoria, atrox, nefarium, perniciosum, facinus abhorrens ab omni natura et civilitate, ex pessimo opere pessimum sortitus finem, dignum moribus factisq; suis exitium vitae invenisse arbitratus.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TRICESIMUS TERCIUS

Languori Vuladislai Poloniae Regis senili et diutinus adhaerenti, cum naturalis vigor suffragio suo illum desereret, Calendis tamen et temporibus mensis Martij, qui senibus infestior esse consuevit, propalantibus qualitatibus adversa mortem imminentem infallibili argumento denuntians, magis perspecta, quam cum et Rex ipse in brevi affori deficientibus viribus agnovisset, Fratre Helia Ordinis praedicatorum viro religioso, et tam vitae conversatione, quam doctrinae lumine conspicuo, accersito, in summi plenam suorum facit scelerum confessionem. Singulari autem authoritate Apostolica in mortis articulo Regi praebita absolutus, dignissimum Eucharistiae viaticum, et Olei sacri unctionem, circumstantibus illum praelatis Baronibusq;

nibusque suis, excessum quoque suum fletibus et suspiriis prosequen
tibus, percepit. Quem cum his quae ad animae salutem pertinebat
salubriter perfunctum, Spiczmirus Castellanus, et Jaroslaus de
Zlotniki Archidiaconus Cracovienses, quibus in admonendo
se plenam potestatem permiserat, propius adeuntes verba faciunt
Quam prona inquiunt et devota militum ac subditorum tuorum
erga te voluntas affectioque fuerit, et testantur, testabunturque
opera, et tu ipse plane nosti, nec abs re, multifariis enim probita
tis benignitatisque tuae favoribus, ut te tam fideli pectore locu
pletes iuxta ac pauperes senes et iuvenes colerent, pro tuorum
commodis ac periculis fortunas corporaque negligendo illos merue
ras, relicturus tamen eos, filium tuum Illustrem Ducem Casimirum
illorum pietati devotionique commenda, exhortareque eos ut quem su
perstitem dimittis, regem sibi dominumque constituant, fidemque
et devotionem quibus te prosequi soliti sunt, in eum vertant.
Rex etsi morbo aegritudineque implicatus, animam aegre ha
beret, sano tamen admonitionem salubrem et necessariam
esse ratus, rauca voce ad Praelatos, Barones, universumque po
pulum, utcumque poterat, est concionatus. Expertam, inquit,
Praelati et Commilitones mei vestram erga me habitus fidem
nulla ambiguitate secessu e vita distineor, sed voluptati
singulari ~~[illegible]~~ degnitateque afficior, Illam vos filio meo Casimiro
aeque ac mihi praestaturos, quem non solum ea charitate
benevolentia quae a me vobis servata est, in vos usurum scio
sed etiam ampliora vobis patriaeque decora adducturum, Meis
enim moribus, meis disciplinis institutus, nemo illum ambi
gat, me in operibus non expressurum, Cuius iam in vos et pa
triam plura extant plena favoris, plena officii merita. Illum
itaque in spem unus quod hactenus lacertis periculisque meis de
fensavi proximique regni gentium, vobis commendatum habeo, Vosque
quorum in me recentia sunt merita deprecor et obtestor ut prae
sentem hunc filium meum Casimirum in solium regnumque meum surro
getis, et vestram fidem subiectionem et benevolentiam erga
eum, quem magna virtutis esse, nisi me fallat affectio, auguror,
augeatis. Te quoque Casimire fili adhortor, ut gentem Polo
nicam, cuius te Regem praesidemque relinquo, pietatis studio et
iustitia legibus gubernes, et pro illius commodis vigiles, lucu
bres, et intimeas, et hoc praecipuum in animum induas ut ha
reditates terrasque Poloniae Regni per Cruciferos occupatas, et
signanter Pomeraniae terram [illegible] et dolose subreptam resti
tuas.

tuas, nec ullo pacto, ullaque necessitate adducaris, ut de illa cedas, aut gloriam aeternam, si gloriae ubeo egeris, aut dedecus sempiternum si neglexeris habiturus. Tam filio, quam militi quae monuerat, et imperaverat, se custoditurum devovente; Rex ipse inter precationes psallentes, inter coniugis suae Hedwigis reginae feminae illustris et devotae; cuius curam iam filio Rex mandaverat, et praelatorum Baronumque manus, uti Catholico et religioso Principi conveniens erat, reddito Christo spiritu, secunda die Martii quae tunc in diem Dominicam Reminiscere cadebat, in castro Cracoviensi obdormivit. Inter virtutes praecipuas, quae etiam in privatis admirabiles sunt, humilitate, clementia, et patientia spectandus, facilis aditus ad se praebens, nec gestuque sermone unquam superbus aut gravis extitit, talem se erga noxios inimicatoresque suos gerens, ut damnati eum ~~intelligerent~~ diligerent. Quapropter remunerator omnium Deus corpori suo exanimi gratiam contulit, ut quamvis pluribus cadaver iaceret insepultum diebus, non olebat tamen, sed cum magna omnium admiratione gratulationeque decorem speciemque, quasi viventis et spirantis hominis praeferebat. Frequentiori autem, Regis morte vulgata, nobilium militumque numero Cracoviam adventanti primum in Ecclesiis civitatis Cracoviensis, Conventualibus, et Parochialibus, deinde in Cathedrali maiori Cracoviensi, solemnis iuxta magnificentiam cultumque regalem exequiae et iusta debitaque legi omnis honestas funeri tanti principis et tam clari Regis persoluta. Cuius nedum memoriae sed et cineribus plurimum debere Poloniam certissimum extat, qui pro illius salute et defensione crebros agones et certamina subire non desiit, sed nec unquam bellorum impressionibus, ceterisque iniuriis aut damnis per Cruciferos illatis, sed nec oblationibus multifariis frangi induci potuit, ut iuri patrimonii sui in terra Pomerania renunciaret, qui tunc in extremis laborans, quanto dolore terrae Pomeraniae iniustam abstractionem pertulerit, ut moriturus etiam filio suo Casimiro, ne unquam super eius dimissione ingenium et mores suos imitatus, cum Cruciferis placitaret, interdixerit. Sepultum est corpus suum in Ecclesia maiori Cracoviensi e regione altaris summi in parte laeva, albaque petra per sculpturas et testudinem adornatum, ante Sancti Vladislai Regis altare quod ipse vivens erexerat, dotaveratque. Ibi enim et coronari sic et tumulari Reges Poloniae mos est, nec alterum aeque insignem Regum bustis

agnit

apud Polonos locum reperire potuisset. Regnavit annis duodecim, mense uno, diebus sedecim, superiori tempore regiminis sui, quod ante coronationem effluxerat, dum Dux, privatusque esset, non computato. Vir manu et animo ferox, non ex habitu corporis, quem illi angustiorem natura donaverat, sed ex heroica anima, in succincto quidem sed vegeto corpori habitanti, aestimandus. Vir ab adolescentia sua ad decrepitam usque aetatem animo robustus, et manu, quem si ex habitu corporis aestimare quis voluisset, ne militis quidem specie dignum iudicasset. Verum corpus exiguum habet, cuius diminutionem et staturam breviorem cognomentum Lokthek quasi cubitalis sortitus, anima nobilitat heroica, truncatam habitudinem augustioribus viribus compensans.

De novo Rege in Vladislai Poloniae Regis nuper morte absumpti locum surrogando, Praelati et Barones nobilesque Poloniae praesertim propter imminens a Cruciferis bellum solliciti, conventum omnium terrarum apud Cracoviam agunt, futuri Regis electionem celebraturi. Ad quos in re huiuscemodi occupatos nuncii Caroli Ungariae Regis perveniunt, facta dicendi potestate, ad consilium intromissi, orant, precantur, et suadent, ut Ducem Casimirum filium Regium in patrium solium quacunque cunctatione et mora omissa substituant, neminem alium Principum extare qui ad id magis idoneus aptiusque esset, et ad quem successionis iure Regnum pertineret, praesertim cum et morituri patris voce Regnique Rex testamento designatus sit, et eam indolem habeat, cui Principatus, si imago successioque paterna non moverent, deberet ultro deferri. Qua precatio quo gratior esset, offerunt Carolum Ungariae Regem affini suo Duci Casimiro in necessitatis articulo quaeque possibilia suffragia gentibus, equis, et armis laturum. Quamvis autem sponte omnium Polonorum animi in Ducis Casimiri coronationem essent proni, ferventes et proclives, res tamen in consilium deliberationemque refertur. Ubi dum omnium vota rogata, scrutataque essent, non alium sed quam Casimirum Ducem, qui in hanc spem genitus sit, tam primores quam caetera nobilitas iuxta preces patrias unanimi non tam voto quam vociferatione Regem declarant. Quo facto festum Sancti Marci Evangelistae quod in diem Solis cadebat, pro sua et consortis suae Annae Gedimini Lithuano

rum

nem Ducis sibi coronationem constituitur. Sed a seniore regina Hedwigi relicta, Vuladislai Regis et Casimiri Ducis genitrice quaestio suborta, pluresque difficultates de coronanda Anna consorte Casimiri moverat. Negabat enim se superstite in praeiudicium iuris, alteri feminae, legittimum diadema posse imponi. Tandem filii praefati Ducis Casimiri, quem plusquam genitricis diligebat amore, precibus expugnata, non solum consortem suam aequiori animo coronandam fore permittit, sed satis se felicem, filium in throno et diademate Regio visura, ratam, in coenobium sanctimonialium in antiquam Sandecz excedit, et illic habitum sanctimonialium induens, regulam etiam Sancti Francisci professa, religiose vivens, reliquum aetatis vigiliis et orationibus intenta, explevit. Illucescente autem beati Marci die, Casimirus Dux in aula per pontifices indumentis regalibus indutus, et ad Ecclesiam Cracoviensem perductus, per Janislaum Gnesnensem Archiepiscopum, assistentibus sibi Joanne Cracoviensi, Joanne Posnaniensi, Matthia Vuladislaviensi, Stephano Lubucensi Episcopis et principum Baronum ac nobilium Poloniae copiosa frequentia, multitudine, et favore, in Regem Poloniae; consors vero sua Anna in Reginam Poloniae cum ingenti celebritate, solemnitate et gloria uncti et coronati sunt, et dies ille caeterique subsequentes in magna omnium laetitia et hilaritate in choreis hastiludijs, et solatijs deducti. Et quoniam Casimirus Poloniae Rex novus nondum ad annos maturae et digestae aetatis pervenerat, Jaszko de Melsztin Castellanus Cracoviensis vir frugi, industrius, et in rem publicam magni et experti zeli in gubernatorem illi adiunctus est, ex cuius sententia et ordinatione administratio totius Regni salubriter dirigebatur, cuius quoque providentia magnae opes brevi congestae et aerarium locupletatum.

Cum annis quindecim Florianus de Koscielcz Episcopus Plocensis praefuisset, moritur. Cui Clemens Praepositus Plocensis vigesima quinta die mensis Julij canonice electus successit. Mortuus est autem praefatus Florianus Episcopus in Pultowsko vigesima prima Junij et in Plocensi Ecclesia in die Beati Joannis Baptistae sepultus. Fuit autem Clemens iste nobili genere Polonus de domo et familia Pirschala, quae Marscalcum Scachatum defert, pro insigni, alias

Rocsum

Rodanum. Cuius electio a Janislao Archiepiscopo Gnesnensi,
obtento a Casimiro Poloniae Rege beneplacito, aliquem enim
de suis aulicis praeferre in Episcopum Plocensem aestuabat, con
sensu, apud Gnesnam fuit confirmata, et pontificalis conse
cratio etiam fuit illic ei impensa.

ANNUS DNI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TRIGESIMUS QUARTUS

Suscepto adeptoque Regni Poloniae regimine Casimirus Dux,
duo sibi praecipua in primis, quibus Regnum suum auge
re firmareque posset, duxit providenda. Primum, ut Regnum
suum superiori guerra et incendiis per Cruciferos afflictum
vexatumque et ad grandem exinanitionem perductum, pace
reddita, respiraret. Alterum, ut furum, praedonumque quorum
patris sui Vladislai Regis dissimulatio, frequentiam gigni
fecerat, exterminio, Regnum purgaret, stratasque publicas et
privatas et quaeque itineraria tuta praestaret. Et primum qui
dem efficere conatus, bellum cum Cruciferis de Prussia ge
rendum, cum caetera omnia parta essent quieta, continua
tione firmationeque ulterioris Treugae ad festum Sancti Joan
nis Baptistae, anni subsequentis, suspendit. Et quo certior
pax et terrarum quas Cruciferi occupabant restitutio pro
venire posset, duobus arbitris, quorum unum Carolum Unga
riae Regem Casimirus Poloniae Rex pro sua, alterum Joannem
Bohemiae Regem Magister et Ordo Cruciferorum pro sua
partibus eligunt, omnium quaestionum et differentiarum mo
lem decidendam committunt, ac in eos plena voluntate
compromittunt, ea tamen conditione apposita ut Treugis
pendentibus, castrum et oppidum Brzestense in manu Ducis
Semoviti Masoviae, vel eo renuente, in Matthiae Vladislavien
sis Episcopi potestate consisteret, casu, quo pax per Reges
arbitros, fieri non posset, Magistro et Ordini reddendum. Non
dum enim Casimirus Rex Poloniae tantum se virium habe
re arbitrabatur, ut cum Cruciferis Joannis Regis Bohemiae
assistentia, et suis viribus pollentibus, posset in apertam guer
ram dimicationemque, Regno suo adhuc
cineres favillas spi
ranti, prodire. Alterum vero quoniam ex authoritate sua
dependebat, mox praestitit, et multos mortalium tam ex no
bilibus, quam ex Baronibus communique populo, nullam conditio
nem reveritos, furtis, rapinis, et spoliis, superiori more imbutos,

studentes patibulo, partitione, rotatione, suffocatione, caecatione, mutilatione, exilio, gladio, aut extinxit aut mulctavit, paucis qui scelere huiusmodi minus se inquinaverant, importuno Praelatorum et Baronum suffragio venia tributa. Ex quo nimirum subsequutum est, ut sentina praedonum sublata, prosperitas et adunata frequentia in urbibus ex solitudine efficeretur, et bene Respublica convalesceret. Rex quoque Casimirus severitatis prudenter specimen in se ostendens, cunctis esset admirationi et ~~et~~ terrori.

In die Sancti Adalberti ingens noctu nix cum gelu in Regno Poloniae descendens, cum quinque diebus durasset, pavoremque grandem ne per illam fruges depasci absumique contingeret, in aestimatione hominum praesertim agrestium produxisset, tandem quinta die dissoluta, praestitit humo et frugibus suo imbre et irroratione, modicam foecunditatem, qualem nec stercorisatio contulisset.

Joannes Papa vicesimus secundus cum annos decem et octo menses quatuor apud Avinionem sedisset, die Solis quarta Decembris in Avinione moritur, et in maiori Avinionensi Ecclesia sepelitur, et cessavit Episcopatus diebus sedecim. Post cuius mortem Cardinales conclave ingressi, Joannem de Tholosa alias de Furno, fratrem ordinis Cisterciensis Magistrum Theologiae tituli Sanctae Priscae praesbiterum Cardinalem vicesima Decembris concorditer in Papam eligunt, qui Benedictus duodecimus est appellatus, in crapulam aliquantulo proclivus, rigorosus, et vix consanguineos cognoscens, quibus et dicebat Papam consanguineos non habere. Ab infantia ad mortem bona vita; qui et Ordinem Cisterciensium reformavit, fecundus fidei Zelator, censuras praedecessoris sui Joannis innovans, Ludovicum Romanorum Regem et Bavariae Ducem anathematizatum et interdictum denunciat. Moriebatur autem praefatus Joannes Romanus Pontifex anno aetatis suae nonagesimo, relinquens in thesauro suo ingentem numerum auri atque argenti. Cuius vera computatio fuit aureorum ducatorum vigintiquinque hoc est millies vigintiquinque millia, quod scripsisse vereor et pene incredibile videtur. Sed nec legitur aliis unquam temporibus Ecclesia Romana fuisse locupletior

ANNUS DÑI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TRIGESIMUS QUINTUS

Pro genera

Pro guerra et differentia occaſione terrarum Regni Poloniae per ordinem Cruciferorum occupatarum per Vngariae Carolum et Bohemiae Joannem Reges, poteſtati arbitrariae decidenda, tempus affectabat. Conveniuntq; inter ſe Reges utrique die Sanctae Elyſabeth in Vngaria in caſtro Vuiſſegrod coeunt, illiq; de partium iuribus cognoſcerent, et pronunciationem arbitrariam ferrent. Rex itaq; Poloniae Caſimirus de cauſa ſua ſollicitus, quamvis conventio in Treuga expreſſa de tradendo caſtro et oppido Brzeſciae in manus tertij videlicet Ducis Maſoviae Semoviti aut Matthiae Vladiſlavienſis Epiſcopi ſibi per Cruciferos nunquam ſint ſervata, ad informandum illam, perſonaliter ad generum Vngariae Regem Carolum ſe confert, et Joanne Bohemiae Rege illuc etiam perſonaliter adveniente, cauſam ſuae iniuriae et quo ordine ex quam cauſa primum terra Pomeraniae, deinde Cuiavienſis et Dobrzinenſis terra occupata et a Regno Poloniae per Magiſtrum et Ordinem Cruciferorum non ſine clade et interitu multorum mortalium et reliquarum terrarum Regni Poloniae deſolatione abſtractae ſint, et ſuo et Advocatorum organo clariſſime deducit, et articulos inſtructioneſq; in ſcriptum redactas praeſentibus Regibus ordinat. [illegible] Magiſter et Ordo ſatiſfacere compactatis negligunt, miſſis enim Henrico Ruthenio provinciali Culmenſi, Marquardo de Sparenberch Thoronenſi, et Conrado de Brunſten Swecenſi Commendatoribus qui in comitiva Regis Bohemiae Joannis advenere, datis in ſcriptis articulis cauſam et ipſi ſuam pluribus coloribus, figmenta potius, quam exiſtentiam redolentibus, iuſtificare inſtruereq; contendunt. Re autem et controverſia huiuſmodi in Regum deliberatione et eorum Conſiliariorum, quos ſibi uterq; Rex ad conſultandum aſciverat adducta, aſſerunt Joannem Bohemiae Regem advocati magis quam arbitri officio fungi, et calliditate eloquentiaq; pollebat, partem Cruciferorum, cuius erat arbiter, qua quoq; expenſis adductus, largitionibus, et muneribus quorum ineſcatus, praeſumebatur unice defendi. Eo etiam praeſertim reſpectu motum, ne donatio vel potius venditio per eum velut Regem Poloniae, Magiſtro et ordini Cruciferorum de terra Pomerania in Thorun facta, cuius ipſe ſe conſtituerat auctorem, et pro qua notabilem in auro argento et pecuniae summam dignoscebatur accepisse; vereberet in virtū Vnde et Carolum Ungariae Regem suosque Consiliarios facile perhiberet, et ea prorsus quae in Bohemia cum Cruciferis disseruerat, assiduam ratamque, secum sentiant. Cuiavia quoque et Dobrzinensi terris Regi Poloniae Casimiro adiudicatis, terram Pomeraniae quae pluribus gradibus illis duabus opulentior feraciorque est, in ius et proprietatem Magistri et ordinis esse decernunt. Casimirus autem Poloniae Rex etsi patrimonio haereditateque sua terra Pomerania, arbitramento huiusmodi spoliatum se viri animo maesto amaroque ferret, depressis tamen viribus suis, et si bellum recrudescere contingeret, amplius deprimendis, cum etiam aliunde hostium satis superesset, et ipse animo bellum Russiae inferendum gestaret, patrio praenarrato imperio, in conditiones huiusmodi et terrae Pomeraniae abrogationem, cupidum restituendarum sibi Cuiaviae et Dobrzinae terrarum, et persuasionem precesque sollicitas utriusque Regis pellectus, castro nihilominus Nieszow, quamvis de sorte Cuiaviensis terrae esset, circa Magistrum et Ordinem, ut utriusque ripae fluminis Vislae facultas et navigij emolumentum apud eos consisteret, remanente, consentit. Vicesima itaque die mensis Novembris Casimiro Poloniae Rege pro se et praedictis Henrico provinciali Culmensi et Thorunensi, Sucansis Commendatoribus, pro Magistro et Ordine praesentibus, in castro Vissegradensi profertur sententia, superioribus et monstram qualificata conditionibus, cuius in evidentiam futurorum talis tenor extat

In nomine Domini Amen

Nos Carolus et Joannes Dei Gratia Ungariae et Bohemiae Reges, perpetuam memoriam; tenore praesentium, notum facimus quatenus quibus expedit, universis. Cum Magnificus Princeps Dominus Casimirus eadem gratia Rex Poloniae ex una, et Religiosi viri Magister generalis, praeceptores et fratres universi ordinis Cruciferorum, de domo Theutonica parte ab altera, super terris provincijs seu districtibus Culmensi, Dobrzinensi, Cuiavia, Pomerania et Thorunensi, super quibus a multis retroactis temporibus et adhuc inter Excelsum Principem Dominum Vladislaum Regem quondam eiusdem Poloniae, et tandem ipso feliciter migrante ad dominum, inter ipsum Dominum Casimirum

Regem et dictos Cruciferos materia dissensionis et quaestionis suborta dignoscebatur, in nos Reges Ungariae et Bohemiae tanquam generaliter arbitratores et amicabiles compositores per eosdem iamdudum et nunc mediantibus legittimis instrumentis et literis compromissarijs exhibentibus, electos, pacis alumni fore muneri cupientes, se sponte et libere commisissent, et pure compromisissent. Nosque interea tria sumus in causa circa festum Omnium Sanctorum anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto, in alto castro Vyssegrad in Ungaria simul in unum convenissemus, tractaturi de praemissis, et praedicto Domino Casimiro Rege personali praesentia, et pro memoratis Magistro Generali Praeceptoribus et universitate fratrum Cruciferorum dictae domus Theutonicae; fratre Henrico Putbeno provinciali eiusdem Ordinis de terra Culmensi, et Marsuardo de Spanberg Thorunensi, Conrado de Branyesohem Sucano, dicti Ordinis Commendatoribus et confratribus cum plenis legitimis et ad infrascripta cum plene sufficientibus procuratorijs literis comparentibus, assumptis nobiscum Praelatis et Baronibus nostris, quos communiter adhibuimus, quibusdam diebus continuatis utriusque partis, iura etiam infrascripta quae habere dignoscebantur, diligenti et fideli perscrutatione examinassemus, tandem favente Domino aciem nostrarum mentium aequo libramine dirigentes, taliter arbitrandum duximus et pronunciando diffinimus, inter partes, quod Dominus Casimirus Rex Poloniae terras Cuiaviensem et Dobrzinensem cum provincijs et districtibus ac quibuscunque utilitatibus et pertinentijs universis ab antiquo ad easdem spectantibus, iuxta limites et metas suas antiquas, cum plenitudine iuris et titulo pleni dominij, prout ad progenitores et praedecessores suos et per consequens ad ipsum iusto et vero haereditario titulo ab olim pertinuisse et pariter pertinere cognovimus, et specialiter in eadem terra Cuiaviensi portionem Ducis Casimiri quae ipsum contingebat cum pertinentijs in eadem debeat possidere, tenere, cum perpetuo, et habere in filios filiorum et successorum in haeredes, pariter, quiete, salvo quod omnia bona et possessiones quae et quas in terris Cuiaviae et Dobrzinensis, dudum ante motam guerram pacifice et quiete Cruciferi possederunt, ita et nunc prout ante eas et ea cum omnibus iuribus et Jurisdictionibus et pertinentijs quibuslibet possideant, habeant, et teneant, sub veris metis et terminis antiquitus observatis. Magister vero generalis et fratres Cruciferi domus Theutonicae praenominati, terram Pomeraniae cum suo districtu iuxta antiquos limites suos cum pertinentijs similiter et utilitatibus eiusdem universis quam eisdem fratribus et idem Dominus Casimirus Rex Poloniae causa divinae retributionis, et ob remedium animarum praedecessorum suorum et progenitorum ac suae salutis in perpetuam eleemosinam, nec non propter perpetuae pacis bonum coram nobis renunciando omni iuri, actioni, et impetitioni, et repetitioni, quod vel quae eidem Domino Regi Poloniae in eadem terra Pomeraniae ab antiquo competebat vel competere posset, etiam ipse promisit iuxta ipsam nostram arbitrariam pronunciationem vel diffinitionem, eodem iure et modo quo terrae Culmensis, et Thorunensis, eisdem fratribus per progenitores et praedecessores suos fuerant legatae et donatae eandem legationem et donationem, eo iure, modo, quo fuerat tunc facta, ratam habentes, quiete et pacifice et perpetuo tenere debeant, habere, et pacifice possidere ordinavimus. Ad ultimum diffinientes arbitrandoque, omnia damna iniuriae et quaecunque molestiae quocunque modo sint inde data vel Regi Poloniae et eius subditis, sive Cruciferis vel eorum subditis compensentur et tollantur in totum, sic quod de caetero inter ipsos super eisdem nulla petitio et quaestio oriatur. Ne autem quicunque feudales vel Regis Poloniae, sive fratrum Cruciferorum, qui guerris pendentibus inter ipsos, a bonis suis facti sunt profugi, sive de Cuiavia et Dobrinensi, sive de Culmensi vel Pomerania, a nostra diffinitione videantur exclusi, ordinamus et diffinimus, quod omnes huiusmodi profugi bonis suis omnibus et gratijs dominorum suorum sint praesentibus reformati, sic quod vel ad bona sua libere revertantur, si velint, aut eisdem libere venditis se transferant quo placebit. In quorum omnium testimonium atque robur sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Actum et datum in Vissegrad in Ungaria praesentibus in Christo Reverendis patribus et Magnificis et nobilibus viris infrascriptis videlicet, Chanadino Strigoniensi, locique eiusdem

comite.

comiti perpetuo, et fratre Ladislao Colocensi, et aulae regiae ejusdem Regni Ungariae Cancellario, Colocensi Archiepiscopo, Vuilermo Drugennsi Palatino Regni Ungariae, Demetrio Magistro Thavernicorum, Thoma Vaivoda Transilvano, Comite de Zunum, Mikuls bano totius Slavoniae comite, Paulo Judice curiae Regis Ungariae, necnon Vitsgone Nytrensi, et Joanne Olomucensi Ecclesiarum Episcopis, Rodolpho Duce Saxoniae, Carolo Marchione Moraviae, Bolislao Slesiae et Domino Legnicensi, Thimone de Coldicz, Henrico de Lipa et quamplurimis aliis fide dignis ad praemissa rogatis specialiter et vocatis. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto, Dominica proxima post festum Sanctae Elizabeth. Qua pace composita, datis inter se invicem magnificis donis et foedere perpetuae pacis icto ad propria digrediuntur.

Decima septima mensis Martij Joannes Doliva Posnaniensis Episcopus vir ingenuus de domo Doliwarum et religione ac devotione conspicuus moritur et in Posnaniensi Ecclesia tumulatur, sedit annis in Ecclesia Posnaniensi circiter quindecim, solatiosus et hilaris. Huic per electionem Canonicum Joannem vocatum Lodzia nobilem de armis navium descendentem, ex quo et cognomen sortitus erat, Posnaniense Capitulum, Casimiro Rege, et patrono, consentiente, surrogat, et eleganti dispositione corporis, et singulari scientiae munere praestantem.

Vigesima vero octava mensis praefati Martij Anastasia Ducis Siemoviti Lanciciensis quondam Dobrzinensis fratris germani Vladislai Regis Poloniae relicta, Lanciciae defuncta est, sorte quam tenebat ad Casimirum Regem Poloniae recidente.

Tredecima mensis Julij Bolislaus Dux Poloniae et dominus Bregensis in oppido suo ducali Brega fundat Monasterium Ordinis fratrum minorum, quod Nanckerus Episcopus Vratislaviensis, in anno subsequenti vigesima nona mensis Julij authoritate Joannis Papae vigesimi secundi confirmat.

Pertulit eo anno Poloniae regnum acerbum et rari exempli dispendium. Locustarum enim ingens multitudo per

turmas et exercitus diriga, in Poloniam frumentis et segetibus
in spicas luxuriantibus, in eo numero frequentia et spissitudine
ut Solis radios adumbrarent, advenit, tantaque altitudine super
terram fimum diffudit ut equorum ungulas excederent, quae tam
frumenta quam herbas et singula germina in locis ad quae illam
descendere contigit morsu suo assiduo erosit et consumpsit. Lo
custas vero validissimus ventus vigesima nona Septembris
accidens et multas domos atque arbores evertens secutus est
qui etiam longo tempore perdurans pluribus mortalibus as
ferat molestiis, velutique tempestas et venti horribiles fere
universum Regnum Poloniae concutiebant, et vexabant

Luthero de Brunswig Magistro Prussiae mortuo Theodricus
de Aldemborg Marsalcus Saxo genere iam tunc a Polonia
captivitate solutus in Magistrum successit

ANNVS DNI MILLESIMꝰ TRECENTESIMꝰ TRIGESIMVS SEXTVS

Sententia arbitraria in Vissegrado Ungariae confecta
et pronunciata, utraque parte eam approbante et acceptante,
nuntiis quoque et procuratoribus Magistri et Ordinis resti
tutionem terrarum Cuiaviae et Dobrinensis iuxta arbi
tramenti ordinationem crebris sermonibus pollicentibus, per
Reges ex Vissegrado discessum est. Casimirus tamen Polo
niae Rex detinente eum genero suo Carolo Ungariae Rege et
Elizabeth sorore germana Hungariae regina, illic usque ad fe
sta Christi permanet, et natalis diem Domini Budae celebravit
Quo exacto genero valedicens in Poloniam redijt, ac deinde
per Nuntios et literas Theodricum de Aldenburg Magi
strum Prussiae et Ordinem monet et requirit, quatenus iuxta
Ungariae et Bohemiae Regum decretum et sententiam de terris
Cuiaviae et Dobrinensi excederent, et illarum sibi possessionem
resignent. Magister autem et Ordo solita caliditate et vafri
tie usi, quamvis in favorem suum pronunciatum fuisse pro
spicerent, veriti tamen ne sententia Regum aliquando posset in
dubium revocari, praesertim Praelatis et Baronibus nobilibus
civibus et communitati Regni Poloniae expresse non consentien
tibus in eius emologationem sine quorum consensu omnis
alienatio Regni censetur irrita et inanis, respondent se qui
dem sententiae et decisioni arbitrali parituros, dummodo Rex
Regni Poloniae per patentes literas, terris Pomeraniae, Chel
mensi,

mens, et Michalouiens, corporali etiam praestito iuramento renunciet, et decisionem Regum huiusmodi literis se servaturum obliget. Literis enim huiusmodi non extantibus nihil se Magister et Ordo respondet de priori tenore mutaturum, nec terras Cuiauiae et Dobrzinensis gladio et potentia quesitas, castraque, pluribus sumptibus cocto latere in eis erecta restituturum. Regis enim Casimiri et suas vires mensi, supremum fortunae orbem se tunc comprehendisse, et illius ludum apud se consistere rati. Animadvertentes insuper Regem Casimirum ad pacem plurimum cupidum, ferendum, et andelum, omnia quaeque dura et difficilia Regi, sibi vero utilia et accommoda et absolutam possessionem terrarum occupatarum firmantia interponebant, rati ut tandem cerent Casimirum Regem singula de communi voto et sententia impleturum

Sextodecimo Calendas Novembris Olgerts, Keystuts, Koributs, Patrikyg, Lambardus, Szvirnuel, Butkaw, Litthuanorum Duces, filij Gedimini, et patruelis filius Daniel Ruthenus, cum Litthuanorum et Ruthenorum cohortibus, per fraudem et clandestine principatus Masoviae ingressi, quamvis cum Mazoviae Ducibus et affinitates iunxerint, et pacem perpetuam firmaverint, illos hostiliter praedantur, urunt et devastant, et plusquam mille ducentas Catholicorum animas et pecoris praedam in Litthuaniam abducunt

Przemislaus Ratiboriensis et Opaviensis Dux devotionis specialis actus, fundat Monasterium Sanctimonialium ordinis praedicatorum in Ecclesia Sancti Spiritus in Ratibor, et dat illis pro dote villas ruralis molendina, et alios introitus, libertans omnes donationes suas, privilegijs insignibus, et divinam ultionem contra turbatores invocans. Processu autem temporis Offka Ducissa Masoviae erexit pro eodem Monasterio oppidum Belicorow, cum septem villis quod et quas Nicolaus Dux Ratiboriensis filius Janussij violenter occupans damnabiliter sibi appropriavit. In cuius etiam filij sui Venceslaus et Janussius succedentes, bona praefata non secus quam haereditaria Apostolicis censuris quae extendebantur in illos contemptis inter se diviserunt

Sumptibus et donationibus diffusis, Boleslaus Bregensis et Legnicensis Dux, quos sui ferre non quiverant principatus, se inde suamque substantiam inconsulte et prodige devorans et consumens, secum et Legnizam caput et principaliorem sui dominij partem, item Hainoviam item aureum montem, in notabilibus pecuniarum summis ad plura marcarum millia se extendentibus creditoribus obligasset, filios insuper duos Venceslaum et Ludovicum ex Margaretha filia Venceslai Bohemiae Regis susceptos, terrenis et haereditarijs bonis non extantibus pro obstagio in Vratislaviam mittentibus pro magna debitorum quantitate dare non sine summo sui dedecore est compulsus. Tanta denique actus est egestate, ut omnibus fere consumptis aut obligatis, quonam terrarum diverteret, aut quibus sumptibus de caetero se aleret, non haberet. Mortua interea consorte sua Margaretha, et ipse diebus luctus expletis, aliam de Croacia Catherinam superducit, doteque per eam allata Bregam et Olaviam a pignore quo tenebantur, absolvens, domicilium suum in Brega constituit, filijs vero Venceslao et Ludovico terram Legnicensem, sed varijs pecuniarum summis et aere alieno gravatam, cessione perpetua reliquit, ut sibi suaeque conditioni quantum scirent providerent. Qui suffragio a militaribus et agrestibus petito et obtento, Legnicensem terram a creditoribus liberant, et exolvunt, nonnullis creditoribus conditionem eorum miserentibus, suarum pecuniarum remittentibus portionem

Numeroso exercitu ex Almaniae et Austriae oris ad ferendum Magistro et Ordini Cruciferorum contra barbaros in Prussiam adveniente, inter quos Margrabius Brandeburgensis Comes de Namen et Comes de Hennenberg numerabantur, principalis in Lithuanorum terras itum est et castrum Pullen diebus pluribus oppugnatum in quod Lithuani ex quatuor districtibus se suasque coniuges, pignora, liberos, fortunas, atque pecus, quod locus tam arte quam natura munitus erat, conferendo, quatuor millium hominum expleverant numerum. Et quamvis Lithuani in castro praedicto conclusi, probe saxis superne ferendo impugnatores reiecissent, in pluribus tamen locis castro exercitatione bombardarum diruto et patefacto, videntes castrum ab hostibus capiendum, pyra in castri medio extructa, omnes fortunas suas et substantias ne

hostilis

hostes illis potirentur, incendunt, Coniugibus quoque et parvulis trucidatis, singulum praefecto castri omnes praebent, ne vivi in hostium manus venirent. Interim a Christianis castrum conquisitum est, et irruentibus in illud militibus pauci superstites ex tanto numero Lithuanorum reperti aut necantur aut captivantur. Castro autem praefato funditus incenso, et demolito, regione in circuitu vastata, in Prussiam Catholicus exercitus rediit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS

Nullum profectum Casimirus Poloniae Rex arbitrali duorum Regum pronunciatione et sententia sibi et rebus suis videns accessisse, quinimo Magistrum et Ordinem in maiorem pompam animos induxisse, generalem terrarum Regni sui agit conventum deliberaturus an ad ea quae Magister et ordo Cruciferorum super terrarum Pomeraniae, Chelmensis, et Michaloviensis renunciatione et titulo et iuramento praestando, convenientibusque literis ad praemissa, a Rege expetit annuendum, vel quod facto opus foret. In deliberationem autem re perducta, omnium Praelatorum et Baronum vota, sententiaeque convenientissimis rationibus respectibusque concludebant, nullatenus Cruciferorum petitioni, decisionem Regum excedenti, ne in posterum ad debiti et vadiationis necessitatem posset referri, et iuris Regno Poloniae in terris praedictis Pomeraniae, Chelmensis et Michaloviensis competenti abdicatio causari, assentiendum, ad extrema eventum fore, et peiora ominari, si sub tam iniquis acerbisque conditionibus, non per electos arbitros Reges, quod et aliquo grave esset, sed per hostes, victorum speciem praeferentes, quod non grave solum sed turpissimum toleratu esset, dictatis pax debeat non conferri, sed assumi. Servitutem itaque omnes clamant, non pacem, belli futuri seminarium, et animorum in iniuriam et odium irritationem, non quietem. Negantque se ullo pacto in conditiones visas consensuros. Sed dum de gerendo bello quod pace infecta impendebat

bat ad consultandum ventum esset, placuit bellum non inferri, sed si inferretur repelli et Sedi Apostolicae quaestum iri, eiusque suffragium implorari. Ad hanc rem cum Legatus tanto oneri aptus quaereretur, Joannes Grotkonis de Slupcza Cracoviensis Episcopus, propter plures respectus electus est, quod et vir praestantis esset ingenii et pro gubernandis rebus publicis magnae experientiae, et prudentiae et singularis valoris. Is anno eodem sufficienter de causa meritis instructus, in Avinionem ad Benedictum Papam duodecimum profectus est, et iniurias Regni Poloniae et pertinaciam Magistri et Ordinis, censurarumque Ecclesiasticarum vilipendium et contemptum summo Pontifici et Collegio Cardinalium expositurus. Onus autem iterque illud propterea minus cunctanter suscepit, quoniam sperabat se per personalem praesentiam, Metropoliticum honorem Ecclesiae suae Cracoviensis, praedecessorum suorum Cracoviensium Episcoporum dissimulatione et negligentia ademptum, facilius reddi posse, praesertim cum ad id Casimirum Poloniae Regem compertum haberet suam operam suosque favores impensurum.

Polonorum Principibus qui Slezianam oram spoliant, Joannes de Luczemburk Bohemiae Rex partim dolis, partim blanditiis et promissis subactis, Wratislaviensi insuper civitati et Ducatu, nonnullisque castris, oppidis, et munitionibus, quae ad Slesiae Duces devolutionis aut successionis iure pertinentia erant, neque iusto, neque legitimo iure occupatis, ad spoliandum quoque Wratislaviensem Ecclesiam quam Slesiae Principes dotare et ornare insueverant, animum intendit, et castrum Melicz iubet sibi per Episcopum Wratislaviensem Nanckerum, et Capitulum praesentari. Quo velut viro magnanimo Regis iussa irridente aspernanteque Bohemiae Rex Joannes exercitu valido, quem et cives Consulesque Wratislavienses sua praesentia coauxerant, congesto castrum Melicz, quod tunc Henricus de Wirbna Archidiaconus et Canonicus Wratislaviensis, nomine Capituli Wratislaviensis tenebat, et obsidere et expugnare coepit. Expugnationem autem illius et longam et difficilem propter castri fortitudinem, fluminis enim Barucz ab omni parte castrum cingens difficultatem adiicit loco, Rex Bohemiae Joannes ratus doctus a scolis, Henricum de Wirbna Archidiaconum et Canonicum Wratislaviensem ad potationes vinorum a

nudum

auidum, et proclivum fore, mittet nonnullos Slesianos milites illi familiares, qui et Henricum Archidiaconum lagenarum Vini varios sapores habentibus, quas secum in frequenti numero ferebant, inebriarent, et tam terroribus quam blandiciis ad resignationem castri inclinent, Quibus imperata exequentibus vir simplex et pauidus Henricus Archidiaconus, et minis perculsus, et mero, castrum Milicz nulla illum necessitate aut defectu stringente resignat, et de illo cum familiaribus exivit. Cuius oppugnationem Nankerus moleste ferens, primum per literas et nuntios apud Ioannem Regem egit, ut castrum Ecclesiae ablatum restitueret, quo abnuente, Diocesim omnem Vratislaviensem Ecclesiastico supponit interdicto. At ubi Ioannes Rex Vratislaviam advenisset, plures super castri Milicz restitutione interponebantur tractatus, Quos dum videret Nankerus Episcopus ad irritum recidere; Praelatis Canonicisque sub mandat ut secum una ad Regem transeant personaliter, illum si castrum non reddiderit, excommunicaturum. Sed fere omnibus illi timore Tyranni deserentibus, verentibusque ne in se gravius quicquam consuleret, cum quatuor tantummodo, quorum Deus perseverantiae vigore firmaverat corda, videlicet Przeczslao Scholastico qui post in Lubucensem Episcopum fuerat promotus, Ottone de Donin, Cunczlone de Schalkow, et Petro de Bitschow Canonicis Vratislaviensibus, ad Monasterium minorum Sancti Jacobi Regem in stubella parva, refectorio proxima, se continentem, intrepide accessit. et fores stubellae sonore pulsare coepit. Cui cum a Rege responderetur, non posse aliis occupatum audientiam illi praestare; in pulsando perseverant, donec a Principibus Slesiae Consiliariis et Consulibus Vratislaviensibus, qui intus una erant, persuasum esset Regi, ut intromitteretur. Gestans itaque in collo stolam et in pectore crucem, habitaculum Regium ingressus ait Moneo te Domine Rex primo, item secundo, item tertio, et peremptorie, ut castrum Milicz a te violenter occupatum mihi et Ecclesiae meae Vratislaviensi, reddas. Negante Rege restitutionem, et asserente se illud iuste acquisivisse iusteque possidere, tum Nankerus Episcopus crucem in manu cum ligno dominico accepta, Authoritate, inquit, Omnipotentis Dei, te velut Ecclesiasticorum bonorum invasorem

rem excommunico, excommunicatumque denuntio in nomine patris et filii et Spiritus sancti. Stupentibus Principibus Silesiae Consiliariisque Regiis, et nequicquam mussitare audentibus, Joannes Rex in furorem versus, quam procax inquit et quam temerarius est, si opus est, sacerdos iste, et quam temere aspirat mori, quaerit quis trucidet eum, ut Martyris consequatur laureolam. Provocat me verbis, at ego a suo sanguine continebo me, alium tyrannum et persequutorem si se martyrem cupit quaerat necesse est. Egredientem a conspectu Regis Episcopum Nankerum Consules Vratyslavienses circumstant arguuntque, quod Regem in faciem modestioribus viis neglectis excommunicaverit. Quibus Episcopus, Satagite, inquam, Regem vestrum inducere, ut quae illicite Ecclesiae meae abstulit, restituat, cum et vos ipsi oppugnationem ipsam vestra praesentia et armis adiuvistis. Illis se eam potestatem habere diffidentibus, subintulit Episcopus, Et ego vos Consiliarios et adiutores suos, eadem auctoritate Dei Omnipotentis, qua et regem vestrum, excommunico, et excommunicatos decerno. Sed neque Rex vester glorietur se fore Regem cum magis Regulus quam Rex putandus et existimandus est. His verbis fortius duriusque, quam Censurarum denunciatione perstrepentibus, et Consiliariis Bohemicis et Vratislaviensibus, Principibus Silesiae in maius extollentibus, motus Rex, iniuriaque mittit Nuncios ad Episcopum Nankerum ut edisserat, quo respectu quave ex causa Bohemiae Regem putet reguli non Regem appellandum. Quibus Episcopus, Notorium inquit et quod inficiari negent aestimo et confirmo me veritatem promulgasse, indignum siquidem est ut is Rex et non potius regulus putari debeat, qui proprio in Regno suo carens Metropolitano, in coronationem sui prece et precio aliarum nationum Archiepiscopos conducit, cum omnes Catholici Reges sui et vicini nobis Poloniae Ungariae Daciae Archiepiscopos habeant in omni suo Regno, vester vero Rex Metropolitico privatus honore, aut Moguntinensi, aut Coloniensi Archiepiscopo, ad coronandum se, quod et de ipso experti sumus, precario conducit. Sugillatio autem huiusmodi tituli obiecta Joannem Regem Bohemiae adeo monuit irritavitque, ut ex Pragensi Ecclesia, et Maguntinensis Ecclesiae Suffraganea, Metropolitanam creari pro abolenda huiusmodi nota temporis processu procurauerit. Episcopus deinde Nankerus cum nihil parati, nihil aequi a Rege obtentum se intueretur, post triduum ex Vratislauia discedens, in Nissam, cum omni clero regulari et saeculari, quem Rex quia appellationi a se factae non adhaerebat, excommunicatum mandauit, secessit, et omnes Ecclesias obserari Episcopus iussit. Rege tandem mandante, et Vratislauiensibus ciuibusq. Ecclesiae Sanctae Mariae Magdalenae, Sanctae Elizabeth, et Sancti Spiritus, ostijs per violentiam patefactis, officiari per presbyteros vagos et discolos coeptae sunt. Quas dum communis populus fastidiret, ingredi compellebatur a lictoribus, et recusantibus vestis detracta; Mauritius itaque censuris Nankerus et Regem Joannem Consiliariosque suos, et ciues Vratislauienses feriendos ratus, mandauit eos velut excommunicatos et contemptores censurarum, arctius a singulis euitari, mandans illis subtrahi et negari omnia Ecclesiastica Sacramenta, et eorum participes pro excommunicatis censeri. Post quae in vehementiorem furorem Rex versus, omnia bona temporalia tam Episcopi quam Monasteriorum et quarumcunque Ecclesiarum occupat, et Silesiae Ducibus mandat occupare. Sed omnibus alijs iussionem detestantibus, Boleslaus Bregensis Dux egestati et inopiae suae succursurus, exequutione impetrata, et omnes Ecclesiarum villas, oppida, decimas, clenodiis, et introitibus in Ducatu suo Bregensi, inuadit et diripit, pro quo et ipse excommunicatione graui innodatus, et terra sua Ecclesiastico supposita sunt, quod longo tempore pertulit interdicto. Denunciante autem Nankero Episcopo Vratislauiensi per literas et Nuntios Sedi apostolicae, illatas sibi et vniuerso clero suo, per Joannem Bohemiae Regem oppressiones, spoliationes, et grauamina, Summus Pontifex Benedictus Duodecimus in Auinione tunc agens, Nankerum Episcopum commendans, et bono ac constanti animo esse iubens, sententias singulas per ipsum in Joannem Bohemiae Regem et Vratislauienses ciues latas confirmat et aggrauat, Regemque et ciues Vratislauienses anathematizat. Quamuis autem praefatus Joannes Bohemiae Rex frequenter apud Papam pro absolutione instetit, non prius tamen Summus Pontifex sibi absolutionem impertiturum respondit, donec et de castro Milicz cederet, et omnium, quae Ecclesijs et clero ro Vuratislaviensi abstulerat, plenam faceret restitutionem. Sed Rege in proposito perseveranti annis aliquot clerus et Ecclesia Vuratislaviensis spolia et direptionem Ecclesiasticorum introituum pertulit, et Joannes Bohemiae Rex cum omnibus Vuratislaviensibus anathema.

In festo Sanctae Hedwigis Litthuani terram Masoviae furtivis itineribus ingressi, Solthowsk, et Czerwonow oppida eorumque vicinia pervastant et plures de utroque sexu mortalis raptos in terras suas abducunt, Quos Masoviae milites insequuti, praedam raptam et captivos ab eis excutiunt, Certamen autem detrectantes, solito more, in fuga praesidio salutem ponunt. Sed flumium Narew superaturi, dum alteri alterum praecipitando se impediunt, ab undis plures ex eis, et praesertim qui sarcinas non abiecerant, suffocantur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS TRIGESIMUS OCTAVUS

Audita Summus Pontifex Benedictus duodecimus Regis Casimiri et totius Regni Poloniae querela, per Joannem Grotkonis Cracoviensem Episcopum prudenter matureque proposita, vix creditum praestare potuit Magistrum et Ordinem Cruciferorum in tam saevam Christiani nominis effusionem, et Catholicarum terram occupationem quae coram eo deducta est, Magistrum et Ordinem Cruciferorum ad contraria eorum quae egerant institutum perpetrasse, nisi Joannes Cracoviensis Episcopus pro verificatione propositorum evidentibus documentis Papae et Cardinalium ambiguitatem, docendo singula quae proposuerat et ampliora per crudelitatem Magistri et Ordinis commissa, dissolvisset. Tunc quidem Summus Pontifex veritate comperta altiori cura maiorique miseratione de scelere Ordinis indagando et Regni Poloniae calamitati providendum, quam conceperat in animum induxit. Missisque duobus Specialibus in Poloniam Apostolicae Sedis Nuntiis Domino Galhardo de Carceribus Titulensi Praeposito, Colon. Diacono, et Petro Gervasii Canonico Aniciensi per literas et Commissiones Apostolicas largas praerogativas et conditiones, iurisdictionem potestatemque eorum plurimum perpetuantes et firmantes, iniunxit et / et mandavit, quatenus Magistrum et Ordinem, et omnes illis adhaerentes vel praestantes auxilium consilium vel favorem tanquam maleficos et incendiarios authoritate Apostolica in singulis terris Regno Poloniae subditis, et alijs vicinis Regnis nunciarent, nunciarique mandarent pro tam enormibus sceleribus coram Sede Apostolica deductis et verificatis excommunicatos, et nihilominus summaria informatione de occupatione terrarum Regni et damnorum illatorum, et inde sequutorum, recepta, compellerent Magistrum et Ordinem Cruciferorum ad omnium terrarum occupatarum et damnorum illatorum, plenam et effectualem per excommunicationis et suspensionis in personas, et interdicti in terras, et Ecclesias, communitatesque et universitates sententias, promulgationem, restitutionem. Et si in his contumaces apparerent et rebelles, aut personaliter, aut per edictum, illos ad praesentiam Sedis Apostolicae citari curarent, rigidiorem correctionem et mulctam pro rebellione et contemptu subituros. Praefati autem Galhardus et Petrus Apostolici Nuntij in Poloniam venientes, ad executionem literarum Apostolicarum iuris ordine in omnibus servato procedunt, tribunalique quominus eorum processus posset a Magistro et Ordine Cruciferorum carpi et iurisditio inculpari, in Warsavia loco tuto et Cruciferis propinquo posito, Theodericum de Aldemburg tunc Magistrum Prussiae et Ordinem Cruciferorum ad quartam diem Februarij per certi tenoris literas in Vladislaviensi Ecclesia Cathedrali, et in Iunivladislavia per Nicolaum praepositum Sanctae Crucis Opoliensis, Vratislaviensis Dioecesis, per edictum citare procurarunt. Dum autem praefata dies, quarta videlicet Februarij advenisset, Magister Bertholdus Alberti de Ratibor Sindicus Casimiri Poloniae Regis, petitionem in scripto iudicibus obtulit pro parte vero Magistri et Ordinis Cruciferorum Magister Iacobus plebanus de Arnoldivilla Culmensis Dioecesis, comparens, iudicibus Apostolicis pro tribunali sedentibus, appellationem ab eorum iurisdictione interposuit, eaque velata discessit. Iudices autem Apostolici intelligentes se ex causis diffugij et declinatorijs et frustratorijs, et communitatibus, appellatione interpositam esse, in praesentia Janislai Archiepiscopi Gnesnensis, et Joannis Posnaniensis Episcopi, aliarumque personarum gravium, datis procuratori Ordinis, Apostolicis refutatorijs, iudices pronunciaverunt se competentes, et demum in praedicto oppido Varsouiensi, positionibus et articulis pro parte Casimiri Poloniae Regis oblatis receptis, et notabilium ac insignium testium inductioni et examinationi pro eorundem articulorum verificatione per unum fere annum cum dimidio intendebant

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS TRIGESIMVS NONVS

Observatis legalibus terminis, in causa inter Casimirum Poloniae Regem ab una, et Theodoricum de Aldemburg Magistrum et Ordinem Prussiae partibus ab altera, occasione terrarum Regni Poloniae per Magistrum et Ordinem Cruciferorum occupatarum vertenti, per Commissarios et iudices Apostolicos Galhardum et Petrum, in loco oppidi Varszowa, cum omni maturitate et diligentia rite et legitime consummatis, Commissarij et Iudices praedicti eandem sufficienter per productionem literarum, et privilegiorum, et inductionemque testium insignium, videntes sufficienter fundatam et instructam, advenisse tempus maturum rati concluserunt in causa, et ad ferendam diffinitivam sententiam quintamdecimam mensis Septembris diem Warsouiae partibus assignaverunt. Ad quam rem solennius confirmandam Casimirus Poloniae Rex Janislaum Gnesnensem Archiepiscopum, Joannem Posnaniensem, Clementem Plocensem, et Stephanum Lubucensem Episcopos, caeterosque praecipuos Ecclesiastici et Saecularis Status viros curavit pro illo tempore personaliter destinare. Qua quidem die quintadecima Septembris adveniente, Iudices et Commissarij Apostolici praefati ad pronunciandam sententiam Magistro et Ordini Cruciferorum per prius legitime ad hunc actum specialiter citatis, processerunt, et in Ecclesia Parochiali Sancti Joannis Baptistae in Warsouia sententiam suam in scriptis protulerunt, adiudicando Casimiro Regi et Regno Poloniae, Pomeraniam, Culmensem mensē, Michalouiensē Cuiauiae, et Dobrzinensē terras, tanquam veras dicti Casimiri Regis, et Regni Poloniae haereditates, et ratione damnorum perceptorum ad centum nonaginta quatuor millia et quingentas marcas, Polonici ponderis et monetae; et ad mille sexingentas Marcas ratione impensarum Magistrum et Cruciferos condemnando, prout haec omnia in ipsa sententia; quae talis est, latius continentur

In nomine Domini Amen

Noverint universi quod nos Galbardus de Carceribus Praepositus Titulensis, Colocensis Dioecesis, et Petrus Gervasij Canonicus Aniciensis Collectores Apostolicae Sedis nuntij et executores et iudices in causa quae vertitur inter Magnificum Principem Dominum Casimirum Dei gratia Regem Poloniae illustrem ex una parte, et venerabiles et religiosos viros Magistrum et fratres ordinis Beatae Mariae Theutonicorum in partibus Prussiae parte ex altera, ab eadem Sede Apostolica specialiter deputati, [illegible] pridem literas Apostolicas veras et integras ac omni suspitione carentes bulla plumbea Sanctissimi Patris et Domini nostri, domini Benedicti divina providentia Papae Duodecimi in filo canapis more Romanae curiae bullatas, ut prima facie apparebant, cum ea qua decuit reverentia recepimus, de verbo ad verbum tenorem qui sequitur continentes

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filijs Magistro Galbardo de Carceribus Praeposito Titulensi Colocensis Dioecesis, et Petro Gervasij Canonico Aniciensi Collectoribus Apostolicae Sedis nuntijs Salutem et Apostolicam benedictionem

Querelam gravem pro parte Charissimi in Christo filij nostri Casimiri Regis Poloniae Illustris in consistorio coram nobis et fratribus nostris propositam audivimus, continentem, quod olim Magister et fratres domus beatae Mariae Theutonicorum, qui tunc erant in Prussiae partibus commorantes, nonnullas terras et dominia infra Regnum suum Poloniae consistentes, videlicet Culmensem et Pomeraniae dudum, nec non a paucis citra temporibus, Magistri qui tunc erant

et fratres dictae domus, Vladislauiensem, Brestiensem,
Dobrzinensem, et Michaloviensem terras ad Regem et Pro
genitores eius de iure spectantes infra Regnum ipsum consi
stentes non sine magna strage Christi fidelium et concrema
tione centum Ecclesiarum, vel circa, hostiliter invaserunt,
et per violentiam occupaverunt, et adhuc de facto detinent
occupatas, in animarum ipsorum periculum, ipsius Regis ad
quem ratione dicti Regni sui dictae terrae ut praemittitur
spectare noscuntur, sicut etiam per sententiam latam supradi
cta terra Pomeraniae per certos iudices delegatos per felicis
recordationis Joannem Papam vicesimum secundum praedeces
sorem nostrum, dum adhuc ageret in humanis, ad instantiam
clarae memoriae Vladislai Regis Poloniae tunc viventis genito
ris Casimiri Regis praedicti deputatos ab olim dicitur liquide
apparere, ac dicti Regni, quod est Romanae Ecclesiae censuale,
quodque post Deum nullum praeter ipsam Ecclesiam recognoscit
superiorem in terris, nec non et eiusdem Ecclesiae Romanae, quae
propterea census, qui denarius Beati Petri dicitur, eidem Ec
clesiae in ipso Regno debito, multipliciter extitit defrauda
ta, grave praeiudicium atque damnum, supplicatum igitur nobis
pro parte dicti Regis, ut providere super his de opportuno re
medio curaremus. Nos apud Sedem Apostolicam informari
volentes, an Magister et fratres praedicti super praemissis infa
mia laborarent, dilecto filio nostro Petro tituli Sanctae Pra
xedis presbytero, et bonae memoriae Joanni Sancti Theodori
Diacono tunc viventi, Cardinalibus, commisimus oraculo vivae
vocis ut se super hoc apud Sedem ipsam plenius informa
rent, nobisque referrent quae per informationem huiusmodi re
perirent, ac deinde per eos super huiusmodi infamia infor
matione recepta, dictoque Joanne postmodum, sicut domino
placuit, de hac luce subtracto, ipsoque Petro Cardinalibus
se de speciali mandato nostro de Romana curia pro cer
tis arduis negotiis absentante, demum Venerabilis fra
ter noster Joannes Episcopus Portuensis, cui de speciali man
dato per nos vivae vocis oraculo sibi facto de informatione
huiusmodi per dictos Cardinales ut praefertur recepta, cu
ius acta sibi fecimus assignari, fecit in Consistorio coram
nobis ac dictis fratribus nostris relationem plenariam et
fidelem. Et quia per relationem huiusmodi nobis constitit

quod Magister et fratres praedicti super praemissis noscuntur infamia laborare, nos volentes, nec valentes illa si vera sint, salva conscientia, conniventibus oculis pertransire contra invasores, occupatores, incendiarios, sacrilegos, et malefactores huiusmodi, prout praedictorum excessuum enormitatis exposcunt, ne ipsorum impunitas aliis in exemplum transeat, debite provideamus, discretioni vestrae de dictorum fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios, incendiarios Ecclesiarum praedictarum, cuiuscumque status, ordinis, et conditionis existant, authoritate nostra, in Ecclesiis, et locis aliis, ubi expedire videbitis, generaliter excommunicatos publice nuncietis, et faciatis per alios nunciari quorum absolutionem Sedi Apostolicae duximus specialiter reservandam. Ac deinde de praedictis invasionibus, occupationibus, et incendiis, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii vocatis qui fuerint vocandi informari curetis, et si vobis constiterit legitime de invasionibus, occupationibus, damnis, et incendiis supradictis, et personis, qua talia perpetrarunt, eosdem incendiarios nominatim excommunicatos publice nuncietis diebus dominicis et festivis, et per alios in locis ubi expedire videritis, nunciari faciatis, et ab omnibus arctius evitari, et tam eos quam alios invasores, occupatores, nec non damnorum huiusmodi illatorum, et ad reaedificationem Ecclesiarum vel oratione ipsorum, ut praemittitur, destructarum et satisfactionem ac emendationem aliorum bonorum immobilium, nec non ad restitutionem plenariam dictarum terrarum cum fructibus inde perceptis, et rerum mobilium exinde ablatarum, seu amissarum, vel solutionem extimationis ipsarum rerum mobilium, seu emendationem damnorum super dictis bonis immobilibus illatorum, taxatione per vos prius facta de dictis bonis mobilibus, pro personarum et negotii qualitate ac valore seu extimatione ipsorum mobilium ablatorum seu incendiorum et deperditorum, ubi ipsorum mobilium valor seu extimatio aliter probari non poterit, iuramento eiusdem Regis et aliorum qui pertulerunt damna huiusmodi declaranda, eisdem Regi et alijs passis integraliter faciendum, nullo super hoc eisdem invasoribus, occupatoribus, incendiarijs, raptoribus, et damnorum huiusmodi datoribus, appellationis suffragante remedio condemnetis, huiusmodi sententiam, quam super praemissis proferri contigerit, executioni debitae demandantes: contradictores quoslibet, et rebelles, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis, vel conditionis extiterint, per excommunicationem, et suspensionem in personas ac interdicti in terras sive Ecclesias earundem, ac universitates seu communitates earundem terrarum, et alia iuris remedia prout expedire videritis, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij saecularis. Nonobstantibus felicis recordationis Bonifacij Papae Octavi praedecessoris nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam civitatem et Dioecesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine suae Dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede deputati praedicta extra civitatem et Dioecesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, sive alij, vel alijs vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Dioecesis earundem trahere praesumant, ac de duabus dietis in concilio generali et alijs quibuscumque constitutionibus, a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus, tam de iudicibus delegatis, quam de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alijs editis, quae vestrae possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si eisdem Magistro et fratribus vel quibusvis alijs communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel eorum Ecclesiae, civitates, castra, et loca Ecclesiastica interdicto subijci, seu quod ultra vel extra certa loca ad iudicium evocari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, eorumque locis, personis, ordinibus, et nominibus proprijs mentionem, ac quibusvis alijs privilegijs, indulgentijs ac literis Apostolicis, generalibus

libus vel specialibus cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte quomodolibet valeat impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Caeterum volumus et auctoritate Apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico praepeditus, quodque vobis et utrique vestrum a data praesentium sit in praemissis omnibus et eorum singulis perpetuata potestas, et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possetis in praemissis omnibus et singulis et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et iurisdictio vestra super praemissis omnibus et eorum singulis per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitisset, quavis constitutione contraria non obstante. Quod si praefati Magistri et fratres in hac parte processibus vestris efficaciter parere non curaverint, ac etiam obedire, eos ex parte nostra peremptorie citetis, ut infra semestris temporis spatium post citationem vestram huiusmodi, cum omnibus, et eorum et dictae domus exemptionum privilegiis, si quae habent, videlicet Magister et fratres quos seu pro informatione huiusmodi principalis et praecipuos repereritis, praedictorum excessuum patratores personaliter, alii vero per procuratorem seu procuratores idoneos plenum et sufficiens mandatum et plenam et liberam potestatem habentes seu habentes ad obediendum ac parendum habentes nomine et pro parte sua super praemissis eorum ordinationibus beneplacitis et mandatis Apostolicis obedienter se praesentent, Apostolico condicto, vel concordia facienda, Nos, quae super praemissis inda, duxerimus, plenarie parituri, iniungenda et statuta et recepturi quod de iure eiusdem processerint, nec aliter facturi beneplacito voluntatis. Alioquin nisi comparuerit, et

data

dicta privilegia portaverint, illa dictae Sedi Apostolicae ostensuri, exterum privilegia ipsa suspendimus, et ipsos interim suis Ordinarijs volumus esse subiectos, ac nihilominus contra eos ut iustum fuerit et expedire viderimus, procedimus, eorum absentia non obstante. Caeterum si forte praefatos Magistrum et fratres per vos vel alium seu alios qui non fueritis in domibus seu domicilijs eorundem citare vel ipsi impedimentum praestiterint ne citari valeant, in eisdem volumus, et decernimus vobis et cuilibet vestrum, praesentium authoritate, licere ipsos diebus aliquibus dominicis vel festivis cum populus convenerit ad divina, ut sic facta citatio ad eos pervenire verisimiliter praesumatur, citare vel citari facere publice in Ecclesijs civitatum vel locorum insignium magis vicinorum, in quibus possitis tute morari, et deinde procedere contra illos, sive citati taliter, statuto ipsis peremtorio termino competenti, coram vobis comparuerint, sive comparere contempserint, iuxta formam praesentium, ac si citati legittime extitissent. Quem quidem citationis modum vobis sit licitum observare, etiam in alijs citationibus faciendis de illis, seu contra eos, ut coram nobis debeant, ut praemittitur, comparere, Quas quidem citationes ita volumus et decernimus eosdem arctare citatos, ac si eos personaliter comprehendisset, et in eorum praesentia factae essent, quacunque constitutione contraria non obstante. Diem vero citationis, per quam praedicti Magister et fratres citati fuerint, ut coram nobis debeant, ut praemittitur, comparere, ac forma et quicquid super praemissis duxeritis faciendum nobis per vestras literas aut instrumentum publicum harum seriem continentes, intimare curetis. Datum Romae quarto Nonas Maij, Pontificatus nostri anno quarto.

Quarum quidem literarum Apostolicarum authoritate, ad instantiam dict. Regis seu Procuratoris eiusdem, praedictos Magistrum et fratres dicti Ordinis ac specialiter et nominatim advocatos et Commendatores eiusdem ordinis, videlicet Commendatorem generalem advocatum Culmensem ac Commendatores de

Thorun, de Grudziacz, Lipaniensem, Ladinensem, Chelpelgensem, Golubiensem, Strosbergensem, Papowiensem, Vurnczslaniensem, ac de antiquo castro Thorun, et in terra Cuiavia, Nessoviensem, Orloviensem, Murinensem, Brzestensem, Covaloviensem, Radzeoviensem, et Morsburgensem, et in terra Pomerania Swecensem, Gedanensem, Dersoviensem, et Canvensem, in terra autem Prussia Marienburgensem, Sthumensem, Lassynensem, Elbingensem de Lisli ac Ryper, ac quoscunque dictarum terrarum advocatos, ac commendatores, coram nobis in iudicium iuxta mandatum apostolicum ad certum locum et terminum fecimus citari. Comparente igitur in iudicio coram nobis loco et termino peremptorio supradicto Magistro Bartholdo de Racibor, iuris perito, procuratore dicti domini Regis Polonie nomine procuratorio ipsius, qui de mandato suo seu procuratorio fidem fecit per publicum instrumentum scriptum et signatum per manum publici notarij et sigilli dicti domini Regis appensione munitum. Dicto igitur procuratorio producto idem procurator, libellum seu petitionem suam obtulit in scriptis petens contra Magistrum et fratres ac Commendatores praedictos vel aliam personam pro ipsis legitime intervenientem procedi per nos iuxta tenorem petitionis ipsius, ac literarum Apostolicarum continentiam praedictarum. Quibus propositis et oblatis, comparuit etiam discretus vir Dominus Jacobus de Arnoldivilla plebanus Culmenses Diocesis procurator, et nomine procuratorio Magistri et fratrum praedictorum, qui de procuratione sua fidem fecit per publicum instrumentum scriptum et signatum per manum publici notarij, et dicti Magistri sigilli apendione munitum, praedicto etiam producto procuratorio dictus procurator protestatione praemissa, quod non intendebat in nos consentire tanquam in iudices suos, seu dominorum suorum, nec comparere alias coram nobis ex causis frivolis et minus rationabilibus a nobis ad sedem Apostolicam appellans, a praesentia nostra confestim contumaciter recessit. Nos vero attendentes quod in dicta causa praedictorum Magistri et fratrum ac Commendatorum seu procuratoris eorum absentia non obstante, de iure et vigore Apostolici rescripti procedere poteramus, Instante procuratore dicti domini Regis per nos procedi in causa praedicta petente, petitionem oblatam ipsius pro parte dicti domini Regis recepimus, qua recepta praestitoque iuramento de calumnia et de veritate dicenda lite in animo contestanti per dictum procuratorem domini Regis in contumaciam partis adversae, datis etiam articulis et testibus productis et examinatis, ipsisque et eorum attestationibus publicatis, productis etiam instrumentis quibus uti voluit, idem procurator, tandem in causa praedicta pro parte dicti domini Regis Poloniae per dictum procuratorem ipsius renunciatum extitit, et conclusum, et nos in partis alterius contumaciam habuimus pro concluso. Nos igitur visis et auditis informationibus et probationibus ac aliis in dicta causa productis et actitatis, ac iuribus causae ipsius et meritis iustitiae lance discussis, et diligenter examinatis, deliberatione praehabita diligenti nobiscum et etiam cum peritis, dictisque Magistro, et fratribus ac Commendatoribus citatis, ad audiendum nostram diffinitivam sententiam ad diem praesentem, dictoque Magistro Bartholdo procuratore dicti Regis Poloniae ad hoc in nostra praesentia constituto et praesenti, ac proferri per nos diffinitivam sententiam postulanti; praefatis Magistris et fratribus ac Commendatoribus contumaciter absentibus, quorum absentia Dei praesentia repleatur, sacrosanctis Dei Evangeliis positis, coram nobis, ut nostrum de vultu Dei prodeat iudicium, et oculi nostri videant aequitatem, sedentes pro tribunali in loco ad hoc partibus assignato, dei nomine invocato, qui praecepit iuste filios hominum iudicare: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Quia constat nobis informatione praehabita plenaria et diligenti, ex productis et probatis et actitatis legitime coram nobis pro parte dicti domini Casimiri Regis Poloniae illustris et procuratoris ipsius in praedicta causa, quod frater Theodericus de Lorinburg nunc Magistri Ordinis domus ho-

spitalis Beatae Mariae Theutonicorum, tunc Marsalcus
fratris Luderi de Brunswich tunc Magistri ordinis supra
dicti, ac Commendatores et advocati Culmenses, de Thorun,
de Grudziancz, Lipanensis, Radinensis, Engelspergensis, a
lias dictus de Coprzywarza, Golubensis, Strosbergensis,
alias dictus de Brodnicza, Papouiensis, Vincesslauiensis,
ac de antiquo castro Thorun, ac de terra Cuiauiae: Nesso
uiensis, Orlouiensis, Murinensis, Brestensis, Couatoui
ensis, Radziouiensis et Mesbergensis, alias dictus de
Przedecz, ac de terra Pomerania: Swecensis, Gdanensis,
Dersouiensis, Camnensis, nec non de terra Prussiae Ma
riemburgensis, Sthumensis, Lassinensis, Elbingensis, de Lesk,
ac Rigen, nec non fratres dicti Ordinis praedictorum ac alio
rum locorum partium praedictarum, qui tunc erant cum va
lido et hostili exercitu et vexillis erectis, timore Dei postpo
sito et Diabolo suadente, regni Poloniae devastantes Ecclesias
videlicet de Kardel, de Vuentba, de Sthawch, de Baldrzy
chow, de Konin, de Slup, de Sobuieszka, de Karzewo, nec
non fratrum minorum et Sanctae Crucis in Pisdri ignem incen
derunt, et ablatis per eos inde primitus libris calicibus the
sauris et aliis depositis dictarum Ecclesiarum
cruciis et Sanctorum reliquiis et imaginibus, eas cum san penitus combus
serunt. Ideoque praedictos fratrem Theodericum de Alden
burg, Magistrum generalem nominatim, ac Commendatores
et advocatos ac fratres dicti ordinis locorum et partium prae
dictarum quoscunque alios qui dictas Ecclesias vastaverunt et
et combusserunt, seu quorum occasione invasa et combu
sta fuerunt, authoritate Apostolica nobis in hac parte com
missa, denunciamus his scriptis excommunicatos, ac per Epi
scopos et Praelatos et Ecclesiarum Rectores civitatum et Dioe
cesium Gnesnensis, Posnaniensis, Vladislauiensis,
et Cracouiensis, ac Lubucensis, Vratislauiensis, Plocen
sis, sub poena suspensionis ab eorum officiis, et Culmen
sis diebus Dominicis et festis dum populus in Ecclesiis su ad divina con
venerit, mandamus publice nunciari, absolutionem ipsorum
fratris Theoderici de Aldenburg Magistri ac Commendatorum
et fratrum praedictorum et aliorum dictarum Ecclesiarum
incendiariorum, Sedi Apostolicae tantummodo reservata,
praedictosque Magistrum, Commendatores, et fratres, locorum et

Partium praedictarum dicti ordinis domus beatae Mariae Theutonicorum de Prussia, ad reaedificationem Ecclesiarum praedictarum per eos vel occasione ipsorum destructarum et combustarum, ad restitutionem et emendationem aliorum bonorum immobilium his scriptis sententialiter condemnamus. Praeterea quia constat nobis praehabita informatione plenaria et diligenti producta ex productis et probatis legittime et actitatis coram nobis ex parte dicti Domini Regis Poloniae in causa praedicta per Procuratorem ipsius Domini Regis, quod terrae Culmensis, Pomeraniae, Vladislaviensis, Brestensis, Dobrinensis, et Michaloviensis, cum suis civitatibus, castris, oppidis, et villis, et suis iuribus et pertinentijs universis, sitae sunt infra metas Poloniae et infra ipsum Regnum, et tamquam de Regno et ad ipsum Regnum pertinentes, et reges et principes Regni Poloniae, progenitores dicti Domini Casimiri Regis Poloniae illustris, qui pro tempore fuerunt, eas tenuerunt, et possederunt, Constatque nobis etiam ex praedicta informatione, ex productis et probatis et actitatis coram nobis, quod praedicti Magister, Commendatores, et fratres, qui pro tempore fuerunt, domus supradicti Ordinis beatae Mariae Theutonicorum de Prussia, supradictas terras, Pomeraniae, Brestensem, Vladislaviensem, et Dobrzinensem, cum suis castris, villis spectantes et pertinentes ad dictum Dominum Regem et progenitores ipsius, consistentes infra Regnum Poloniae, cum magna strage fidelium, in Dei offensam, ac ipsius Domini Casimiri, et clara memoria Domini Vladislai patris ipsius Regis Poloniae, in iacturam gravem, et laesionem, hostiliter invaserunt, et occupaverunt, et quibus, dictus Magister qui nunc est, Commendatores, et fratres praedicti Ordinis violenter eas terras, una et Culmensem et Michaloviensem cum suis civitatibus castris et villis ac iuribus et pertinentijs universis, infra dictum Regnum Poloniae consistentes, et ad Regem ipsum pertinentes, indebite et iniuste detinent occupatas. Constat nobis etiam quod idem Magister, Commendatores, et fratres dicti Ordinis terram Regni Poloniae ad ipsum Dominum Regem spectantem, cum valido exercitu hostiliter et vexillis erectis intrantes, et invadentes castra, villas, civitates, et oppida igne penitus combusserunt, vastaverunt, et desolaverunt, videlicet Gnesnensem civitatem Metropolitanam dicti Regni Poloniae, Lanciciam, Uniow cum castro, Siradiam cum castro, ibidem

dem Vuartham, Schadek, Baldrzychow, Charthupa, omnes
villas in territorio seu districtu Calisiensi, Pysdri cum castro
et claustro seu monasterio fratrum minorum ibidem, Conin,
Slupcza, Lzhizow, Sobierzisko cum castro ibidem et Listben
civitates seu oppida munita cum omnibus suis villis sibi ad
iacentibus, et in eorum districtibus et territoriis constitutis,
ipsis primitus spoliatis omnibus bonis mobilibus, et se moven
tibus, et multis hominibus interfectis, et pluribus de dicta
terra in captivitatem deductis, devirginatisque mulieribus
et oppressis, igne penitus combusserunt, vastaverunt et deso
laverunt, et alia damna dicto Domino Regi et Regno suo
suisque subditis plurima intulerunt, Eapropter ad restitu
tionem dictarum terrarum Pomeraniae, Vuladislaviensis,
Brestensis, Dobrinensis, Culmensis, et Michalowiensis,
plenariam et integram faciendam dicto Domino Regi Polo
niae, ac fructuum, redditum, et proventuum inde percepto
rum, et bonorum mobilium ablatorum invasorum et deper
ditorum, nec non ad emendationem damnorum super
bonis immobilibus datorum, seu veram aestimationem va
lorem omnium tam fructuum perceptorum quam bonorum
mobilium ablatorum, perditorum, et invasorum et da
mnorum super bonis mobilibus datorum, quae omnia taxa
mus ad centum nonaginta quatuor millia et quingentas
Marcas Polonici ponderis et monetae, prout etiam dictus
Dominus Rex in nostris manibus proprio iuramento sacro
sanctis Dei tactis Evangeliis ipsa damna in praefata sum
ma declaravit. Insuper et ad restitutionem expensarum
factarum in dicta lite et occasione eius, per dictum Domini
Poloniae Regem seu procuratorem ipsius, faciendam dicto Do
mino Regi, quas in mille sexcentis Marcis praedictorum pon
deris et monetae taxamus, prout dictus procurator in nostris
manibus tactis praedictis Sacrosanctis Evangeliis asserit
dictum Dominum Regem fecisse, et exposuisse. Et etiam
declaramus praedictos Magistrum generalem, Commen
datores et fratres domus Ordinis beatae Mariae Theuto
nicorum, praedictarum terrarum iniustos detentores et occu
patores, dictorum damnorum datores et excessuum patrato
res, dicto procuratori ipsius Domini Regis Poloniae nomine
procuratorio eiusdem, sibi eisdem scriptis per hanc eandem
nostram diffinitivam sententiam sententialiter condemnamus

In quorum omnium testimonium et euidentiam et certitudinem pleniorem, praesentem sententiam diffinitiuam una cum insertione rescripti Apostolici ac duorum procuratoriorum supra insertorum et conscriptorum, scribi et in hanc publicam formam redigi mandauimus, per notarios publicos scribasque nostros infrascriptos, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Et ut fides plenaria et indubitata transcripto rescripti Apostolici ac procuratoriorum praedictorum superius transcriptorum adhibeatur ubicunque et coram quibuscunque in iudicio vel extra, ac si originalia apparerent, ac omnibus aliis et singulis supradictis scriptis et narratis, nostram authoritatem iudiciariam interponimus et decretum. Acta fuerunt haec in Varschouia Posnaniensis Diocesis, infra Ecclesiam Sancti Joannis Baptistae dicti loci, anno a natiuitate Domini millesimo tricentesimo trigesimo nono, indictione septima, Pontificatus Sanctissimi patris, et domini nostri, Domini Benedicti diuina prouidentia Papae duodecimi anno quinto, et die quintadecima mensis Septembris, circa horam vesperorum. Praesentibus Reuerendis in Christo patribus et Dominis, dominis, Janislao Archiepiscopo Gnesnensi; Domino Clementi Plocensi, Domino Joanne Posnaniensi, et domino Stephano Lubucensi Episcopis, ac Venerabilibus patribus fratre Gunthino de Sulow, fratre Joanne de Mogila Abbatibus, et domino Nicolao Arigensi, Gregorio Cressmen Zagobrien Diocesis, et Petro Lancicien Praepositis, et pluribus aliis tam Clericis quam Laicis in magna multitudine testibus fide dignis ad praemissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego Petrus de Montelio Clericus Aniciensis authoritate Apostolica et imperiali notarius publicus, prolationi huiusmodi praesentis sententiae diffinitiuae dum per supradictum Dominum Galhardum de Carceribus, de uoluntate et expresso consensu praefati Domini Petri Geruasij collegae sui recitabatur et legebatur personaliter interfui, una cum notario publico subscripto et testibus supra scriptis, et de mandato eorum praedictas Commissionis literas Apostolicas vidi et tenui cum vera bulla plumbea in filo Canapis pendente, non cancellatas non viciatas nec abolitas in aliqua sui parte; ac procuratoria ac libellum et eorum tenorem de verbo ad verbum in hac praesenti sententia diffinitiua apposui et transcripsi, nihil addendo vel minuendo, per quod rei veritas immutetur, et diligenter etiam auscultaui, vna cum notario publico subscripto. Et quia facta diligenti auscultatione cum originalibus et praesenti publico instrumento ea concordare inueni, hic me subscripsi, et signum meum consuetum apposui requisitus. Et praefati Domini iudices ad ipsius praesentis sententiae diffinitiuae et omnium et singulorum supradictorum et scriptorum confirmationem, et robur eorum, authoritatem iudiciariam interposuerunt, et decretum, et suorum sigillorum mandauerunt appositione muniri, ad euidentiam et testimonium omnium praedictorum. Et ego Albertus Cristini Clericus Cracouiensis Diocesis, publicus Apostolica et Imperiali authoritate notarius, prolationi praesentis sententiae diffinitiuae, dum per supradictum Dominum Galhardum de Carceribus de voluntate et expresso consensu praefati Domini Petri collegae sui recitabatur et legebatur vna cum notario publico et testibus suprascriptis praesens interfui, et de mandato eorum praedictas commissionis literas Apostolicas vidi, et tenui, cum vera bulla plumbea in filo canapi pendenti, non cancellatas, non viciatas, nec abolitas, aut in aliqua sui parte suspectas, et ea omnia vna cum notario publico suprascripto diligenter auscultaui. Et quia facta diligenti auscultatione, cum originalibus et praesenti publico instrumento ea concordare inueni, hic me subscripsi, et signum meum consuetum apposui requisitus

Orbum se et sterilem fore, nullumque marem successorem relicturum Casimirus Poloniae Rex dignoscens, de statu Regni Poloniae sollicito studio curam gerens, et morte sua sequuta, caueret direptionem omnium terrarum Regni sui, in Cracouia egit pro festo Sancti Stanislai in Maio generalem conuentum, ad quem cum frequens multitudo Praelatorum et Baronum Regni Poloniae conuenisset, et per dies plures, quis tanto Regi in Poloniae regnum succederet, consilia varia et tractatus sub praesentia Regis agitarentur, cum plerique Consiliarij Semouitum Ducem Masouiae, Ianussium etiam Masouiae principem, alij Vladislaum Opoliensem Ducem dignos Diademate Poloniae, tanquam ex semine et prosapia veteri Regum Poloniae satos, pluribus laudibus et commendationibus efferrent, indignum et miserabile rati, ut cum semen Regum Poloniae et in Masovia et in Slesia germinibus suis propaginem late diffunderent, notis praeponant ignotos, et propriis peregrinos. Haec sententia et plurimorum Consiliariorum et totius erat vulgi, quod sibi aegre Regem exterum dari patiebatur.

Abhorrebat Casimirus Poloniae Rex et plerique secum sentientes Consiliarii stomachabanturque ferocius, dissuerendo, ne ex Slesiae Ducibus quisquam deposceretur in Regem, qui se absque necessitate et oppressione in ditionem Regis Bohemiae, proprio persuadente, subtraxerant, reddiderantque se indignos in quos talis honos, tantaque dignitas debeat, tanquam in desertores et apostatas suae gentis, suae linguae, suaeque patriae conferri. Ex Masoviae vero Ducibus, cum amplitudinis nihil, incrementique, quippe qui Regno Poloniae feudales omagialesque sint, regno sit accessurum, quaerendus talis Rex talisque successor, per quem et defensio et amplitudo Regno Poloniae permaneat. Nominatque Casimirus Rex et qui secum sentiebant Consiliarii, Ludovicum Ungariae Regis Caroli tertiogenitum, adolescentem ingenuum, et pluribus virtutibus pollentem, qui et suus nepos secundum carnem ex sorore sit, et alterius Regis filius. Haec sententia ab omnibus Poloniae proceribus tandem laudata et accepta est, et Rex Casimirus assumptis secum binis Episcopis Joanne Cracoviensi, Matthia Vladislaviensi, et aliquot saecularibus Baronibus, videlicet Joanne Castellano Cracoviensi, Andrea Palatino Cracoviensi, Nigignio Castellano Radomiensi, Paulo iudice Sandomiriensi, Sbigneo praeposito Cracoviensi, et Joanne Regni Cancellario, et aliis contulit se personaliter in Ungariam et septima die mensis Julii in Visegrad ad generum suum Carolum Ungariae Regem perveniens, praefatum Ludovicum nepotem suum a sorore, in Poloniae Regem sub certo foedere tunc inter eos inito, et conditionibus utilibus et necessariis rem huiusmodi qualificantibus, acceptavit et designavit in Poloniae Regem se absumpto sibi successurum, faedusque huiusmodi literis et privilegiis publicis fuit hinc inde sancitum et firmatum.

Casimirus Poloniae Rex singularem habens ad beatissimum Stanislaum Cracoviensem Episcopum devotionem, monasterium fratrum minorum sub titulo et honore praefati Martyris Sancti Stanislai in oppido suo regio Calisz fundavit et muro coctili erexit, vel potius vetus Monasterium innovavit, et transtulit. Erat enim Monasterium praedictum fratrum minorum dudum aliâs in veteri civitate Calisiensi fundatum, sed civitate veteri in alium locum in medietatem videlicet amnis Przosna translata, etiam Monasterium praedictum transferebatur.

Vicesima octaua mensis Junij die, Princeps Anna Regina, consors Casimiri Poloniae Regis, et filia Gedimini Lithuanorum Ducis, in infirmitatem grauem incidens, in Cracouiensi castro diem obijt, et in Cracouiensi Ecclesia sepulturam, solutis quae in funeris decus pertinebant, accepit. Vnicam filiam Elizabeth ex Casimiro Rege susceptam relinquens, foemina honesta, et viro ac Regi suo morigera, et in religiosos pauperesque liberalis et benefica, sed solatijs, choreis, et mundanis laetitijs dedita, his enim artibus et moribus a pueritia apud barbaros parentes imbuta, Christianitatis ritu suscepto, illas non reliquerat, Casimiro dissimulante magis quam probante, Siue equo siue curru quamuis illa veheretur tympana, sambucae, fistulae et varij generis harmonia modulantium canentiumque semper illam praecedebat, Vnde in horum, quae in vita egerat delectationibus, fato portentoque terribili et monstruoso fertur exisse e vita

Consulum et ciuium Vuratislauiensium obstinata pertinatia et cordis duritia, nec ordinarijs nec Apostolicis censuris domata, in qua anno plusquam vno efferuescebat, Nanker Vuratislauiensis Episcopus rigidiori virga domaturus, praesertim cum eorum rebellio in dies altius ingrauesceret, et vniuersa Vuratislauiensis Ecclesia grauem incurreret afflictionem et iacturam, inquisitorem haereticae prauitatis Dioecesis suae Vuratislauiensis, fratrem Joannem de Schwenkenfelt ordinis praedicatorum, in Theologia Magistrum, virum vita innocentis et absque reprehensione ad se in Nissam accersit, Consulumque et ciuium Vuratislauiensium mentem obstinatam detegit, petens contra illos velut censurarum contemptores et in haeresi suspectos, per ipsum procedi. Qui cum singula, in quibus Consules et ciues Vuratislauienses deliquissent, et quae vir Dei Nankerus Episcopus cum clero suo perferret probe nosset, obtulit se seruato moderamine, in eos sui officij authoritate animaduersurum Vuratislauiam itaque ingressus dominicali die, Cathedra ante praetorium locata, ad vniuersum populum, qui in magna multitudine confluxerat, prolixo sermone concionatus, Consulum et ciuium Vuratislauiensium tam prophanationem diuinorum a se subministratam, quam cordis duritiem increpans, vt ad Ecclesiae sanctae reuerterentur obedientiam et gremium magnopere persuadebat, citans in fine sermonis, omnes et singulos Consules Vuratislauienses et iuratos articulis ex officio proponendis responsuros. Quibus parere contemnentibus, Joannes inquisitor praefatus, spiritus fortitudine indutus, vsque in praetorium personaliter venit, Consulesque et iuratos Vuratislauienses tunc congregatos iterum monuit vt non cunctarentur diutius ad sinum Ecclesiasticum reverti, divinam et humanam ultionem si secus agerent in se propediem pro tam obstinata mente et patratis sceleribus experturi. Se quoque sic stabilitum esse, omni virtuti adniti per officium suum velle, quatenus eorum superbia et pertinatia sensim ascendentibus domaretur, Et licet pluri sermone inter Inquisitorem et Consules certatum fuerit, inquisitor tamen casso se labore sudasse percipiens praetorio exivit, et maledictis contumelysque et dentium stridore a nonnullis infestatus, parumque abfuit, quin vir ipse constans et animosus aut discinderetur, aut violaretur

Forti exercitu Theodricus de Aldemborg Magister Prussiae congregato, habens in suo comitatu Comitem Palatinum Rheni, et Almanos, Litthuaniam hyeme ingressus, castrum Vuyelunya obsidione cingit, multiplicique infestatione impugnat, Verum cum omnes suos conatus recidere videret in irritum, quippe et locus egregie a natura munitus, etiam probe a barbaris tutabatur, frigore etiam gelidissimo premente exercitum, redire in Prussiam coactus est. Aestate vero adveniente cum multis fratribus et peregrinis militibus ter in Litthuaniam expeditionem egit, et pro maiori parte singulos eius districtus vastans, multos mortalium ex Ruthenis et Litthuanis captivos duxit. Tres quoque aggeres et totidem alveos, et aquaeductus, in quibus barbarorum subita et clandestina in terras Prussiae arceretur invasio, disposuit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVADRAGESIMVS

Leopoliensem terram, caeterasque Russiae provincias, Regno Poloniae vicinas, Boleslao filio Troydeni ex Litthuana et Ruthena matre Ducissa Maria suscepto, filia Gedimini Magni Ducis gubernante, mortuo enim Duce Russiae videlicet Leopoliensi et Vladimiriensi, Lombardo filio Ducis Litthuaniae Gedimini avunculo suo germano, principatum et regimen, Baronum nobiliumque Russiae consensu, et iure sanguinis propinquitatisque nactus adeptusque fuerat, primorum contra illum Russiae procerum livor indignatioque grandis, et tandem in necem machinatio, et vehemens firmaque conspiratio consurgit. Et licet indies glisceret, viresque assumeret, multi tamen respectus in apertam rebellionem prodire, et Principi suo patulam moliri mortem vetabant. Dolis itaque extremum decernunt, et veneno in potu propinato in die Annuntiationis Sanctae Mariae alias nono Calendas Aprilis illum extinguunt. Odij autem et necis causas varias plerique astruunt, quod videlicet vitij

corum

eorum schismaticos abrogare et fidei Catholicae puritatem, ritumq et obedientiam Romanae Ecclesiae introducere firmareq illic plurimo studio quaesiuerit, siue quod tributis, datysq crebrollos exactionauerit, grauaueritq, siue quod coniuges filiasq eorum sua incontinentia foedauerit, siue quod praefectos suos et officiales Curienosq ex Polonis Bohemis et Almanis collectos, probris et iniurijs eos afficere non prohibuerit, quaecunq tamen harum causarum Ruthenos in exterminationem Principis mouerit, pro satis comperto nequit affirmari. Ea tamen mihi praecipua visa est, fidei rituuq disparitas, quae sub pietatis religionisq specie animas Ruthenorum, ijs quas expressi, et alijs causis suapte voluntatis et iniurias, in Principis exterminationem, qua opinabantur sacrificium gratum se Deo praestituros, ne in Latinum transire ex graeco ritum cogerentur, perstrinxit. Cuius morti Casimirus Rex Poloniae in sui notitiam deducta, ex Curiensibus suis et Baronibus aliquibus copijs contractis, Russiam concito cursu post octauas Paschae ingressus, ciuitatem Leopoliensem obsidione cingit. Quae cum aliquanto tempore obsidionem tolerasset, pressa tandem et afflicta nimia fame vna cum Proceribus Russiae qui vtrumq castrum altum et bassum ciuitatemq defendebant, caduceatores ad Regem mittit, deditionem non abnuens, dummodo Rex ritum fidei eorum non se violaturum aut mutaturum repromittat. Quo in hanc conditionem consentiente; sciebat enim si conditionem repelleret, Ruthenos obstinatis animis obsidionem toleraturos, et extrema quaeq passuros, apertis portis Regem cum exercitu in ciuitatem suscipiunt, cui vtroq castro tradito, fidelitatis praestant homagium, et debitae subiectionis iuramentum. Rex castris et ciuitate Leopoliensi potitus, plura antiquorum Russiae Principum magni valoris in auro, argento, gemmis lapidibusq clenodia et deposita, illic reperiens, inter quae duas cruces aureas notabili portione ligni Domini insignes, duoq diademata lapidibus, et grandis precij vniones habentia, tyronia et sella auro et gemmis superba monstrabantur, in suum redegit aerarium. Accessit deinde Vladimiriam et tam arcem quam oppidum, et totam terram Volhiniensem in suam redegit ditionem. Castris quoq Leopoliensibus et Vladimiriensibus, quae tunc ex lignorum materia fabrefacta erant, et quae ad sui tutelam custodiamq magnum numerum gentium armatarum requirebant, ne ad rebellionem eo discedente spectarent, crematis, constituto ex militibus suis terrae et ciuitati Leopoliensi Capitaneo, et aliquibus gentibus suis, vt saltem metu noviter dediti in fide continerentur, relictis, in Poloniam incolumis et victor

atq

B

atque spolijs largitionibusque et donis Ruthenorum magnificatus remeabat, otius illis thesauro spolijsque Cracoviae depositis cum maiori potentia reversurus

Vicesima quinta die mensis Martij fundatur novus Chorus in Vladislavia antiqua in monte in medio antiquae civitatis per Matthiam Episcopum Vladislaviensem, cui in temporis processu addidit et corpus, et novam Ecclesiam opere pulcherrimo et munifico, Cathedrali titulo dignam consumavit

Parum autem temporis Cracoviae Casimirus Poloniae Rex moratus, quo solummodo de copijs in Russiam tempestivo tempore traducendis consulto disponeret, transacto Nativitatis Sancti Joannis Baptistae die, exercitum ex omnibus terris contractum in Russiam producit, et tam Premisliensem, quam Haliciensem, Lucensem, Vladimiriensem, Samorensem, Lubaczow, Treboula, Cuszteng castra et civitates, caeteraque Russiae munitiones et fortalitia expugnat, nonnullis ultro se dedentibus, et in suam redigit potestatem, ac universam terram Russiae sub uno anno unaque aestate et expeditione, plerisque nobilibus et Boiaris Russiae Principatum suum ultro expetentibus sibi et Regno Poloniae subjicit, et illam in formam provinciae redactam Regno Poloniae perpetuo applicat, incorporat, unit, et annectit. Nec ab illo tempore a Regis et Regni Poloniae subjectione et obedientia visa est descivisse, sed semper in illius fide, sincera integritate et devotione permansit. Quamvis autem nonnulli ex Russiae nobilibus Principatum Casimiri Poloniae Regis aspernantibus, Tartarorum suffragijs freti resistentiam Casimiro Regi facere crebris excursionibus tentavissent, pluribus tamen certaminibus cum universum dimicationis eventum magnopere, potentiam Regis veriti, extimescerent, fracti, ac usque ad internecionem deleti fugatique sunt, et universus Polonicus exercitus post multorum castrorum et munitionum expugnationem, et post subactam Russiae terram, victor et incolumis ad propria reductus.

Octava die Septembris Litthuani cum suis Ducibus in magna multitudine Masoviae terras ingressi illas barbarico more vastant, et nullo opponente resistentiam plures captivos et spolia inde abducunt, septem quoque sacerdotes interfecerunt

Hedvigis Poloniae olim Regina relicta Vladislai Lohtek, et genitrix Casimiri secundi Poloniae Regum moritur, et in Sandecensi Monasterio tumulatur, Casimiro Rege iusta funeri suo magnifico sumptu persolvente.

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMꝰ TRECENTESIMꝰ QVADRAGESIMꝰ PRIMVS

Opprobrium viduitatis sterilitatisque suae Casimirus Poloniae Rex volens excutere, et solutam cervicem a coniugali iugo per novi matrimonij contractum divinae legi subycere, et ne per incontinentiae, laxatis habenis vagaretur campos, altero thori consortio cohaerere, missis ad Henricum Hassiae Langravium nuntijs, filiam eius virginem Adleidam de virtutum morumque praestantia et formae dote plurimorum sermone et relatione celebratam, sibi expostulat dari in consortem. Henricus autem Marchio Hassiae de affinitate tanti Regis vehementer laetatus, nuntijs regijs magno honore tractatis, procationi eorum ultroneum praebet consensum, et filiam suam praefatam Adleidam eis tradens, ipsam nihilominus usque in Cracoviam praesentia personali pro maiori et Regis et suae filiaeque honestate perduxit. Quo cum perventum fuisset, gratus fuit Regi Casimiro et Henrici Hassiae Lantgravij et novae nuptae virginis Adleidae moribus venustiore quam forma adventus. Unde illis obviam ab Ecclesiarum processionibus et singulorum statuum ordinibus ex Cracoviensi civitate itum est, et nuptiae cum magna solemnitate et maiorum Praelatorum et Baronum Regni Poloniae confluentia, pro die Sancti Michaelis et diebus sequentibus peractae. In dotem autem filiae suae Henricus Hassiae Lantgravius duo tantummodo sexagenarum, latorum grossorum Pragensium millia se daturum Regi Casimiro genero suo inscripsisset, quantitate tam tenui, quae interdum Barones moderni temporis solidarum pro dotalibus muneribus solita est, vel modestiam illius aetatis, in qua Reges ea dote contenti erant, quam nunc mediocres Barones fastidiunt, vel suam tenuitatem, cum terra Hassiae in sterili solo sita sit, testatus. Nuptiarum solemnitate terminata, Henricus Hassiae Lantgravius magnificis donis a Casimiro Rege cum suis omnibus militibus muneratus, in propria omnibus necessarijs in locis Regni Poloniae per quos ibat abunde per Regios officiales tractatus remeavit. Cohabitavit autem huiusmodi sponsae suae Adleid. Casimirus Poloniae Rex annis quindecim, habens illam et ostentui et despectui aliarum, ut aestimabatur, plurimarum concubinarum consuetudine pestifera, a legittima uxore aversus et abstractus, vel potius incantationibus

nibus infascinatus. Quapropter illam a se relegaverat, nec factum Regis, nec contradictionem, aut affectionem maritalem per annos illos aut sensit aut vidit, sed in curia Regia oppidi Zarnowiecz omnibus procurata abunde necessariis iuxta ac vidua degebat, opprobrium suum ac contemptum patientia singulari perferens, et ab omni illecebra carnali se praeservans.

In Sancta Barbarae die quae fuit quarta Decembris, Janislaus Gnesnensis Archiepiscopus senio et laboribus confectus, in aegritudinem incidens, procuratis omnibus Sacramentis in curia Archiepiscopali Lanciciensi, circa Ecclesiam collegiatam sita, plenus bonorum operum, et magnus Reipublicae, Regni, Ecclesiaeque Gnesnensis amator, et defensor, moritur, et in Ecclesia Gnesnensi accepit sepulturam. Huic per electionem Canonicam tertiadecima die mensis Februarii Gnesnae concorditer anno sequenti, videlicet M CCC XL secundo celebratam, Jaroslaus de Skotniki genere nobilis de domo Bogoria Sendomirita, Archidiaconus Cracoviensis, et Canonicus Gnesnensis, cooperante Casimiro Poloniae Rege succedit, per Benedictum Papam duodecimum confirmatus. Qui ex tunc et deinceps ad decorandum Gnesnensem Ecclesiam et ad ampliandum eius introitus sollicito studio coepit intendere, et tam curias Archiepiscopales quam castra muro primus aedificare. Sed et districtum Loviczensem quem tenuem et exanguem reperit, oppidorum et villarum locatione, castrique Loviecz constructione uberrimum et fecundum effecit.

Decima mensis Aprilis quae tunc in diem Parasceves incidebat in oppido Nyssa Nanckerus Vuratislaviensis Episcopus quem de Cracoviensi Ecclesia in Vuratislaviensem translatum fuisse in superioribus descripsimus, vir singularis constantiae et religionis, plenus operibus sanctis moritur, et in Ecclesiam Vuratislaviensem reductus, in ea sepulturae mandatur. Fertur autem subordinatione et iussu Joannis Bohemiae Regis et Comitis de Luczemburg veneno sibi olim propinato, mortem acceleratam suscepisse, quod praefatum Joannem Regem castrum Melicz Ecclesiae Vuratislaviensis occupantem monuerat et publice excommunicatum nunciaverit, censurasque vilipendentem in maiorem sui salutis ditestationem, in civitate et Dioecesi Vuratislaviensi universa interdictum posuerit, et clerum Vuratislaviensem civitatis appellationi suae adhaerere, et divina in sui praesentia Vuratislaviae agere detrectantem, de civitate Vuratislaviensi

tempore

turpiter eiecerit et excluserit. In exitu autem animae Nankeri Episcopi de corpore suavissimus cantus a quadam religiosa faemina auditus est. Quem cum admirans ad sonum cantus consisteret, revelatum est illi animam Nankeri Wratislaviensis Episcopi in caelum ab Angelis deferri, Mirae devotionis, sanctae simplicitatis et magnae abstinentiae, corpus ieiuniis et orationibus nocte interdiuque affligentem, eum constat fuisse, et hac inter alias conditione celebrem, ut omnes Missas, quotquot in Ecclesia, in qua aderat, legi poterant, audiret, et ad quamlibet illarum specialem oblationem offerret. Singulis quoque annis postquam Vuratislaviam translatus fuerat, certam summam pecuniae ad vicarios Ecclesiae Cracoviensis pro columbationibus dono mittebat. Sedit in Ecclesia Vuratislaviensi annis quindecim, Cui per electionem Canonicam Przeczslaus de Pogorzela Canonicus Vuratislaviensis Polonus natione et nobilis de armis et domo Grzimalitarum tres turres deferentium, absens licet, et in studio Bononiensi agens, quinta May electus successit. Cuius electionem cum Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus Casimiro Poloniae Rege, qui aliquem ex suis Polonis aestuabat promovere, impediente, cunctaretur confirmare; ad Benedictum Papam Duodecimum transiit, et sic tam confirmari obtinuit, quam consecrari eadem, revoluto anno, quo electus fuerat quinta mensis Maij die. Sedit autem Nankerus praefatus sex annis cum dimidio in Cracoviensi Ecclesia in Vuratislaviensi vero annis circiter quindecim sincere et religiose in utraque obversatus.

De Nankeri Vuratislaviensis Episcopi excessu

Consules, et cives Vuratislavienses non secus quam si de Ecclesia Vuratislaviensi triumphassent, exhilarati, ad Ioannem Regem Bohemiae, de Ioanne inquisitore Vuratislaviensi, quaestum veniunt, et multis se ab eo probris et contumeliis violatos confingentes, Regem etiam in illius odium accendunt. Qui Henrico de Barut praeposito, et Apeczkoni Scholastico Vuratislaviensibus, Episcopatum Vuratislaviensem Sede vacante administrantibus, scripsit, quatenus Ioannem inquisitorem, plenam securitatem habiturum ad se Pragam mitterent, quatenus illum consulibus Vuratislaviensibus faceret reret reconciliatum. Cui illuc sub conductu Conradi de Falkenberg Vratislauiensis Capitanei aduentanti illico insidiæ comparatæ, consistente enim eo in camera apud Monasterium Sancti Clementis ordinis prædicatorum, duo Satellites quorum unus Knaufel aduenerunt, et audire se confessionem eorum differente, respondent, nisi celeriter audiat, futurum, dum in eis contritionis vigeret ardor, se postmodum desperaturos. Qui ex camera qua sermonem ad clerum facturus studuerat egressus, et viris Belial in dolo suum egressum expectantibus, tribus gladijs confossus occubuit. De cuius morte Rex Capitaneum et Consules Vratislauienses habens suspectos, capit, sed suspitionem iuramento purgantes absoluit. Knaufel tamen et socius eius post annum et dimidium capti et capite damnati, referebant, se per Mertselmum, Sbertelezar, et Hellenbolden Vratislauienses Consules, triginta Marcis corruptos, et subarratos, in flagitium et caedem viri Dei consensisse:

Ducissa Czernensis Maria moritur uxor Troiden Mazouiæ et Czernensis Ducis natione Ruthena, quam anno eodem vir suus Troidenus Czernensis Dux fato simili sequutus est, ambo in Plocensi Ecclesia iustis funerijs humati

Quintadecima mensis Junij Theodoricus de Aldemborg Prussiæ Magister moritur. Cui Lutherus maior Commendator natione Saxo succedit, alias Ludolphus Konig, aduenerat siquidem Carolus Marchio Morauiæ, filius Joannis de Luczemborg Regis Bohemiæ sub eodem tempore in Prussiam, et dum aliquanto tempore commoraretur in Thorun, Theodoricusque præfatus Magister Prussiæ ad honorandum et procurandum eum illuc descendisset, graui morbo correptus, sub præsentia eiusdem Caroli moritur, et in Marienburg relatus in Cripta Sanctæ Annæ quam ipse fundauerat sepelitur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS

Post miserabilem cladem in terra Moldauiæ, astu et dolo Bozaradi Voiewodæ, Carolo Vngariæ Regi et suo exercitui permittente Deo inflictam, in qua ut fama meminimus robur exercitus Vngarici ad Cauerna montium per eiusque insidijs superiectatum obrutumque est, Carolus Rex suo dolore accepta Stragis, Sen naturali deficiente vigore, crebris variisq morbis implicitus, in repellendis aut inferendis bellis vacationem de cetero captare coactus est, doloribus suis praesertim podagricis vexationibus consulturus. Ingravescente tamen valetudine adversa, sensimq illum vitali potentia deserente, feria tertia proxima post festum Sanctae Margaretae decimo septimo Calendas Augusti in castro suo Vissegradensi salutari procuratus viatico, ceterisq Sacramentis Ecclesiae rite perceptis, rebus exutus est humanis, cum annis triginta duobus regnasset, ceteris annis qui in discordia cum Venceslao Bohemiae Rege et Henrico Bavariae Duce competitoribus suis habita, transacti fuere non computatis. Cuius corpus in Albam regalem delatum ab illustri regina Elizabeth consorte sua, tribusq filiis Ludovico Andrea et Stephano quos superstites reliquit, Praelatisq et Baronibus Ungariae, regio honore tumulatum. Ne autem Regni Ungariae vacatio protelata aliqua schismata aut bella forinsecus et intra posset excire, Praelati et Barones Ungariae quamprimum Regio funeri debitum honorem solvissent, ad providendum de futuro Rege curas vertunt et unanimi voto ac consensu, Elizabeth Regina praesente, seniorem filium Caroli mortui Regis Ludovicum, decimum septimum aetatis annum agentem, decernunt coronandum. Dominica itaq die festum Sancti Jacobi Apostoli immediate antecedente/ duodecimo Calendas Augusti Ludovicus Dux praefatus per Chanadinum Strigoniensem Archiepiscopum assistentibus sibi Vladislao Quinquecclesiensi, Nicolao Agriensi, Mieczslauo Vesperniensi, Colomano Jauriensi, Petro Sirmiensi, Vito Nitriensi, et Laurentio Bosnensi Episcopis, Baronumq et nobilium multitudine copiosa in Regem Ungariae in Ecclesia Albaregalis iuxta ritum et observantiam veterem unctus et coronatus est, cum magno omnium assensu et favore. Abinde Budam veniens, honori processionum et occursui singulorum statuum expositus, compositis quibusdam publicis rebus celeriorem expeditionem poscentibus in Vissegradi patrios mores sequens moraturus illuc divertit. Cogitabat autem Carolus Ungariae Rex dum viveret Stephanum Ungariae regno praeficere qui Ludovici Romanorum Regis et Bavariae Ducis filiam in uxorem ductam unicam ex ea filiam susceperat, Andream autem regno Siciliae. Sed utroq immatura morte absumpto, solus Ludovicus cum Poloniae Regnum a patre destinabatur supervixeret, et Pannoniae et Poloniae Regno processu temporis potitus est. Postquam autem Casimiro Poloniae Regi obitus Caroli Ungariae Regis per literas Elizabeth Ungariae Reginae et frequentes nuntios Ludovici novi Ungariae Regis innotuit, venit personaliter cum multo comitatu Episcoporum et Procerum Regni Poloniae in Vyssegradum et sibi exequias sumptuosas et magnificas sub praesentia Elizabeth reginae Ungariae et nepotis sui Ludovici Ungariae Regis celebravit, viduitatem consolatus sororis, promotioni gratificatus nepotis

Cum magno omnium favore grandique exultatione Przeczslaus de Pogrella Vuratislaviensis Episcopus ex Romana curia reversus, a clero populoque suae Vuratislaviensis Dioecesis exceptus, in Nissam, perdurante Vuratislaviensi civitate in sua mentis obstinatione, divertit, illicque consedit. Ubi ad illum Carolus Marchio Moraviae, filius Joannis de Luczemburg Regis Bohemiae venit et reconciliatione per plures tractatus cum Przeczslao Episcopo cleroque suo habitos, aequis conditionibus, quibus et ablata et illicite percepta reddebantur, composuit. Ex Nissa Przeczslaus Episcopus cum clero suo, Carolo Marchione cum comitante, Vuratislaviam sedem suam advenit, et Consules iuratosque Vuratislavienses pedibus nudatis et capitibus, palliis quoque et cingulis amotis, ex praetorio usque ad Monasterium Sancti Adalberti ad se venientes, et suppliciter prostratos, culpa quoque simpliciter recognita, veniam humili supplicatione deposcentes, et per plures execrationes astringentes se nunquam sibi rebellionem Ecclesiam Vuratislaviensem molestaturos, ad gratiam reconciliationis admisit, sustulitque interdictum. Quibus omnibus Poloniae Principes adhibiti sunt, videlicet Boleslaus Bregensis et Legnicensis, Vladislaus Bithomiensis, Conradus Olsnicensis, Boleslaus Falkembergensis, et Boleslaus Opoliensis, Baronumque et militarum multitudo, ut celebrior esset huiusmodi reconciliatio. Et quamvis Carolus Marchio Moraviae polliceretur Boleslao Bregensi et Legnicensi, Duci pro damnis, spolijs, et iniurijs quibus Ecclesiam et Clerum Vuratislaviensem affecerat, parem reconciliationem, ordinaturum, nulla tamen interpositione facta ex Vuratislavia discedens, Boleslaum Bregensem magis anxiatum, [illegible] modisque, et quid ageret consilij inopem, Magnatum dimisit. Quia tamen Przeczslaus Episcopus Vuratislaviensis ex Ducatu suo oriundus extabat, et in guerra, a Conrado Olesnigensi sibi mota, adiuvabatur per Brigensem Boleslaum, benevolentia inter Episcopum et Ducem prospera sequuta, modestius de caetero cum illo singula agebantur. Non poterat tamen Dux, negantibus his quos annis pluribus dicorum introitibus spoliaverat, sibi et terris suis absolutionis et relaxationis beneficium obtinere. Civibus autem Wratislaviensibus post reconciliationem huiusmodi se iustificatos et purificatos existimantibus, et in comessationem, laetitiaque dies et tempora ducentibus, divina plaga, et expulsionem indignam Pontificis et cleri, divinorumque prophanationem, et caedem Joannis Wratislaviensis Jnquisitoris ultrix, repente advenit. Casuali enim igne in Wratislavia in festo Sancti Stanislai Martyris, octava videlicet mensis Maij exorto, licet ad restringendum illud universi operam suam enixe impendissent, non prius tamen sedatum est, donec tota civitas fuit conflagrata. Visus est insuper a quadam devota et religiosa foemina apud Sanctum Mauritium extra muros Wratislaviae inclusa sub ipso incendij tempore supra civitatem Wratislaviensem Angelus vibratum et contra civitatem extensum gestans gladium stare, et vivis ardentibusque carbonibus ferire civitatem, et incendere, et incensa ampliores flammas, quo periret, materiam exhibere.

Litthuani in frequentibus copijs et exercitu innumero Prussiam ingressi, fere universam spolijs caedibusque et captivitatibus hominum impleverunt. Magistro Luthero Prussiae non ferente suis defensionem, et in expeditione contra Catholicorum terras, novam videlicet Marchiam, quam sibi gestiebat subijcere, occupato. Qui ex ea reversus tanta animi consternatione de suorum caede et captivitate per barbaros facta vexatus est, ut sensu amisso delirus et amens fieret. In cuius locum Henricus Dusemer in Magistrum suffectus est

Vicesima tertia Aprilis Benedictus Papa duodecimus, cum annis septem, mensibus quatuor, diebus quatuordecim sedisset, moritur, et in Avinionensi Ecclesia tumulatur, et cessavit Episcopatus diebus decem et septem. Electionem autem de futuro summo Pontifice Cardinalibus in Conclavi inclusis celebrantibus, Lemovicensis frater Ordinis Sancti Benedicti Archiepiscopus Rothomagensis tituli

Sanctorum Nerei et Achilei presbiter Cardinalis natione Lemovicensis de Emanso, in die prefatorum Sanctorum Nerei et Achilei, que fuit undecima May concorditer eligitur, et in festo Pentecostes in Papam consecratur Clemens Sextus appellatus. Qui suorum predecessorum Joannis et Benedicti innouando censuras, Ludouicum Romanorum Regem et Bauarie Ducem ab omni regali, imperiali, et Ducali dignitate propter eius obstinatiam deposuit, et eius filios ac nepotes ad omnes dignitates tam Ecclesiasticas quam mundanas inhabilitauit, terras sibi parentes Ecclesiastico supponens interdicto. Iste nomine et re Clemens, totusque virtuosus, multa per Benedictum rigorose acta mitigauit et quosdam priuatos restituit. Laudabilis fuit seueritas Benedicti duodecimi, sed amabilior Clementis benignitas, sic moderator egregius, nullum inconsolatum a se abire permisit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVADRAGESIMVS TERCIVS

Tolerantibus Ludolpho Konig Magistro Prussie et Ordine Cruciferorum censuras Ecclesiasticas, per Galhardum et Petrum nuntios et iudices Apostolicos contra illos super restitutione Pomeranie, Chelmnensis, et Michalouiensis terrarum inique et iniuste per illos occupatarum, usque ad sententiam interdicti inclusiue latas, et sub pretextu et umbra appellationis per eos interposita, rigorem illarum eludentibus, terrasque occupatas detinentibus, Casimirus Polonie Rex bello Ruthenico Lithuanicoque se implicatum videns, veritus ne sub uno et eodem tempore cum triplici hoste belligerare cogeretur, in conditiones a Magistro et Ordine Cruciferorum propositas, Pontificibus licet omnibus reluctantibus, et graues atque onerosas demonstrantibus consentire, pacemque sub tam iniquis conditionibus cum Magistro et Ordine conficere et inscribere in animum induxit. Animus enim suus a paterno plurimum degenerans, ea que bello armisque administranda erant, abhorrens, componere res etiam cum iniuria malle bat. Nuntijs itaque Magistri et Ordinis ad se in Kalisz pro die Sancti Procopij aduenientibus, pacemque sub preconbus conditionibus offerentibus, annuiturum se in conditiones tionis, tam sibi quam Regno plurimum gravis et funestas respondit. Et quo res certior solidiorque existat, literis suis in die Sancti Hilarii scriptis firmat, in quibus eo vel necessitatis vel dementiae se monstravit progressum, ut non solum de iure et proprietate terrae Pomeraniae, duarumque aliarum terrarum, Chelmnensis videlicet et Michaloviensis cederet, ac illarum in posterum petitioni et actioni renunciaret, sed etiam titulo Ducatus Pomeraniae nunquam uti, et de sigillo Maiestatis illum eradere se obligaret. Dissimillimus patri visus, qui diutius bellicis in rebus versatus, prius et senecta et morte se opprimi passus est, quam in aliquam ex his conditionibus posset condescendere, Existimans se rei militaris exercitio, plures divitias, maximas opes, exquisitos honores, amplitudinemque sibi et Reipublicae abunde per bella cum hostibus indesinenter gesta, apud praesentem et futuram aetatem paravisse. Conventionem insuper cum Magistro et Ordine in villam Vladislaviam pro die Sanctae Mariae Magdalenae tenendam indicit, Principum Baronum et Civitatum Regni Poloniae literas de tenenda sub huiusmodi conditionibus pace, sigillatim a quolibet statu datas acceptis, reversalibus redditurus. Conventione autem die adveniente, dum et Casimirus Rex cum Praelatis et Baronibus, et Magister Prussiae Ludolfus Konig cum Commendatoribus suis per praesentiam corporalem convenissent, pacem inusquam Casimirus Rex facit, ardens terrarum naturalium Cuiaviae, et Dobrzinensis, sibi per Cruciferos ereptarum desiderio, Et pacis perpetuae foedus et corporali per utramque partem praestito iuramento, et Semoviti Visnensis et alterius Semoviti Czernensis, Boleslai Plocensis Masoviae, Casimiri Gnewkoviensis et Vladislai Lanciciensis Ducum, Baronum Cracoviensium et Maioris Poloniae, item civitatum Cracoviensis, Posnaniensis, Sandomiriensis, Sandecensis, Calisiensis, Vladislaviensis, et Brzestensis literis firmatum scriptum et initum est, Solis praesulibus videlicet Jaroslao Gnesnensi Archiepiscopo, Joanne Cracoviensi, Matthia Vladislaviensi, Joanne Posnaniensi et Clemente Plocensi Episcopis et a tam turpi foedere, quam praesentes essent aversis. Quae res sola pervenit peremptura est hosti funiculos, quos Magistri et Cruciferi ad usurpandam sibi terrae Pomeraniae ius proprietatemque in stum dominium, exquisitis ingeniis conati sunt caruisse. At vero ego non satis Casimiro Regi Poloniae subirasci possum, qui a belli muneribus ad quietis consilia animum diverterit, et caruerit sumptuosius, et in thesauris magnum auri pondus conditum possidere se gloriaretur, et somno indulgeret, ventrique et Veneri, et quietiorem et voluptatibus famosam vitam absque labore ageret, [illegible] pio et sacra frastantibus, se monstraverint in defendenda patria, neglectis mandatis patriis, magis pusillanimem et desidem, animique quietis et otium non ignavia animo, inferiorem quem nos animo solum, sed industria, actione, labore, et sudore, omnibus reliquis praestare oporteret, Longam et diuturnam Polonis et successoribus suis Regibus Poloniae pro terra Pomerania palestram belli pariis compendio, eras etiam si ita casus ~~ferret~~ ferret, pro minima quaque iniuria violanda relicturus

Pace cum Magistro et Ordine Cruciferorum de Prussia composita, terrisque Dobrzinensi et Cuiavia in possessionem plenariam receptis, Casimirus Poloniae Rex, aestate eadem contra Henricum Zeganensem Ducem et fratres suos expeditionem instaurat.

Et cum omnibus terrarum suarum militibus, aliisque gentibus mercede conductis, magno armorum equitumque et peditum apparatu, Joannis tamen Regis Bohemiae repressionem verebatur, contra Zeganensem Ducem procedit, fortunam belli et cum Joanne Bohemiae Rege et quocunque altero secum decernere volente reposita primum in Deo, deinde in causa belli quam iustam se habere credebatur, fiducia, tentaturus. Belli causa extabat, Occupaverat siquidem Henricus secundus Glogoviensis et Zeganensis Dux, Suius Henricianus pluribus annis, Vladislao Rege Poloniae pluribus guerris, et his praesertim quibus a Cruciferis premebatur, distento, oppidum et territorium ei annexum Vuschowa ad regnum Poloniae pertinens ex antiquo, cuius detentio erat illi annis aliquot impunita. Pro cuius restitutione crebris nuntiis et literis Casimiri Regis requisitus superba et fastidiosa edebat responsa, asserens se extrema quaeque prius, quam cessionem eius faceret, experturum. Primo itaque Casimirus Rex oppidum Vuschowa obsidione cingens et illud pluribus diebus omni expugnationum genere quatiens, militibus pro eius defensa per Ducem

cem Zeganensem missis nequaquam resistere valentibus, ruptis demolitisq; muris conquirit, Et ab oppidi quidem praedatione milites abstinere iussit, ea tamen quae defensorum oppidi erant, militibus suis concessit, non parvo illic captivorum numero habito. Oppidoq; et universo territorio Wschowa in suam recepto ditionem, in Ducatum Zeganensem copias producit, et castrum atq; oppidum Stinaviã Polonice appellatum Czynyauna, quamvis murorum altitudine et situ satis munitum expugnat, et omnes muros eius solo aequat. In agros insuper, vicos et villas, et quasq; oppida ignobilia populationem latius iussit extendi, et omnes villas oppida et municipia spolijs et incendijs consumari. Sero etiam Zeganensis Dux Henricus suae temeritatis se poenas pependisse advertens, oratores de pace rogaturos ad Regem mittit, iam enim Rex depopulata conflataq; in cineres Zeganensium universa regione ad ipsam quoq; principalem ipsorum civitatem et arcem Zeganum, exercitum obsessurus et oppugnaturus illam promovebat. Offerebant autem Nuntij Ducales preces humiles Regi deprecantes illum, ut nubilo indignationis suae restricto, reliquijs funestis et miserabilibus parcere dignaretur, Ducem Henricum Zeganensem, et fratres Conradum Olsnensem, Joannem Stinaviensem, et Przemyslaum Glogoviensem iuri possessioniq; terrae et oppidi Wschowa et actioni offensarum, iniuriarumq; renunciaturos, offerentis et ceteras conditiones, per Casimirum Regem dicendas, suscepturos. Flexus Rex tanta hostium humiliatione illos ad se iubet accedere; quibus personaliter venientibus, Animis aequiores, inquit, estote, verbis enim summissis vestris expugnastis et vicistis iram meam, Zeganensem patriam successione quidem vestram, iure vero belli meam, precibus vestris admissis, vobis dono, et iniuriam quam a vobis in occupatione territorij et oppidi Wschowa pertuli, remitto, pariq; aequis conditionibus, quae duntaxat et vos ergame et regnum meum odia deposuisse, et ea quae gessimus, irrogavimus, et intulimus bella oblitterasse, et vos nihil unquã iuris, proprietatis, aut tituli, in territorio Wschowa habuisse, testentur. Vos tantummodo cautiores estote, ne foederum iuragentium violatores vos constituatis, et caelestes, measq; iras in vos vertatis. In hunc modum pax etiam literis firmata, agros Zeganenses et ſtragibus et populatione ſolvit, et in regnum ſoſpes rediit. Territorium autem et oppidum Wschowa corpori Regni Poloniae reſtitutum, quaedam iura ſingularia et praerogativas et ſignanter monetae cudendae ſpecialem, quibus tunc uſum eſt, etiam Caſimiro Rege eas non abrogante, in hanc diem cum fidei ſinceritate obſervat, gloriam et voluptatem ſingularem adeptum ſe iri gaudens, quod ab iniuſtis poſſeſſoribus ad veros et naturales haeredes, et in unitatem legittimi corporis Regni Poloniae rediit, ſub quo ſaeculis exſtiterat.

Hungariae regina Elizabeth Caroli relicta, filium ſuum Andream Napuliae Regem viſitatura, et Romam a Segna, galeis aſcenſis, pelago vecta, in Napuliam pervenit. Cum celebri et magnifico comitatu et a filio Andrea Napuliae Rege, conſorteque ſua Joanna Regina plurimo honore ſuſcepta eſt. Faſtu et moribus Joannae Reginae plurimum offenſa, aliquanto tempore in Napulia commorata, Romam viſitavit, et reliquiis templisque Sanctorum adoratis, ad Clementem Sextum tunc Avinione agentem nuntios miſit, Coronationem Andreae filii ſui obtenturos, quam non aliter niſi promiſſis quadraginta quatuor millibus argenti potuerant obtinere. Quibus peractis, filio ſuo Andreae plurimum timens, videbat enim illum apud Joannam reginam, foeminam ſuperbam, ambitioſam, tenacem, et lubricam, contemptui et odio eſſe, conſumptis viginti ſeptem millibus marcarum argenti, et decem ſeptem millibus auri, triſtis et maeſta in Ungariam rediit. Jam tunc periculum grande ſcelere Joannae Reginae imminere filio ominata

Crebris procis et inſignibus Nuntiis Boguſlai Stetinenſis Ducis, Caſimirus Poloniae Rex pro affinitate et matrimonio filiae ſuae virginis Elizabeth quae ad annos iam nubiles pervenerat, ſollicitatus, habita Praelatorum et Baronum ſuorum deliberatione, credensque praefati Principis Boguſlai affinitatem ſibi et Regno Poloniae utilem futuram, admiſſis procorum obſervationibus et precibus, qui uſque Cracoviam ſuam Excellentiam, huiuſmodi procando matrimonium adibant, affinitatem cum Duce Boguſlao praedicto iungit, et filiam ſuam virginem Elzabeth quae tunc unica illi erat, ex Anna prima coniuge ſua, filia Gedimini Ducis Litthuanorum ſuſcepta scripta, illi desponsat, ea primum conditione interveniente, et contractu, quod pręfatus Boguslaus Dux Stetinēsis cum duobus germanis suis, Barnim, et Vuratislao, per patentes literas etiam corporali subsequuto iuramento firmatas, astrinxit se et obligavit, quod prędictum Casimirū Regem, contra quoscunque hostes et signanter contra Magistrū et fratres Cruciferos de Prussia, in quolibet necessitatis et belli articulo teneretur fideliter, ut patrem et dominū adiuvare, et pro quolibet bello cum quocunque hoste gerendo, quadringentis galeatis armatorum Casimiro Regi et coronę Polonię personali auxilio esse, et nunquā eundem Casimirum Regem et coronam Polonię deserere, in prosperis et adversis. In hanc itaque spem et conclusionē in civitate Posnaniensi pro festo Sancti Matthię Apostoli quod in Carnisprivium cadebat, nuptię per Casimirū Regē cum magna solennitate celebratę actęque sunt, et pro dotalibus muneribus eidem virgini Elisabeth et sponso suo Duci Boguslao viginti millia marcarum latorum grossorū Pragensium, et suppellex in vasis aureis argenteis, equis, vestibus, cęterisque rebus et clenodiis pro magnificentia tanti Regis filiam locantis superba et ditissima, in prompta et numerata pecuniā assignata. In cuius quidem dotis reversalem et veram restitutionem prędictę virgini Elizabeth certa castra, civitates et villas in terra sua Pomerania duo millia marcarum censuum puri argenti singulis annis reddentium fuere per Ducem Boguslaum donata firmata et inscripta.

Militiam in Litthuanos tunc Barbaros alteri, Ludovicus Ungarię Rex, Joannes de Luczenburg Bohemię Rex, Carolus Marchio Moravię, item Comes de Hallis et alii quamplures viri illustres in Prussiam cū eorum potentiis adduxerant. Magister autem Prussię Ludolphus Konig tantam convenisse videns potentiam, significavit Magistro Livonię, ut non timeret invadere Samogitas, videlicet Borthones, Cystones, et Ossolinenses, qui a fide apostatantes etiam proprios prę sides et quoslibet Christianos secum commorantes occiderant. Et cum Magister Livonię in prędicta territoria descendisset, Magister quoque Prussię cum regibus in Litthuaniā descendit, eamque vastaturus.
Litthuaniam intravit cum omni potentia, et interim quo eorum

terra vastabatur, descenderunt in provinciam Zambiensem, et vastabant eam, Propter quod Magister Ludricus cum Regibus, Lithuaniae vastatione omissa, volunt eis occurrere, sperans se pugnaturum, Lithuani vastatione Zambiensis provinciae potiti, et spolijs, in Livoniam quoque descenderunt, Quam cum vacuam offendissent, multis irrogatis stragibus et spolijs redeunt cum spolijs incolumes. Quae rerum varietas ambos Reges afflixit, ut Magistrum conviciarentur, huius tam pessimi eventus, et sui dedecoris authorem, per pravum consilium, fuisse. Quod Ludericus gravius ferens in amentiam incidit, a qua cum annos aliquot solvi non posset, resignat officium, in cuius locum frater Henricus Dusemer succedit

Semovithus Masoviae et Sochaczoviensis Dux filius Boleslai moritur, et apud Plocensem Ecclesiam sepelitur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS

Reganendi expeditioni, et rerum publicarum ordinationi, Casimiro Regi vacanti, nonnulli Russiae Barones, quibus principatus Regis Casimiri erat invisus et molestus, longa sua absentia, et distantia a terris Russiae contemplata, clandestinos facientes conventus, crebris sermonibus tractatibusque, instigabant ordinem, ut novum sibi superimpositum iugum, quo ritum suum Schismaticum sensim pertimebant extingui, possent excutere. Id quarunque rationum efficerent, nihil penes, in sil prospectus habebant, Vires autem proprias et depressas et distractas esse videntes, plures enim ex illis ad Catholicae et Romanae Ecclesiae puritatem novo baptismo renati accesserant, plures cum Casimiro Rege militabant, pluribus et praesertim fidem Catholicam professis, officia dignitatesque publicae collata erant, quos omnes certum erat in rebellionis sententiam, quos h. non posse. Duo duntaxat ex primoribus videlicet Daszko, quem Casimirus Rex Capitaneatui et terrae Przemisliensi praefecerat, et Daniel de Ostrow cum paucis alijs et bellum et rebellionem in Regem coquebant

Secretis itaque Nuntijs ad Tartarorum Imperatorem missis declarabant Casimirum Poloniæ Regem in recenti tempore terras Russiæ, ex quibus Tartaris tributa pendebantur occupasse, iurique sui fecisse, et omnes datias et tributa, quæ Tartaris cedere solebant, usurpasse. Suggerentes postremo, ni Imperator ipse tantam offensam et contemptum sui tributorumque suorum abrogationem sineret senescere, et Regi Casimiro ac Polonis inultam fore, se cum alijs Ruthenis in eius fide et obedientia persistentibus, operas suas, quamprimum exercitus Tartaricus in Russiæ partes advenerit, ad rescindendum Casimiri Regis Poloniæ imperium, nuper Ruthenis impositum, navaturos. Hac legatione Tartarorum Caesar, quoniam et vera et amica nunciare videbatur, permotus, validum exercitum, Regnum Poloniæ vastaturum, et terras Russiæ suo imperio restituturum, transmittit. Rumore novi et insperati belli Casimirus Rex Poloniæ non secus ut par erat perculsus; doctus enim ab exploratoribus et alijs fidelibus suis erat, Tartarorum copias suapte numerosas et fortes, et Daszkonis et Danielis de Ostrow, plurimorumque aliorum Ruthenorum novas res molientium accessione auctas esse. Casimirus autem tantis potentijs inferiorem se sciret, non tamen intra parietes aut sylvas delitescendum duxit, sed omnium terrarum suarum perceleriter et raptim copijs accersitis, hostibus obviam processit, et castra in una fluminis Vislæ ripa opposita, ne hostis flumen superare posset, infestaturus locat. Ab exploratoribus enim pro comperto habebat hostes ad flumen gratia transeundi illud perventuros, Prohibere itaque transitum hostium contentus, et a certaminibus abstinere, si vero se superiorem agnosceret, urgere in hostem, et bene oblatam occasionem non negligere. Hi itaque ut Rex speraverat irruentibus, Tartarorum Ruthenorumque agmina ad Vislam perveniunt, ad caudas equorum, ut mos Tartarorum est, undas transituri. Dum vero alteram ripam viris equis armisque completam

vineque

Vndique conspirarunt, et exercitum Regium ad resistendum paratum, ab ulteriori transitu notorium veritatis discrimen, deterruerunt, dies tamen aliquot circa ripas utrobique copiis perseverantibus fiebant per arcus et balistas bombardarumque provocationes utroque inspectante exercitu praelia, sub quibus vir nobilis Albertus Czeliy de Virzany et Sepraza Palatinus Sandomiriensis de domo et familia Habdank Tartarico telo fortuito percussus, ceteris omnibus moerentibus occubuit. Videns autem Tartarorum et Ruthenorum exercitus flumen Vislam transire non posse, per viam qua venerat regressus, praedas agebat, et spolia. Ad castrum autem Lublinense quod pro illa tempestate de lignis constructum erat, perveniendo, pluribus diebus illud impugnabat, sed militibus regiis strenue illud defendentibus, spe potiundi castri amissa, ducens secum magnam captivorum omnis aetatis utriusque sexus in terra Lublinensi comprehensam praedam in propria rediit.

Sugillationis opprobrium quod Joannes caecus Bohemiae Rex a Nankero Wratislaviensi Episcopo pertulerat, qui illum regulum magis quam Regem nominari debere asserebat, propterea quod ab exteris metropolitanis munus consecrationis sumere, sede Metropolitana in Bohemia non extante, Bohemiae Rex cogeretur, a se et Regno Bohemiae excussurus, Pragensem Ecclesiam factam Episcopalem et Archiepiscopi Maguntinensis suffraganeam, in Archiepiscopalem et Metropolitanam, Lutomislensem vero, quae Abbatialis et conventualis erat, Monachis Sancti Benedicti, in quorum usum et religionem dicata et fundata fuerat, exclusis, Cathedralem ne altera Pragensis Ecclesia, si suffraganea illi deesset, notabiliter confusionis ludibrio, procuravit, pluribus precibus et intercessionibus Philippo Francorum Rege [illegible] fratrem adiuvante, per Clementem Papam sextum ultima die mensis Aprilis in Avinione erigi creari et sublimari, et Arnestum Pragensem tunc Episcopum Archiepiscopali et pallii honore insigniri, et Olomucensem Ecclesiam in suffraganeam addi.

Milites Mazoviae parum prospera fortuna usi, facto circa Olesnicam cum Slesitis congressu confliguntur, Ardet et paulo ante Plocensis Ecclesia fulmine superne accensa, cladem sequuturam portendens

Terra motus

Terrae motus maximi fuerunt et pestilentia et fames in varijs Regnis et terris Catholicis. Et Civitas Basilea ex terrae motu quasi tota cum pluribus castris in circuitu corruit. Tunc homines in sylvis cum bestijs morabantur, nec civitates introire audebant. Vigebant enim pro illa tempestate iniquitates et peccata plurima, et haereses et sectae inter Christianos, ita ut beata Brigida di Scotia diceret mundum rigore iustitiae divinae maiestatis iam perire debere, quia deterior esset quam tempore diluvij, sed Dei misericordia et sanctorum precibus sibi parceretur.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVINTVS

Tartarico Ruthenicoque bello Casimirus Poloniae Rex perfunctus, a Joanne Bohemiae Rege, qui in oculorum nobili membro semper languidus ad extremum iam tunc caecus agnomen caeci sortitus fuerat, novo bello lacessitur, dolens siquidem et pro magna iniuria atque dedecori frequenter recensens, quod Casimirus Poloniae Rex terram Zeganensem, quam ipse Regno Bohemiae feudalem astruebat, in favillam cineremque redegerat, quod Duci Zeganensi oppidum et territorium Vschowa quod proprietatis et sortis regni Poloniae erat, occupanti, potentiae suae viribus abstulerat et quod Boleslaum Swidnicensem Ducem Casimiri Regis Poloniae ex sorore germana nepotem, in fide et ditione Regni Poloniae mira constantia perseverantem, abstrahere, et ad feudum, homagiumque sibi et Regno Bohemiae praestandum, licet in pluribus ingenijs et callidis repromissionibus tentasset, nequiret, cum magnarum copiarum exercitu, ex Bohemis, Alamanis, et Slesitis, collecto, contra Poloniam personaliter advenit, caecusque existens, et senio laboribusque confectus, arma tamen tractare etiam tunc non desistebat. Tanto namque eum livore in perniciem Regni Poloniae adductum, incensumque ferunt, ut mori vitaque excedere sibi dulcius foret, si illum cum exercitu suo ante Cracoviam figere stativa, murosque civitatis Cracoviensis manu certa pulsare, et Poloniae vastationem aliquam inferre contigisset. Omnium autem superbarum mentium et actionum violentarum inspector ultorque Deus, passus non est sua scelerata intentione, quam pro exterminio Regni Poloniae agitabat, potiri.

tiri quinimo Casimiro Poloniæ Regi et genti suæ, quos ipse Joannes Bohemiæ Rex cogitatione et facto continue imminebat, contigisset ex Bohemis, maxima cæde tunc detectis, gloriosam et magnificam victoriam referre. Quamvis enim iuxta intentionis suæ destinatum propositum, Joannes Bohemiæ Rex per Opauiensem, Teschinensem, et Oswancinensem districtus, regnum Poloniæ ingressus, primum ad Cracoviensem urbem die decima nona Julij in Czirczin ante Cracoviam duobus diebus, totidemque noctibus, castra metatus ~~est~~ fuisset, et partem Regni Poloniæ ad Slesiam vergam, spolijs et incendijs afficeret, Casimirus tamen Poloniæ Rex et exercitus suus, quem ad resistentiam Joanni Bohemiæ Regi contraxerat, aut in castris, aut in locis abditis occasionem bene gerendi certaminis, si qua daretur sors rei bene et pro voluntate explenda, caute et sollicite explorans, se continebat. Dum itaque præfatus Joannes Bohemiæ Rex a Cracovia repulsus, celeriter versus Bohemiam cum paucis remearet, omnem exercitum suum relictum bifariam dividens, unum versus Lelovia, alterum versus Ilkus, maiori latiorique vastitate et damnis Poloniam affecturus transmittit. Milites et gentes Casimiri Regis Poloniæ videntes, sentientesque dimissum Bohemorum exercitum divisum ad vastandum Poloniam procedere, armis correptis alii cursu post illum contendunt, et cum quidem qui versus Ilkusz in villa Pogonia, cum vero qui versus Lelow procedebat, in villa Biala consequuntur, tergaque exercitus Bohemici clamore valido invadentes, optimos quosque milites et bellatores facile deiciunt, obtruncant, et prosternunt. Acies autem prima periculo subito perculsa non ad pugnam, iam enim ultimas acies suas omnes fractas superatasque esse, fama, omnia ut fit in maius extollente, pavore, omnia in deterius augurante crediderant, sed ad fugam spectabant. Pauci autem, quibus altior honoris fuit cura, et hi præsertim, qui ducebant ordines, cæteris omnibus in fugam lapsis, ad locum ubi pugna latius crescebat accurrunt, et prælium aliquanto spacio restituunt, a Polonis tamen Bohemi confusi et acies eorum debilitatis fuga conspirantibus animo crescente facile vincuntur. Strages tunc non modica in duplici congressu in Pogonia, et Biala habita, divinitate superbiam Bohemicam conterente, in palatos et fugientes edita est, et multi insignes Barones Bohemiæ inter quos Henrich de Dams, Zayecz Ptaczek, Allso de Stramberk, et plures alij capti et vincti, et vul neribus in his quidam arreptis ad Casimirũ Poloniae Regem perducuntur, qui post vulnera medicina Regis impensa longo diuturnoq tempore captivitatis molestias in Polonia perferebant. Rex Bohemiae Joannes aliam viam tenens discrimen cladis praefatae evitaverat, qui fuga et strage suorum audita in magnos dolores et ejulatus ruens cum reliquijs qui se fuga salvaverant, in Bohemiam tristis confususq redijt. Armis, spolijs, et impedimentis omnibus tam interfectorum quam captivorum, et fugientiũ Polonis potitus, Polonorum Rex Casimirus Framboltam Galliam de Miedzwadz de domo Odrowaß militem, quo duce feliciter contra Bohemos pugnatum fuerat, ceterosq Polonos milites, quos constabat fortia opera in pugna edidissi ex prelijs hujusmodi reversos munifice remunerat, et balteo insigni militari, milites de domo byjennium in signũ relati triumphi et Hinkonis de Dambe a se capti memoriam pluribus in suo genere filijs et nepotibus Hinkonis nomen indidere.

In Calendis Martij mensis Magister Henricus Dusemer Cruciferorum de Prussia habens in suo comitatu Ungariae et Bohemiae milites, item Marchionem Holandiae et nonnullos ex Almania comites, et nobiles, in Lithuanos et eorum terras expeditionem agit. Et licet exercitũ haberet fortem et frequentem ac omniũ victualiũ et necessariorum abundantia refertum, parva tamen vastatione terrae Lithuaniae, Lithuanis in castris et nemoribus delitescentibus perfunctus, de Lithuania exire propter glacierũ dissolutionẽ et terrae lubricitatem ac in Prussiã redire nullo edito memorabili facto coegit.

Semovitus Masoviae Dux et dominus Vuisniensy dum obijt, apud Plocensem Ecclesiã sepultus

Andreas germanus Ludovici et filius Caroli Ungariae nepos ex sorore Casimiri Poloniae Regum, a Roberto Siciliae Rege, qui patrem ejus Carolum et fratrem suũ germanum et primogenitũ, a regno Siciliae fraude dolo et potentia, ut soli principari liceret, excluserat, in Siciliam accersitur, et ordinatione ejusdem Roberti qui se videbat per mortem unici filij Caroli Ducis, duas tantummodo filias Joannam et Mariã relinquentis ad orbitatem redactum esse, Joannam filiam fratris sui Caroli patruelis germani, ut successio regni Siciliae in domo Franco rum continuaretur, et in externum non transiret genus, dispensante Benedicto duodecimo, accipit in consortem. Quae etsi biennio cum eo commorata, filiumque ex eo Joannem suscepisset, maligno tamen agitata spiritu, sericeum funem collo ejus injicit, et suspensum atque jugulatum in civitate Aversa per fenestram de thalamo praecipitat. Cujus indignam mortem Ludovicus Ungariae Rex ulturus, cum magnis copijs Siciliam intrat, et pleraque loca vastat, castraque conquirit. Cujus adventum Joanna malefica non ferens versus Gallias abijt, et in provincia Provinciae in castrum firmissimum se recepit, ita conjugium scelestum consanguinitatis pessimo exitu, solutum est. Fertur autem Joanna praefata Regina ob lubricitatis et lasciviae ardorem et stupri quod cum milite Loizo, alias Ludovico de Tarento habebat continuandum, et aestuans, illum potius, quam Andream habere in maritum, tam immane et horrendum facinus in maritum et fratrem admisisse; et cum eodem Loizo in Franciam diffugisse. Ludovicus autem Ungariae Rex cum in Apuliam venisset, et primo impetu civitatem Jadrae a Venetis tunc obsessam liberari constituisset, parum tamen proficiens, pluribus susceptis incommodis in Ungariam regressus est nulla re memorabili gesta. Poloniae pluresque milites qui secum illam expeditionem obierant, munifice remunerans. Fuit autem Joanna praefata inter caeteras faeminas origine potentia et moribus aevo suo illustris mulier, Caroli Calabriae Ducis et primogeniti Roberti Hierusalem et Siciliae Regis, ac Mariae Philippi Francorum Regis sororis filia, prima Calistes hominis donorum suorum tanto afficiens supplicio, ut omnes cultum suum horrerent. Scelus autem hujusmodi opera Conradi de Katzantijs asseritur fuisse patratum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS

Ad ignominiam et sugillationem tam suam quam Regni sui Joannes caecus Bohemiae Rex reputans singularem, quod singulis fere Slesiae Ducibus suam ditioni suamque obedientiam professis, solus Swidnicensis Dux Boleslaus nepos Casimiri Poloniae Regis ex sorore sibi subijci fastidiens et detestans, Poloniae potius regno quam Bohemiae nia se adhaesurum, subvertereque omnibus viribus conatibusque annitebatur, varijs et frequentibus guerris et insultationibus carpit illum et principatus suos pervellere, et vexare. Sed cum magno animo bella sua et hostilitates refelleret, magno exercitu congesto versus Swidnizam adveniens Swidnizam obsidione vallavit, sed conatus suos intelligens recidere in cassum militibus Bolislai Swidnicensis strenue in defensione civitatis operas suas navantibus, soluta obsidione discessit, et Landeshutam capit, praesidioque imposito, cum recessisset et ad munera bellica obeunda partum idoneus esset, Bohemiam redijt. Post cuius discessum Bolislaus Swidnicensis Dux in quadrigas milites armatos imponens ad Landeshutam illos ire iussit, quae cum ad oppidum Landeshutam, merces enim non milites ferre videbantur, admissae fuissent, prosilientibus ex improviso militibus recuperatur oppidum, praesidio Bohemicali partim capto partim expulso. Animo itaque Bolislaus Swidnicensis Dux invictus, a vitijs cupiditatis vindictae et ambitione alienus est, Succedens enim Joanni caeco patri suo Carolus Bohemiae Rex non bellis sed ingenijs et largitione sibi Bolislaum Swidnicensem concilians, prima uxore quam ex Francia duxerat mortua, cum Bolislao Swidnicensi affinitatem iungit, neptemque suam germanam Annam filiam Henrici Jaurensis ducis Annam accepit in consortem. Eo foedere primum sancito, ut pro dote viri tam in Jauren quam in Swidnicensi Ducatus Bolislao Swidnicensi, qui orbus erat, excedenti succedat. Cumulatissima iniuriam patruo suo Bolislao Duci Zambicensi alias Monsterbergensi et filio suo Nicolao filijsque Nicolai Bolislao et Henrico et suis nepotibus Nicolao Henrico et Joanni Ducibus Monsterbergensibus faciendi huiusmodi irrogans et principatus eorum successione dirimens et sequestrans praefatis ab quibus illorum successio debebatur Ex praefato siquidem Bolislao Zambicensi Nicolaus filius natus patri succedens oppido Frankstein Regi Bohemiae vendito ad sepulchrum domini transijt et in redeundo apud Ungariam mortuus in Henrichow relatus, illic sepultus. Qui cum tum duos filios Bolislaum et Henricum reliquisset, Henricus Cruciferorum ordinem in Prussia professus, post longam apostasiam qua factus erat

agnos

vagus super terram in ordinem rediit, atque dum absumpsisset. Boleslaus vero germanus suus secundo Idus Junij anno Domini M. CCC Duodecimo decedens Nicolaum, Henricum et Joannem filios et quinque filias Offkam, Hedvigim, Elizabeth, Agnetem, et Catherinam dereliquit.

Vuoldemarus Marchio Brandeburgensis qui putabatur ante annos novem et viginti mortuus, et in Chorin sepultus rediit, et se in forma pauperis et peregrinatque heremitae poenitentiam tanto tempore egisse astruxit, pro eo quod cognatam in secundo gradu, indispensatus in uxorem duxerat. Et dum Marchionatum Brandeburgensem a Ludovico Bavariae Duce filio quondam Imperatoris occupatum repeteret multos habuit suae causae suffragatores, videlicet Saxoniae et Magnopolensem Duces, Episcopum Maydenburgensem, et alios. Ego autem credo eam sibi adversitatem et hunc casum divinitus immissum fuisse, pro eo, quod terram Pomeraniae ad regnum Poloniae pertinentem iniustissime Cruciferis de Prussia vendiderat, nullum habens in ea ius, titulum, aut proprietatem.

Joannes Lodzia Episcopus Posnaniensis in adversam valetudinem incidens, ad horam extremam perveniens, vita excessit mortali, et in Ecclesia Posnaniensi sepultus requiescit. Qui vivens etsi pro tempore solatijs et Hilaritati operam daret, singulariter tamen Virginem Beatam Mariam devotis famulabatur obsequijs. Unde et in illius honorem Cantionem, quam Ecclesia Polonica post expletionem Primae canere consuevit, videlicet Lux claruit in via, et Sequentias de eiusdem Virginis assumptione, quae incipit Salve salutis ianua, Item Sequentiam de S. Adalberto in laudem Sacro Praesuli, Item Sequentiam de S. Petro Tu es Petrus, Item Sequentiam de S. Paulo composuit, Magnumque sui monumentum apud Ecclesiam Posnaniensem, quae Sequentiarum praedictarum usum sonora voce observat, reliquit. Sedit annis undecim, Cui per Electionem Canonicam Albertus Palulka Praepositus Wladislaviensis et Canonicus Posnaniensis, de domo et familia Bisennium successit. Passus tamen

plures

pluris instantias et impedimenta confirmatio~~nem~~ suae electionis, et demum consecrationem non nisi post biennium potuit sortiri videlicet vigesima octaua Januarij M° ~~ccc~~ ccc° XL° VI°.

PHILIPPO FRANCORUM REGI affini suo Joannes caecus Bohemiae Rex contra Eduardum Anglorum Regem Franciae Regnum crebris expeditionibus oppugnantem laturus solatia, forti ex Bohemis et Almanis exercitu congesto, item Reges Maioricae, Navarrae, et Aragonum, in Franciam veniunt. Praelio autem inter Franciae et Angliae Reges durissimo commisso, quamuis Franciae Rex et robore et numero militum praestaret, aestimatum enim est ad C. millia pugnatorum habuisse, cessit tamen Anglicis victoria. Quod cum Joannes Bohemiae Rex caecus se a referentibus intellexerit, in locum, quo confertior erat hostis et pugna validior, se duci iubet, et in hostes insiliens, fortiterque dimicans, Philippo Franciae Rege cum filio, et Navarrae Rege, terga vertentibus occiditur, Et in Luczenborg relatus, in Ecclesia maiori tumulatur, Et quoniam clades haec in die Sancti Rufi provenerat, dies ea apud Bohemos atra atque ominalis habetur. Ceciderunt in ea pugna de exercitu Regis Franciae militum viginti millia equitum, et peditum quadraginta millia, Comites et Duces circiter quinquaginta. De exercitu Regis Angliae ceciderunt, Sagittariorum sedecim millia et decem milites. Victoria autem huiusmodi Angliae Rex moderatius, omnes captiuos Bohemorum, Almanorum, Hispanorum, et forensium liberaliter soluit. Fertur autem pugna haec ab hora diei prima usque in quartam noctis durasse; Gallicos vero duris compedibus clausos deportatos, aliquot castra nobilia in Anglia auro dispactationis soluto, fabricarunt.

HENRICUS DUSEMER Prussiae Magister, valido exercitu ex proprijs et aduenis congesto, hyemi Litthuaniam ingressus, infesto agmine ad quadraginta millia aestimato eam vastare coepit. Edicto crudeliter saeuire in Barbaros per milites iubens, ut nec faeminis, neque impuberibus parceretur. Olgierdus autem Litthuaniae Dux habens secum non solum Litthuanorum copias, sed et Smolnensium, Polocznensium, et Ruthenorum, caeterorumque solatia, in die Purificationis cum Magistro et exercitu suo confligit, Et maxima cade utrinque edita Litthuani et Ruthenj succumbunt, Magistro et Cruciferis cedit victoria. Duo de viginti millia Litthuanorum et Ruthenorum casa referuntur. Magister et Cruciferi multis spolijs et captivis potiti, in propria reversi, in signum obtenta victoria Monasterium virginum in hinsberg, quod si Prussia Magister ante conflictum si victoria potiretur devoverat fundaturum, dotant, et constituunt. Æstati vero adveniente, novo instaurato exercitu, alteram in Litthuanos Henricus Dusmer Prussia Magister expeditionem agit, et castrum Wyelunya obsidione cingit. Cuius conquisitione per deditionem obtenta, populatis agris et villis, atque incensis, castro etiam Vuyelunya conflagrato, spolia ferens et captivos, in Prussiam rediit. Audiens autem Cruciferorum Magister Henricus Dusmer quod Olgerdus Litthuanorum Dux valido congregato exercitu, terram Zambiensem parabat intrare, collecto ex proprijs et mercenarijs militibus exercitu, in campestribus et ipse descenderat, et confinia observabat, populationem barbaricam prohibiturus. Verum cum tadio fessus campum solvisset, Litthuanorum exercitus in terram Zambiensem ex improviso irruit, et aliquot Christianorum millia, permixti sexus captiva in suam terram deducit

Romanorum Regem Ludovicum

et Bavaria Ducem, suas et prædecessorum suorum censuras Clemens Sextus intelligens habuisse contemptui, diutiori ultionis genere in pertinaciam usurus, Carolum Marchionem Moravia et filium Joannis caci Bohemia Regis ordinat per Electores Imperij in Romanorum eligi Regem, in Ludovici tunc adhuc viventis ignominiam et discrimen. Philippo demum Francorum Rege, cuius præfatus Carolus filiam Blancham nomine habebat in consortem, et in solatium patris in bello Anglicano occisi, procurante, Carolus prædictus in Avinione per Clementem Sextum in Regem Romanorum anno eodem fuit coronatus. Guerra acerrima quæ universam conquassabat ex dissidio contendentium de imperio Almaniam, coronationem huiusmodi subsequenti

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVADRAGESIMVS SESTIMVS.

Detestabilem et abominandum abusum, vario calumniarum et iniuriarum genere refertum, quo universum Regnum suum Poloniae Casimirus Rex, sub omni suorum praedecessorum Regum et Principum Poloniae tempore, noverat in proferendis iudicijs et decidendis litibus, quaestionibus, et differentijs, pestifero nimis gravamine laborasse in eo vacillabat quod in iudicijs terrestribus non ex legum aut constitutionum scriptarum authoritate et declaratione, sed ex iudicantium et praesidentium sensu et capite, passionum, affectionum, et corruptelarum ut plerumque redolent; accipiebat decisionem, volens resecari, et universum Regnum suum aequis et iustis legibus regulare. Senserat enim et multifaria experientia ab ineunte aetate doctus erat, Polonicalia iudicia, et ea praesertim, quae aut ex consuetudine vitiosa, aut ex ingenio passioni aut libidini obnoxio diffiniebantur, varijs calumnijs et exquisitis dolis et calliditatibus abundare. Noverat dolis et calumnijs huiusmodi non potentes aut noxios, sed tenues et de sorte humili et in causa iusta periclitari opprimique; ipsa quoque iudicia pro libito iudicantium in una eademque persona saepe varie et aliter pronunciari, et fieri quibuslibet in iudicijs aut retractationes priorum decisionum fieri, aut contrarias et diversas sibi sententias, passioni suggerente, aut amore proferri, adeo ut in huiusmodi iudicijs nihil stabile, nihil solidum, aequum aut iustum, posset deprehendi. Ex quo, proh dolor, rixantium et dissidentium crescebant litigia, et per provocationem gravatorum tribunal curiale aut regium, pluralitati et confluentia appellationum, a quibus pauperes licet iusti, am Sabientis, premente illos impensarum defectu, aut difficili palatij aditu, resilire cogebantur, extabat continue oneratum. Erant praeterea et alia his severiora in iudiciorum exercitio gravamina et abusuum genera, quibus et iustificatis et condemnatis primum Regi aut Duci, deinde Palatino, Castellano stellanis, Iudicibus, Subiudicibus, et quibuslibet iudicio praesidentibus, sed et ipsi ministeriali, aut pro parte aut pro sententia obtenta, in gravibus poenis, et solutionibus condemnabantur. In quorum exactione supervacaneum fuit, inopi praesertim, et misero implorare. Accedebat ultra omnia, quam gentilitatis servanda iniquitas introduxerat, barbara consuetudo, nec apud ipsos Scytas unquam audita, quod tenor iuramenti actori aut reo dabatur in scriptis per illum in vulgari praestandus, qui si in eius pronunciatione in uno verbo idem etiam significantium habenti, aut errasset, aut variasset, aut titubationem, mutilationemque verborum aut sincopationem admisisset, illico causa sua, quantumcunque ponderosa et gravis, et in aliis omnibus iustitia et veritate subnixa, in periculum et casum perpetuum recidebat. Et male aut incongrue aut simpliciter, aut non in eo tenore, licet in eadem significantia et intellectu, quo iuramentum dictorum scriptum erat, proferens, iuxta ac reus et iniustus veniebat condemnandus, et iudicia ipsa Polonicalia Chaos quoddam, et omnium monstrorum, iniuriarum sentinam rectius quis quam iusta iudicia potuisset vocitare, ubi iustus et innocens non ex defectu aut iniquitate causae, sed inscitia et palpitatione succumbebat linguae et nocens atque reus profectum et commodum suum, pro quo merito plecti et multari debebat, reportabat iniuria. Tot itaque et tantis pressuris et gravaminibus hominum fortis tenuis et humilibus, contra quos iniqua et plerumque edebantur iudicia, Casimirus Rex Poloniae consulens, et praetactas sceleratas calumnias et abusus volens in perpetuum a gente sua enervare et tollere, et thronum Regni sui veris et iustis legibus et iudiciis roborare, generalem et grandem apud Vuislicia oppidum terrae Sandomiriensis, pro die Dominica Laetare conventum indicit. In quo convenientibus omnibus Pontificibus, videlicet Jaroslao Bogoria Gnesnensi Archiepiscopo, Joanne Grotkonis Cracoviensi, Alberto Paluka Posnaniensi, Matthia Vladislaviensi Episcopis, nec non Palatinis, Castellanis, Officialibus, et Dignitariis omnium terrarum tam Cracoviensium, quam maioris Poloniae partium, Rex Casimirus personaliter in huiusmodi conventione praesidens, adhibitis viris doctis in lege divina et humana peritis, super omnibus quaestionibus, differentiis, litibus, causis cum maxima maturitate, sagacitate, industria, pondere, et mensura, miscendo divina cum humanis, nonnulla vero ex aequo recto iustoque usu temperans, leges condit Polonicales, et iura Regni municipalia, perpetuam durabilitatem, stabilitatemque habitura conficit, ordinat, pronunciat, et decernit. Et longo diuturnoque examine digesta ne a quoquam possint abrogari, mutari, variari, vel refelli, ea disponit, pro perenni perpetuaque memoria, facilibus et planis verbis, quominus possit eorum sensus et verba subtilitati ingeniorum ad aliquam calumniam pertrahi, et retorqueri, in scriptum redigi; et exemplaria, quae a praedecessoribus suis incondite constituta fuerant, vigilanti studio corrigens, plurimas vero leges abusu praetermissas salubriter adiiciens, plerasque vero superfluas resecans, Mandatque constitutionem districte et decernit ut veteribus iudiciis statum Regni et iustitiam perturbantibus, in omnibus succisis, recisis, et abrogatis, in omnibus iudiciis et terminis particularibus et generalibus, et generaliter in omnibus causis forum saeculare contingentibus, in universo Regno Poloniae, per Iudices quacunque fulgentes dignitate, conditione, et ordine, tam ordinarios, quam extraordinarios iuxta leges tunc scriptas, conditas, et promulgatas, celebrentur, tineanturque iudicia, et sententiae, decisionesque causarum, quaestionum, et litium, iuribus huiusmodi et ex eorum tenore et demonstratione proferantur. Liceat unicuique quantumcunque misero aut tenui, iniquam et legibus contrariam sententiam pertimescenti, ad ius scriptum se referre, et pronunciatione ferendam sententiam, donec liber legum et causa super qua actio est, digesta fuerit, protelare. Publicata autem fuerunt leges et constitutiones huiusmodi sub eodem tempore et anno, et ab omnibus Regni Poloniae incolis et subditis cum magna devotione, commendatione, et obedientia suscepta. Extunc quoque et divinitas generi Polonico iustas leges habenti, et illas practicanti, prosperitatem ampliorem contulisse, et indies conferre evidentibus insigniis descripta et credita est. Cuius maiestati priora iudicia barbara, praevaricationes legum divinarum et humanarum, oppressionisq pauperũ continentia, creduntur plurimum displicuisse, et Regnum Poloniæ tam in urbibus quam in vicis et rure, per Almanos et forenses cultum et habitabile effectum, et hominibus Polonis mitia magisq industria et modestia provenere ingenia. Quis hunc Regem felicem, quis omni laude et sempiterna commendatione dignum non iudicet? quis eius animæ, immo illius cineribus, si dummodo vir Polonici generis et amator iustitiæ sit, plurimum deberi non fateatur? qui Polonos professione quidem Catholicos, institutionibus et actione barbaros, ad iuste, æque, et religiose vivendum traduxit, et communem Rempublicam sanctis et iustis legibus magis quam castrorum, civitatum, mirifica extructione, et terrarum deperditarum restitutione, et novarum adiectione extulit, et dignificavit, primusq iustarum legum conditor apud Polonos extitit, et sibi illud perennandum spectabileq nomen, quod nullus successor eripuit, nulla vetustas confecit, nulla obliterabit ætas, promeruit. Amplioribus extollendus celebrandusq carminibus, quam apud Athenienses celebratus sit Solon, aut apud Lacedæmonios Licurgus. Quid enim præclarius, quid excellentius, quid sanctius, quid utilius, quid felicius, si animo singula humanorum actuum opera lustraveris, Poloniæ poterat adferri, quam solidæ iustitiæ firmitas obtinuisse; quid tam præcipuum quam iustas leges edidisse? quid tam Polonico generi aut magis necessarium, aut salutiferum, quam calumniosis et vafris iudicijs abrogatis, recta et eiusdem tenoris iudicia præscripsisse, et potentes inferioribus exæquasse, pro inopibus, pro infirmioribus, pro viduis, orphanis, pupillis, proq omni conditione, ætate, et sexu, scutum, et defensionem opposuisse, nullam civilem vivendi normam nullam solidam laudem, nullam politicam, nullam denique libertatem Regno suo inesse existimans, si non illud optimis et æquis legibus institutum reliquisset. Cum vero florere atq augeri Rempublicam Polonorum crederes, si suarum legum gubernaculis niteretur, occasuram vero et non secus, quam cæcam et errabundam atq omni auxilio destituendam, difluxuram, collapsuramq, si eas a

Poloni

Polonis abrogatum aut praevaricatum iri contigisset, Expedire autem videtur, in praefatis Casimiri legibus, debita aut resecationis, aut mutationis, aut additionis reformari remedio, cum nonnulla in legibus ipsis reperiantur, non solum improvida, sed etiam reprobanda

Detestabili auri fame, plerique mortales in Civitate Cracoviensi, agente daemone, arcanis, in Omnium Sanctorum Parochialem Ecclesiam sub Sacratissimi Corporis Christi Octavis furtive et clandestine ingressi, Sacrario adulterinis clavibus reserato, Monstrantiam cupream, dignissimum Eucharistiae continentem Sacramentum, pulcherrima elaboratam arte, et cuius materiam superabat opus, crasso et fulvo illitam auro auferunt et furantur. Comperto postea quod aerei metalli Monstrantia foret, illam in paludem Matsie arbustis plenam, non remoti ab Ecclesia Sancti Laurentij distanti quae tunc Parochialis erat in villa Bawol, ad proprietatem Capituli Cracoviensis pertinente, et in qua postmodum Casimirus Secundus Poloniae Rex Oppidum Kazimirz locat, fundatque, ne deprehensi gravi poena afficerentur, proiciunt. Erat pro tempestatis illius tempore palus illa profunda et coenosa, altitudinis tamen modo non mortalibus aut bestijs quadrupedibus pervia, luminaria tamen caelestia nocte et interdum in ea relucebant, Id cum plures mortales pro comperto cognovissent, prodigiosum, ut erat, rati, ad Pontificem Cracoviensem Bodzantham, eiusque venerabile Capitulum, ac deinde ad Casimirum Poloniae Regem Secundum, Principem devotissimum, rem perferunt, Qui tot et tantarum lucernarum caelestium otiosam nullatenus putantes apparentiam, processionibus totius urbis ordinatis, locum paludinosum, Pontificali ornatu primum induto, et exacto, cum Himnis et cantibus, et vexillis adeunt, Misterium candelarum diligenti indagine scrutantur, ubi dum furto ablatam de Ecclesia Omnium Sanctorum Monstrantiam corpore Christi Sacratissimo illustratam comperissent, illam ad Ecclesiam Omnium Sanctorum processionis honore omnium urbis Ecclesiarum referunt Ecclesiaeque restituunt, Excellentissimus autem Casimirus Poloniae Rex prodigium huiusmodi tam memorabili et insigni, ad se, et propter se ratus accidisse, in loco inventionis tam ineffabilis Sacramenti, quamvis paludinoso et caenoso, devovet se insignem Ecclesiam in titulum et honorem Corporis Christi et fundaturum et muraturum. Nec mora, anno altero votum, quod anno transacto nuncupaverat, solvit, et Ecclesia in palude in inventionis Corporis Christi parochiali fundata, et parochia quam Sancti Ecclesia Laurentij ex antiquo habebat ei adiuncta, Chorum nobilissimum et Sacristiam cocto latere iniciat et consumat, calicibus, crucibus, cassulis, ceterisque clenodijs munificentia Regia exornat. Quo parum contentus, titulum Corporis Christi quo Ecclesia S. Francisci a primaeva sua fundatione clarificata illustrataque fuerat, fratribus minoribus prece precioque contentatis, ut solidior sua fundatio vetusto titulo abrogato permaneret, procurat extingui. Villa quoque Bawol in suam ditionem et proprietatem traducta, oppidum populosum, muris communitum, temporis processu, Monasterium quoque insigne in decus et titulum Sanctae Catherinae Ordinis Fratrum Heremitarum Beati Augustini, illic, ut coram cernere libet, constituit. Chorum quoque eiusdem Monasterij magnifico et liberali sumptu usque ad integrum muro coctili et excelso cum Sacristia locavit. Cui expost devotio fidelium, Corpus laterali muro capellis ampliatum adiunxit. Quam Vladislaus secundus Poloniae Rex Casimiro et Ludovico succedens in regularium Ordinis Beati Augustini Canonicorum regularium, quemadmodum inferius narrabimus, procuravit transferri.

Quinta die mensis Augusti Joannes Grothonis Episcopus Cracoviensis, in oppido suo et curia sua Vnawrzynczycze, postquam ex Avinione ubi negotia Regni Poloniae contra Cruciferos apud Summum Pontificem promovebat, redierat, more Catholici Praesulis, omnibus Ecclesiae Sacramentis perfunctus moritur, et in Ecclesia Cracoviensi in capella Sancti Joannis Evangelistae tumulatur, Tam patriae, quam Ecclesiae suae Cracoviensis amator, defensorque mirificus. Nam ne prisci sui fulgoris per successionem temporis, quo Metropolitico iure negligentia priorum praedecessorum interrupto praeeminebat, frustraretur decore, eam Rationali, quod pallium Beati Petri appellatur, in Avinione existens, per Summum Pontificem Benedictum Papam duodecimum innovari, ornarique ordinavit. Cuius usum Cracoviensis Ecclesia ab illo tempore in hanc diem observat. Qua quidem praerogativa et caeteras Ecclesias Poloniae, privilegio et usu antecellit, et dignitatis Jurisque Archiepiscopalis, propria divinitati sibi reddendae si fuisset, futuramque esse deberi attestatur. Molienti Casimiro Regi Poloniae in fundo et villa Ecclesiae Cracoviensis Sokolniki novum oppidum, ex quo Scarbimiriense oppidum propter propinquam vicinitatem desertum iri constabat, erigere, Publice restitit, Censurisque Ecclesiasticis Regem a coeptis desistere coegit, ita ut Rex ipse iniuria enormi disclusa et ab erectione praeiudicialis civitatis cessandum, et sortem quam nondum Ecclesia Cracoviensis in villa Sokolniki habebat, adiecit, praestans per literas suas oppido Scarbimiriensi amplas libertates, et Episcopum Cracoviensem Ecclesiae Sancti Joannis Baptistae Scarbimiriensis patronum recognoscens. Sedit annis decem et novem. Huic Petrus Schuzik de Falkow, genere nobilis, de domo Doliwa, Regni Poloniae Vicecancellarius, Praepositus Sancti Floriani, et Canonicus Cracoviensis, per electionem Canonicam voto unanimi de eo celebratam successit.

Frequentiori robustiorique exercitu, pro vindicando germani sui Siciliae Regis sanguine Andreae, et ad ulciscendum atrox facinus Ludovicus Ungariae Rex comparato, et cum nonnullis Italiae Principibus, et signanter Mastino de la Scala Domino Veronensi, amicitia, intelligentiaque firmato foedere, de mense Novembri per Veronam, Ferrariam, et Romandiolam, itinere terrestri Napuliam ingressus, caede, igne, et gladio, illam plurimum afflixit, et omnibus fere Siciliae Baronibus, et civitatibus, se illi, in detestationem sceleris per Joannam Reginam patrati, apud Narbonensem provinciam se cum viro altero Loysio continenti, dedentibus, Ludovicus Rex fratris sui necis autoribus interfectis aut proscriptis, regimen Siciliae pluribus mensibus in pace obtinuit, Domino Sequestro Romano Pontifice Clemente Sexto, qui Legatum ad litem dirimendam Guidonem Portuen Episcopum Cardinalem misit. Pax his legibus dicta est, ut Joanna Regnum reciperet, Adversari autem Apostolicæ ordinationi Ludovicus Rex temperatus, cum et mortalitas, pestisq Napuliam pervasisset, Trinacriam relinquere coactus, in Ungariam rediit, et Joanna Siciliæ regimen favore Apostolico resumpsit. Filium tamen Andreæ Joannem Nepotem suum ex Joanna susceptum, secum Ungariam deduxit, qui sub paucis diebus fato absumptus est. Joanna Regno excedens Florentiam primo ob antiquum usum amicitiæ; inde in Provinciam confugit, Mox in Regnum abeuntibus Ungaris restituta est, fortunam secundam ad extremam usq ætatem experta, Regnumq tenuit summa pace supra prudentiam muliebrem, adeo ut nullo sub Rege floruerit magis

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS

Lustro duntaxat uno in Magisterio, Henricus Dusimer Prussiæ Magister exacto, rebus eximitur humanis, Et in Eius locum Dn Vinrych de Knyprode Commendator generalis substituitur in Magistrum, Qui primitias officij sui magis celebres et gratas effecturus, in exercitu copioso Litthuaniam ingressus, castrum districtum cæde, flamma, et spolijs vastat, Cæteros districtus Litthuanicos adire molitus, assiduis imbribus prohibitus, cum captivis et spolijs in Prussiam revertitur. Cuius vestigia Olgerdus Litthuaniæ Dux cum fratribus, Keystutho, Patrykyo et alijs sequutus, in terram Prussiæ, exercitu Catholico disperso irrupit, et crudeli et magna cæde in Christianos, nullo ferente subsidium, debacchatus, patratis multis spolijs et exustionibus, septingentas insuper Catholicorum animas captivas ducens, in Litthuaniam spolijs onustus reversus est. Nec multo post XL. Dux de Smolensko, cum novis Litthuanorum et Ruthenorum copijs Prussiam circa castrum Labiow ingressus, singula in circuitu complet igne ferro, et vastitate.

Commendator autem de Labiow belli fortunam tentaturus, copijs suis quamuis longe imparibus, in aciem eductis, cum eo confligit. Cadentibus autem ex parte vtraque plurimis cedit Cruciferis victoria. Et Litthuani cum suo Duce Smolnensi acti in fugam, dum flumen ad quod pugnabatur, more tumultuario superare contendunt, plures illic ab vndis, quam ab hostilibus manibus in pugna, suffocantur. Sed et ipse Smolnensis Dux in eodem flumine submersus, celebriorem victoriam apud hostes, sed infestiorem cladem apud suos effecit. Cadauer eius ex insignibus redemptum Litthuanis ad castrum Vayeluna per Commendatorem de Labyow remissum est, et incendio, ritu patrio, crematum

Grauis epidimia pestis apud Poloniae Regnum, saeua mortalitate in vniuersos irruens, non Poloniam tantummodo, sed et Vngariam, Bohemiam, Daciam, Franciam, Almaniam, et fere vniuersae Christianitatis, et Barbarica Regna, horrenda lue quassauit. Quam cum nonnulli ex occasione Judaeorum, venena etheri immittentium ortam fuisse commentarentur, Judaei in pluribus locis trucidati et combusti sunt, alij suspensi, nonnullis, vt Christianorum manus euaderent, se, vxores, filios, filias, et propinquos necantibus, praeter paucas prouincias, et ciuitates, quae illos propter auaritiam, pecunijs corruptae, reseruere. Ad pestis quoque malum, terrae motus ingens, die Veneris, Conuersionis Beati Pauli ortus, accessit, et per omnes Catholicorum et Barbarorum nationes discurrens, multis insignibus ciuitatibus corruentibus, nonnullae etiam funditus deletae et absorptae sunt, vt vix illarum discerni possint fundamenta. Caepit autem pestis praedicta epidimia, in mense Januario, in Pontificatu Clementis Sexti, anno eius sexto, et durauit per septem menses continuos, duobus modis agitata, Primus quidem tendebatur duobus mensibus per febrem continuam et sputum sanguinis, moriebanturque patientes intra triduum. Secundus tendebatur quinque mensibus per febrem ~~[illegible]~~ similiter continuam, apostemata et anthraces, quae in exterioribus, potissime sub ascellis et inguinibus erumpebant, qui patientes infra dies quinque extin

guebat

gurbat. Tanta utrique contagionis, ut non ex conversatione tantum modo et anhelitu, sed ex solo aspectu infectio pestifera sequeretur. Horrebantque et fugiebant parentes curare natos, et nati parentes, execrati alii alteros videbanturque. Charitas mortua, ~~pestis~~ spes prostrata, ab Oriente in Occidentem se protendens totum fere mundum adeo infectione sua attriverat, ut vix quarta pars mundi hominum putaretur relicta.

Quamvis electionis suae confirmationem Petrus Schuzih Cracoviensis Ecclesiae electus potuisset per Nuncios, non enim alicujus verebatur competitorem, expedire, beneplacito tamen Casimiri Regis deferens, qui nonnulla ardua publice et privatim apud Sedem Apostolicam impellebatur agere, personaliter se in Avinionem contulit, et Regni et sua negotia expediturus. Electionis autem suae a Clemente Papa sexto confirmatione faciliter obtenta, dum anno integro in obtinendo expediendisque rebus Regiis et Regni quae plus difficultatis gravitatisque quam suae habere noscebantur, Avinione versarentur, pressus aegritudine sexta die mensis Junij moritur, et in Avinione tumulatur. Cujus morte sequuta, Clemens Papa praedictus, Capituli Cracoviensis Electione non expectata, Bodzantham de Jankowo de territorio et districtu Gnesnensi nobili, de domo Rosa, Decano Cracoviensi, qui praefatum Petrum Schuzyh Episcopum in Avinione comitabatur, de Ecclesia Cracoviensi providit, et consecrari in Avinione mandavit. Qui provisionem et Consecrationem praefatas praeter spem sortitus, in Poloniam reversus, a Clero et populo Cracoviensi favente, etiam Casimiro Rege Poloniae cum omni reverentia susceptus, plenam et pacificam possessionem Episcopatus Cracoviensis apprehendit.

Ludovicus Romanorum Rex venationes pertractando, et agitando feras, equo cespitante vel juxta ~~[illegible]~~ aliorum assertionem per quandam Ducissam venenatus, in terram collapsus post paucos dies moritur, et in Ecclesia sepelitur. Nonnulli autem ex Electoribus, Electione Caroli Bohemiae Regis quam fecerant, et coronatione ejusdem non obstante, Guntherum Comitem de Swarczburg in Romanorum Regem eligunt, Recrudescebatque bellum inter Guntherum et Carolum saevius agitatum, quod morte Ludovici credebatur

tur extinctum, cum et Carolus et Guntherus cum magnis exercitibus parasset se ad guerram. Interim autem Gunthero humanis absumpto, Carolus imperium pacifice possedit, Electoribus quos sibi infestiores noverat per munera placatis

Nona Februarij Elizabeth filia Bernardi Swidnicensis Ducis, Neptis germana ex sorore Casimiri Poloniae Regis et consors Henrici Opoliensis Ducis primi moritur, et apud Fratrum Minorum in Oppol Monasterio sepelitur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVSQVADRAGESIMVS NONVS.

Frequenti et copioso Casimirus Poloniae Rex ex equite et pedite comparato, ordinatoque exercitu, terras Russiae reliquas, quae nondum suo parebant imperio, ad subijciendum eas sibi ingreditur. Et primum ad terram Luczko, quam tunc Lubardus Litthuanus, filius Gedimini eiectis antiquis Russiae Principibus cum nonnullis alijs pertinentijs occupabat, appulit, et obsidione castra Luczko et Wladimiriam cingens, ea manu robusta conquirit. Deinde ad terram Brestensem promoto exercitu infra paucos dies totam terram et Castrum Brestense in suam redigit ditionem, castra enim munitionis minus fortis per suos possessores sponte dedebantur. Et Chelmensem postea terram discurrit, et castro principali Chelm crebris proiectionibus Bombardarum expugnato, multis fortunis et Clinodijs nobilibus illic potitus est. Castra omnia post castri principalis acquisitionem in obedientiam Regiam venere. Nonnullorum autem Ducum Russiae, plures enim ea tempestate extabant, precibus placatus, eos in gratiam et Feudum suscepit, Et iuramento fidelitatis et Omagij suscepto, omnia quae iuris eorum esse dignoscebantur, restituit. Terris itaque praedictis tribus per eum conquisitis, debito ordine compositis, et Capitaneis praesidijs in castris principalioribus locatis, gloriosus triumphator cum militari et totius populi favore, quo per ora omnium statuum sua providentia in ordinandis, et celeritas in conficiendis negotijs celebrabatur, in Poloniam redibat, Cui Cracoviam venienti et tot triumphos, multiplicaque hostium spolia secum referenti, a processionibus omnium Ecclesiarum, et a statibus omnium Ordinum obviam itum est. Et Rex ipse cum magna pompa et gloria praecedentibus cum militaribus copiis, et subsequentibus captivis, Cracoviam ingrediebatur, in omnium conspectu et mirandus et gloriosus. Multos enim habebat admiratio simul et voluptas, quod Rex ipse tres notabiles terras facili et brevi conquisitione, sui Regni Poloniae adiecisset imperio, praesentiumque rerum exitus, futurorum eventuum, et consumationem felicem coeptorum, ad quae operationes suas dirigeret, portendebat. Haec spes et opinio eorum iudicium fefellisset, ni Rex ipse, ut naturale et pene proprium est fortunatis et victori, ex successibus secundis, insolescere coepisset. His siquidem elatus auferenti sibi cursu prospero rectum modestumque, quo alias vigebat, sensum, ad incontinentia, impudentiaque pestis divertit, quibus adeo immoderate usus est, ut fulgorem sui Principatus magna caligine obfunderet, et gloriosorum operum suorum famam celeberrimam in ignominiam, confusionemque praecipitaret. Dum etenim coniugali reverentia pessundata, per licentiae campos discurreret, et consorte sua Regina Hedwigi alias Adheydi foemina tam forma quam moribus honesta spreta et contempta, concubinarum amplexibus publice et privatim frueretur, quarum greges in Opoczno, in Czechow, in Crzeczow, et pluribus aliis locis, quasi quasdam turpitudinis officinas locaverat, Dum quoque et Pontificum et Baronum suorum salubria monita et consilia saepius illum carpentia negligeret, summi Pontificis Clementis Papae sexti rigoroso processu, Pontificum Ecclesiae Polonicae studio, impetrato, moneri iussus est, ut concubinis omnibus a se sequestratis et circumscriptis, in thoro continentiaque coniugali de caetero permaneret. Terrenas illecebras et carnales petulantias, nec divina neque humana falce in se succidere permittens, ad violandum quoque Ecclesiasticas libertatis animum impellens, villas Zlotinses tenutae Episcopales quae prope Sendomiriam consistunt, per Ottonem de Pilcza Palatinum et Capitaneum Sendomirien., de domo Bysennium, tributis et laboribus servire cogebat. Quam iniuriam Bodzantha Cracoviensis Episcopus, primum Ottam de Pilcza

Palatinum et Capitaneum Sandomiriensem, deinde illo obstinatius
se gerenti, Casimirum Poloniae Regem censuris Ecclesiasticis et
processibus percellit. Ad quos exequendos Martinus Baryczka
Vicarius Ecclesiae Cracoviensis, caeteris metu regio se subtrahentibus, per Bodzantham Cracoviensem Episcopum directus, intrepide Regem adiens, mandatum Episcopale, nominatim personaliter Regem, explevit. Casimirus autem Rex, etsi tunc in iram
versus pluribus contumeliosis verbis Martinum Baryczka obruisset, manus tamen ab eo continuit. Expost vero militum et
satellitum suorum animum suum suapte furentem inflamantium, et eum, qui Regem Episcopalibus mandatis percellere
ausus, mortali mulcta dignum indicantium, in facinus enorme dando impaenitentiae manus consentit, et praefatum Martinum Baryczka in die Sanctae Luciae disponit et mandat
comprehendi, et sequenti nocte in flumine Vusla per Hocsanum
servitorem et familiarem suum, facinoris huiusmodi praecipuum
administratorem et directorem suffocari. Quo quidem facinore patrum suorum mensuram partim implevit, partim excessit, Boleslaum Secundum Beati Stanislai Cracoviensis Episcopi interfectorem exprimens, Parentem vero suum Vuladyslau
Lokthek Regem, Nankeri Vuratyslaviensis Episcopi maxillatorem excedens. Nihil itaque mirandum si divina justitia ipsum et stirpem eius pertaesa, de Solio Regni Poloniae eiecit,
Sed neque aliquem stirpis suae superstitem, singulos enim qui ex
lumbis eius descendere, extinctos nominus, vivere permisit. Invidia itaque hostis humani operante, superseminata tunc fuit
apud Polonorum Regnum in potestate superbia, in pace discordia,
in abundantia luxuria, et inter clerum et populum livor, odium atque discordia. Pessimo quoque et detestabili officij genere
Rex ipse Casimirus pietati divinae pro munifico beneficijs
in se et Regnum suum collatis respondit, qui et servituti
Ecclesiam gravavit, et in Christum Dominum diram truculentiam peregit

Viccesima quarta Januarij Magister
Cruciferorum de Prussia Henricus, cum quadraginta

millibus armatorum, qui de Francia et Anglia venerant, terram Litthuanorum ingressus, eam caedibus, passim omnem sexum occidens, et aetatem, vastat. Et dum spolijs onustus rediret, Dux Litthuaniensis Kyystut cum Litthuanijs et Ruthenijs pugnam cum eo conseruit, In qua strages utrinq facta est, et ceciderunt de Litthuanis et Ruthenis decem et octo millia. De Cruciferis Gerardus de Stegin Commendator Gdanen, item Commendator Robyesz, sex fratres de ordine, quinquaginta milites et plures alij equestres et pedestres Ordinis pugnatores.

Pestifer sic annus etiam apud Polonos fuit, morboq Epidemiae passim grassante, multi mortales tam de nobilitate quam de plebe consumpti sunt. Dum quoq diuturni mali nullum esset remedium, et plures non domos solum sed oppida et villas pestis desertasset, homines ad religionē conversi, credentes id malum propter indignationem divinam, sceleribus hominum provocatam, accidisse, flagellis, virgisq se mutuo verberabant, alijsq paenitentiae generibus se affligebant, donec propitiata divinitas pestiferam auram sustulit, et mortalitatis molem cessare fecit

Sextadecima mensis Junij Otto Culmensis Episcopus, morbo et senio gravatus moritur, et in Ecclesia Culmensi sepelitur. In cuius locum Jacobus Canonicus Culmensis per Capitularem electionem succedit, a Clemente Papa sexto confirmatus

Eadem aestate Casimirus Poloniae Rex spirituali devotione et religione accensus, molestiq ferens Monasterium Clara tumba alias Mogila Ordinis Cisterciensis prope Cracoviam situm, a suo fundatore Iwone de Konskie Episcopo Cracoviensi fragmentatum et inconsummatum relictū esse, Regiam munificentiam in illud extendens, murum Ecclesiae Monasterij praedicti versus Meridiem porrectum consumat, tectumq illi superimponit. Testitudinibus etiam Ecclesiam ipsam exornat, inchoans testitudines ipsas a turri Ecclesiae ab Oriente usq ad finem versus Occidentem perficiens, et testitudines transversales et ad Aquilonē et ad meridiem

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMꝰ TRECENTESIMꝰ QVINQVAGESIMꝰ

Funestam et scelleratam Martini Baryczka Vicarij Ecclesiae Cracouiensis necem, mandato Casimiri Poloniae Regis patratam, diuina clementia et sibi displicibilem, et cunctis execrabilem monstrauit. Irasq; suas non solum in Casimirum Poloniae Regem, sed et in populum suum Polonicum vertit, et acerrimadversarium, Litthuanorum crudelem populum, non in arcu aut gladio confidentem, aut certaminis faciendi copia, sed in clandestinis et furtiuis confidentem itineribus, rapta praeda fugere assuetum, sibi suscitauit. Ea siquidem aestate, tandem et hyeme Litthuani, plures fecerunt in Regnum Poloniae, primum quidem in terram Lucouiensem, deinde in terram Radomiensem, et expost in Sandomiriensem subitos et celatos incursus, Et patratis pluribus et detestandis caedibus, rapinis, et spolijs, raptam hominum utriusq; sexus et pecorum praedam in Litthuaniam deducebant, excursionisq; subitas et insperatas crebris et interpolatis vicibus facientes, Regnum Poloniae magna vastitate et calamitate afficiebant, et vulgus permiscuum et commune non tam crudelitate efferata, quam pauore et subito ingressu et raptu concusserant. Et licet milites et nobiles Poloniae, Litthuanorum non ferentes incursiones, copijs equestrium et pedestrium in unum coactis, iusto exercitu, et aequa acie cum illis in particularia descendissent certamina, volentes chara suorum colonorum, rusticorum, et amicorumq; tam corpora, quam pignora per eos rapta, de illorum potestate excutere, in huiusmodi tamen particularibus congressibus sequebatur permittente occulto Dei iudicio Polonorum fuga, et Litthuanis, licet non incruenta, cedebat victoria. Abstulerat enim Deus in vindictam mortis Christi sui et aliorum facinorum, a Regi Casimiro Poloniae et populo suo omnes felices successus, spoliatumq; donis gratuitis pluribus casibus obruebat aduersis, et omnia quae agebat, agereq; disponebat, aut in contrarium recidebant, aut in irritum. Et populus suus cum Litthuanis aut Ruthenis praeliabant certamina particularia exercens, victus in manu cadebat hostili. Rex quoque ipse cum actionibus et molimentis suis apud vicinos et hostes patebat contemptui, et iustis ludibrijs, ut tam ipse quam omnes sui tot infelicibus successibus fracti, tot funestis cladibus obruti, manum domini super se pro scelere Praesbitericidij commisso, et nondum digna paenitentia expiato, vociferarentur vibratam

Post Epiphaniarum diem Jaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis Sinodum provincialem apud Oppidum Kalisz tenuit. In quam Bodzantha Cracoviensis, Albertus Paluka Posnaniensis, Sbiluthus Vladislaviensis, Clemens Plocensis, Joannes Lubucensis, Przeczslaus Vratislaviensis cum suis quisque Capitularibus convenerant

Fraternae necis et recordatione iniuriaeque retractando altius Ludovicus Vngariae Rex iterum exercitus in Napuliam cum gentium propriarum et mercenariorum robore contra Joannam Siciliae Reginam ire pergit, Et circa diem Sancti Georgij ex Senis egressus, per mare Napuliam ingreditur Igni illam et caedibus vastat, castra conquirit, urbes evertit, ultionem in plures extendit, donec rogatu Clementis Papae Sexti, furore indignationis temperato, quiescens, Romam venit. Ubi iusto honore exceptus, et tractatus, exinde Pannonias revertitur. Quiescere tamen non valens Carolum Roberti filium cum exercitu in Napuliam remittet, qui paenas interfecti viri ex Joanna reposceret, Et sic deletis Joannae copijs et capta Neapoli, Siciliaeque regno in suam potestatem redacto, Joannam in nova arce obsedit. Sed Ludovico Andegaviensi ad eam liberandam cum non exigua manu venienti, ad exhortationem Papae, ne sanguinis Francorum colluderetur, obsidionem solvit. Paulo tamen post, praefatus Carolus Durachinus, Urbani Papae, cuius stultitia ne dicam furore Schisma tunc in Ecclesia excitatum est, exhortatione et solatijs adiutus, vinco praelio Reginae exercitu fuso ac deleto, Reginam annis confectam, pulvillo ori superdato, ad mortem compulit.

Quarto Nonas Septembris Carolus Romanorum Rex et Marchio Moraviae, Patri suo Joanni caeco in Bo hemiae Regno tam naturali iure, quam omnium Praelatorum et Baronum Bohemiae Regni, ultroneo assensu et approbatione succedens, in Pragensi Ecclesia per Ernestum primum Pragensem Archiepiscopum coronatur, et inungitur in Bohemiae Regem, et consors sua Blancha filia Francorum Regis in Reginam.

Sub titulo et honore Beatae Hedwigis electa in Oppido Brigensi collegiata Ecclesia per Principes Lignicenses Ludovicum et Wenceslaum filios olim Boleslai Lignicensis et Brigensis Ducis fundatur, dotatur, et erigitur. Et dos congrua pro Canonicis et Vicariis illic divina ministeria nocte et interdiu explicaturis assignatur. Felices nepotes, quos primum Deo, deinde Proavae suae Beatae Hedwigi ad sacrificium huncque honori impendere contigit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS

Crebras terrarum Regno Poloniae subiectarum, Litthuani Principes audientes vastationem sibi impune provenisse, ad attentandum maiora, ausus sumunt, Et exercitu haud contemnendo, tam ex Litthuanis, quam Tartaris et Ruthenis, iis quoque gentibus, quas in servitutem abduxerant, congregato, versus Leopolim procedunt, Et ab expugnatione quidem civitatis et castrorum Leopoliensium, eam enim illa Casimirus Poloniae Rex muris fortibus et altis, fossatisque profundis muniverat, abstinent, omnes tamen villas in circuitu et oppida ignobilia spoliant, et quosdam ex hominibus et habitatoribus trucidant, aliquos in servitutem abducunt, et deinde passim incendia diffundunt, Ex Leopoliensi autem terra versus Belz divertunt, et castro Belz conquisito etiam ad castra Vladimiriam et Brzescie applicato exercitu, diuturno tempore illa impugnantes, utraque, non ferente Casimiro Rege obsessis opem, per deditionem accipiunt, et terras quatuor notabiles et facundas, videlicet Belzen, Vladimirien, Chelmen et Brzesten, a Regno Poloniae abstrahunt, et earum se constituunt dominos et possessores. Ex castris autem huiusmodi quorum unum videlicet Brzescie Casimirus Poloniae Rex cocto latere firmare coeperat, Litthuanis patebant in Poloniae Regnum crebrae excursiones, antiquam enim castrum Brzescien

curij

iuris sui servant, difficiles illis et periculosi in Regnum Poloniae aditus erant, et saepe illic vel de prope aut stragem in suis, aut raptorum restitutionem perferre cogebantur. Situm enim castrum illud optimum habet, paludinibus longe versus Poloniam protensis et limosis gurgitibus, alveo quoque fluminis Bug qui in illo loco rara vada praebet, aliisque qualificationibus plurimis natura consitum et munitum, ut quasi quidam portus et ianua in terras Litthuaniae et Russiae possit aestimari. Casimirus tandem Poloniae Rex habens in suo solatio Ludovicum Ungariae Regem in Litthuanos grandem expeditionem agit, et Vladimiriensem terram castrisque eius conquirens, etiam Ducem Keystutonem Litthuaniae in quodam particulari certamine, caesis et stratis Litthuanis capit. Qui cum omnibus fratribus, Litthuaniae Ducibus, et suis terris se fidem Christianam et baptisma suscepturum iureiurando promittens, a Regibus comiter et honeste habitus est. Sed violato iuramento Regibus delusis noctis tempore effugit

Sub ea quoque tempestate et flagello ob scelera Polonorum, divinae ultionis vindice gladio in Polonos immisso non deerant scelerati Poloniae impostores magis quam filii, latrones quam milites, et in propriam patriam proditores, qui cum Litthuanis barbaris iungerent societates et commercia, et detestabili mercede accepta, ductum illis per saltus, stagna, paludes, et flumina, quo inopinatiores Poloniae Regno accederent, praeberent. Inter alios autem Petrus Pszonka de Babin et de Radawiecz terrae Lublinensis terrigena de armis Ianyna, et Otto de Sczekarzowicze de armis Bipennium, proditores et ductores insigniores habebantur. Is et locorum, et vadorum peritus, cum aliquoties rem nefariam, inducendo Litthuanos in propriae patriae perniciem, peregisset, et pro voto illi cuncta successerint, nec scelere, nec metu Dei, neque crudelitate, qua Litthuani in genus suum, et in contubernales suos grassabantur, auri et donorum cupidine, et quod praediis suis et villis a Litthuanis parcebatur, incecatus, revocaretur, Contigit, ultionem Domino amplius teterrimum facinus suum non ferenti, ut iuxta morem solitum a Ducibus Litthuaniae Iagellone et Skirgalone, ad explorandum vada fluminis Vistulae, et ne quid hostile a Poloniis in ea quam tunc agebant incursione paterentur, praemitteretur. Is cum exploratis et promiſsis ſingulis Vislam inflatam undis invenisset, haud longe tamen a Zawichostensi oppido, vado clam nocte aegre reperto, virgis altis alveo infixis illum quam diligentiſsime consignans, ad Litthuanos revertebatur. Interim vero speculatores Poloni virgis et ſignaculis, proditore abeunte, deprehensis, et quid ſignificarent facile intellectis, in fundum profundiorem Vislae illas infigunt, et transponunt. Venit post ſub noctis ſilentio, quo facilius Polonos falleret, et opprimeret, Litthuanicus exercitus, et Petro Pszonka illum intrepide iuxta ſigna irrumpere et ſuperare flumen quaſi vadosum iubente, a verticibus Vislae illum facile haurientibus in aliquot millibus absorptus et ſuffocatus est. Quo malo Duces Litthuaniae Jagello et Skirgello deterriti, et proditori Petro Pszoncza existimantes illum dolum in ſe admiſsisse irati, exprobrata fraude caput gladio in ripa auferunt, et perdiis in latibulis ſaltuum quaesitis, noctibus tantummodo ne a Polonis praeocuparentur permoti, post tam insignem ſuorum cladem, turpi fuga in Litthuaniam, a Polonorum proditore iustiſsima poena exacta, revertuntur. Processu autem temporis Jagello Dux Litthuaniae in Regem Poloniae aſsumptus, utrosque proditorem poena insigni mulctat, et Petro quidem Pschonczi haeredibus aufert villam Uſczonow, quae et in hodiernum diem fisco Regio applicata ſub castro Lublinensi degit, haeredibus vero Otthae aufert Szecharzowicze, quam in extrema aetate agens Zablyczi Paulo, eiusdem Otthonis nepoti, multis intercesſoribus, et eiusdem Zablyczi meritis virtuosis fatigatus aegre restituit

Absumptus est ex vita in ea expeditione tredecimo Calendas Septembris Boleslaus Mazoviae et Plocensis Dux, filius Vnanhonis et in Ecclesiam Plocensem relatus illic ſepultus. Vir optimorum morum, et ea praecipue virtute insignis et clarus, quod iura libertatesque Ecclesiae non ſinebat a quoquam laedi aut offendi, ſed illarum acerrimus existens propugnator et defensor, pater et amicus Ecclesiae meruit vocari.

Absumptus et Pruſsiae Magister Henricus Dusemer, apud Mariemburg ſepultus, cui Vuinricus di Kinbrodi ſuccesſit.

Panon

Pavore pestis et mortalitatis, quae multos mortalium, praesertim apud Ungariae Regnum subito invasit et extinxit, plerique homines periculum illius vitaturi, glomerati ex utroque sexu de Ungaria in Poloniae Regnum advenerunt. Et vexillis eos praecedentibus, processionaliter Ecclesias quasque obvias, et praesertim in civitatibus et locis insignioribus ingressi, corpora usque ad umbilicum denudant, flagellis, virgisque, usque ad sanguinis expressionem verberant. Carmen quoddam inconditum in linguario suo, et lamentationis decantantes. Et quamvis secta huiusmodi fuerit aliquanto tempore per Episcopos Ecclesiae Poloniae tolerata, credita a nonnullis aliquam religionem continere, tamen dum pro comperto illustratum esset, sectam praefatam et erroribus quibusdam, dum se passim et mutuo ab enormibus peccatis absolverent, et illecebris carnalibus, plures enim foeminae inter illos versatae; uteros porrexerant, esse inquinatam, conformi Pontificum Poloniae Ecclesiae praecepto, videlicet Jaroslai Gnesnensis Archiepiscopi, Bodzantae Cracoviensis, Przeczslai Wratislaviensis, Alberti Palukha Posnaniensis, et Sbiluthi Vladislaviensis, secta ipsa ex finibus Poloniae depulsa est, et tandem etiam Apostolico interveniente mandato dissoluta.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS

Expiationem grandis sceleris in nece Martini Baryczka Vicarij Ecclesiae Cracoviensis contracti, ex quo ultionum Domino permittente plures clades et adversi casus et successus continue emergebant, Casimirus Poloniae Rex volens efficere, Albicum Cancellarium Dobrzinensem et Plebanum Bochnensem ad Summum Pontificem Clementem Papam in Avinionem, culpam sui facinoris simpliciter recognituros, et poenitentiam per Apostolicum infligendam, cum omni promptitudine, mansuetudine, contritione suscepturos, et taxia sua et Regni Poloniae expeditum, Simul quoque in Wratislaviensis Ecclesia a suo Gnesnensi alienaretur Metropolitano, quam Carolus tunc Romanorum et Bohemiae Rex

Rex, missis solennibus et specialibus Nuntiis, Pragensi Archiepiscopo subijci iure Metropolitico magnis instantijs deposcebat, impediturum, transmittit. Qui illic admonitus a Clemente Papa benigne auditus, facinore Regio in occisione Martini Bariczka patrato, Papae exposito, et absolutionis beneficium, et modificationem paenitentiae obtinuit. Conditiones autem paenitentiae sibi impositas, in omnibus Casimirus Poloniae Rex devote suscipiens, in corde amaro et contrito illas sustulit et peregit. Primum enim ius libertatis universis Ecclesiae Cracoviensis villis, reddidit, deinde Ecclesiam Vislicensem ad quam speciali afficiebatur devotione, nam parenti suo Vladislao Poloniae Regi multis calamitatibus afflicto imago virginis beatae in lapide desculpta, in ipsa Ecclesia Vislicensi adhuc apparens, ad quam saepe in medijs noctibus prostratus, pro suis necessitatibus explendis lacrymosis suspirijs recurrebat, subvenire et postulatum ferre praesidium vulgata est, quadra et polita petra sumptuoso opere, priori Ecclesia, quae angustos et humiles muros habebat, demollita, Item Ecclesiam Sanctae Mariae Sandomiriensem, item Stobnicensem, Sedloviensem, in Zagoscz, et in Kargow Ecclesias in satisfactionem sceleris, et supplementum paenitentiae pulcherrimis muris formavit, aedificavit, et erexit, et ceteras paenitentiae partis digna satisfactione nihil remittens perfecit et absolvit. Obtinuit etiam Albricus praefatus a Summo Pontifice ut Casimiro Regi contra subitos Litthuanorum insultus, ut in superioribus demonstravimus, pro ea vice plurimum Regnum Poloniae affligentes, per decimam quadriennalem universus Poloniae subveniret clerus. Ecclesiam insuper Vratislaviensem a Corpore Gnesnensi Metropolitico scindi, et Pragensi Ecclesiae subijci, per publicas concertationes in Consistorio Apostolico, super hac re saepius ventilatas prohibuit, Clarissimis et evidentibus testimonijs ostendens, Vratislaviensem Ecclesiam per Reges et Duces Poloniae fundatam dotatamque, et fabricatam esse, et Gnesnensi Archiepiscopo iure metropolitico semper fuisse et esse subiectam, Et valde iniquum et acerbum, ut Ducatibus Slesiae a corpore Regni Poloniae praeter aequitatem abstractis, iura Poloniae Ecclesiae nefaria mutilatione truncarentur, et Ecclesiae Pragensi iniustus et adulterinus honor cum maximo Ecclesiae Gnesnensis praeiudicio et grauamine proueniret, Cum certum esset Ecclesiam Vratislauiensem et iuris et dotationis atque gremij Regni Poloniae ac Gnesnensis Ecclesiae esse, sola denarij Sancti Petri, si de caetero euidentissima documenta silerent, praestatione. His siquidem et alijs pluribus propositionibus magno veritatis testimonio subnixis, optimo iuri fauoris cesserunt immensi, et Clemens Papa praedictus Ecclesiam Vratislauiensem sub Metropoli Gnesnensi consistere, et nullo unquam tempore Pragensi applicari censuit, sanxit perpetuo, et decreuit. Sub eo quoque tempore Casimirus Poloniae Rex per uniuersam Dioecesim Cracouiensem, de ducendis in horrea Ecclesiasticarum personarum manipularibus decimis inhibitionem, quam sola indignatione permotus fecerat, meliori sanioriq; ductus consilio, tricesimo Calend. Julij Cracouiae non solum abrogauit, reuocauitque, sed certo Priuilegio Ecclesiae et Dioecesi Cracouiensi concesso, omnes colonos et rusticos, ad ducendum manipularium decimam ad loca per eos electa decimarum dominis et possessoribus decreuit perpetuo esse astrictos et subiectos

Tartari magna glomerati multitudine et ab Olgerdo Litthuaniae Duce, donis et promissionibus varijs illecti, terram Podoliae Regno Poloniae subiectam varia caede et spolijs vastarunt, Quamuis enim praefatus Olgerdus Dux Litthuaniae cruciabatur spiritu, quod Casimirus Poloniae Rex plenam Leopoliensis terrae possessionem, mortuo Boleslao filio Troydeni Ducis Mazouiae nactus fuisset. Hic Olgerdus genitor fuit Vladislai secundi expost Poloniae Regis, qui in gentilitate positus Jagell vocabatur.

Clemens Sextus cum sedisset annis decem, mensibus sex, duobus sedecim, moritur, et in maiori Auinionensi Ecclesia sepelitur, Cui per electionem Cardinalium successit Innocentius sextus Lemoniczen, amator religiosorum, qui Monasterium Carthusiensium prope Sanctum Andream in Francia fundat, et dotat, Eidemque ordini specialem ad illum gerens fauorem plura et singularia Priuilegia concedit, Canonum peritissimus

Annis

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS

Fremitu magno et furore Litthuanorum Duces, Olgerts, Keystuts, Skirgello succensi, quod Casimirus Poloniae Rex cum nepotis sui Ludovici Ungariae Regis assistentia personali, terras et districtus Russiae ab eis occupatas hostiliter vastaverat, et Vladimiriensem terram in suam redegerat ditionem, satagebant continue de ea iniuria se ultum iri. Lubardus itaque Litthuanorum Dux fortiori quo poterat exercitu congesto, celerius quo poterat, ad Haliciensem civitatem, quae iam tunc per Cazimirum Poloniae Regem tenebatur, septima die Julij mensis perveniens, Treugis, quae inter Casimirum Regem et Litthuanos iureiurando firmatae fuerant, fraudulenter et iniuste violatis, eam comprehendit, et magna civium et mercatorum multitudine occisa, ferali etiam strage in foeminas et pueros, qualem barbarica gens edere solet, facta, plurimis ditatus et onustus spolijs, non audens illic consistere, civitatem succendens, veloci fuga in Litthuaniam effugit. Praeda autem apud Halicz capta in suis munitionibus, castris et tugurijs disposita, maioribus copijs auctus versus Zawichost nona die Septembris venit, et villas atque rura in quatuor milliaribus a singulis partibus consistentia, spolijs, caedibus, et igne vastavit, et antequam milites Polonorum arma sumerent, raptam praedam sustulit, et in sylvarum latibula deduxit. Ne autem in ceteras regionis et principatus Poloniae, excursiones furtivas Litthuani converterent, Casimirus Poloniae Rex castrum et civitatem Plocensem muro cocto communivit eo anno.

Congesto ex Litthuanis et Ruthenis exercitu, Olgerts, Keystuts, et Patrykiey Litthuaniae Duces, in Prussiae terram ire pergunt, cladem apud Labyow acceptam, et submersionem Smolnensis Ducis ulturi. Quam circa districtum Rasl ingressi, feritate barbarica passim in singulos tam senes quam impuberes saeviendo vastant, populationem ante latius extenſa, multis mortalibus trucidatis, et plurimis captis inter quos quingenti nobiles, præter vulgum et agrestes numerabantur, nullam paſſi reſiſtentiam, Litthuaniā reduxerunt.

Vicesima die menſis Junij Ludovicus Ungariæ Rex nepos Caſimiri Poloniæ Regis, virginem Elizabeth filiam Stephani Regis Boſnæ, quem Plyſchpusban vocabat, elegantis formæ fœminam deſponſat, et Summo Pontifice permittente matrimonialiter ſibi coniungit, Celebratis ex more apud Budam nuptijs, genuerat ſecundum præfatam Elizabeth Ludovici nuptam Eliſabeth filia Caſimiri Ducis Cuiaviensis ſoror patruelis germana Elizabeth ſenioris Reginæ Ungariæ Caroli relictæ, et Ludovicum quarta conſanguinitatis linea contingebat

Evenit in Poloniæ Regno anno eodem Sabbato in vigilia Pentecostes prodigioſum et nunquam antea viſum, ac ſine omni exemplo portentum, Nam dum menſis Martius, Aprilis, et maior pars Maij calida, manſueta, et apta tempora edidiſſent, frugesq. Solis et temporis ſuavitate in culmos et aristas ſurrexiſſent, in uberem frugem perventuræ, ſubito frigoribus immenſis coortis, gelu terram vehementer premebat. Quo aliquantulum reſtricto nix valida et immenſa duorum cubitorum altitudinem faciens, inſperate et ſubito deſcendit, omnesq. regiones Regni Poloniæ ſua mole cooperiens, homines præſertim agricultura deditos, violento et groſſo ſuo deſcenſu plurimum exterruit, præſertim dum usq. in ſextum diem ſine aliqua reſolutione ſpe perduraſſet, veritos ne ſub tam gravi mole et ſtatera, frumentorum germina, imbre huiuſmodi et nivibus exterminatum devoratumq. iri contigiſſet. Verum univerſis colonis ad tam inauditum ſpectaculum paventibus, et fortunas ſuas atq. labores perditum iri fletu et lamentis vociferantibus, Pietas agni cœlestis adfuit, et quod humanus intellectus et ratio ad interitum credebat deſcendiſſe, et perniciem, id divina propitiatio, quæ ex inſolitis operibus, viliſcentibus et nullam admirationem adferentibus quotidianis, vult laudari, vertit in augmentū et ſalutem,

nivoſus

nuo sub sequentem ipse imber sexta die resolutus, non solum fruges vernales et hyemales, quibus insidebat, non laesit, nec perculit, imo illas sua placida infusione, quasi quodam rore suavissimo, adeo rigavit, vivificavitque, ut nullum humanum ingenium per stercorizationem provenientem, tantam fecunditatem et ubertatem agris et frugibus afferre potuisset. Unde ex admodum sterili et tristi anno, fecundus et hilaris, omnium abundantia et locupletationem ferens annus ipse apparuit, et colonos eventu felicissimo refecit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS.

Copiis in frequentiori quo poterant numero Olgerts, keystuts, Patrikyg et Skyrgello Litthuaniae Ducis in expeditionem coactis, Ruthenorum insuper usi solatiis, in Prussiae terram descendunt, et regionem circa Vuartenberch aggressi, in homines et tecta saeviunt, necatisque senibus, et infantibus, virisque iuvenibus, neque Magistro Prussiae Vuenricho de Kniprode, neque aliquo ex Commendatoribus decernere cum barbarorum multitudine audente, in Litthuaniam regrediuntur, tam cum pecore et spoliis, quam cum utriusque sexus captivis in miserabilem servitutem traductis

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS.

Vetus ac diuturna iamque longo tempore agitata inter Casimirum Poloniae Regem ab una, et Semovitum Mazouiae Ducem, Ducatusque et terras suas, partibus ab altera, quaestio differentiaque consurrexerat. Exigebat enim Casimirus Poloniae Rex et requirebat ut sibi tanquam Poloniae Regi de terris et Ducatibus Mazouiae praestaret solenne homagium, et per patentes literas profiteretur et recognosceret se terras huiusmodi et Ducatus habere, tenere, et possidere, titulo et iure feudali. Differentia quoque huiusmodi attestatas et notorias iniurias, pervenerat, adeo ut Casimirus Poloniae Rex resistentia et verbis contradictione Ducis Mazoviae Semoviti irritatus et veritus, ne Dux ipse in alicuius alterius Regis et praesertim Bohemiae transiret, per Ducem Slesiae siquidem, ditionem. Ubi monita persuasionis, et requisitionis suas perditum iri videbat, alterioribus rigidioribusque remedijs, utens tam castrum et civitatem Plocensem, quam Raviam, et caetera omnia, quae iuris et proprietatis Ducum Mazoviae erant, in suam proprietatem, dominium, et ius, et pertraheret, et his tanquam proprijs uteretur, quod cum, post mortem Casimiri Mazoviae Ducis absque prole aliqua defuncti, iure Feudi devoluta. Sub suo quoque regimine et gubernatione, tam Plocense, quam Ravense castrum, fortibus et insignibus muris perfectum est, pluresque libertates et observantiae salubres, veteribus servitutibus abrogatis, Ducatibus et terris Mazoviae sub sua praesidentia accesserant, omnibus Baronibus et Nobilibus Masoviae imperium et regimen Regis Casimiri propter suam iustitiam et aequam gubernationem magnopere probantibus. Sano itaque et prudenti Dux Masoviae Semovitus usus consilio, priori resistentia, qua cum Casimiro Poloniae Rege, turpe ratus, antiquam suae stirpis nobilitatem, libertatem, alicuius Feudi et subiectionis iugo contaminare, certaverat, deposita, in praestationem Omagij et susceptionem feudi consentit, Ad quod perficiendum cum et locus oppidi Calisz et dies Sancti Joannis Evangelistae dicta fuisset, venit personaliter Dux praefatus Semovitus cum Nicolao Plocensi Episcopo universisque maioribus Mazoviae Baronibus et in praedicto oppido Calisiensi tercia die post festum Nativitatis Christi Casimiro Regi regalibus vestito, et Diademate ornato, et Regno Poloniae solenne et publicum Omagium cum suis Mazoviae Baronibus, banderia cum insignibus et armis ad pedes Casimiri Regis in throno et solio Regio consistentis procumbendo, et sibi fidelitatis et subiectionis debitae, tanquam unico et naturali domino corporale iuramentum iuxta morem praestando, exhibuit, et per literas patentes et publicas omnes terras, Ducatus, Dominia, et districtus terrarum Mazoviae recognovit pro se et suis successoribus, habuisse, et habere, a Casimiro Rege et Regno Poloniae in feudum et iure ac titulo feudali, promittens seque obligans cum terris et Ducatibus praedictis tunc habitis, et in posterum quo

cunque

cunq; iusto titulo habendis, in omni casu, necessitati, et guerra, Casimiro Regi et coronæ Poloniæ assistere, et nunquam ipsum Casimirum Regem et coronam Poloniæ deserere, in adversis. Ad restringendum autem cuiuslibet super præmissis ambigendi incredulitatis scrupulum, copiam literarum prædictarum inserendam duxi ex originalibus, quæ in Regio Cracoviæ asservantur thezauro, fideliter trãsumptam.

Nos Semouitus Dei gratia Dux Mazouiæ et Dominus Czirnensis, vniversis tenore præsentium significamus, et publice protestamur, ab Excellentissimo Principe Casimiro Dei gratia Illustri Rege Poloniæ, Patruo nostro dilecto, omnes terras, villas, seu munitiones, quas vel quæ olim Dux Casimirus piæ memoriæ frater noster habuit, et quæ ex ipsius morte ratione feudi, quod ipsi domino Regi præstiterat, in eo obvenerunt, similiter in feudum recepimus, videlicet Varsoviam, Sochaczow, Vuishethy, Czechonow, Nouvigrod, quod iacet super fluvium Pyß, et Nouydwor, cum eorum districtibus et dominijs secundum quod sunt in ipsorum limitibus situata, pro nobis et nostris genitis, habendas et possidendas, eo iure, quo feudales similia dominia, sponsione omagij præstita Domino tenere consueverunt. Innouamus insuper feudum per nos olim domino Regi factum cum nostris terris seu castris videlicet Czirsko, Raua, Lyw, et Gostynin, quæ castra ab ipso Domino, sive terras, in feudum recepimus, et omagium sibi debitæ fidelitatis præstamus, promittentes pura fide et absq; dolo cuiuslibet fraudis, cum potentia nostra gentis, tam in illa genti, quam in antiqua habuimus, quam cum ea, modo ex feudo lucrata, pro nostro posse ipsum Dominum nostrum Regem Poloniæ in omnibus guerris, expeditionibus et controversijs habitis et habendis, cum omnibus gentibus, Paganis, vel Christianis, vel contra quaslibet personas, Reges, vel Principes, cuiuscunq; status, vel conditionis existant fideliter adiuuare; et ipsum non deserere in adversis. Spondemus insuper, quod nullam concordiam aut contractum cum aliquibus dominibus, et præcipue cum Lithuanis inire volumus, præter præfati Domini Regis sententiam et bonam voluntatem, Et quia castrum Plotzko nobis necnon fratri nostro bonæ memoriæ Duci Casimiro præmortuo, per eundem dictum dominum Regem in duabus millibus Marcarum Poloniæ ponderis extitit obligatum, ipsum eximere a solutione præfatæ pecuniæ, solutum pure fecimus, et quietum, idem castrum Ploczko ad possessionem ipsius Domini Regis restituentis, tantum tempore vitæ suæ tenendum, habendum. Post exitum vero animæ suæ, etiam proli suæ masculinæ existenti, nihilominus ad nos et ad nostros filios seu successores prælibatum castrum Plocense cum tota terra similiter in Feudum, a suis tantum liberis, si quos habebit, tenebimus, sicut et alias terras a præfato Domino Rege obtinemus. Præterea volumus, quod illa bona quæ tenet Serenissima Princeps domina relicta Vuanconis, possessiones, et hæreditates, sitas in districtibus Sochaczouien, et Gostinien, post decursum vitæ suæ ad nos in totum pertinebunt. Illa autem quæ sunt ex illa parte fluminis Vuislæ ad ipsum Dominum Regem post mortem ipsius in Ploczko volumus pertinere. Volumus etiam quod si quam donationem Dominus Rex fecerit in terra Plocensi, tantum in villis, vel in molendinis, volumus ratam observare. In cuius rei testimonium sigillum nostrum duximus appendendum. Actum et datum in Calisz in die Beati Joannis Evangelistæ Anno Dñi Millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto.

Pridie Calendas Junij Albertus Paluka Posnaniensis Episcopus, cum aliquanto iam tempore infirmitatis molestias passus est, Domino illum vocanti, in villa sua Episcopali Solecz mortuus est, et exinde Posnaniam relatus, in Ecclesia Cathedrali accepit sepulturam, cum annis septem Posnaniensi Ecclesiæ præsedisset. Capitulum autem Ecclesiæ Posnaniensis die pro Electione futuri Pontificis indicta et publicata Joannem Præpositum Posnaniensem de domo Doliwa eligunt, a Jaroslao Gnesnensi Archiepiscopo confirmatum.

Carolus Romanorum et Bohemiæ Rex pacificatis et conciliatis per solertem industriam prudentiamque Tyrannis Italiæ, assumpta sibi societate et conductu Comitum de Mediolano, cum exercitu magno ex Bohemis Polonis et Alemanis comparato, Italiam profectus, et ab omnibus civitatibus Italiæ comiter habitus et exceptus, tandem Romam pervenit, Ubi in die Paschæ per Cardinalem Hostiensem ab Avinione missum de mandato Innocentij papæ Sexti, cum consorte sua Anna filia Henrici Jaurensis et Lubaniæ Ducis, et nepoti

Bolislai

Boleslai Ducis Suidnicensis, ex qua iam filium Vencezlaum apud
Nurembergam vicesima tertia Februarij M° CCC° LX° I° suscre
perat, et quam prima mortua Blanka acceperat, coronatur, et
benedicitur in Imperatorem. Qui benedictione imperiali perfunctus,
per plures civitatis transitum faciens, et ab eisdem tam censum
imperio debitum quam munera emungens, congregato satis
grandi thesauro, multa florenorum millia Ducibus Austriae,
propter dotes filiarum ipsum affinitate propinqua contingentium,
largitur. In Bohemiam deinde reversus, filium Vencezlaum vix
quadriennem in Bohemiae Regem obtinuit coronari

Ordinante et id tunc optimum censente
Casimiro Rege Poloniae, mittuntur in Ungariam ad Ludovicum
Ungariae Regem germanum ex sorore Casimiri Regis nepotem,
specialis nomine totius Regni Poloniae legati, videlicet Joannes
Castellanus Vuoiniczen, Florianus praepositus, et Cancellarius Lan
ciciensis, Petrus tribunus, et Pelcha Subagazo Cracovienses. Hi
cum Ludovicum Regem Ungariae Budae offendissent, legationem
eis impositam exponendo, rogant Regem, ut cum Casimirus Polo
niae Rex avunculus suus orbus filijs declinet, et in senectam, et
dissolutionem, et sibi vigore pactorum dudum inter Casimirum Polo
niae, et Carolum Ungariae Regis initorum, et per ipsum Ludovi
cum innovatorum, Regni Poloniae debeatur successio, Regni Po
loniae Praelatos et Duces, Barones, milites, nobiles, et cives
in eventum successionis huiusmodi, de observandis et manutenendis
Privilegijs, libertatibus, iuribus et legibus, et signanter quod Re
gnum Poloniae nullis Talijs, exactionibus, et collectis, sed nec
stationibus aut dispensibus in loca Ecclesiastica vel saecula
ria gravabit, sed sumptibus Regijs sibi comparabit necessaria,
et si ipsum et nepotem suum germanum Ducem Joannem prole
masculina non extante decedere contigerit, ut Praelati, Duces, mi
litares, et nobiles Regni Poloniae eo ipso pactis,
iuramentis, et omagijs sibi et fratribus suis, promissionibus, in eventum mor
tis Casimiri Regis Poloniae praestitis, intelligantur soluti, per su
as patentes literas in Regnum Poloniae referendas certificet,
et assecuret. Ludovicus autem Ungariae Rex cum legatos Po
loniae iusta omnia et aequa postulasse, cum suis Consiliarijs digessis
set, singulos articulos benigniter concedendos, et specialibus li
teris

teris roborandos decreuit. Literarũ ipsarũ talis est exemplar.

Nos Ludouicus Dei gratia Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Comaniæ, Bulgariæq Rex, Princeps Salernitanus, et Honoris montis Sancti Angeli Dominus, Significamus quibus expedit vniuersis, præsentium per tenorem. Quod cum Joannes Castellanus Vuoinicziẽn, Florianus Præpositus, et Cancellarius Lanciciẽn, Petrus Tribunus, et Pelka Subagaso Cracouienses, ad nostram accessissent præsentiam, nobis ex parte vniuersorum Regnicolarum Regni Poloniæ super concedendis eisdem clementer articulis infrascriptis, humiliter supplicassent, Nos eorum, imo aliorum ipsorum Regnicolarum petitionibus gratiose inclinati, promittimus et assumimus bona fide, absq omni dolo et fraude, verbo nostræ Regiæ Maiestatis, vt si disponente Domino in ius et regimen Regni Poloniæ prænotati, iuxta formam compositionis seu ordinationis, inter Serenissimos Principes, Dominos Carolum quondam Regem Vngariæ genitorem nostrum, ipsiusq sororium, in nostri et fratrum nostrorum personis dudum initæ, et firmatæ, ac nobiscum nouissimis temporibus innouatæ, processu temporum succedere nos contingat, nullas collectas seu exactiones, nos et nostri successores, nostri et eorundem regiminis, in prædicto Regno, tempore, exigi faciemus à Regnicolis prænotatis, quas recolendæ memoriæ Dominus Pater ipsius Domini Regis, aut idem dominus Rex aliquibus ex causis, vltra consuetam et solitam libertatem, ab eisdem Regnicolis, et præsertim Prælatis, et personis Ecclesiasticis, eorumq villis, populis, seu incolis, nobilibus, ac eorum villis et populis, seu Ciuitatibus Regni eiusdem, cuiuscunq status et conditionis exigi seu extorqueri fecissent, Sed his contenti erimus, quæ ipsi consueuerunt soluere ab antiquo, vel quæ ad cameram Regiam seu ius Regale constiterit pertinuisse, seu constabit. Sed si ciuitatenses exceptis tamen nobilibus dicti Regni Poloniæ, nec aliqua dictorum Ciuitatensis de eodem Regno, occurrenti aliquo necessitatis seu oportunitatis tempore contribuere voluerint, ad id faciendum seu soluendum eosdem nullo modo compellemus. Item si per Regnum illud quocunq tempore procedere nos contingat, de censibus super Prælatos Ecclesias Monasteria, ipsorumque populos supradictos seu Regni antedicti nobiles ac eorum Jobagiones, populos, vel inquilinos non faciemus contra eorum voluntatem, nec aliquid occasione descensus exigi faciemus ab eisdem. Quod si alias pro faciendo descensu divertere non possemus, extunc pro nostris sumptibus et pecunia nos procurari in victualibus, aliisque necessariis faciemus. Caeterum si in nostri et Successorum regiminis tempore, pro aliqua expeditione facienda, ultra fines eiusdem Regni procedere nos expediat, vel eosdem, damnis, si quae Regnicolae eiusdem Regni in eadem expeditione nobiscum aut aliquo nostrorum Successorum existentes, in nostris aut ipsorum servitiis subierint, plenariam eisdem satisfactionem impendemus, et ipsi eam impendere teneantur. Denique si, quod absit, nos aut Dominum Joannem Ducem nepotem nostrum, absque haerede masculini sexus, decedere contingat, extunc omnia pacta, conventiones, dispositiones, ordinationes, iuramenta fidelitatis et Omagii ac obligamina qualibet confecta super facto Regni Poloniae supradicti, quae nos aut nostros et ipsorum haeredes contingebant, eo ipso annihilentur, irritentur, et viribus maneant caritura. Nec alii successores nostri, praeterquam haeredes memorati, horum factorum occasione ad liquidum aliquid iuris in eodem valeant ulterius vendicare, sed Regnicolae ipsi Poloniae super ipsis liberi sint penitus et exempti, ac per omnia expediti, salvis solutionibus quinque millium sexagenarum grossorum Bohemicalium, Inclytae Dominae Senioris filiae eiusdem Domini Regis, tempore maritationis ipsius, prout per praedictum Dominum genitorem nostrum assumptum fuerat, per nos plene et integre eidem persolutis. De quibus, in praedictorum compositionis et irritationis, ordinationis, et anullationis eventum, volumus et nostris Successoribus seu haeredibus satisfactio impendatur, per illum, qui praefato Regno Poloniae praesidebit. Si tamen praedictum Regnum in nostras vel dicti Domini Joannis Ducis nostrorumque vel ipsius haeredum manus devenire non contingat. Quod si devenire contigerit, eo ipso praefati Rex et Regnum a debito dictorum quinque millium sexagenarum sint per omnia expediti. Pacta autem, conventiones, et dispositiones, ac ordinationes quaecunque, et instrumenta confecta super ipsis temporibus quibus supra, cum omnibus ipsorum obligationibus, ac promissionibus

nibus et firmamentis quibuscunq, praesentibus ratificamus, et approbamus, et libata iuxta continentiam contentorum in eisdem formam sub eisdem, sacramenti vinculo promittimus omnibus temporibus observare, Insuper omnes Duces, Praelatos, Ecclesias, Ecclesiasticasq personas, Barones, Magnates, Proceres, milites, nobiles, civitates, villas, eorumq populos et inquilinos in eorum libertatibus promittimus conservare, nec eos contra illas intendimus agravare, vel per alios patiemur agravari modo aliquali. In quorum omniū testimoniū atq; robur praesentes concessimus literas nostras duplicis ac pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Budae vigesima quarta die mensis Januarij Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto

Mazouiae Dux Casimirus obijt, in Ecclesiam Plocensem ad sepeliendum relatus, filius Troidei Ducis Masouiae; vigesima sexta Novembris die absumptus.

In vigilia Purificationis Sanctae Mariae Vuinricus de Kniprode Prussiae Magister cum Cruciferis peregrinisq et proprijs militibus Litthuaniam ingressus, districtum Miednichy et universam Samogitarum regionem populatur, et vastat. Incensis autem villis, tectisq, ac impuberibus, senibusq caesis, cum captivorum multitudine et spolijs Ragnetham redijt. Ubi castrum Ragnetha fortuito igne conflagravit, et Vuinricus Magister equo prolapsus in dextra manu confractus est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SEXTVS.

Sublatis abrogatisq iniurijs, legibusq iniquis, quibus Casimirus Poloniae Rex universum Regnum suum Poloniae premi gravari et pessundari, quo ad militares et nobiles, prospexerat, ad abrogandum quoq gravamina, quibus cives, advocati, et Scolteti, caeteriq usum iuris Maydburgensis habentes, magna et continua mole affligebantur, animum intendit, ut tam in militari quam civili statu omnium gravaminum et abusuum onere sublato, uterque status iusto aequoque iure vivens, et observantia sub auctore, et moderatore tam sollicito, et in moribus, et in substantijs posset reflorere. Quamvis siquidem iudicia civilia ex aequo et iusto tenore secundum Maydburgenses leges in civitatibus, oppidis, et villis celebrarentur, quia tamen a sententijs decisionibusque iudicum crebras contingebat provocationes appellationesque per partes se gravatas existimantes, interponi, appellationes partium cum utriusque partis propositione et responso in Maidburg, unde iura Sredensia seu Theutonica habuere ortum, expensis et periculis provocantium velut ad supremum tribunal deferebantur, et quicquid illic responsum sancitumque fuisset, id pro perpetua observabatur decisione. Suorum itaque subditorum gravamini, suique Regni indemnitati et honestati Casimirus Poloniae Rex consulens, cum turpe indignumque censeretur, ut civibus et subditis suis iure Sredensi litigantibus, Maydburgen. ferrent iura, observantiam huiusmodi, communicato Praelatorum et Baronum suorum consilio, velut perniciosam et nocivam, et subditorum suorum fortunas et substantias denigrantem, abrogavit, provocationesque et appellationes ad Maydburg amplius prohibuit fieri, aut factas admitti. Ne tamen rigor et processus iuris et iudicij Sredensis abrogatis appellationibus cedere posset gravatis in dispendium aut iacturam, ius supremum Theutonicale et eius tribunal in castro principali Cracoviensi constituit, et advocatum per solum Regem legendum, septem vero scabinos ex certis civitatibus et villis Cracoviensi urbi vicinis de civibus, Scoltetis, et advocatis, per procuratorem generalem Cracoviensem legendos, et quoties aliquis tam ex istis quam obitu vacaret, assumendos in iure Sredensi peritos constituit. Ordinavit ut hi in castro Cracoviensi supremum tribunal iuris Maydburgensis teneant, iudiciaque iusta exerceant, et responsa ac iura appellantibus et provocantibus iuxta iuris Sredensis ordinationes et tenores in universo Regno Poloniae reddant. Quod si aliquis responsum et sententiam pro iure supremo per Advocatum et septem Scabinos praedictos ferendam improbaverit, et se gravatos per illam crediderint, ad tribunal Regium provocationem suam interponant, Decisionique sex civitatum, videlicet Cracoviensis, Sandecensis, Bochnensis, Vieliciensis, Ilkusiensis, et Casimiriensis finalem sententiam, a qua deinceps nulli licebit appellare, recepturi. Advocatum autem et Scabinos pro tempore huiusmodi iudicio supremo praesidentes, Casimirus Rex, quo onus iudicandi benevole subeant, et in iudicando exactam et sollicitam diligentiam ostendant, pluribus libertatibus privilegiavit, et singularibus extulit praerogativis, per patentes literas infrascriptum habentes tenorem.

In nomine Domini

Quoniam humana conditio dominantis durantis sibi iugo libenter caruisset, et homines libertatem minime abdicassent, si non impunita vitia gravi pernicie scelerum redundassent, ideo divina sententia dati sunt Reges populo, et domini subiectis, ut necessario iustitiae et iudicio ac imperio Regum subiissent, universi quilibet aequo libramine, stativa lance appensa, ipsi Reges iustitiam ministraret. Et proinde nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sendomiriae, Siradiae, Lanciciae, Pomeraniaeque Dominus et Haeres Russiae, ad extollenda iustorum praeconia, et transgressorum insolentias reprimendas, animadvertentes in nostro Regno, contra decorem et honorem, illibata eiusdem Regni iura, praeter sententiam nostrae Regiae Maiestatis, versasse corruptelas, quod cum Advocati, Sculteti, Scabini iurati, iudiciorum bannitorum iuris Theutonici dat. litigantibus in iudicijs eorum bannitis contendentibus, sententias interlocutorias et diffinitivas in causis quamplurimis promulgarent, dicti contendentes ad partes remotas Rhenenses in Maydeborg civitatem, cui nullo iure subsunt, et ultra fines Regni nostri, appellationes et provocationes interponunt, Nostrae Maiestatis proprio solio et tribunali, nec non proprij Principis et domini iure et iurisdictione obmissis et contemptis, et in detrimentum Regni nostri, damnum et regnicolarum nostrarum gravamina, Advocati quoque, Sculteti, Scabini, Iurati, praedicti Regni nostri a contendentibus eisdem, pro emendis sententijs a Scultetis in Maydeborg per novem fertones latorum grossorum Pragensium et nonnullas summas pecuniarum pro expensis exigant, et extra Regnum nostrum in Maydeborg pro praedictis sententijs emendis transmittunt, per quae honori, decori, iurisdictioni, solio tribunali, illibatis iuribus praedictis extrahatur, et turpitudini reservatur, Et quod deterius est, dicti advocati, Scabini, Scolteti, Iurati, iurisdictionisq Theutonicalium cum inter litigantes, iustitiae reddere deberent complementum, difficiles se in hac reddentes, ad civitatum nonnullarum dicti nostri Regni Consules, Advocatos, Scabinos, Iuratos, quibus nulla a nobis super Iure suscipiendo, et dandis sententijs iure Maydeburgensi a nostra Maiestate regali, nulla prorsus fuit, vel est eis specialis ad aliqua loca ipsorum, extra eorum loca constituta, ultra terminos iurisdictionis eorum attributa est potestas ad reddendum ius summum vero solio et tribunali domus duntaxat annexam et sententias aliquas dandum extra fines eorum Iurisditionis, ad alias civitates, villas, et loca, nulla eis a nostra Regia Maiestate authoritas est concessa, sed ex quadam temeritate contendentes, coram eis in causis tam magnis quam parvis, pecunias ponere compulerunt non paucas, pro quibus sententias a dictis civitatum Regni nostri Consulibus, Advocatis, Scabinis, Iuratis, nullius prorsus ad hac authoritati fulcientibus, sententias extraxerunt, et ius emerunt, quod iure habebant, et non subscribebant, insontesq contendentes dilationum poena fatigando minus iuste, sumptibus laboribus, impensis, et in expensis et ca, Contra quae in nostro Regio clamor ascendit, et insinuatio manifestat, quod Maiestas nostra fama deferente et clamore incitante sine periculo pertransire et sine scandalo tolerare per nostram serenitatem oculis conniventibus pertransiri non poterat Cum Reverendis in Christo Patribus Jaroslao Archiepiscopo Gnesnensi, Bodzantha Cracoviensi, Sbluto Vladislaviensi, Joanne Posnaniensi, Nicolao Plocensi, Joanne Lubucensi Episcopis, nec non Abbatibus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, caeterisq Praelatis et Canonicis tam Cathedraliū quam Collegiatarum, et aliarum Ecclesiarum Capitulis et beneficiatis, tam saecularibus, quam regularibus exemptis et non exemptis Magnificis Castellanis, Palatinis, Camerarijs, Succamerarijs, Iudicibus, Subiudicibus, Baronibus, militibus, et nobilibus, Consulibus, advocatis, Scabinis, Iuratis

Civitatum Scultetis et officialibus villarum et locorum singulorum universis, Synodum, Conventionem, et Concilium celebravimus, De quorum omnium et singulorum consilio, appellationis, provocationes in dictis iudiciis facientes, a litigantibus praedictis, per eum usque praedictas emendas exigendum, admittendum, sententiasque et ius in Maydeburg emendum, et a civitatum aliquarum dicti nostri Regni iudicibus, advocatis, Scabinis, Iuratis, ius aliquod absque nostra speciali authoritati; per quospiam iudices, advocatos, Scabinos, Iuratos, litigantes emendum et recipiendum sententias aut ius aliquod, et receptis aliqualiter standum, aut ea pro iure habendum, sub poenis amissionis omnium bonorum ipsorum, authoritate nostra Maiestatis Regiae inhibemus, Volentesque praedictis ~~Regni~~ nostris Regnicolis damna, gravamina, fatigas, et sumptus removere, profectum quoque et utilitatem eis nostroque Regno, et Regiae Maiestatis honorem et decorem ampliare, libros Iuris Maydburgensis ordinamus, et in thesauro nostro castri Cracoviensis deposuimus, In eodem quoque Castro nostro Cracoviensi constituimus ius supremum Theutonicale provinciali, ubi et loco iuris Maydburgensis, de libris eiusdem promulgari debere sententias et iura per Advocatum nostrum, et septem Scultetos, seu advocatos dicti iuris provincialis peritos, iurisque praedicti. Quos nostrae Maiestatis procurator noster generalis qui pro tempore fuerit dicti castri et terrae nostrae Cracoviensis, una cum advocato nostro praedicto de locis infrascriptis inter advocatos et Scultetos seu alios Scabinos iuris peritos, duxerit recipiendos, nominandos, eligendos, et ad tempora iura eorum iudicio nostro summo provinciali castri Cracoviensis banniendo more consueto, temporibus competentibus, et locis, videlicet de Bochna, de Vuieliczka, de Dobszycze, de Lipnicza, de Myslimicze, de Clusz, de Vuolinrom Civibus, Advocatis de Lipniki, de Sulyschowa, de Trzemanowicze, de Przegina, de Zandormon, de Belyn, de Czebrowicze, Scultetis nostrae Regiae Maiestatis de Bodzanow, de Calonna, de Lapszicze, de Skawina, de Rybna, de Lisky Tiniecensis, de Brzesko, de Conuen Brzistkiniensis, de Glogowicz Sczirzicensis Abbatis, de Luborza, de Sobyednyk,

de Byburgi, Suuerzinen Præpositis, Monasteriorum aduocatis,
et Scoltetis, nec non de alijs locis Scabinos honestis et circum
spectis personis in dicto iure Maydeburgensi peritis, et qui
sedi Scabinali sunt digni, quod sint septem in numero semper
præsidentes perpetui, et quod septennalis numerus non excedatur,
Ad quod quidem iudicium in nouo nostrum summum prouinciale
Castri nostri Cracouien., et Aduocatum nostrum, nec non Aduo
catos, Scoltetos, et alios septem præsidentes eidem nostro iudicio
lato prædictaque prouocatione et ad appellationem in Maydeburg
prouocare consueuerunt, licitum erit eis ab omnibus iudicibus,
aduocatis, Scoltetis, tam ciuitatum quam villarum quibus
cunque, contendentibus et litigantibus appellare, et prouocare,
et coram eisdem prosequi et finire et decidere suam appella
tionem, seu super eisdem et alias per simplices propositiones sine
appellationibus ius et sententias postulare, de libris nostris præ
dictis Iure Maydeburgen., Quibus sententijs et iuri per eosdem
promulgatis, authoritati nostræ Regiæ Maiestatis decerni
mus, velut legi standum, et tanquam legem obseruandum,
Nisi aliqui contendentium prædictorum duxerint super suis
quæstionibus et causis ius melius et sententias proponendum,
et ex eisdem ab ipsis ad tribunal et manum nostræ Maiesta
tis promulgatorum iuris et sententias licebit eis appellare, et in
fra tempus dum ius Maydeburgen. librorum nostrorum a no
bis super eorum prouocatione obtinere certos commissarios, quos
volumus et decernimus fore Consules ciuitatum, unde ipsi ap
pellantes nominauerint, alteri parti non suspectas, de quali
bet ciuitati per duos Consules, videlicet de Cracouia, de Sendo
miria, de Bolesnya, de Vuielizha, de Cazimiria, de Ilkusz,
qui ex nostra speciali commissione decident appellatione et fine
negotij appellationum causæ imponet. Et ne præfati Aduocatus
noster et alij Aduocati, Scoltiti, et Scabini septem prædicti per
sedem præsidentes circa iudicium nostrum et iura prædicta
dando et laborando, super eisdem, dies suos in vanum exponant,
et litigantes prædicti laboribus fatigis et expensis more pri
stino grauentur, Constituimus obseruandum in antea pro
qualibet sententia dando duntaxat per septem scottos, videlicet

medietatem pro fisco nostro, et medietatem aliam prædictis Præsidentibus septem Scabinis, inter ipsos pro labore ipsorum dividendos, per notarium Scolarij memorialia et Privilegiorum literas eorum dandas, de quibus iuxta eorum moderationem disponere habent ratione onerum leuandas. De pænis autem dicti iudicij nostri pro nobis aduocatus noster quatuor pænas, et quintam pro Scabinis prædictis exhibere debebit. Et ut præfati Scabini dicti nostri iudicij supremi, eo fortius et cum exacta diligentia iuditio summo prædicto nostro et sententijs promulgandis diligentius instent, et contineant, ipsos septem Scabinos et quemlibet eorum, Maiestas nostra extollere volens, prærogatiua, fauore et gratia speciali, ipsos et eorum quemlibet eximimus ab omnibus exactionibus, tributis, contributionibus, et alijs collectis, laboribus, seruitijs, expeditionibus, ad quascunque partes per nos et per nostros successores fiendis, et obedientijs quibuscunque tam nostris quam ipsorum dominorum, nec non a iudicijs et iurisdictionibus ipsorum dominorum, nec non Castellanorum, palatinorum, iudicum, subiudicum, Camerariorum, cæterorumque Officialium terrestrium, nec non Aduocatorum, Consulum, Scabinorum, et quarumcunque potestatum quibus nulla ratione obedient, neque citati in magnis vel paruis causis coram eis comparere et respondere tenebuntur, sed duntaxat ad præsentiam nostram et speciale sigillum nostrum, coram nobis, aut speciali Commissario nostro ad hoc deputato respondere tenebuntur, et quilibet eorum respondebit. Ut autem præmissa omnia robur obtineant perpetuæ firmitatis, præsens Priuilegium de consilio et consensu prædictorum omnium Dominorum assessorum nostrorum scribi, et sigilli nostræ Maiestatis regalis maioris appensione fecimus communiri. Actum et Datum Cracouiæ Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto in crastino Sancti Francisci præsentibus præfatis Archiepiscopo et Episcopis, nec non Magnificis viris Dominis Inramo Castellano, Inramo Palatino, Andrea Iudice Cracouien., Vndeglium Sendomiriensi, Rapsacli Vngleriensi, Petro Sendomiriensi Castellano, et alijs quam pluribus.

Fulgori

Fulgore plurimarum virtutum et præsertim iustitiæ et æquitatis, quamvis Casimirus Poloniæ Rex non solum intra fines Regni et dominij sui, sed etiam apud exteras nationes celebris et inclytus haberetur, ut fama et odore operum eius variæ nationes et præsertim Almannæ, quas speciali prosequebatur benevolentia et prærogantia attractæ, nativo solo et proprijs sedibus derelictis, ad Regnum Poloniæ se transferrent, et in eius dominio perpetuum cum pignoribus et fortunis eligerent incolatum. Nonnulli quoq; Barones et Nobiles Regni Poloniæ, quos a gravamine et iniusta derobatione propriorum kmethonum coercuerat, dum priscas suas passiones facere per Regem vetarentur, illum sibi gravem, molestum, et invisum, quærerentur, blanda tamen labe et humani generis acerrima peste luxuria carere non potuit, sed ut in superioribus commemoravimus, plures pellices, pro satietate libidinis explenda, ex varijs locis lectas, in varijs locis et curijs servans, uxore propria Adelheyda Regina, fœmina devota et religiosa contempta, et derelicta, illarum contubernio et cohabitatione publica et notoria se nomenq; suum Regium plurimum adeo fœdavit, ut cæteras quoq; virtutes suas obscuratum iri pateretur. Regina itaq; Poloniæ præfata Adelheyda, quæ in curia Zarnowiecz pulcherrimo muro et cocto latere per Casimirum Regem constructa, quasi quædam relegata, et vili mancipium servabatur, raro videns faciem Regis, quamvis annis prope quindecim tulerat, pertæsa, graviter ferens se contemni, et pellices suo honesto et casto thoro præferri, ac loco superiori haberi, parentem suum Henricum Lantgravium Hassiæ, adhuc enim vivebat, literis et Nuntijs compellebat, precabaturq; ut se a calamitate opprobrioq; eriperet, et eam in domicilium paternum, ne videre cultum et pompam pellicum cum suo contemptu et ignominia cogeretur, transferret. Casimirum enim Poloniæ Regem maritum suum, illecebras carnales nedum, iuxta admonitiones et consilia Pontificum et Consiliariorum abdicasse, sed effusius in illas præcipitatum fuisse constabat. Qui sollicitis pellicibus non contentus, Bohemam quandam nobilem, Rokiganam nomine, forma rara et præstanti ex Praga, in quam sæpe descendere, et illic immorari consueverat, adductam, ea tempestate sibi iunxerat, et eius cohabitationi, quam non nisi per desponsationem Abbatis Tinecensis Pontificalibus induti, mulierem Episcopum Cracoviensem credente, in suos transire amplexus pellexerat, insignior in facinore apud proprios et exteros censebatur. Henricus itaque Langravius Hassiae, precibus filiae victus, Poloniam ingressus, et in Zarnowiecz perveniens, Reginam Adelheydam cum omnibus quae ad illam pertinebant, et omni suppellectili ex Zarnowiecz educit, et in Hassiam Rege Casimiro aut Capitaneis suis non prohibentibus XVIII Calendas Octobris transfert et traducit, ubi praefata Regina Adelheida non post longum tempus, quoniam praeter scientiam et licentiam mariti sui Casimiri Poloniae Regis discesserat, diem obijt. Casimirus deinde Poloniae Rex, quamvis concubinam suam praefatam, specie illius captus, Rokiczanam ardenti diligeret amore, relatione tamen unius cubicularij sui doctus, et tandem relationi parum fidens, et oculis propriis iudicium permittens, dum comperisset, quod in capite calua et scabiosa foret, eam illico repudiavit, et Iudaeam genere foeminam Hester nomine propter formae elegantiam in concubinam ascivit. Ex qua et duos filios Niemierzam et Pelkam suscepit. Ad preces quoque praefatae Hester Iudaeae et concubinae, exorbitantes praerogativas ~~et~~ et libertates per literas regias singulis Iudaeis in Regno Poloniae habitantibus, quae falso scripta ab aliquibus insimulabantur, et quibus divina maiestas contumeliatur et offenditur, concessit, quarum faetor olidus etiam in diem hanc perseverat. Et alter quidem filiorum ex Iudaea susceptorum regiorum, Pelka, naturali morte et immatura diem obijt, Niemierza vero morte Casimiri Regis sequuta, in obsequijs Vladislai Lithuani Poloniae Regis conversatus, oborta contentione propter Podvodarum exactiones ab oppidanis in Coprziwnicza occisus est. Id quoque abominabile et execrandum, quod filias ex Rege Iudaea Hester susceptas, in ritum Iudaeorum transferri permisisse asseritur.

In vigilia Sanctae Agnetis, Litthuanorum Ducis

Duces Olgerth, Kyeystuth, et Patrykyg, in magno et forti exercitu terram Prussiae ingressi, pluribus diebus tam in longum, quam in latum, eam caedibus, igne, et spoliis populantur. Adeoque tunc in illam, Magistro et Cruciferis non prodeuntibus in aciem, sed tutis tantummodo castra contentis, grassati, ut fere universam Prussiam creditae sunt hostiliter pervagasse, Caedi autem barbarica in senes et impuberes edita, cum plurimis et pene innumerabilibus tam captivis quam spoliis Litthuaniam redeunt.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS.

Angustiatus menti et corpore Venceslaus filius natu maior Boleslai olim Bregensis et Legnicensis Ducis, quod Legnicensis civitas et terra, fratri iuniori Ludovico in divisionis sorte cessisset, quae ad sortem in eum cadentem, Hainoviam videlicet, Goltperk et Lubin multis gradibus propotur, propter mineram auream in montibus Legnicensibus exortam, de qua singulis Hebdomadis centum quadraginta marcae auri, pro sorte, lucro, et decima Ducali proveniebant, consebatur, graves guerras, dissensiones, et odia, in Ludovicum Ducem Legnicensem germanum suum coepit movere, Ratus illum ad ineundam alteram divisionem magis aequam de prioris iniquitate et circumventione multa quaestus, cogi posse. Sed Ludovico Legnicensi, contractum et ordinem celebratae semel divisionis nolente infringere, et fraternas insequitres per patientiam excipiente, Venceslaus maiori odio in Ludovicum fratrem, quod in nullo voto vellet illi esse morigerus, Carolum tunc adhuc Marchionem Moraviae, in absentia patris sui Joannis Bohemiae Regis, apud Francorum Regem in Galliis agentem, Bohemiae administrantem Regnum accedens, sortem omnem quae ei obvenerat, sibi exhibebat venalem, Ludovico fratri Legnicensi Duci, et filiis eius successionem, si, qui tunc infantulus extabat, moriente, livore illum exagitante, praeclusurus. Abnuente autem Carolo Marchione Moraviae oblatam sibi per Wenceslaum Ducem emptionem, conclusionem tamen fieri in tempus differentes aptius, Wenceslaus Dux ex Praga reversus apertis depraedationibus et rapinis, fratrem suum Ducem Ludovicum, et suum Lignicensem Principatum lacessebat. Communes itaque Barones et milites discordias fraternas extincturi, provisurique ne ex venditione per Wenceslaum Ducem de sorte sua Carolo Marchioni fienda, exhaeredatio Ludovico et filiis eius iam de filia Henrici Glogoviensis et Saganensis Ducis susceptis, proveniat, Ducem Ludovicum Lignicensem demonstrando quod germanus suus Wenceslaus homo languidus et prope diem moriturus esset, ad vendendum de sorte sua Lignicensi, et ad recipiendum sortem Wenceslai, precio et largitione corrupti inducunt. Priori itaque divisione in spem, quod sors utraque debeat ad Ludovicum ex morte propinqua Wenceslai devolvi, irritata, novus celebratur contractus, ut videlicet Wenceslaus Dux, Legnicensis sortem habeat, Ludovicus Haynoviensem, et Wenceslao obeunte, etiamsi liberos eum relinquere contingat, Ludovicus utramque sortem principatus ad vitae tempora possideat, nec possint filii Wenceslai eo vivente aliquam obtinere portionem, sed decedente Ludovico, nova ex aequo inter Wenceslai et Ludovici filios divisio celebretur. Contractu huiusmodi literis et iureiurando firmato, Ludovicus Dux in tenuem sortem redactus, sedem sui principatus in villa Buchwalts, castris non extantibus, apud quam consisteret, ponere coactus, statum suum Ducalem non nisi quadringentis marcis, qui erant sortis suae annui et totales introitus, utcunque sustentabat. Wenceslaus autem Lignicensis Dux quasi cum exosa sorte etiam languorem reliquisset, ex debili fortis, et ex claudo baiulorum sustentaculis reiectis, sanus effectus, largitionibus et sumptibus diffusis vacare caepit, quibus adeo exinanitus, et ad egestatem, aureis mineris prodigam vitam suam explere non valentibus, quae ipsa post annos octo ex quo caeperant exaruerunt evanuerunt, perductus est, ut nec vilem expensam ducere, famem saepe pati coactus, potuerit.

Coniugem alteram Adleydam Reginam Casimiri
Poloniae

Poloniæ Rex rebus expeditis Surrensibus regressus, tertiam superinduxit. Et missis ad Henricum Glogouiensem Ducem procis, filiam eius Heduigim virginem tam forma quam moribus spectabilem accepit in consortium, et nuptias apud Cracouiam ex more celebrat.

Vicesima sexta die mensis Aprilis Cynegundis filia Casimiri Regis et vxor Romani, Ducis Saxoniæ moritur.

Graui et diuturna ægritudine Clemens Plocensis Episcopus, cum annos quatuor et viginti sedisset, vexatus, moritur, et in Ecclesia Plocensi sepelitur. Et licet Capitulum Plocense electione septima Aprilis celebrata, conformiter et canonice Junislaum Vurenski Canonicum Plocensem elegisset, Summo Pontifice videlicet Innocentio Papa sexto licet consentiunt, consentiente, tamen Dux Mazouiæ Semouito electionem eius varijs modis impedienti, confirmatio sua fuit protelata. Quam cum assequutus foret, a Iaroslao Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus et consecratus, possessio tamen illi per Ducem Semouitum fuit negata. Præfecerat enim Sedes Apostolica, electioni Capitulari non obstante, in Plocensem Episcopum, fratrem Bernardum de Ordine Prædicatorum natione Mazouitam. Qui et per Ducem Mazouiæ Semouitum et Capitulum prohibitus, et impeditus, ad possessionem Ecclesiæ non poterat peruenire. Durauitque controuersia ipsa annis septem, tandem tamen anno septimo lite pendente præfatus Junislaus in Episcopum consecratus est, et bonorum Episcopalium possessionem adeptus, Casimiri Poloniæ Regis intercessione adiutus, quæ omnia exemplar Bullæ Summi Pontificis quæ subscribitur declarat

Innocentius Seruus Seruorum Dei

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gnesnensi et Vladislauiensi ac Posnaniensi Episcopis Salutem et Apostolicam benedictionem. Nuper Serenissimus in Christo filius noster Casimirus Poloniæ Rex Illustris, per eius Ambasciatores et Nuntios super his et certis alijs ipsius Regis negotijs ad nostram præsentiam destinatos, coram nobis fecit reuerenter proponi, quod licet Ecclesia Plocensis quæ in suo Regno Poloniæ existit secundum qualitatem illius regionis nobilis et solennis, et in finibus Christianitatis, in frontaria infidelium Litthuanorum constituta, et per ipsius Regis progenitores dotata et fundata existat, nonnullaque ipsius castra, munitiones, et loca fortia, et insignia, pro defensione Christi fidelium in confinio infidelium fore noscantur, eisdemque Christi fidelibus esset expediens et necessarium, talem eidem Ecclesiæ præesse Pastorem, qui gratus et fidelis esset prædicto Regi, ac omnibus fidelibus et incolis dicti Regis charus existeret, et in quo etiam Rex confideret, quique castra, munitiones, et loca prædicta, securitatemque eiusdem Regni contra incursus hostium Crucis Christi vellet et valeret fideliter præservare.

Ac genitor Venerabilis fratris nostri Bernardi Episcopi Plocensis, pro eo, quod Civitatem Sendomiriensem, quæ de dicto Regno existit, in manus infidelium hostium Regis et Regni prædictorum, proditorie, etiam lesæ Maiestatis crimen ex hoc et alias damnabiliter incurrendo, tradiderit, exinde convictus de huiusmodi Regno cum dicto Bernardo et aliis descendentibus ab eodem patre usque ad tertiam generationem perpetuo bannitus et proscriptus fuisset, ipseque Bernardus propterea eiusdem Regis et Regni inimicus, et eis suspectus existeret, ipsiusque Ecclesiæ fructus, redditus, et proventus, sex millium florenorum auri summam excedere dignoscerentur, ac olim dicta Ecclesia, per obitum bonæ memoriæ Clementis Episcopi Plocensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, vacante, Dilectus filius Junislaus eiusdem Ecclesiæ Canonicus in Episcopum Plocensem per dilectos filios, Capitulum ipsius Ecclesiæ, concorditer electus, eiusque electio authoritate Metropolitana confirmata fuisset, Tamen præfato Bernardo de præmissis penitus mendaciter suggerente, nobis, prædictam Ecclesiam modicam, eiusque fructus valoris annui trecentorum florenorum auri vel circa existere, Nos suggestioni et assertioni huiusmodi circumventi, de persona dicti Bernardi, eidem Ecclesiæ, cuius provisio antea fuit dispositioni Apostolicæ reservata, provideramus, eumque illi præfeceramus in Episcopum et pastorem. Idemque Bernardus tanquam sibi male conscius, et mala, quam contra dictum Regem gerebat in mente, per actus exteriores ostendens, cum literis, quae super provisione huiusmodi ad dictum Regem iuxta morem dirigebantur, non ad praesentiam eiusdem Regis, a quo castra et loca huiusmodi et alia bona temporalia dictae Ecclesiae in feudum teneri noscuntur, neque ad Ecclesiam ipsam per se vel per alium, ut fidelis et diligens administrator, sed velut ipsius manifestus hostis et mercenarius, non diligens oves sibi commissas, ad quosdam notorios Nuntios dictorum Regis et Regni se transferens, multos inibi per se et per alios contra dicti Regis et alios de dicto Regno clericos et Laicos, processus, excommunicationis, suspensionis sententias, et alias censuras et poenas continentes fecerat et etiam publicaverat, in magnum dictorum Regis et Regni praeiudicium ac subditorum et Ecclesiae praedictorum non modicam laesionem, seque cum eiusdem dicti Regis inimicis confoederaverat, et coniunxerat, habitans cum eisdem. Et ex his et aliis ita infidum et suspectum, dictis Regi et Regno se reddiderat, quod idem Rex de maiori contra se, et dictum Regnum, per ipsum Bernardum facienda, quam praedicta alia proditione dubitabat. Nos dilecto filio nostro Francisco tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali commisimus oraculo vivae vocis, ut se de praemissorum infamia informaret, quae exinde reperiret, nobis deinde delaturus. Cumque postmodum idem Cardinalis, huiusmodi informatione per eum recepta nobis retulisset, se praefatum Bernardum reperisse super his diffamatum, nos vobis nostris dedimus literis in mandatis, ut vos vel duo, vel unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, eundem Bernardum ex parte nostra citare curaretis, ut infra trium mensium spacium post citationem huiusmodi computandum, nostro se conspectui repraesentaret, Facturus et recepturus super praemissis, quod iustitia suaderet, et deinde omnes praedictos, et propter praemissa, et earumdem occasione etiam literarum nostrarum factos processus, extunc usque ad quinque menses, a data praesentium computandos, auctoritate apostolica suspendimus, eidemque Bernardo districtius etiam inhibemus, ne interim occasione praemissorum, contra ipsos Regis et Regni clericos, et Laicos quoscunque alios, occasione praemissorum, processus per se vel alium seu per alios, usque ad huiusmodi finem dictorum quinque mensium, seu praetextu dictarum literarum vel alias fieri fecerat, vel procurarit, Extunc decrevimus irritum et inane, si secus super huiusmodi negocio vel quocunque alio scienter vel ignoranter contingeret attentari prout in diversis nostris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur ipsius Regis supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos aut duo, aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios huiusmodi suspensionem, inhibitionem, et decretum, ubi et quando vobis expedire videbitur, authoritate nostra solenniter publicare curetis, contradictores authoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Insuper cum pro parte dictorum Regis Clericorum et Laicorum asseratur, praedictas excommunicationis sententias, secundum praemissa fore nullas, nos ipsorum Clericorum et Laicorum animarum saluti, et statui, uberius providere cupientes, ~~vest~~ vobis et vestrum cuilibet, per vos vel per alium seu alios praedictos clericos et Laicos ab huiusmodi excommunicationum sententiis, si hoc humiliter petierint, et destando iuri super praemissis cautionem praestiterint, ad cautelam absolvendi et cum ipsis super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, vel immiscendo se illis, contraxerint, dispensandum, plenam et liberam eadem authoritate concedimus tenore praesentium facultatem. Datum apud villam novam Avinionensis Diocesis, secundo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno octavo.

Crivelli

Crudeli clade et vastatione, Pruthenicae terrae per Litthuanos anno superiori irrogata, Almanorum Principes et milites, postquam Magistri et Cruciferorum Nuntijs eam currisse accepissent, permoti, in frequenti numero et multitudine de Franconia, Anglia, Suevia, inter quos Dux Norumbergensis principalior habebatur, Catholicis contra gentiles laturi auxilium, adveniunt. Quapropter Prussiae Magister Winricus ex eorum adventu magnos ausus sumens, expeditionem suis contra Litthuaniam indicit, et exercitu notabili ex forensibus et proprijs armato, cuius Sifridum de Dannefelt Prussiae Marsalcum constituit ductorem, in Litthuaniam veniens, barbaris non facientibus dimicationis copiam, in agrestis, quorum praecipua pars in Sylvas et in loca paludinosa et invia se concluserat, in tecta, item et rura, omne genus saevitiae iussit depromi. Et peragrata fere universa Litthuania atque incensa, cum captivorum et spoliorum magno numero, nullam hostilitatem et resistentiam expertus, Prussiam redijt.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS

Singulas deordinationes, spolia tamen praesertim et furta Casimirus Poloniae Rex abhorrens, pro earum eliminatione praecipuam curam intendere non omittebat, nulli deferens conditioni, authoritati, statui, vel aetati. Erat ea tempestate Baro quidam in Poloniae Regno et generis nobilitate et opibus insignis, ex domo, quae caput cervinum, cornibus in altum porrectis et intra cornua lisium pro insigni deferre consuevit, et vulgare proclama habet Napirowur, ortus, Matthias nomine, qui apud Polonos vulgari appellatione Maczko Borkowycz dicebatur. Hunc Casimirus Poloniae Rex etiam magistratu publico Palatinatu videlicet Posnaniensi extulerat, existimans illum Reipublicae blicæ plurimum profuturum. Is autem furum et prædonum in oris illis, in quos animadvertere debuerat, caput esse primum clandestinus receptator, ex post vero ipsorum furtorum et spoliorum præcipuus author. Quem Casimirus Poloniæ Rex correctione benigna objurgans, deinde pœnarum denunciatione deterrens, non poterat a proposito revocare, nec consuetudinem radicatam aliena rapiendi in viro propriis abundanti evellere. Quamvis enim per literas patentes sigillo suo munitas se Casimiro Regi pariturum, et a singulis furtis cessaturum promiserit, in generis tamen sui et dignitatis Palatinatus præeminentia confidens, ad ea, quibus se abdicaverat, quibus se quoque nunquam amplius usurum jurejurando astrinxerat, relabebatur, querelis subditorum crebro Regem super re hac impetentium. Ipsa quoque indignitate rei Rex Casimirus motus, Matthiam Borkowicz Palatinum Posnaniensem prædictum ad se in Calisz venientem captivat, et pro suis notoriis facinoribus decreto Regio in mortem condemnat, et catenatum in castrum Holstin transmittit, et in fundum sordidi carceris deponit. Nec simplici morte mulctare illum contentus, fame et inedia excruciatum jussit consumi. Jussu enim Regis non nisi manipulus feni, et cyphus aquæ sibi appositus, in eam rabiem hominem vertit, ut proprias carnes, quoad posset, saciando famis voraginem, ex manibus cæterisque locis detraxerit. Denunciatus fuit germanus suus Joannes Sares in Czarz in ultionem mortis fraternæ seditionem rebellionemque contra Regem suscitaturus, sed et hunc Casimirus Rex corripiens peremit. Castra quoque eorum et fortalitia videlicet Hoszmin, et Czarz, et universa quæ iuris illorum erant, abstulit, et proprietati regali adiecit. Habet et nonnullorum assertio, Casimirum Regem in Matthiam Palatinum, pro eo quod de stupro Reginæ insimulatus fuerit, tam sævam sententiam exercuisse, Propter quod XL diebus fame tabescens mori non potuit, donec Sacro viatico provisatus, indignam se mortem pertulisse, in ipso agone universis denunciavit. Filius autem suus in Saxoniam in Brandeburgensem Marchionatum sævitiam Regis Casimiri veritus, divertens, clandestinis invasionibus Regnum Poloniæ spoliis, igni, et captivatione nobilium, et mercatorum aliquanto tempore affligebat. Processu vero temporis in oppido Roszrzaszow, dum praedas ageret, a rusticanis hominibus invasus, cum suis omnibus occisus, temeritatis suae poenas pendit.

Quintodecimo Calendas Februarij Casimirus Poloniae Rex apud oppidum Episcopale Raczansz agens, Joannem Posnaniensem Episcopum cum Semouito Duce Mazouiae et Vuarsauiensi componit, et magnam sedat differentiam, mandando per sententiam diffinitiuam, ut Dux Semouitus, et sui singuli subditi, decimas in villis noualium consistentis et consurgentis Episcopo Posnaniensi et suae mensae reddant, et reddere sint astricti, Proferens huiusmodi sententiam sub praesentia Matthiae Episcopi Vuladislauiensis, Vuladislai Ducis Gniewkowien, et aliorum plurimorum.

Feria tertia infra Octauas Petri et Pauli Apostolorum, Casimirus secundus Poloniae Rex Monasterium vel potius cellam fratrum Canonicorum Regularium Sancti Augustini, quod primarie fuerat in villa Mamba medium milliare a Siradiensi oppido fundatum, de consensu Conradi Abbatis Sanctae Mariae Vuratislauiensis de arena, sub cuius tunc consistebat ditione et obedientia transfert in Calisz, et Fratribus dicti Monasterij Ecclesiam Parochialem Sancti Nicolai in Calisz assignat, Quae tunc per fugam sui Rectoris Martini vacabat, praefatus enim plebanus parum modeste iniuriam cocae suae, quam nonnulli adolescentes filij ciuitatis in dolium aqua sordida plenum iocando proiecerat, unum ex illis gladio transfossum occidit, et ex Calisz fugiens redire amplius non praesumpsit. Tulit autem Casimirus Rex a Monasterij praefati fratribus, quatuor villas, Dwchot Manhamuit, Polchowo, Vuanglewo, et Luboradziecz, et eas mensae Regiae appropriat. In quarum recompensam Monasterio Calisiensi, villam Markoptimam Hurbarij cum praedio, item duas vineas circa Calisz contulit. Cuius monasterij sic translati, primus Praepositus fuit Frater Matthias.

Ludouico Ungariae Regi nata est filia Catherina ex Regina Elizabeth, filia Stephani Regis Bosznae suscepta, quae paucis annis superuiuens in virginitate demum obijt

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS QUINQUAGESIMUS NONUS.

Crebris Baronum, Nobilium, et militarium instantijs et querelis, Casimirus Poloniae Rex petitus et vexatus, qui se a Pontifice et Clero Cracoviensis Dioecesis in pluribus articulis, per exactionem decimarum, et indictione speciali, exactioneque medietatis omnium fructuum beneficij vacantis pro primo anno, pro Ecclesiae Cracoviensis fabrica, alijsque nonnullis plurimum gravari et opprimi querebantur. Conventum, in Cracoviensi civitate pro die S. Trinitatis, ad reformandum huiusmodi gravamina, nec non ad rescindendum Baronum, militarium, et nobilium oppressiones, et abusus, quibus in redditione et assumptione decimarum se clerus Cracoviensis ab illis afflictum vociferabatur, instituit. Per Nankerum siquidem tunc Cracoviensem Episcopum, Capitulo Cracoviensi consentiente, sancitum decretumque erat, ut pro fabrica Ecclesiae Cathedralis, quam praefatus Nankerus opere pulcherrimo inchoaverat, cuiuslibet beneficij in Dioecesi Cracoviensi vacantis medietas proventuum, iuxta verum valorem, primo vacationis anno applicaretur. Quod cum ab anno Domini M° Trecentesimo vigesimo, quo Ecclesia Cracoviensis caepit fieri fabricatio, usque ad annum Domini Millesimum trecentesimum quinquagesimum nonum fuisset practicatum, petebant illud, et militares, nobilesque, et clerus, iam enim Ecclesiae Cracoviensis plena provenerat consumatio, tolli et abrogari. Ut autem differentiae partis utriusque, iustius faciliusque possent decidi, et componi, Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus sollicitatus Cracoviam advenit. Ubi dum pluribus diebus inter Bodzantham tunc Episcopum et clerum suum Cracoviensem ab una, et Barones, Militares, et nobiles partibus ab altera, plures tractatus agitati fuissent, tandem Casimiro Poloniae Rege et Jaroslao Gnesnensi Archiepiscopo fideliter mediatorum vicem agentibus, singulae differentiae, tam in perceptione, usu, et redditione, quam in exactione decimarum, et in tractandis iudicijs spiritualibus, in terminis introductis, in erigendis dide novo Collegijs, et quibuscunq; alijs articulis, a qua instaq; ordinatione provisa et composita sunt, iuxta quam clerus Collegii et Dioecesis Cracoviensis, erga saeculares, et vice versa saeculares erga clerum suas extunc regulare coeperunt actiones, exactioq; medietatis fructuum beneficij vacantis primi, pro anno, pro fabrica turri sublata est, et per triginta annorum spacium libertas terris Lublinensi, Sandomiriensi, et Lucoviensi, per Tartaros et Lithuanos superioribus annis desolatis, et vastatis, ut earum posset provenire locatio, a decima manipulari per Bodzantham Cracoviensem Episcopum, ad preces Casimiri Regis concessa, Quae quidem ordinatio ut perpetua et sincera, in futura duraret tempora, in scriptum et privilegium sigillo Bodzanthae Episcopi et Capituli Cracoviensis communita, hac petentibus, aut exquisitiorem illius indaginem habere cupientibus, per copiam, quam inserui, protestatus, talis est

In nomine Domini Amen.

Noverint universi praesentium notitiam habituri, quod nos Bodzantha, divina et Apostolicae Sedis providentia Episcopus Cracoviensis, attendentes, quod terrae, Lublinensis, Sandomiriensis, et Lucoviensis, nostrae Dioecesis, per insultum infidelium Tartarorum et Lithuanorum, peccatis exigentibus, sunt plurimum desolatae; Volentesq; ut ad possidendum easdem populus Christianus ferventius invitetur, ad petitionem instantem Serenissimi Principis et Domini nostri Domini Casimiri dei gratia Regis Poloniae illustris, de voluntate et consensu fratrum nostrorum Capituli Cracoviensis, de omnibus et singulis, qui in terris praedictis se locaverint, aut hactenus sunt locati, in villis, praedijs, et possessionibus, in quibus ad mensam nostram Episcopalem decimae pertinebant, a solutione decimae triginta annorum spacio, a data praesentium, plenam et omnimodam concedimus libertatem, Ita tamen, quod si praedicta durante libertate, praefatus Dominus Rex, aut procuratores sui, vel Nobilis quicunq;, in bonis suis, sitis in terris praedictis, decimam a suis colonis receperint, vel pro suis usibus voluerint usurpare, extunc libertate non obstante, decima bonorum eorundem, ad nos, et ad mensam nostram, sine contradictione aliqua, convertatur, In alijs autem bonis, in quibus decima recepta non fuerit, libertas permaneat sic concessa, Per hanc autem libertatem nostram Monachis et Clericis Secularibus quibuscunque, qui in terris praedictis ratione suorum Monasteriorum aut beneficiorum Ecclesiasticorum possederunt, aut possident, nullum volumus praeiudicium generari quoquo modo, imo ipsorum quilibet circa ius suum permaneat, sicut prius. Caeterum ordinamus annuente ad hoc Domino nostro Rege praedicto, ut ubicunque per totam nostram Dioecesim in civitatibus, castris, oppidis, villis, praedijs, et possessionibus quibuscunque, decimae manipulatim in campis hactenus tollebantur, ibi adhuc eodem modo, eaedem decimae in posterum tolli debent, contradictione quolibet non obstante. Verum Scolteti vel advocati civitatum, oppidorum, seu villarum, in quibus decimae manipulatim persolvuntur, de quatuor mansis advocatiae seu Scoltetiae suae, quos coluerint proprijs laboribus et expensis, de quolibet mansorum praedictorum, in festo beati Martini de mense Novembri, quatuor scottos grossorum Pragensium pro decima nobis solvent. Sed si plures mansos quam quatuor colere voluerint, aut dictos quatuor alteri vendiderint, locaverint, aut tradiderint ad colendum, de ipsis dabunt decimam manipulatim in campo, prout alij incolae eorum vicini solvere consueverunt. Et ne labores hominum propter decimatorum desidiam retardentur, decernimus, ut quilibet in octava Sancti Jacobi ad recolligendum suam decimam per se vel nuntium idoneum sit paratus, aliâs depositis et relictis in campo quinque manipulis de qualibet quinquagena, frumenta hominum libere inducantur. In novalibus autem exortis ultra Vuislam versus, et citra metas Russiae et Ungariae progressive usque ad limites terrae Oswiecimensis, in quibus nobis hucusque manipulatim decima non dabatur, libertate expleta de quolibet manso parvo sive magno, locato, sive locando fertonem grossorum Pragensium in festo Sancti Martini praedicto, annis singulis nobis pro decima praebendali a rusticis solvi debet. Advocati vero vel Scolteti novalium praedictorum, de quatuor mansis advocatiae vel Scoltetiae suae, quos coluerint proprijs laboribus ut praefertur, de quolibet mansorum praedictorum tres scottos grossorum solvant illi Ecclesiae pro decima, ubi audiunt divina, et percipiunt Sacramenta Ecclesiastica. Sed si plures mansos quam quatuor excolunt, sive illos quatuor, aut ipsorum aliquem alijs vendiderint, locaverint, seu tradiderint ad colendum, de quolibet ipsorum unum fertonem grossorum, sicut alij rustici in festo praenotato nobis pro decima solvant. Et insuper pro gratia quam eis facimus in solutione decimae, volumus Sculteti vel advocati, fertones nostros decimales in festo Beati Martini superius nominato, sub iuramento fidelitatis ipsorum a rusticis exigere, nobisque vel procuratori nostro infra quindecim dies, dictum festum immediate sequentes praesentare fideliter et integraliter tenebuntur. Sed tamen ubi in praedictis novalibus nobis antea decima manipulatim solvebatur, ad hoc futuris temporibus perpetuo solvi debet, nec ipsam propter hoc remittimus ad fertones. Verum quia in districtibus circa Dlugipoli, et Czorasteyn, sub ea limitatione, videlicet inter viam, quae currit de Mislinicz versus Twardeczino et inter Slonagora versus montem qui dicitur Obydona usque in Dunavicz ut intelleximus, sunt agri steriles, et frigora grandia diutius terram premunt, ita quod parvo tempore anni inibi laboratur, volentes gratiosius agere cum incolis districtuum praedictorum Statuimus, quod incolae praedicti qui iam ibi locati sunt, vel in posterum locabuntur, in festo Sancti Martini praedicto pro decima praediali de manso quolibet tres scotos grossorum pragensium annis singulis nobis solvant, Quam pecuniam Sculteti locorum praedictorum colligent, nobisque vel procuratori nostro praesentabunt, prout in casu simili superius est expressum. Hanc autem limitationem de solutione florenorum pro decima in locis superius iam expressis, taliter cum Casimiro Rege praedicto ordinavimus permanere, quod deinceps ad civitates, oppida, villas, praedia, et possessiones quascunque totius nostrae Diaecesis, ubi manipulatim decima solvitur ab antiquo, nullo unquam tempore extendatur. Item decrevimus quod ubicunque aliquis Nobilis alteri nobili sibi aequali necessitate cogente, haereditatem suam obligaverit, creditor agros coluerit, in eadem decimam frugum de agris suis solvat illi Ecclesiae, cui is qui obligavit, solvere consueverat, ab antiquo. Sed si forte labores suos dictus Creditor voluerit ampliare, repellendo homines, et agros eorum excolendo, de agris hominum quos colit, decimam in Honytbwam solvere teneatur. Praeterea ne propter causam decimalem Judex Ecclesiasticus de nobilitate nobilium judicare contendat, quod ubi quis clericus petitus decimam illiberam ab aliquo qui se dicit nobilem, ipsum propter hoc ad judicium Ecclesiae curaverit evocare, volumus ut causa nobilitatis coram nobis vel officiali nostro per ipsum proposita, clypeoque suo et parentela nominatis, per nos vel Officiales nostros nullatenus judicetur, sed remittatur ad judicium saeculare, ut ibi nobilitatis quaestione primitus expedita, doceat Ecclesia quo jure talis censeri debeat circa solutionem decimae praedialis, Demum statuimus et ordinamus voluntate et consensu Domini Regis praedicti specialiter ad hoc accedente, quod ubicunque antiquis agris progressive quispiam sylvas, rubeta, vel mericam extirpaverit, illi decimam percipiet de novalibus hujusmodi ad quem antiquorum agrorum decima pertinebat. Verum si a dextris vel sinistris ab antiquis agris incolae aliqui fuerint collocati, extirpaverintque sylvas, rubeta, nemora, vel mericas, praedicti incolae de agris ipsorum taliter extirpatis, nobis et nostris successoribus decimam solvere tenebuntur. Insuper volumus, quod columbatio illibera per rectores Ecclesiarum a suis Parochianis non exigeretur de caetero, sed quod quis sponte petenti offerre voluerit, cum gratiarum actionibus tolli debet, Prohibemus etiam Archidiaconis, Praepositis, et aliis praelatis nostrae Dioecesis Jurisdictionem habentibus, ut in visitando non excedant numerum evectionum a jure dictumque institutum, neque ratione visitationis pecuniam a subditis exigant, Rectores quoque Ecclesiarum pro Sacramentis Ecclesiasticis, quae gratis ministranda sunt, nihil exigant, alias ipsos graviter puniemus. Clerici vero cujuscunque gradus, status, vel conditionis, existant, bona patrimonialia possidentes ad expeditionem cum Domino Rege de ipsis transeant, juxta ipsius omnimodam voluntatem. Et ut divinus cultus in nostris partibus augeatur, promittimus, quod ubicunque quis nobilis congruam sustentationem, praesbytero, et Clerico assignare curaverit, eandem Ecclesiam in bonis suis fundabimque inviolati. Praeterea volumus quod Laici decimis pro debitis et in aliis causis civilibus per clericos ad forum Ecclesiasticum non trahantur, nisi forte causa sit spiritualis vel saecularis vel spirituali annexa, aut debitum decimale fuerit. Quod etiam pro fabrica Ecclesiae nostrae Cathedralis medietas redditum primi anni a Clericis exigi consueverat, hoc eis tenore praesentium sit remissum. Ut autem praedicta nostra ordinatio, constitutio, seu decretum temporibus perpetuis inviolabiliter perseveret, ipsam conscribi iussimus, nostrique ac Capituli praedicti nostri sigillorum appensione muniri. Actum et datum Cracoviae quartadecima die Junij Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, quinquagesimo nono praesentibus et ordinantibus Venerabili in Christo patre Domino Jaroslao divina providentia Sanctae Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopo, ac Honorabilibus viris Dominis Otthone Praeposito Gnesnensi, Janussio Decano, Floriano Praeposito, Nicolao Custode Cracoviensibus, Sunoslao Vuislicensi, Nicolao Scarbimiriensi Praepositis, nec non Vuilczkone Sandecensi Castellano, Andrea Succamerario, et Petro Tribuno Cracoviensibus et alijs, per manus Nicolai Licentiati in iure Canonico, plebani Lubicis Curiae nostrae

Moldaviae Vuoyuoda Stephano apud Valachos mortuo, quorum maiores et ab originarij de Italia pulsi regno, genus et natio Volscorum esse fuisseque feruntur, veteribus Dominis et colonis Ruthenis, primum subdole, deinde abundanti inductis multitudine per violentiam expulsis, illam occuparunt, in Ruthenorum quoque ritus et mores, quo facilior proveniret occupatio, a proprijs degenerantes transmigrarunt, dura inter duos filios, mortui Vuoiuodae Stephanum et Petrum contentio de principatu et illius successione suboritur. Petro enim quamvis minori natu, quod ingenij liberalioris esset, maior pars Valachorum favebat. Is quoque, et industria qua pollebat, et provincialium, Ungarorum quoque favore, pulso Stephano et Boiarijs quos in suam partem perducere non poterat, solus occupat Moldaviae principatum. Stephanus autem natu maior cum suarum partium Boiarijs, et indignitatem suarum iniuriarum non ferens, et veritus ne Petrus frater nactus principatum crudelius in se quicquam consuleret, ad Casimirum Poloniae Regem et thesauris et milite abundantem confugit, petens se per illum in Principatum restitui, et suae necessitati propria subventione misereri. Spondens et obligans tam se quam universos suos Successores Voiewodas, et terram Moldaviae in fide obedientia et subiectione Casimiri Regis, et suorum Successorum Regum Poloniae perpetuo mansuros. Quae quidem conditio cum a Casimiro Rege, Consiliarijs Regni probantibus accepta esset, mittit Casimirus Rex ex Cracoviensibus, Sandomiriensibus, et Lublinensi et Russiae militibus exercitum cum Stephano, qui illum in sedem Moldaviae restituat. Is post diem Apostolorum Petri et Pauli ex finatibus egressus, dum terram hostilem attigisset, pluribus secundis successibus usus, aliquot etiam particulares conflictus feliciter de hoste in plenam et universam dimicationem non veniente, reportavit. Petrus autem minor natu, dum cum Stephano et Polonorum exercitu aperte decernere sibi periculosum vidisset, astu et dolis rem tentare aggressus est. Sylvae erant vastae et in longum porrectae Ploniny a solitudine, et quod profectum non afferunt, nec culta sunt aut arabiles in terra Sepeniensi sitae, quas ut praemisimus Ploniny Vualachi vocant, quibus exercitus Polonicus, ut gradum ad interiora et plana promoveret, transiturus erat. Earum sylvarum dextram laevamque secus viam Valachi de parte hostili ita serris arbores inciderant, ut immota starent, ictu facili impulsa procumberent, easque accuratissime sabulo contecti et gramine observabant. Polonis itaque saltum intrantibus Vualachi extremas arborum succisarum impellunt, aliam in aliam cadentem et ruentem, atque universam praecipitantem. Et strage ancipiti viros equos armaque sine bello obruunt, et diruunt. Arborum siquidem truncis et ramorum fragmentis milites insignes exanimati et oppressi sunt, plerique in pedibus aut manibus, aut aliqua parte corporis mutilati. Caetera omnis multitudo inopinato malo perculsa deditionem fecit, maiorque aliquanto captivorum quam caesorum numerus fuit, Praeda omni et spolijs hostis potiti, tanto hosti gratior quantum integrior, nam etsi equorum magna pars strage arborum conciderit, arma tamen vestes et caetera res quoniam per fugam neque evadere quisquam neque referre quicquam valuit, a victoribus occupata. Ad eas insidias Polonorum exercitus parte Valachorum cui favebat suffragia prodente, pręcipitatus est, magis quam suo neglectu aut ignavia. Quę pars cum parte adversa reconciliatione et intelligentia habita auxiliarios suos Polonos in insidias huiusmodi et laqueos maligna vafricie perduxit. Ea clade Casimiro Regi nunciata, illico misit qui omnes captos redimerent, et Valachis potestatem faciles redimendi captivos facientibus, omnes milites et vulgus omne permiscuum, facili ære redemptum est. Captus fuit in clade huiusmodi Sbigneus de Olesznicza, miles de domo Dambno, Sbignei Cardinalis et Episcopi Cracoviensis avus, qui in finem mortis claudicare coactus propter tibiarum violationem, quę tunc illi provenerat. Nannogius de Thanczin filius Andreę de Thanczin Cracoviensis Palatini, cum inter tumultum manus Valachorum effugisset, patris et amicorum devitans conspectum, ex cladis loco Romam abijt, et se presbiterum, iam enim Anna consors, quam duxerat, diem obierat, se fieri ordinavit. Qui expost patriam reversus in Decanum fuit Cracoviensem promotus, Syluarum huiusmodi densitas temporis processu in culturam et camporum planitiem redacta. Undecim signa ea clade capta, quorum tria regia sive terrestria, Cracoviense, Sendomiriense, et Leopoliense, novem militaria, videlicet bipennium, quod prędfatus Nannogius erexerat, alterum de Zelinna, tertium vulpium, quartum Rawitarum, quintum Gryffonum, sextum Szreniwitarum, septimum Habdankonum, octavum Poluhosarum, nonum Streparum erant

ANNUS DOMINI MILLESIMꝰ TRECENTESIMꝰ SEXAGESIMꝰ

Cladem apud Valachiam acceptam, gravior clades, tolerabilior tamen, et quę humanis sensibus non poterat refelli insequuta est, Pestis enim Epidemica sive a divinitate propter multiplices hominum transgressionibus, in altionis locorum immissa, sive a syderum dyspositione, constellatione, et coniunctione, sive ex quacunque alia ignota accidentis causa accidens causa, in universa ferè Occidentis Regna ebulliens, etiam Poloniae, Ungariae et Bohemiae Regna, provinciasque eis subiectas et vicinas inferit. Adeoque in civitatibus, oppida, vicos, et rura Regni Poloniae grassata fuit, ut partem maiorem hominum de singulis statibus, in sexu utroque, per menses sex, quibus continue diffundebat virus suum absumpserit. Apud Cracoviensem vero solam urbem viginti hominum millia pesti huiusmodi decessisse comperta sunt. Apud nonnulla vero oppida, vicos, et rura, tam ingentem stragem dedit, ut omnia ad solitudinem redegerit. Sed nec extabant, qui cadentibus et deficientibus officium sepulturae impenderent, absque exemplo mortalitas ipsa ferebatur praevenisse, quoniam maiori parti mortalium deleta, oppida et rura vacua habitatoribus cernebantur. Coepit autem pestis praedicta circa festum Sancti Medardi, quae per febres, boccos, carbunculos, et antraces, magnam stragem edidit, et interpellatim non tamen sine augmento serpendo usque ad medium anni insequentis, et postea ita furiose usque ad tres menses suas dilatavit fimbrias, quod in plerisque locis vix dimidietatem reliquit gentium. In eo vel maxime a superiori quae ante annos duodecim provenerat differens, quod prior plures absumpserat populares, haec plures nobiles et locupletes pueros et mulieres.

Prussiae Magister Winricus de Kniprode adventu Marchionis Brandeburgensis et aliorum ex Almania militum animatus, in Lituanos expeditionem agit, Et exercitui proprio et peregrinorum, Marsalcum vocatum Schindekop in Ducem praeficiens, terras Litthuaniae caedibus flammis et spoliis vastat, Et spolia captivosque in Prussiam reducens, alteram expeditionem hyeme iam appetente in Lituanos resumit. Qua non contentus tertiam eadem hyeme egit, Quibus quidem tribus expeditionibus Litthuaniam vehementer et adeo afflixit, ut pro maiori parti eam vastam et desertam reliquerit. Expeditio tertia duabus relugnis Ducis Keystuti captivitate visa insignior, qui datis pluribus Catholicorum captivis apud Prussiam captis, eodem anno a captivitate solutus ac dimissus est

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEXAGESIMVS PRIMVS.

Satore Zizaniorum suggerente Sathana, durum pestiferumque Scisma et dissidium inter Bodzantam Episcopum et Clerum suae Dioecesis, Episcopatus Cracouiensis, nobilesque et militares terrarum Cracouiensis, Sandomiriensis, et Lublinensis, eidem Dioecesi iure ordinario subiectis, occasione decimarum manipularium, et tarda earum decimatione, venditione, et raptu, et seminibus, frugibusque, quae in hortis in fraudem decimarum serebantur, alijsque pluribus, coortum iterum est. Ad quod sedandum Casimirus Poloniae Rex velut Ecclesiae advocatus, patronusque, suas partes interposuit, et Iaroslaum Gnesnensem Archiepiscopum tunc officio visitationis in Dioecesi Cracouiensi incumbentem, accersijt. Qui cum certum tempus ad rem componendam, decidendamque partibus consignasset, Cracouiam aduenit, et parte utraque audita, compromisso Casimiri pro parte militarium et nobilium ex una, et Bodzanthae Cracouiensis Episcopi pro parte Ecclesiae et Cleri, omniumque beneficiatorum Cracouiensis Dioecesis in se facto et suscepto, cum per aliquot dies deliberabundus Cracouiae stetisset, communicato virorum prudentium et timoratorum, iurisque diuini et humani expertorum consilio, tandem in Vueliczkam propter praesentiam Casimiri Poloniae Regis, qui tunc illic agebat, descendens, sententiam suam [illegible] octavo Idus Nouembris in Casimiri Regis et Baronum Poloniae praesentia tulit, et pronunciauit, decreuitque, diffiniuitque, ut pro raptu decimae per [illegible] villae factae, etiam excommunicentur Cmethones, casu quo raptor per tempus semestre censuras tolleraverit, qui quoque voluerit suis decimam ante festum Sancti Iacobi cum dominis decimae forum contractumque perficiat, aliâs poterit quilibet libere alteri vendi. De frugibus autem sive in horto, sive in campo, seminatis cuiuscunque generis extent, decimam reddendam mandauit, prout haec et plures aliae super obseruatione interdicti, ordinationes, diffinitionesque latius in copia priuilegij, quod hic inserimus, continentur. Cuius talis tenor extat

Nos Jaroslaus divina providentia Sanctae Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopus in Cracoviensi Dioecesi in officio visitationis constituti, universis ad quos praesentes pervenerint, volumus esse notum, quod cum inter Serenissimum Principem Dominum Casimirum Dei gratia Regem Poloniae et patronum nostrum ex una, et Dominum Bodzantham fratrem nostrum charissimum Episcopum Cracoviensem parte ex altera, quaedam dubitatio super decimis et aliis articulis inferius contentis fuisset hinc inde exorta, demum eaedem partes volentes ad calculum concordiae sine scrupulo conscientiae pervenire, in nos voluntarie et ex certa scientia non per errorem, nec aliquo dolo et fraude circumventi, super articulis infra positis, pro se suisque successoribus omnibus concorditer consentientes compromiserunt, tanquam in arbitrum compromissarium, arbitratorem, laudatorem, diffinitorem, seu amicabilem compositorem, dantes et concedentes nobis liberam et omnimodam facultatem, ut possimus de plano et sine strepitu et figura iudicij super dictis articulis pronunciare, laudare, diffinire, arbitrari, et ordinare, etiam iuris ordine non servato, qualitercunque quomodocunque, prout nobis melius videbitur expedire. Nos itaque Dei nomine invocato, et consilio sapientum communicato, nobiscum etiam habita deliberatione sufficienti, pro bono pacis et utilitate Ecclesiae Cracoviensis ex vigore compromissi praedicti, Christi nomine invocato, laudamus, ordinamus, et diffiniendo arbitramur, inter Dominum Regem et Episcopum praedictos, videlicet, quod pro rapta decima praedialis alicuius nobilis vel pro causa qualicunque rationabili talis raptor vel malefactor monitione praemissa excommunicetur. In qua excommunicatione infra sex menses si perstiterit, extunc incolae in eadem villa degentes, cum tenentur decimare, excommunicentur, cum raptore decimae eiusdem. Ubi autem uxor alicuius nobilis marito absente decimam rapuerit, per censuram Ecclesiasticam ad satisfactionem usque condignam contra ipsam procedatur. Si vero infra sex menses in eadem excommunicatione perstiterit animo indurato, tunc homines in eadem villa ubi decima sit rapta, cum domina eadem excommunicentur praeterea ubi Clericus vel praesbiter ordinati, esset occisus, vulneratus, captus vel detentus fuerit, illius loci Ecclesia vel Ecclesiae, si sunt plures a iure sint interdicta, et ideo non debet in eis divinum officium celebrari, quousque malifactor Domino Episcopo tradatur. Qui si deprehendi non poterit, tunc habitatores eiusdem loci praestabunt iuramentum, quod malifactorem detinere nequiverunt nec occasionem effugiendi dederunt. Demum Ordinarius tollat interdictum a iure statutum, et nihilominus malifactor sit proscriptus, et per quemcunque rapi poterit Domino ordinario impune tradatur et excommunicentur. Item quicunque dominus villae in ipsa villa sua, decimam emere voluerit, ante festum beati Jacobi cum domino Decimae forisare procuret, alioquin dominus decimae libere decimam vendat impedimento a domino villae cessante. Item ubicunque aratro in hortis aratum vel campus fuerit decima plenarie exoluatur, exceptis rapis, papavere, caulibus, cepis, alio, et his similibus quae in hortis suis quis ligonisamento plantet, decima ab eo de praedictis nullatenus recipiatur. Pro decima vero Canapi taliter statuimus, quod quicunque kmetho arat, cum integro aratro, quotcunque bovis habuerit sive equos det quatuor ligaturas canapi parati iuxta consuetudinem terrae antiquam, qui vero cum medio aratro arat, duas ligaturas dare teneatur, qui autem non arat, a decima canapi debet esse liber et solutus. Item super interdicto servando taliter decernimus, quod cum ex casu qualicunque evenerit in civitate Cracoviensi interdictum Ecclesiasticum teneri et observari, civitas Casimiria iuxta fluvium Vislam eidem interdicto non debet subiacere, et econverso. Statuimus insuper quod ubicunque et ad quemcunque locum Ecclesiasticum excommunicatus a iure vel homine venerit, Ecclesiam vel Cimiterium ingressus fuerit, tunc cessetur a divinis, ipso tamen de Ecclesia vel Cimiterio recedente, divina licite resumantur. Inter caetera decernimus et statuimus expresse, quod interdictum triduanum, quod alias servabatur per omnes Ecclesias propter adventum alicuius excommunicati, ex nunc per quempiam nullatenus teneri debeat nec obſervari, ne pluralitas plebis devotæ propter crimen unius obſtinati ſalutaribus divinis officiis et ſua orbetur devotione. Ubi autem ſententia ſedis Apoſtolicæ fuerit, cui nos legem dictare non poſſumus, volumus quod forma mandati in reſcripto poſita diligenter ſervetur, et exequatur, clauſula ſuperius de iure dicto tridaano præmiſſa non obſtante. In cuius rei teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum, in teſtimonium omnium præmiſſorum. Actum et datum in Vuuhezha octavo Idus Novembris, ſub Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, præſentibus Honorabilibus viris Dominis Martino Archidiacono, Nicolao Cancellario Gneſnenſi, Suncezslao Officiali Cracovienſi, Sbiluto præpoſito Plocenſi et aliis pluribus fide dignis

Innocentius Papa Sextus, cum annis decem ſediſſet, apud Avinionem moritur, et in Monaſterio Cartuſienſium prope Sanctum Andream, quod ipſemet fundaverat, et dotaverat ſepelitur. Cardinales autem conclave ingreſſi fratrem X. Monachum Ordinis Sancti Benedicti Abbatem Maſſilienſem, Decretorum Doctorem, virum raræ ſanctitatis eligunt, qui Urbanus quintus vocatus eſt, Crucem prædicari ſtatuit contra Turcos et ordinavit paſſagium.

Brigida de Scotia vidua Sanctiſſima claruit. Quæ multas revelationes habuit, omnium ſtatum inſtruentes, prædicens Cruciferis de Pruſſia clades, Regibus vero Poloniæ victorias. Hæc Ordinem novum inſtituit, qui a Brigidæ nomine vocabulum ſumpſit et pro confirmatione Regulæ ſuæ a Chriſto ad Urbanum Papam quintum miſſa eſt. Cuius feſtum agitur viceſima ſecunda Iulii

Rector quidam Ordinis Prædicatorum in Cracovia Frater Paulus nomine, Negans Beatam Mariam virginem conceptam fuiſſe ſine peccato originali, coram omni clero et populo, ad quos tunc in maiori Cracovienſi Eccleſia in vulgari Polonico declamabat, cecidit et expiravit, priuſquam prædicationem ſuam compleviſſet

Studium Universale Pragae a Carolo Romanorum et Bohemiae Rege institutum, et dotatum, quod Innocentius Sextus Papa ad instantiam Caroli Regis confirmavit. Id cum annis vix quinquaginta durasset, a pesti Haeritica exterminatum periit.

Casimirus Poloniae Rex volens Regnum suum Poloniae, studio generali Cracoviensi ad instar aliorum Regnorum magnificare et decorare, in oppido Casimiriensi a se dicto, circa Cracoviensem civitatem in villa capitulari vocata Bawol Studium generale secus murum in loco amplo et spacioso ad mille et amplius passus in omnes partes se protendente, domosque pulcherrimas, cameras, lectoria, et privatas officinas ex lapideo muro pro eo habitatione Doctorum et Magistrorum dictae novae Universitatis, pulcherrimo opere aedificat. Missis autem notabilibus Nuntiis et Oratoribus suis Ecclesiasticis et saecularibus in Avinionem ad Urbanum Papam quintum, fundationem huiusmodi a Sede Apostolica admitti obtinuit. Gnesnensis enim Archiepiscopus Jacobus [illegible], dictus Szwinka a summo Pontifice praefato Urbano quinto iussus per speciales literas, praefatum Studium Casimiriense sive Cracoviense confirmat. Quod tamen morte Regis Casimiri interveniente non fuit prosperatum, nec dotatio ipsa et fundatio fuit sortita effectum. Sed et procedente tempore Joannes Dlugossius senior Canonicus Cracoviensis Anno videlicet Millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, cum vellet illic de consensu Casimiri tertii Poloniae Regis coenobium Carthusiense erigere et fabricare, contradixerunt insensati Casimiritae, propter locum, quem tanto tempore vacuum, domibus et hortis, nullo eis regio iure suffraganti, occupaverant. Nec permiserunt praescriptum aedificata opus et aedificium pulcherrimum, toti Regno Poloniae profuturum, quamvis ipse Joannes Dlugossius senior Canonicus Cracoviensis offerebat se omnia iura eorum civilia resarsurum, aedificare.

Universa

Vicesima quinta die mensis Julij casuali in Vratislauiensi ciuitate incendio exorto, cum primi flammarum impetus ciuium desidia non forent oppressi, in fortem et nullo ingenio humano restringendam virtutem ignis coalescens, vniuersa fere vrbis habitacula consumens et deuorans, ciuitatem Vratislauiensem in cinerem et fauillam redegit. Vratislauienses autem pro damno ingenti, quod ignis permissione diuina intulerat, in Judaeos, quorum tunc apud illos frequens erat numerus, iras vertunt, et ipsos nulli differendo aetati, sexui, vel conditioni, quasi ipsi machinatores incendij extitissent, saeua inuasione trucidant, substantijsque eorum direptis, ipsos ex Vratislauia eliminant

Regionem Litthuaniam Vinricus Prussiae Magister, et sciens esse sterilem, syluisque, nemoribus, et paludibus frequentiorem, quam villis et vrbibus, et vexatione hostili afflictam desertam fore cognoscens, exercitum ex aduenis et proprijs collectum, praeficiens illi Henricum Cramfeles Generalem commendatorem in Ducem, in Russiae terras, quae Litthuanis parebant, quod et Litthuanos armis gentibusque iuuerant, et propter soli vbertatem, diues enim est illis tam pecoris quam caeterarum rerum supellex, ad vastandum illas transmittit. Sed propositum tam suum, quam exercitus, assiduus imbrium descensus damnauit, Quorum obstaculo exercitus Prutenicus a caepto versus Russiam itinere reuerti coactus, ~~et~~ ne frustra arma induisse videretur, in Litthuaniam descendit, et Litthuaniae oram ignibus et caede vastare caepit. Quod Litthuanorum principes Olgerts, Keystuts, et Patrikij hyg molestè ferentes, clandestinis itineribus cum suis copijs aduenientes, Prutenicum exercitum nihil aduersi suspicantem inuadunt, duroque certamine commisso, plures hinc inde concidunt interfecti. Sed Cruciferis tam numero quam equis, armisque pollentibus, cessit deuictis barbaris victoria, eò quidem gratior, quò insperatior. Auxit autem triumphi gratitudinem Keystuthi Ducis captiuitas, qui ab Henrico de Ehrersberg Crucifero equo deiectus viuus in manus hostiles venerat, alter vero Ducum Litthuaniae Patrikius ex equo et ipse a Conrado de Hoberch praecipitatus, a suis protectus defensusque

periculū ß

periculum euaserat. Cruciferorum exercitus tam victoria, quam spolijs, quam captiuis potitus, in propria rediit. Dux autem Litthuanorum Keystuth, in castrum Mariemburg velut praeda nobilis delatus, et illic in testudinem forti vinctus, cathenatus, et conclusus, molestias captiuitatis biduo tantummodo perferens, vnius Litthuani Xiropsiti apud Mariemburg dimorantis, adiutus suffragio, euadit, et pallio albo cum cruce nigra se amiciens, omnes obuios tam Cruciferos quam ciues, habitu huiusmodi, equo vectus, fallens euasit. In syluam deinde vastiorem perueniens, equo relicto, in palude, diebus aliquot, persequutores euasurus, latuit. Noctibus deinde praedicto itinere gradum promouens, dum se versus Litthuaniam ire credidit, in Mazouiam peruenit. Vbi a filia germana Anna aliâs Danuta Ducissa, consorte Janussij Mazouiae Ducis cognitus, et ab ea cum magno gaudio exceptus, in Litthuaniam datis equis et armigeris deductus, magno solatio tam fratribus quam genti, fuit. Congesto autem exercitu captiuitatem suam vlturus in Prussiam irrupit, et castrum Sancti Joannis primum oppugnans, conquirit, et incendit. Deinde ad castrum Danczyk venit, et illud conquirens, et Commendatorem Joannem Collin cum multis alijs capiens, exurit. Applicat posthaec ad castrum Chersberg et conquisitum incendit, multisque spolijs, multis incendijs et caedibus commissis, praeda ingenti oneratus recedebat. Quem duo Commendatores de Rostenberg et Barthenstein cum exercitu persequuti confligunt, spoliaque et captiuos repetunt, Dux ipse Keystuth in eo certamine equo a Viernero de Vindehey deiectus, certacissime pugnans, deiectoris sui equo interfecto, pedibus au per Commendatorem de Nyeszowa vulneratur, et a Commendatore de Barthenstein capitur, sed parum prouide dum rediretur asseruatus, iterum Cruciferos fallens, de quo apud eos magni motus habebantur, captiuitatem euadit, et in Litthuaniam peruenit.

Amplitudinem religionis Christianæ Casimirus secundus Poloniæ Rex in terris Russiæ, suo debito imperio effectivus, per eosdem Nuntios et Oratores suos in Avinionem missos, Ecclesiam Metropolitanam in civitate principali Leopoliensi per Urbanum Papam quintum octavo Idus Aprilis, obtinuit ad dotationem suam sufficientem erigi et fundari. Præfatus enim Archiepiscopus Swinka Gnesnensis Archiepiscopus, literis Apostolicis sibi præsentatis, a Casimiro Poloniæ Rege requisitus, ivit personaliter Leopolim, et ex parochiali Ecclesia Leopoliensi Metropolitanam, inspectante Casimiro Rege et universa militia civibus, et dotem sufficientem largientem, erexit, et in primum Archiepiscopum dictæ Sedis Cristinum virum nobilem instituit et consecravit

ANNVS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMVS SEXAGESIMVS SECVNDVS

Externarum guerrarum, et differentiarum civilium sedato oppressoque motu, peste quoque sævissima mitigata, Charistia et fames perniciosum malum subito in Regno Poloniæ et partibus vicinis, demeritis hominum, ultionem divinam provocantibus, coortum est. Licet siquidem fruges pro hyemali et vernali tempore terræ mandatæ, spem fructuum percipiendorum cum ubertate per germen facundo tenore usque ad Iunium mensem progressum, cultoribus præbuissent, frugibus tamen ipsis, die mense Iulij et sequentibus florere incipientibus, validissimorum ventorum, cum plurimis tempestatibus, Aquilonis ventorum flatus adveniens, et cursum suum longo continuans tempore, omnes passim fruges, percussis et ablatis a spicis floribus extinxit delevit, et corrupit, Granorumque coalescentiam a frugibus auferens, steriles et aridos culmos, et inanes paleas messoribus reliquit, et in Regnum Poloniæ partesque vicinas famem validam et horrendam induxit. Casimirus itaque Poloniæ

Rex qui per omne tempus sui regiminis et principatus, curam ad serendos subditorum prædiorum, per colonos et factores suos, agros intenderet, et cui annis singulis plura acervorum in variis frumentorum generibus millia proveniebant, gentem suam Polonicam nationesque vicinas videns fame atroci laborare, horrea sua in singulis terris Regni sui frugibus redundantia aperiri, et de illis quibuslibet fame confectis largiri provisionem subveniri mandavit. Et advenis quidem et forensibus frumenta per Regios præfectos moderato precio vendebantur, proprij vero pecunias ad emendum non habentes, aut rerum commutatione, aut labore præstitum illis frumentum merebantur. In singulis siquidem sui Regni terris et districtibus, Casimirus Poloniæ Rex præfatus, tum castrorum et civitatum fabricas et muros, tum piscinarum et fossatorum aggeres et alveos, tum aquæductus et ædificiorum variorum structuras extendi et institui, non tam pro necessitate aut usu, sed pro relevanda omnium mechanicorum et hominum inopia, iussit. Concurrebant itaque ad subeundos perferendosque inceptos et incipiendos labores omnium hominum genera, et pro excludenda fame etiam mulierum et puerorum infirmus sexus, et languida ætas, operas suas in laboribus ad merendum frumentum enixius, quam eorum ferebat conditio, exhibebant. Singulis autem affatim aut pecunia pro labore, aut his præstantibus frumentum solvebantur. Qua quidem frumentaria vel largitione Casimirus Poloniæ Rex maxima a proprijs et forensibus celebratus est laude, et in thesauro Regio argento et auro ex pluribus locis importato, et in murorum, ædificiorum, piscinarum, et fossatorum opere vehementer auctus. Ex quibus illud insigne et memorabile fossatum, quod a Cracoviensi urbe versus Bochniam tendit, et flumine Vistula in illud immisso, ligna per illud salis, trahendi destinabat, adhuc eminet. Pater et restaurator patriæ creditus et appellatus est

Numeroso et potenti exercitu ex peregrinis et domesticis Vuenricus de Knyproda Prussiae Magister congregato, primo veris tempore ingreditur terras Samogitiae et Litthuaniae; Et remotioribus regionibus vastatis, castrum Kowno, tam muris et arte, quam situ et natura, duo enim non spernendi amnes Nyemen et Vilia illud circumfluunt, obsidione cingit. Obsidionem autem huiusmodi Olgerds, Keystuts, et Patrykyg Litthuanorum Duces repulsuri, cum suis copiis adveniunt, et certamine cum Magistro Prussiae et suo exercitu feria quinta ante Dominicam Reminiscere inito, victi refugiunt. Quibus fugatis Magister Vuenricus strictiori obsidione castrum Kownno coarctans, munera obsidionis inter Commendatores et milites dispartitur, castrumque bombardarum crebra contusione et ignitorum telorum proiectione, nocte et interdiu quatit. Et quamvis Vuithaudus filius Ducis Keystutty cum tribus millibus Litthuanorum castrum probe defendisset, et in exercitu Cruciferorum plures clades facerent, et subeuntes milites ad murum perimerent, pertinacia tamen et perseverantia Cruciferorum, aut mori illic, aut castrum se conquisituros devoventium, castrum ad conquisitionem spectabat. Cui Litthuani laturi auxilium etsi novas copias reparassent, et cominus in colle, ex quo singula, quae Cruciferi agebant speculari poterant, consisterint, in exercitum tamen Magistri et Cruciferorum, vallo fossisque profundis, et unda ex omnibus aquae ductibus repletis, facto, non audebant insilire. Colloquio tandem Keystuts cum Magistro Prussiae petito, petit solui obsidionem, quod cum impetrare non posset, superbo sermone usus, iactabat se, si in castrum ad obsessos penetrare posset, castrum a qualibet expugnatione tutaturum. Sed cum illi a Magistro non per se solum, sed cum quibuscunque vellet castrum intrandi potestas facta esset, rogaretur insuper, ut non cunctaretur confligere, offerente Magistro se suum exercitum ex fossis et aggeribus ad plana et aequa loca, si devenire vellent, deducturum, Keystuts silentio rem absoluens, re infecta discedit. Et Magister cum suo exercitu feria secunda post Palmas, incessabili irruptione,

noct

noctu et die usq ad Sarassur castrum lacessisset, tandem Sabbato in vigilia Paschae, castris Litthuanorum Ducibus ex editiori colle, non sine lachrimarum effusione inspectantibus, muro suffosso, qui ruens plures mortalium de Cruciferorum exercitu oppressit, et castro igne accenso, quo magna multitudo Litthuanorum perijt, capit, cum illud in Dominica Reminiscere obsidere coepisset, magnamque in captos et devictos caedem edit, Tria millia Litthuanorum in ea obsidione caesa et mortua referuntur, Vuoydat Keystuthi filius, cum triginta sex potioribus captivitati reservatus, Dies Resurrectionis Dominicae, Missa per Bartholomaeum Szanbiensem Episcopum expleta, festivata est. Die vero subsequenti murorum parietibus ruinatis, et omnibus fossatis solo aequatis, ad castrum Pisten exercitum Magister applicat, quod a Litthuanis desertum reperiens incendit, et ad castrum Vuyelunya veniens, quarta die per impugnationem illud conquirit, et multis Litthuanis occisis, quingentos capit. Castrum autem Vuyelunya funditus evertens, cum multitudine captivorum et spoliorum in Marienburg redijt.

Duodecima die mensis Martij et post pluribus diebus Cometes stella crinita in fine Aquarij et prope Venerem apparuit. Caudam seu faciem in loco Mercurij et in sideribus versus Orientem retorquens, Qua cursum suum usq in quinq hebdomadas produxit. Sub quo tempore Anna consorte Caroli Romanorum Imperatoris, et Regis Bohemiae secunda obeunte, Carolus ipse tertiam virginem videlicet Mecellinam de sanguine Bavarorum sibi iungit. Filio vero suo Venceslao Joannam filiam Alberti Ducis Bavariae Comitis Holandiae atq Hanoniae, quam idem Dux Albertus ex Margaretha filia Ludovici Ducis Brigensis susceperat, patruo vero Sobeslao Marchioni Moraviae neptem Roberti Russi Comitis Palatini Bavariae desponsat, Connubia cum Bavariae domo eo proposito ingeminans, ut seminario et fomiti odij quod Carolus Imperator Regnum Romanorum sub Ruberto Duce Bavariae vivente occupandum attentaverat, per huiusmodi affinitatis abolito, fidam sibi et amicam ex hostili et infesta domum Bavariae efficeret

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEXAGESIMVS TERCIVS.

Ad reſcindendas componendasq; quasdam inter Ungariae et Bohemiae Regna differentias, quas nobiles et ſubditi Regnorum inter ſe rapinis, ſeditionibus et furtis, caeterisq; mutuis factionibus et iniurijs laceſſendo ſe mutuum, conflaverant, Legatis Ludovici Regis Ungariae ad Carolum Romanorum Imperatorem et Bohemiae Regem quaeſtum ambulantibus, et reformationem iniuriarum fieri poſtulantibus, ex Caroli Imperatoris et Regis Bohemiae ſuperbo et probroſo verbo, quo, paſſione et ira ea quae Ungariae Legati detulerant, refellendo, incenſus, matrem Ludovici Ungariae Regis parum pudicam aſſerendo, protulerat, maior flamma ſubito prodire et vehementer oriri caepit. Legati enim Ungariae faciem et praeſentiam Caroli Romanorum Imperatoris et Bohemiae Regis parum veriti, pro tuenda ſui Regis, et genitricis eius Elizabeth honeſtate, contumeliam tantam non ferentes, reciproca contumelia quantum poſſunt refellunt, et purgant. Quamvis, inquiunt, eadem temeritate, qua Sereniſſimi Regis noſtri et matris eius Illuſtriſſimae Elizabeth Reginae honorem et glorioſum nomen et famam probro tuo violare non erubuiſti, et nos eiusdem Legatos videmus et praeſumimus te violaturum eſſe, omnia tamen pro honore Regis noſtri et matris eius paſſuri levia exiſtimantes, aſſertioni tuae, qua genitricem Sereniſſimi Regis noſtri et conſequenter Dominum noſtrum Ludovicum Regem de impudicitia notaſti, publica, clara, et libera voce contradicimus, et te in verbo huiusmodi, Regi noſtro, et ſuae honeſtiſſimae Illuſtriſſimaeq; matri iniuriatum vehementer eſſe iterum atq; iterum aſſeveramus, parati aequo Marte et loco pro honore Regis noſtri et matris eius ſive tecum, ſive cum alio tuum ſermonem defendere volente, ingredi duellum et certamen. Et nihilominus, pro huiusmodi gravi iniuria, quae a te, cum ſis primus Regum nec nominari debuit, te, et imperium tuum, ac Regnum Bohemiae, et omnia dominia tua, nomine Regis nostri, et omnium Regnorum suorum ex nunc diffidamus. Carolus autem Imperator et sua verecundia, intellectuque et Consiliariorum Ecclesiasticorum et saecularium circa illum praesentium correptione remorsus, nihil durum Legatis Ungariae, videbat enim illos iustiori quam se adductos ira in vicissitudinarias contumelias prorupisse, respondendum duxit, sed mitigari animos Ungariae Legatorum, et verbum probrosum, quod in dedecus Elizabeth Ungariae Senioris Reginae protulerat, verbis extenuare coepit, protestans se illud ioco non serio dixisse. Legati autem Ungariae facinus tam atrox in sui Regis et matris eius redundans infamiam, parum verbis extenuari posse respondent, sed sanguine dilui et expiari oportere, nec suae, sed Regis sui interesse, ut infamiam suam, et matris suae, supplici et veniam postulanti remittat. Atque ita irritatis magis quam pacatis animis ex Praga ubi Carolum Imperatorem offenderant, discedunt, et ad suum Regem Ungariae in Vuyssegradum pervenientes, singula quae illis apud Carolum Imperatorem acciderant, et quanta qualique criminatione Elizabeth Reginam Seniorem Ungariae genetricem suam carpserat, ex ordine referunt et declarant. Rex autem Ludovicus Ungariae, probitate et fide in defendendo matris suae et suo honore Legatorum collaudata, etiam quod Carolum Romanorum Regem pro huiusmodi probroso nomine diffidaverint, et verbis commendat, et largitione munifica extollet, ac bellum ingens, ultricis suam et matris suae iniuriam sollicita assiduaque meditatione Carolo Imperatori et Bohemiae Regi per patentes literas, verbali diffidatione Legatorum non contentus, indicit. Exercitus itaque ex omnibus Regnis et dominiis suis comparat, subsidiaque et solatia vicinorum Regum et Principum, missis variis Nuntiis contrahit et conducit. Et primum quidem ad avunculum suum germanum, Casimirum Poloniae Regem nunciis missis, rogat, ut sororis suae Elizabeth Reginae probrum inultum esse non sinat, sed secum commune bellum gesturus, cum omnibus potentiis dominiorum suorum consurgat. Et

Casimirus Poloniae Rex communicato Praelatorum et Baronum suorum consilio, non solum gentibus et potentijs suis, sed etiam personali praesentia bellum ceptum se adiuturum, et solatia Litthuanorum, Ruthenorum, et Tartarorum se adducturum repromittit. Deinde ad Sigismundum Daciae Regem Nuntij, tam Ludouici Vngariae, quam Casimiri Poloniae Regum aduenientes, ipsum ad ferendum eis omnium potentiarum suarum auxilia, erat enim is Ducis Boguslai Stoltensis generis Casimiri Poloniae Regis consanguineus, expositis causis et iniurijs belli perliciunt et inducunt. Carolus autem Imperator et rumore et Nuncijs, auisamentisq; subditorum et amicorum bellum grande confici, et varias nationes atq; Regna armari contra se intelligens, Electores imperij et singulos Principes Austriae et Almaniae, ad ferendum sibi exercitualia solatia, literis et crebris Nuntijs inuitat, corrogat, et inclinat. Vtraq; itaq; pars se armis gentibusq; robore et numero superiorem futuram esse magnopere satagens, varias gentes Catholicas et barbaras in sua solatia precibus et donatiuis conducebat, ut hinc Orientem, illinc Occidentem videres ad funestum bellum inuicem gerendum commotos et concitatos. Vrbanus itaq; Sumus Pontifex appellatus Papa quintus, tot et tantos Reges intelligens inconsulto iracundiae calore prouocatos, et odiorum impulsu ex uno duntaxat probro incensos, in atrox bellum parari, ad intercipiendum illud, ne furor bellicus postquam incepisset altius serperet, et grauiores causaret occasiones, mutuis armis se inuicem colludendi, more pij Patris de interitu filiorum solliciti, omnes conatus suos et studia conuertit.

Et Et ad componendum Reges taliter furore collisos, rarae prudentiae et singularis doctrinae virum religiosum Fratrem Joannem Ordinis minorum, prudentia et eloquentia pollentem, cum certis instructionibus et mandatis, in alijs agendis suam expertus industriam, facultatem, et ingenia transmittit. Et hoc illi specialiter iniungit, ut quibuscunq; posset honestis artibus et ingenijs, congestum et gerendum bellum dissoluat. Qui mandata Apostolica sollicito exequuturus

Studio, primum ad Carolum Imperatorem in Pragam, hinc ad
Ludouicum Vngariæ Regem in Budam, postremo ad Casimi
rum Poloniæ Regem Cracouiam, concito gradu aduenerat, Sedis
Apostolicæ mandata exponens, vnumquemq; Regum singulari
prece, persuasioneq; ad rescindendum impium bellum, plus cla
dis, quam victoriæ, plus dedecoris, quam honoris, plus damni,
quam vtilitatis habiturum, et innumeras animas extincturum,
barbarisq; nationibus in Catholicas terras debachandi animos
et occasionem aucturum, cohortatur, et inducit. Nec precibus
et persuasionibus contentus, vtramq; partem, magis tamen Ca
rolum Imperatorem, a quo belli omnis gerendi manabat ini
tium et origo terret, et nomine Summi Pontificis denunciat,
per vtrum stetisset, quo minus desisteretur ab armis, cum se, cum
altero pacem non abnuente, consilijs, et auxilijs enixe Ponti
ficem maximum aditurum. Hac denunciatione, dum Carolus
Imperator, qui bello præfato se causam dedisse et illud suscitas
se non ignorabat, plurimum pauoris concepisset, veritus ne Se
dis Apostolicæ mandatum et authoritas, Almaniæ Principes
suasit de assumpto iniusto bello, querelas ingeminantes ab eo
auertisset, in omnes pacis conditiones per Nuntium Aposto
licum dictandas se pro bono Christianitatis, et sanguinis Chri
stiani euitando profluuio, in Summi Pontificis potestate fu
turum esse respondendo spoponderit. Nuntius itaq; Apostolicus
Carolo in partem suæ intentionis perducto, festinus iam Lu
douicum Vngariæ, iam Casimirum Poloniæ Reges adibat, et
maxima instantia precabatur, et orabat, vt passione animi
frenata se populosq; suos et Regna, propter vnius verbi le
uitate prolati, quod iusta compensatione expiandum se Im
perator Carolus offerebat, probrum, non ponerent in discri
men, iniustum bellum, et nullos successus felices aut trium
phos habiturum, si sua iniuria eis oblata satisfactione
contempta, in illud prorumperent, gesturi. Dum quoq; Vn
gariæ et Poloniæ Reges æquas et iustas conditiones se non
abnuituros respondissent, decepto altero ex ordinibus frementium

contra se Regum, et animis eorum modestia tenore qualificatus,
ex ~~arbitro~~ arbitro Vrbanus factus, caepit Ludouicum Vngariae
et Casimirum Poloniae Reges, et Summi Pontificis authoritate, vi
ceq; et Caroli Imperatoris nomine deprecari, Vt pro stabili
enda inter eos pace, et eo lolio, quod Sathana superseminaue
rat calliditas, penitus euellendo, iungerent inter se affinitatem,
et Illustrem Virginem Elizabeth Boguslai Ducis Stolpensis fili
am, et Casimiri Regis Poloniae ex filia Elizabeth neptem, ac
Ludouici Vngariae Regis consobrinam ex amitali sorore su
sceptam, dignarentur Carolo Romanorum Regi, cui tunc
secunda vxor Anna Imperatrix, filia Henrici Ducis Jauren
sserat, sed et tertia Mirellina breui tempore suo coniugio po
tita, diem obierant, desponsarent in vxorem. Reges autem
praedicti mutuis tractatibus habitis, communicato Praelato
rum et Baronum vtriusq; Regni consilio, pro ratione huiusmodi
pro Sedis Apostolicae honore, et Christianitatis pace, fideiq;
Catholicae exaltatione, suum praebent consensum. Erat enim
Regis Vngariae Ludouici, Carolus Romanorum et Bohemiae
Rex socer, filiam enim eius ex prima vxore Blanka, filia Re
gis Franciae susceptam, primum in vxorem Ludouicus duxe
rat, et reconciliationem prioris amicitiae non abnuebat. Et
quem habebant habiturique erant insignem hostem, hunc in
generum et affinem deligunt et assumunt, Diemq; nuptiarū
Cracouiae pro tempore et diebus Carnisprivij edicunt et consti
tuunt. Ita enim Nuntius Apostolicus per Carolum Roma
norum et Bohemiae Regem et iussus, et rogatus erat, vt hu
ius modi affinitate petita et obtenta, etiam diem nuptiarum,
quo facilius et bellum captum, et eius totalis suspicio tolle
retur, concluderet. Omnibus itaq; iuxta Caroli Imperatoris
votum per Nuntium Apostolicum apud Vngariae et Poloniae
Reges ordinatis, et confectis, omniq; hostilitate per contractū
nouae affinitatis sublata, pax quoq; inter Regna tria refor
mata, Apostolicus Nuntius Pragam rediens, Regi Roma
norum Carolo labores suos et sudores, quos in conficienda
pace et affinitate concludenda habuerat, declarauit. Qui Deo
et

et Summo Pontifici Urbano magnas gratias per literas et Nuntios agens, insinuant se armis depositis, mandatis et ordinationibus Apostolicis in omnibus paruisse, et affinitatem cum his Regibus, quos hostes experturus erat, contraxisse. Quo novo ad aures Summi Pontificis et Almaniæ Principum prolato, magna exultatio et animorum iocunditas ubiq; et apud singulos est infusa.

Ad futuram itaq; nuptiarum solennitatem, quarum sibi curam, procurationemq; Casimirus Poloniæ Rex, velut avus virginis susceperat, magnifico et excellenti sumptu gerendam, præfatus Casimirus Poloniæ Rex vicinos Reges et Principes, videlicet Ludovicum Ungariæ nepotem suum, Sigismundum Daciæ, et Petrum Cypri Reges, Ottonem Bavariæ, Semovitum Mazoviæ, Boleslaum Swidnicensem filium sororis suæ, Vladislaum Opoliensem, et cæteros Poloniæ Principes per speciales Nuntios corrogat, et invitat. Qui omnes dum ad constitutum diem convenissent, Rex enim Cypri Petrus Mari Pontino usq; in Valachiam vectus, tandem per continentem terras videlicet Valachiæ et Russiæ abunde omnibus necessarijs per Casimiri Regis Poloniæ præfectos, procuratus, Sigismundus vero Daciæ Rex in Stolpensem Ducatum mari Oceano adveniens, cum Duce Boguslao Stolpensi affine suo, et virgine Elizabeth nova nupta Cracoviam in sumptibus et expensis Casimiri Poloniæ Regis advenit. Ludovicus Ungariæ Rex compendiosiorem stratam habens, per Sandecz et Bochniam, cum notabili apparatu et frequenti Baronum suorum numero comitatus advenit. Tandem et Carolus Romanorum et Bohemiæ Rex per Slesiam adveniens, a præfatis Casimiri Poloniæ Regis in Bytom in eius occursum missis exceptus, et in Bandzin, Ilkusch, cæterisq; locis Regni Poloniæ, cum omnibus Principibus et Baronibus suis copiose procuratus advenit. Cui in obviam quatuor Reges Ungariæ, Poloniæ, Daciæ, et Cypri, cum Principibus et Baronibus in multitudine copiosa ad unum milliare egressi, ipsum cum omni benignitate et honore excipiunt. Et Rex quidem Carolus, nunciato sibi Regum adventu, equo cum Principibus et Baronibus suis descendens, longum spacium pedestri itinere, antequam cum Regibus conveniret, praecedentibus Regis longo turmarum ordine, confecit. Quo Regibus nunciato, descendentes et ipsi de equis, Carolo Romanorum Regi occurrentes, dextras cum fletu et effusione multarum lachrimarum, amplexibus, et osculis, praesente Fratre Joanne Nuncio Apostolico iungunt, Magnitudo siquidem laetitiae de tot Regum in unum diem et locum mutua conventione, et eorundem reconciliatione, tam Regibus, quam eorum Principibus et optimatibus lachrimas, quasi quosdam cordis indices excuciebant. Resumptis autem equis dum urbi appropinquarent, virgo Elizabeth cum patre Duce Boguslao Stolpensi, multis comitata virginibus, in Regio apparatu Carolum futurum sponsum suum excepit. Processionis deinde omnium Ecclesiarum et statuum Cracoviensis civitatis subsequuta, exceptione sua, dum traxerunt in vesperam. Regibus omnibus speciales habitationes et thalami, purpuris, et cortinis, auro et ostro, gemmisque superba, in castro Cracoviensi assignata, caeterisque Principibus, Baronibus, et familijs eorum, honesta hospitia, omnibus necessarijs ad usum voluptatemque hominum plena, distributa. Quamvis autem cuilibet Regi, Principi, et Baroni, specialis provisionis, ministri, ex Baronibus et nobilibus Poloniae; per Casimirum Poloniae Regem deputati fuissent, omnes tamen Vuyerzenkoni Consuli Cracoviensi, is genere nobilis, et natione Renensis de domo et armis Lyagoda parere iussi, Unus enim hic aulam Casimiri Poloniae Regis, et omnia officia in curia Regis gubernabat, idem, quod praecipuum est, introituum et pecuniarum regalium receptor ac dispensator, omnium fortunarum et rerum quae lucra Regibus afferre solent, provisor. Idem consiliorum omnium particeps mediator et autor, Illi vero Casimirus Poloniae Rex, propter notam hominis industriam, fidem, providentiam, et facilitatem, curam et summam administrandarum omnium, quae in tam celeberrimo et frequenti Regum conventu, rerum, essent necessaria, mandaverat. Qui Casimiro Poloniae Rege iubente, tantam Regibus, Principibus, Baronibus, et quibuslibet hospitibus et advenis, tam invitatis, quam suapte venientibus monstravit, in procurando illos pluribus diebus, magnificentiam, opulentiam, et liberalitatem, ut singulis non solum victualia largissima et expensa praeberentur, sed etiam quaecunque postulasset privata necessitas vel usus, in abundantia ultro largirentur. Et ne quisquam de quocunque defectu posset quaeri, vel causari, ultra necessaria omnium rerum in hospitia Regum, Principum, Baronum, nobilium, et hospitum importata, in circo civitatis Cracoviensis crebris in locis dolia vasaque rarae magnitudinis plena vino optimo, et quaedam vasa avenae locari, et pro quolibet tempore in plenitudine consistere, Casimirus Poloniae Rex ordinaverat, ex quibus singuli hospites et invitati, nedum pro necessitate, sed pro libidine hauriebant. Tertia adventus in Cracoviam Caroli Romanorum et Bohemiae Imperatoris die, ipse Carolus Romanorum Imperator virginem Elizabeth Ducis Boguslai filiam, et Casimiri Poloniae Regis neptem ex filia, in Ecclesia maiori Cracoviensi Regibus, Pontificibus, Principibus, et Baronibus praesentibus, Iaroslao Gnesnensi Archiepiscopo dictante verba, desponsat, cui Casimirus Poloniae Rex centum florenorum millia dat in dotem. Instaurantur post hastarum, chorearum, et plausuum ludi, et pluribus continuaverunt diebus, victoribus quoque et athletis proposita praemia per Casimirum Poloniae Regem liberaliter largiuntur. Opulentiam autem et divitias suas et Regni sui Casimirus Poloniae Rex, quibus supra omnes superiores Poloniae Reges abundabat, demonstraturus, singulis diebus quibus illa nuptiarum durabat solemnitas, Reges, Principes, et Barones, qui convenerant, delicatis excipiebat conviviis, opipari, in quibus omnibus, singulis Regibus et hospitibus post singula fercula du munera magni precij mittebat, quorum valor et frequentia Regibus, Principibus, et hospitibus, magnam admirationem pariebat. Nec Vuyerzinch Consul Cracoviensis, regiarum opum et proventuum administrator, vicem suam negligendam duxit, verum quinque Regibus et universis Principibus, Baronibus, et hospitibus, in domum suam ad prandium invitatis, impetrata a Regibus licentia, ut iuxta proprium arbitrium loca Regibus distribueret, Casimirum Poloniae Regem primum et superiorem locum, secundum Carolum Romanorum et Bohemiae Regem, tertium Ungariae, quartum Cypri, et vltimum Dona accipere iussit, ratione reddita, quod nulli magis, quam domino suo Casimiro Poloniæ Regi pro immensis beneficijs, quibus illum quamuis forensem et aduenam extulerat, et ditauerat, ad fauendum de amplissimo honore obligaretur. Quos cum cibarijs delicatis pauisset, etiam vnicuique excellentia munera inter prandendum obtulit. Verum ea, quæ Casimiro Poloniæ Regi, alijs Regibus inspectantibus obtulit, tanta fuisse perhibentur, vt summam centum millium florenorum excederent, nec in admirationem solum, sed etiam in stuporem pluribus mortalibus essent. Diebus autem conuiuijs, qui vsque in vicesimam diem tenebantur, peractis, firmata inter se Regis et Principes amicitia, et icto perpetuæ pacis fœdere, Sacramenti iuramento confirmato, missis inter se muneribus, multaque gratiarum et laudum actione in Casimirum Poloniæ Regem certatim pro honore eis impenso, et muneribus in se et suos colatis, celebrata, in Regna, Principatus, et dominia sua, Casimiro Poloniæ, singulos per præfectos et prouisores, vsque quo proprias regiones contingerent, administrante necessaria, disgrediuntur. Et Carolus quidem Imperator Romanorum et Bohemiæ Rex amplioribus gratiarum actionibus quam cæteri, et pro illustri sponsa et pro munifica dote vsus, multis precibus Casimirum Poloniæ Regem constringit, obligat, vt aliquando ad se in Pragam venire, et illic pro libito stare dignaretur, neptem suam et prolem ex ea suscipiendam visurus. Ac sic noua sponsa recepta, cum magna animorum hilaritate, cum Principibus et Baronibus suis, de munificentia, prudentia, et opulentia Casimiri Poloniæ Regis continuos sermones edentibus redijt. Pro ea autem tempestate Casimiri Poloniæ Regis famosum et celebre erat nomen in singulas gentes, ex eo tempore diffusum, et in omnia Regna Catholica, et barbara, munificentia actionum suarum per ora populorum diuulgabatur.

In die Sanctæ Agnetis Venricus Prussiæ Magister videns comitem Bauariæ Lupum aliâs Vuolff, et plures alios armigeros de Almania ad militandum contra barbaros conuenisse, motis castris vadit contra Litthuanos, et Samogitiam, et eam grauissime in multis locis, et præsertim in districtibus Parwen, Croglim, Labima, caedibus, flammis, et spolijs affligit. Cui Magister de Livonia cum altero exercitu, in duo agmina, quorum alterum Magister, alterum Marsalcus regebat, dispartito, in solacium advenit. Junctisque potentijs per universam Litthuaniae regionem, Litthuanis occurrere non ausis, grassabantur. Et quoniam fluvius Nyemyen glaciebus erat permeabilis, fluvio transito, maximis calamitatibus Litthuanos trans fluvium Nyemyen habitantes, afficiunt, et multis captivis onusti in Prussiam alter, alter in Livoniam nulla hostilitate lacessiti redeunt. Rursum fecit et alteram in Litthuanos et Samagitas Marsalcus Prussiae Henrych Schindelkop expeditionem, et castrum Gartin expugnare aggressus, a Duce Litthuanorum Patrikyg qui illud probe tuebatur, repulsus, spoliato districtu Gartin Prussiam cum captivis remeavit.

In fine anni huius Epidimia morbus invalescens Regnum Poloniae, et vicinas provincias vexavit, plurimisque mortalibus sua luce extinctis, oppida, vicos, et rura, in desertationem diuturnam praecipitavit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS SEXAGESIMUS QUARTUS.

Sterilitatis opprobrio, quod Wenceslaus Dux Legnicensis, annis prope viginti cum consorte sua filia Theschinensis Ducis pertulerat, abrogato, expetita magnopere foecunditas successit. Nati enim sunt illi succedentibus temporibus quatuor filij videlicet Robertus, Wenceslaus, Boleslaus, et Henricus, et una filia Hedwigis. Tot itaque pignoribus praeter suam et omnium hominum spem Wenceslaus Dux Legnicensis susceptis, magnis exaestuabat conatibus, quatenus pacta inter eum et fratrem Ducem Ludovicum super principatus devolutione, et divisione superiori tempore celebrata, recederent in irritum, et filij sui Ducatum Legnicensem pro haereditate perpetua possiderent, propter quod nonnullos militares et nobiles Legnicenses pacta inita recusantes, temerarie de sedibus et haereditatibus eorum expellit,

eumque

eiusq; Legnicenses, et non alios, quam natos suos pro haeredibus
sua morte sequuta tenerent, coarctat. Tum primum Ludouicus
Dux Hainouiensis se delusum et circumuentum, intelligens, graui
torquebatur anxietate, se de sorte Legnicensi sibi legittime prouen
ienti, ob spes inanes excessisse, et in eam sortem successisse, ubi nulla
munitionem, nullum fortalitium, in quo tutus consisteret, haberet.
Modestia itaq; usus, suppresso quem gestabat dolore, Lobin oppi
dum situ et arte munitum, in Legnicensi Ducatu consistens, per
Wenceslaum fratrem obligatum, blanditus fratri et de eius con
sensu redemit, et in suam redegit ditionem, liberius de caetero ali fa
as alienationes, et iniurias repressurus, Plures itaq; alienationes
et obligationes factas per Wenceslaum Ducem et fundas rescindit,
et Iudaeum quendam cui aureus mons obligatus erat, in Legnicz
captum, et in Lobin deductum, ad restituendum singula quae tenebat,
compellit. Iratus ob id Wenceslaus Dux Legnicensis fratri Ludouico,
grauiter illum opprimere coepit, et uniuersas villas quae ditionis
suae erant in terra Legnicensi inuasit, Mortua deniq; patris
eorum Boleslai relicta Ducissa Catharina, et Bregensi Ducatu
ex aequo inter eos partito, Wenceslaus Dux Legnicensis fratre
Ludouicum grauaturus, sortem suam in Bregensi Ducatu, Bo
leslao Swidnicensi Duci vendidit, a quo Ludouicus Dux nouis
et grauibus iniurijs, quemadmodum Wenceslaus Dux Legnicensis
animo gestabat, fuit lacessitus, quatenus et residuam sortem Bre
gensis Ducatus vendere cogeretur. Agente demum Carolo Im
peratore, et Bohemiae Rege, pacificantur fratres praefati ~~et~~ ea con
ditione, et faedere, et ut uniuersum Ducatum Bregensem Lu
douicus obtineat, et medietatem eam, quae Swidnicensi Duci
Boleslao vendita fuerat, habeat Swidnicensi Duce mortuo,
liberam de potestatem, fratriq; Wenceslao Legnicensi Haino
uiam cum Legnicensi Ducatu perpetuo relinquat. Nec
multo post Wenceslaus Legnicensis, et egestate et aere alieno
grauatus moritur, et in Ecclesia Legnicensi collegiata, quā
fundauerat, dotaueratq; sepelitur. Ludouicus vero Bre
gensis Dux germanus suus, filiorum suorum curam et tute
lam, concorditer ad id electus et rogatus suscipiens, tam sol
liciti, fideliter, et prouide, eorum administrauit Principatum
rexitq;. Ut in breui plurima a fratre Wenceslao contracta

debita solveret, et Principatum Lignicensem sua providentia reduceret in uberem conditionem, et in frugem. Processu deinde temporis, duobus filijs Venceslai Lignicensis Ducis, videlicet Ruperto et Boleslao, in saeculari militia et statu permanentibus, Venceslaus primum Lubucensem Episcopatum adipiscitur, et exinde translatus ad Vratislaviensem promovetur. Xer Henrici inferior sors extitit, ex Vratislaviensi Decano Vladislaviensem fuit Ecclesiam consequutus. Soror eorum Hedvigis matrimonium Senioris Ducis Henrici Zeganensis sortita

Fundat eo anno Casimirus Poloniae Rex in terra et Dioecesi Cracoviensi oppidum novum Crzepicze, iuxta fluvium Istwartha, arcemque fortem non longe ab oppido in loco palustri et limoso fabricat ex muro coctili. Cuius quidem oppidi Parochialem Ecclesiam Bodzantha Cracoviensis Episcopus de Jankowo, de domo Rosa, cum a Casimiro Poloniae Rege rogatus dotare recusaret, de mensa sua, Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus de domo Bogorya interpellationibus regijs acquiescens, duas decimas manipulares mensae suae in villis Regijs, utraque videlicet Zayaczky non longe a fluvio Istwartha sitis, Item decimam pecunialem in praefato oppido Crzepicze, cuius ius et dotatio non ad eum, cum non in sua sed in Cracoviensi Dioecesi oppidum praefatum consisteret, ut pote quia utriusque Dioecesis fluvius Istwartha limes perpetuus erat, pertinebat, in dotem confert, et Casimiro Poloniae Rege consentiente limites Dioecesum confundens, praefati oppidi Crzepicze iurisdictionem iniusti occupavit, et in suam violenter traxit Dioecesim, Camque violentiam et iniuriam Bodzantha Cracoviensis Episcopus senectute et caecitate affectus, et tandem morte praeventus, rescindere, ut tenebatur non valuit

Vladislaviensis Ecclesiae Episcopus Matthias dum Pontificatus sui administratione fulgesceret, annos duos et quadraginta in Pontificio exegisset, et Ecclesiam Vladislaviensem, in civitatis loco, quoniam prima Ecclesia ante castrum sita, parum augusta parumque celebris habebatur, a fundamentis inicians, item castrum Vladislaviense, item castrum Raczansz, item Ecclesiam Sancti Vitalis in Vladislavia pul

cherrimo

eberrimo opere et muro coctili praecinxisset, ordinasset, et consumasset, senio et labore confectus, caecitate insuper gravatus, Episcopatu Vladislaviensi in favorem Sbluthi de Golancza Praepositi Vladislaviensis nepotis sui germani nobilis de domo et familia Bjennium sive Topor cedit, Fuitque praefato Sblutho de consensu Casimiri Poloniae Regis, velut patroni, per Summum Pontificem Urbanum quintum, sexta die Decembris provisum, qui ex patre Sbluto Castellano Posnaniensi et matre Salomea ortus, erat anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto de praedicta Vladislaviensi Ecclesia provisus et consecratus. Praefatus autem Matthias olim Episcopus, quatuor annis post resignationem supervivens, et frequentes querelas non in privato tantummodo, sed in publico contra nepotem suum, quasi illum parum domestice provideret, ingeminans, Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, die sextadecima Maij obijt, et in Sacristia Ecclesiae maioris Vladislaviensis ad austrum in loco lavatorij sepultus.

Castrum Kowno superiori tempore a Magistro Prussiae Winrico expugnatum et demolitum, refecturi Principes Litthuanorum Olgerd, Keystuth, et Patrykyg conveniunt, et infra dies paucos per ligna et robora illud instaurant pro magna parte ruinas. Sed et pontem maximum pro tuendo castro in flumine Nyemyen, non sine gravi propter fluminis tam profunditatem, quam rapacitatem, labore, constituunt. Quam quidem aedificationem instaurationemque Cruciferi abrogaturi, in non parvo exercitu, et quem Commendator de Ragnitha ducebat, adveniunt. Ponte primum in flumine Nyemyen exusto, Litthuanis qui castrum Kowno reficiebant, diffugientibus, opera singula, quae erexerant, flammis exurunt, et castrum funditus evertunt, disijciuntque. Interim Winricus Prussiae Magister cum maiori exercitu ad castrum Pistow venit, quod vacuum fugientibus Litthuanis ad rosperuns, incendit. Deinde ad castrum Pyelunya exercitu admoto illud oppugnat, congestaque magna lignorum strue et in oenba, validissimo vento adiuvante incendium, castrum Pyelunya incendio conquirit. In quo etsi multis Litthuanis flamma ~~castri~~ pereuntibus, Castri Capitaneus Gastawdus captus fuerit, inter dirimentium tamen illum ad tabernaculum Marsalci manus, ab Almanis occiditur. Cruciferorum autem exercitu ad propria redeunte Dux Litthuaniae Kaystuth, clan-

destinis

destinctis itineribus Prussiam cum exercitu ingressus, omnem regionem circa Jurgimbork vastat, spoliat, et incendit, et multa praeda capta Litthuaniam revertitur. Commendatori de Jurgimburg, paucos quosdam ex Litthuanis, qui tardius agmen sequebantur, in deserto captivanti, Marsalco deinde Prussiae Samogitarum terram vastanti, Keystutus Dux Litthuaniae occurrens, extremum agmen sui exercitus invadit, sternitque, praedaque recuperata et strage aliquanta edita, Marsalcum cum reliqua parte in fugam egit

Annus fit apud Polonos magnitudine austeritatisque hyemis, quae solito intensior et sine exemplo provenerat, insignis, multis mortales affecit incommodis. Frigoris siquidem immensitas, assiduas nives fundens, et longo tempore perdurans, non domestica tantummodo animalia, sed et sylvestria, plerasque quoque aves sua asperitate extinxit, plurimasque frugiferas arbores emarcescere faciens, perpetua ariditate necavit

Elizabeth consors Vanconis Ducis Mazoviae et filia Gedimini Litthuaniae Ducis rebus absumitur humanis, et in Plocensi Ecclesia tumulatur.

Romanorum Imperator Carolus et Bohemiae Rex, quamvis Urbano Papae quinto in Avinione personaliter visitato spopondisset illum Romam reducere, Urbanus tamen Papa Carolo cunctanti implere promissum, solus Romam rediit. Carolus deinde Imperator Italiam ad pacificandam illam exercitualiter ingressus, parum profecit propter pestem quae exercitum eius invaserat, et ex qua Boleslaus Poloniae et Swidnicensis Dux et quingenti Bohemi mortui sunt et apud Mantuam sepulti. Carolus expost Romam veniens consortem suam tertii matrimonii, neptem germanam ex filia Casimiri Regis Poloniae procuravit in die Omnium Sanctorum per Papam Urbanum quintum coronari in Imperatricem

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS SEXAGESIMUS QUINTUS.

Przemyslaus Gnyewkowensis Dux, fratre germano Wladyslai Lokthek Regis Poloniae obeunte, Ducatus suus Gnyewkowiensis, inter tres filios Przemislaum, Lesthkonem, et Casimirũ quos relinquebat in hunc modum partitus est. Przemislao signanter cessit Bydgostia, Lesthkoni Juniwladislavia, et Casimiro Gnyewkow. Verum Przemyslao et Lesthkone non relinquentibus haeredes, cum solus Casimirus natu minor in sortes fratrum successisset, et plures filios et filias procreasset, fere singulis morte absumptis, unicus tantummodo suus filius Wladislaus a candida caesarie cognominatus albus, et unica filia Elizabeth superstites relicti sunt. Et filiam quidem Elizabeth praefati Casimiri Ducis, cum formae praecellentis et rarae esset, Elizabeth Ungariae Regina consors Caroli Regis Ungariae, velut consobrinam tertio affinitatis gradu sibi coniunctam, in Regiam assumens, eam Regi Bosnae Stephano Hisubusban desponsat. Ex qua pulcherrima filia Elizabeth edita et ingenue educata, a Ludovico Ungariae Rege filio Caroli, in coniugium, prima uxore filia Caroli et Imperatoris et Bohemiae Regis obeunti, accepta est, et ex qua Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex, quemadmodum in sequentibus narrabimus, duas filias Mariam et Hedwigim noscitur suscepisse. Filius vero Casimiri praefati Ducis Wladislaus albus Dux, cum ex filia Alberti Ducis de Strzelcze, quae illi unica erat, nullam prolem generasset, insolentius se erga milites Regni Poloniae gerens, Stanislaum Hywala iudicem Cuiaviensem in solo suae haereditatis opprimeret, a Casimiro quoque Poloniae Rege causam restinguendarum haereditatum, pro qua a iudice, conventus coram tribunali regio erat, dicere iuberetur, ad insanam mentem versus, de castro et civitate Bydgostiensi, quod et quam, patruo suo germano Przemislao absque liberis mortuo, a Casimiro Poloniae Rege in feudum acceperat, quasi suum, quod iura reddendo deservierat non ferens imperium excedit, et castrum atque civitatem Bydgostiensem inordinato actus furore resignat. A cuius possessione tunc excidens, nullis conatibus ad eam Poloniae Rege Casimiro omnes suas preces abnuenti, potuerat habere regressum. Consorte tandem sua obeunti, quam ardentius, quam sat erat,

amaverat,

amauerat, omnem principatum Gniewkowiensem Casimiro Poloniae Regi tradidit. Susceptis quoq; ab eo mille florenis, sepulchro crucifixi domini nostri visitato, in curia Caroli Imperatoris et Bohemiae Regis aliquanto tempore obuersatus, anno subsequenti videlicet millesimo trecentesimo sexagesimo sexto ex Bohemia per Cracouiam, non facto in castrum aliquod, quod suae ditionij fuerat deflexu, Prussiam se contulit, et illius anni hyeme cum Cruciferis contra Litthuanos barbaros militauit. Ex Prussia eodem itinere quo venerat sub Quadragesima diebus iterũ Bohemiam prospere repetijt, Festoq; Paschae Pragae exacto, in Auinionem, ubi Urbanus Papa quintus tunc residebat cum curia, venit. Abinde post dies quatuordecim nullo Polonorũ, cum quibus Auinione hospitatus et conuersatus fuerat, consulto, aut conscio, in Cistercium abijt, et habitu Monachali suscepto, professionem in Ordine fecit. Sed tam locum, quam religionem breui pertaesus, Diuionem ciuitatem Burgundiae adijt, et in Monasteriõ Sancti Benigni Ordinis Sancti Benedicti in Diuione, grisco habitu in atrum commutato, alteram professionem faciens, annis quatuordecim pro Monacho et professo illic mansit. Sub quo quidem tempore et Casimirus Poloniae Rex et Regina Ungariae Elizabeth consors Ludouici, neptis germana ex sorore praefati Vladislai albi, in suorum, et Monasterij apud quod degebat sumptuum solatia, summas illi pecuniarum frequentes mittere consueuerant

Uniuersali fato, Henrico Episcopo Luburensi absumpto, Petrus Canonicus Luburiensis in cimiteriorum die, a Capitularibus concorditer electus, per Urbanum Papam quintũ tunc in Auinione tenentem curiam, sexto Idus Junij Pontificatus anno quinto prouisus et confirmatus est.

Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopus Jaroslaus de Bogoriá castro pulcherrimo Uniejow ad flumen Wartha coctili muro perfecto, Ecclesiam collegiatam in Oppido Uniejow, simili muro fundat erigit et consumat, Duosq; Praelatos, videlicet Praepositum et Archidiaconum, item quinq; Canonicatus, et praebendas, septem quoq; vicarios in ea creans, dotem sufficientem cuilibet adiungit. Ecclesiam quoq; ipsam beatissimae virgini Mariae dedicat et fundat, Et in eodem oppido Vnniow Monasterium et Ecclesiam sub titulo S. Nicolai Ordinis Sancti Benedicti, subijciens illud Tinciensi Monasterio Cracouiensis, cui contulit in dotem villam Byeldrzychowa cum omni iure supra fluuium Nobesz, vbi Orwya fluuius sibi miscetur.

Litthuaniæ Dux Keystuts pedestribus et equestribus copijs Litthuanorum et Samagitarum collectis, per syluarum inuia, et latebras, quoslibet excubitores Cruciferorum fallens, Prussiam ingressus, castrum Angerborh impugnat, et per vim conquirit. Vastataq vicina regione in Litthuaniam prædam et spolia ducens reuertebatur. Secutus illum aduocatus Sambiensis, et aliqui ex Commendatoribus dum prædam raptam excutere nequeunt, regionem Litthuaniæ et districtum Eroglin vastant, spoliaq Prussiam referunt. Litthuaniæ deinde quatuor Duces videlicet Olgerth, Keystuts, Patrikyg, et Alexander, magnis potentijs quas ex Litthuanis et Ruthenis collegerant freti, quadripartito agmine Prussiam ingrediuntur, eamq crudeli vastatione et cæde barbara affligunt. Expugnato autem castro Ragnetha et alijs, et incensis, multis villis etiam, illic Dijs suis patrio ritu victimas et libamina de pecorum sanguine agunt, et tandem nulla resistentia reperta octingentos captiuos ex Christianis, item septuaginta equos maiores, quos Spadones vocant, referentes, Litthuaniam remearunt. Magister deinde Prussiæ Vinricus barbaricam vastationem sibi illatam resarturus, proprio milite tantummodo contentus, Litthuaniam intrat, et eam in locis multis prædatur et vexat, Amnem quoq Nyemyen transgressus cædes in senes et impuberes, et flammas in tecta, iussit latius, Litthuanis in syluis et munitionibus se continentibus extendi, Et multis damnis patratis, ducens non paruum numerū captiuorum Prussiam rediit. Sub eo tempore Szurwid. et Butsaw germani Vlgerdi et Keystuts. Quorum, cum nonnullis Litthuanorum Boiarijs et nobilioribus Prussiā venientis, fidem Christianam baptismo apud Kinsberg suscepto, professi sunt, Et Magister Prussiæ Vinricus alteram expeditionem in Litthuanos agens, aliquas munitiones eorum capit, et incendit, et cum præda ac captiuis Prussiam regreditur detur. Quo revertentes, Litthuani per itinera occulta Prussiam circa Nordenburg ingressi, maxima damna hominibus incautis se gerentibus inferunt, et caede multa acta cum spoliis et captivis evadunt. Keystutus quoque Litthuaniae Dux etiam expeditionem contra Prussiam resumit, et castrum Sancti Joannis impugnat, et conquirit, spoliatumque incendit, necatisque plurimis fidelibus, caeteros ligatos in Litthuaniam traxit

Quarta die mensis Julii Imislaus Wronski Episcopus Plocensis de pontificatu exivisset et de vita, apud Ecclesiam Plocensem sepulturae mandatus. Cui Nicolaus de Golczewo Cantor Plocensis, genere nobilis, de domo et familia Pauuditarum per Canonicam electionem succedit septima Augusti electus, et Idibus Decembris in curia Romana in Episcopum consecratus

Elizabeth Ungariae Regina consors Ludovici, filiam progenuit, quam Mariam dum regeneraretur nominari jussit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS SEXAGESIMUS SEXTUS.

Abstractionem occupationemque terrarum, Brzestensis, Lucensis, Chelmensis, et Belsensis, per Litthuaniae Duces superiori tempore factam, Casimirus Poloniae Rex iniuriosam graviumque sibi et ex tolerantia tanti temporis, quod transactum fuit, nimis probrosam et tediosam, prout erat in animum revocans, generalem expeditionem universi Regni sui indicit, et apparatus bellicos ordinavit. Copiisque tam equestribus quam pedestribus convenientibus, ad recuperandum terras occupatas, et ad reddendum Litthuanis, superiorum invasionum et vastationum Regni sui Poloniae vicissitudinem, in valido et potenti exercitu, post festum Sancti Joannis Baptistae ingressus, ad conquisitionem eorum omnes curas et ingenia intendit, Et Duces quidem Litthuaniae impares se viribus, comparatis

utrinque potentijs, despondentes, dolis, fraudibusque magis quam
armis et resistentia decreverunt utendum. Georgius itaque Dux,
qui terram Belzensem, ad quam Casimirus Poloniae Rex pri
mum exercitum promoverat, occupabat, Casimiro Poloniae Re
gi terram Belzensem intranti, occurrit, et blandis verbis
humilibusque sermonibus in dolo Regem exorat, ne quid ho
stile in illum et terram Belzensem fieri permittat, se non hostem,
sed subditum, non adversarium, sed feudalem et subiectum,
et omnia imperata facturum, perpetuamque puram et fidelem
Casimiro Poloniae Regi et Regno suo Poloniae servitutem fidem
et obedientiam perpetuo, non solum cum terra Belzensi, sed
et cum terris habitis et habendis exhibiturum pollicetur. Si
tenus postremo ut terra Belzensi sibi precario et iure feuda
li concessa, ipsum servitoribus suis adnumeret, fidum et stu
diosum curatorem, adiutorem, et contra quoslibet hostes et
adversarios terrarum suarum illum de caetero habiturus.
Casimirus autem Poloniae Rex verbis tam humilibus et com
positis, nihil putans fraudis aut vafriciei inesse, ac simula
tione veri fractus, venia illi de prioribus factis tributa, ipsum
in servum et Omagialem principem suscepit, et sibi terram
Belzensem feudali iure ad vitae duntaxat suae tempora te
nendam concedit, exercitumque suum ex agro terrae Belzensis
nihil in illum agentem hostile abducit, et versus terram
Luczensem contendit. Lubardus Litthuaniae Dux illius
tunc erat occupator, vir ambiguae fidei et dolositatis pluri
mae, Casimiro Poloniae Regi invisus, exosusque, quippe qui supe
rioribus bellis captus, et ad cautionem fratrum suorum
verbo et literis praestitam dimissus, Regem, non verecunde ad
constitutam diem, fefellerat, primusque cum castro Luczko et
terra Vuladimiriensi sibi post primam expugnationem per Ca
simirum Regem factam concesso, rebellionem ostentaverat. Nul
la itaque verbis et oblationibus suis, deditionem pollicentibus fide
data Rex, et in agros ignem populationemque late iussit extendi,
et ipse cum reliquo exercitu, et bombardis caeterisque apparatibus
castra, Luczko, Vuladimiriam, Oliszko, et caeteras omnes mu
nitionis in terra Vuladimiriensi, quae etiam vetusto nomine
Volinska appellatur, consistentes, aggressus, in forti brachio capit,

comprehendit, et expugnat, et universam terram Vladimiriensem cum suis castris, munitionibus, et praesidijs, Lubardo inde effugato, in suam redigit ditionem. Duobus autem castris principalioribus, videlicet Luczko et Vladimiria sibi reservatis, quae Baronibus Poloniae dedit in tenutam, reliquam terrae Vladimiriensis portionem, Duci Alexandro Litthuaniae filio Michaelis, alias Koriath Ducis Litthuaniae, et nepoti Olgerdi et Keystuthonis, vero experta sinceraque fidei, quia ab invasione Ducis Lubardi et caeterorum Litthuanorum tuta parsque consisteret, in gubernationem commendat. Castrum vero Vladimiriense ligneum et in locis pluribus putrefactum, ut proprietas eius et terrae Luczensis sibi et Regno Poloniae esset perpetua atque diuturna, forti muro ex coctolatere, ex tunc et annis sequentibus, sumptuoso opere coepit extruere. Postremo ad terram Chelmensem descendens, quae etiam per Lubardum et gentis eius tenebatur, castro principali conquisito, caetera omnia in ditionem venere, Eam cum capitali castro Duci Georgio Belzensi committit in tenutam. At sic praeda onustus et victoria gloriosus, terris Russiae, quarum occupationem defectionemque annis quindecim toleraverat, feliciter recuperatis, victorem exercitum in Poloniam reduxit. Et Dux quidem Alexander cui Vladimiriensis terra erat commendata, in promissa fide perstitit, verbo pariter et opere se purum et subiectum erga Casimirum Poloniae Regem demonstrans. Dux vero Georgius Belzensis crebris calliditatibus usus saepe rebellionem facere tentavit, saepe in utramque partem notatus est claudicasse.

Reccuperatione de terris Russiae facta

Casimirus Poloniae Rex exercitum solvens, in Lanciciensem et Cuiaviensem terras se contulit, exinde vero in Culmensem et Prussiae terras transijt et usque ad Marienburg castrum, ordinem et solerciam Cruciferorum speculaturus pervenit, ubi a Magistro Prussiae Vinrico cum magno honore et gloria exceptus, per triduum, quo illic morari voluit, sumptuose et opipare cum omni suorum militum caterva procuratus est. Ex Marienburg vero in terram Pomeraniae descendit, et ea girata, in maioris Poloniae terras rediit. In omnibus autem locis sub ditione Magistri Prussiae consistentibus, per quae ibat, et ad quae divertebat, per speciales Commendatores ad id specialiter deputatos, singula illi fuerunt et suis omnibus necessaria praebita.

Bodzantha de Jankow nobilis de domo Rosarum Cracoviensis Episcopus, cum annis decem et octo Cracoviensi Cathedrae praesedisset, visu ante mortem annis aliquot debilitato, et tandem perdito, caecitatis aliquanto tempore patiebatur angustias. Unde et a hominibus Episcopalium villarum Slepy Biskup cognomentum sortitus est, duodecima die Decembris in curia sui Episcopatus Kielcensi moritur, et Cracoviam adductus in Ecclesia maiori in capella corporis Christi cum debito honore sepelitur. Hic Oppidum Bodzanczinense et situm et nomen induxit, et plures salubres ordinationes Ecclesiae Cracoviensi reliquit. Post cuius sepulturam Florianus de Mokrszko Praepositus Cracoviensis nobilis genere de terra Sandomiriensi, ex patre Petro Castellano Sandomiriensi, et matre Christina de domo Rithwanorum tres sagittas pro insigni deferentium, per Praelatos et Canonicos Capituli Cracoviensis via scrutinii electionem pro die Purificationis Sanctae Mariae celebrantis, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo electus est, et vicesimum octavum locum inter Cracovienses Pontifices adeptus, ac ~~per~~ Gregorium Papam undecimum adiens, et confirmari suam electionem et se consecrari illico obtinuit, Casimiri Poloniae Regis tanquam patroni adiutus intercessionibus et consensu. Bodzantha autem Episcopus Cracoviensis praefatus annis aliquot, priusquam morti absumeretur, limitis inter bona Episcopalia ab una, et bona Monasterii Calvimontis confinio, caecitatem, de qua in superioribus scripsimus, incurrerat.

Peregrinorum et forensium militum, Prussiae Magister Henricus motus adventu, duplicem eo anno in Litthuanos egit expeditionem, et magna vastatione per caedem et ignem facta, captivatis pluribus Litthuanorum in Prussiam revertitur. Quem Dux Litthuaniae Keystuth insequutus, tam secreto et silenti agmine Prussiam ingressus est, ut parum abfuit, quin castrum Insterburg interceperit, et Commendatorem Prambro se referentem captivaverit. Aegre tamen et castrum defensum, et Commendator salvatus. Omnibus tamen equis et rebus quae ad Commendatorem pertinebant receptis, duobus districtibus spoliatis, vastatis, et incensis, cum peregrinorum et captivorum praeda in Litthuaniam evasit, propterquod Prussiae Magister Winricus tertiam in Litthuanos movet expeditionem, et longius progressus, vastando singula etiam supra fluvium Memel castrum et pontem aedificat, clandestinas Litthuanorum incursiones restricturus. Eam aedificationem Keystutus Dux Litthuaniae impedire conatus crebro cum gentibus suis exercitum Pruthenorū lacessebat, sed fugatus inde repulsusq., in congressum universae dimicationis venire veritus est.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEXAGESIMVS SEPTIMVS

Montibus et fodinis Bethomiensis oppidi in terra et Dioecesi Cracoviensi sitis, plumbum argento permixtum in abundanti copia fundentibus, oppidanisq. Bethomiensibus, uberrimo lucro ex montibus huiusmodi assidue provenienti vehementer ditatis, caepit animus eorum et rerum et divitiarū affluentia superbire et intumescere. Quo tumore elati Petrū de Coszlye virum iuris Canonici peritum, plebanum Bethomien̄, frequenter, quoties quid grave consultandum erat, in praetorium per Bedellum, non petitione sed imperio acciebant, qui ut ad notoriam referens iniuriam, dum uno dierum ut in praetorium iret a Bedello iuberetur, Nicolaum de Pyskowicze praedicatorem cum divinissimo Sacramento, dum ipse in domo propria contineret, ire iussit. Qui dum illuc pervenisset, Consulibus rei novitatem mirantibus, camerulum, in quo consistebant, introivit, et superpellicij quo tegebatur, parte abscisa, mensam sternens, Sacramentum locavit, et tandem resumptum Sacramentum in Ecclesiam reportavit. Leti ob id in furorem cives Bethomien̄, auctore Laurentio, aliâs Lorencz consule, secunda die Septembris in plebanum et praedicatorem manus sacrilegas et violentas injecerunt, et ignominiose in eorum habitationibus comprehensos, et usq. in praetorium, ligatis post tergum manibus, in latronum et furum morem pertractos, suis legibus detestabilibus, actores ipsimet et iudices iudicant, et ad indignam mortem nulla legitima defensione concessa condemnant.

mrant, verberati deinde bipennibus, et frequentibus vulneribus cruentati, afflicti, et obruti, educuntur ex prætorio, et in piscinam prope Ecclesiam Sanctæ Margaretæ sitam provecti, in undis suffocantur, brevi mortis impendio coronam inæstimabilem consequuti. Corpori autem Nicolai prædicatoris vivo supernatanti, jussit Laurentius carnifex illud per lictorem profundius summergi, et continuo oculi ejusdem Laurentij ex orbibus suis elapsi crepuerunt, mortua tandem corpora in Ecclesiam Parochialem relata in choro Ecclesiæ sepulta sunt. Facinore tam immani et horrendo ad Episcopum Cracoviensem Florianum perlato, Laurentium carnificem præinductorem sceleris, cæterosque Bithomienses consules, et cives patricidij huiusmodi patratores ad tribunal suum evocat, et crimen suum confitentis, omni honore, dignitate, et officio privat, filiosque et nepotes eorum ad suscipiendos ordines sacros, ad obtinenda Ecclesiastica beneficia inhabilitat, et oppidum Bithomiense cum Ecclesijs et parochijs sibi vicinis ecclesiastico supponit interdicto. Et licet censurarum huiusmodi opprobrium excutere apud Summum Pontificem, quem sibi placabiliorem, quam suum ordinarium Florianum fore rebantur tentavissent, vix tamen biennio elapso, magna auri quantitate cameræ apostolicæ soluta, et altari in Ecclesia Sanctæ Mariæ Bithomiensi in remedium peremptorium, cuius unicus Cracoviensis Episcopus est patronus, sub titulo Sancti Sigismundi fundato, et duodecim Marcis latorum grossorum annui census ex prætorio Bithomiensi solvendorum dotato, multis fatigati sumptibus, meruerunt, et ab excommunicatione et interdicto absolvi. Ex eo autem tempore plumbi et argenti venæ in montibus Bithomiensibus, ob facinus in Christos Domini patratum arefactæ et succisæ, et omnis minerarum prædictarum usus et stillicidium fertur desisse. Ne autem facilem pro suo nefando reatu veniam cives Bithomienses apud Summum Pontificem consequerentur, Marcus Præpositus Sancti Vincentij extra muros Vratislaviensis, qui Ecclesiæ Bithomiensis collator est, et cuius Monasterium plures decimas et introitus Ecclesiæ Bithomiensis tenet incorporatas, per suos procuratores et impensas apud Cardinalem Sancti Petri obstitit, cui prædicta causa audienda et expedienda a Sede Apostolica fuit commissa.

Ex propriis duntaxat militibus, Prussiae Magister Winricus, comparato exercitu, et in gubernationem Henrici Schindekop Marsalci generalis tradito, illum in terras Litthuaniae vastandas transmittit. Qui terras Litthuaniae ingressus, nullam resistentiam reperiens, ferociter illas et gradu concito vastat. Quinque autem districtibus celeriter pervastatis, et caede senum et impuberum facta, usque ad Kounno grassatus, octingentos quoque captivos et plures equorum et pecorum greges Prussiam adduxit.

Nicolaus Plocensis Episcopus cum annis prope duobus sedisset, moritur, et in Ecclesia Plocensi sepelitur. Cui Stanislaus primus Wladislaviensis Ecclesiae praepositus, per electionem canonicam succedit, frater germanus Nicolai absumpti de Golezowo villa, et stirpe Prawditarum ducens genus, a summo Pontifice Urbano quinto confirmationem, a Cardinali vero Hostiensi consecrationem sortitus.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEXAGESIMVS OCTAVVS.

Robore ac sollerti sedulaque repressione Casimiri Poloniae Regis, Litthuanorum principes, rapto bellare quondam assueti, perterriti et perculsi, nunquam enim sine sua gravi clade et incommodo, vexare terras Regni Poloniae, Capitaneis et praefectis Regiis, magna cura iuxta quod a Casimiro Rege docti iussique erant, observantibus quaeque itinera, ac illorum agmina lacessere, praedasque raptas excutere non desinentibus, contingebat. Recenti insuper bello, quo terris Russiae illos exuerat, contriveratque, attriti mancatique, cum terras regias invadere aut praedas ex illis agere sibi periculosum formidolosumque putarent, in terras Mazoviae ex vicinitate sibi propinquiores, ubi minus resistentiae, minus cautelae videbantur, prout erat, prorsum divertunt. Et facto ingenti agmine, Duce Keystutho usi, illi enim omnem curam illius profectionis mandaverant, clandestinis itineribus per invias sylvas ad Poltowsko castrum et oppidum Episcopi Plocensis insperate rati pervenerunt. Et oppidum quidem, Homenburg, in eo degentibus et fortunis eorum cum munitum non fuerit illico potiuntur. Castrum autem eminentius et a castellanis, et ab his, qui fuga dilapsi in illud confugerant, defenderetur, crebris lignorum piraticorum struibus, manibus ad propinquum appositis, intendunt. Ex quo quidem incendio serpente, flamma, et castrum et homines in eo conclusi non valentes quoquomodo ignis virtutem restringere, conflagrarunt. In vicinas deinde villas populatione extensa, multa hominum et pecorum, aliarumque rerum præda capta, antequam Dux Semovitus Masoviæ iustum posset ex gentibus suis congregare exercitum, celeriori cursu quam venerant in Litthuaniæ terras diffugerunt. Id bellum Litthuanis apud Mazoviam agentibus, Prutenicus exercitus Duce Heingo Marsalco Prussiæ ingresso Litthuaniam, multas caedis multa incendia peregit, et cum captivorum ac prædarum multitudine Prussiam rediit

Quintadecima die mensis Maij Matthias olim Vladislauiensis Episcopus, annos tantum modo quatuor ex quo Pontificatum propter cæcitatem quæ acciderat illi, cesserat, superuiuens moritur, et in Ecclesia Vladislauiensi, quam in omnibus partibus suis muro erexerat et consumauerat sepelitur, De successore suo et nepote Zbilutho querelas dum viueret apud aures Prælatorum et Canonicorum Vladislauiensium cum Zbilutho Episcopo recumbentium, ingeminare solitus, quod negligentius ab eo, sibi beneficij præstiti oblitus, tractaretur, obtestans omnes ne de scebus suis vel beneficijs cuiquam quantumvis charo vel proximo cederent, casus sui documento affectiones suas moderaturi

Stridor grandis bellorum tumultu, dura quoque seditionum et commotionum afflictio et tempestas, in terris et regionibus Brandeburgen., Lubuczen., Marchionum, Item in terris Swantobory Ducis Stitinensis et Pomeraniæ aliâs Stolpensis Item in regionibus Vuedhensium, et Sczegloczorum Baronum, Item in terris Comitum de Nowgred, Item in terris Cassubitarum, Item in regione Episcopatus Camynen. subiecta, exorta est, et adeo grassata, ut Principes et Seniores dictarum terrarum in viscera propria mucrone converso, se invicem consumerent, incendijsque quoque et gladio in se ipsos saevirent, ut praeter castra et oppida munita nullum remaneret villagium, nullus vicus, qui non foret ignis voragine deletus

Vicesima Septima Julij Bolislaus Swidnicensis Dux, nepos ex sorore Casimiri Poloniae Regis, nullam prolem ex Margarete de Austria Ducissa consorte sua suscipiens, in Swidnicza moritur, et in Monasterio Grissoviensi sepelitur. In hoc Swidnicensium Ducum deficiente stirpe, et Swidnicensis, et Jaurensis Ducatus ad Bohemiae Regem Carolum, ratione consortis suae secundae Annae, filiae unicae Henrici Jaurensis Ducis, fratris germani Bolislai Swidnicensis est devolutus, Qui extunc Ducis habere desinens, in provinciae formam redactus est. Ex hac secunda consorte Anna Carolus Bohemiae Rex unum filium Venceslaum morte patris sequuta Romanorum et Bohemiae Regem, et unam filiam .X. Duci Austriae desponsatam susceperat.

Swidnicensem Bolislaum Ducem Henricus primus Oppoliensis Dux sequutus, apud Oppoliam ultima Decembris die moritur, et apud Monasterium Fratrum minorum sepelitur. Duos filios Vladislaum et Bolislaum relinquens ex Elizabeth filia Bernardi Ducis Swidnicensis, et nepte germana Casimiri Regis Poloniae susceptos.

Quintadecima Augusti grandis aquarum inundatio ex assiduo pluviarum imbre in Regno Poloniae proveniens, in frequentibus locis frumenta, fructus terrae, oves, boves, pecora, et iumenta submersit

Stanislaus primus Plocensis Episcopus, ex urbe confirmatione et consecratione sua obtenta reversus, biennio ex quo promotus fuerat non impleto, paralysi excruciatus moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur. In cuius locum Capitulares electione pro prima die Januarij celebrata, Dobeslaum Szowka de Bolezewo nobilem Prawdzitam, Canonicum Plocensem, et duorum immediate praecedentium Episcoporum videlicet Nicolai et Stanislai germanum, via scrutinij eligunt, a Ja

nusso

nussio Gnesnensi Archiepiscopo de fauore Semouiti et Janussij Ducum Mazouiae confirmatum et benedictum.

Octaua Decembris gentes Janussij Vuedelski tam equestres quam pedestres ex castro Czlopensi, eidem Janussio Vuedelski, per Joannem iudicem Posnaniensem et germanum suum Vincentium obligato egressae, pedestrium etiam de Tuczen et de Czlopen districtibus copijs aucti, terram Stetinensem Ducis Szwantobory inuadunt, spoliant, vastant, et exurunt. Cum autem die tertia cum multiplici praeda reuerterentur, Swantoborius Dux cum gentibus Vuratislai Ducis de noua Stetin patrui sui, et cum auxiliaribus ciuitatum aliquarum, et signanter Oppidi Stargard circa quoddam stagnum, fugere enim praedae dulcedine illecti, licet poterant, nolebant, consequutus, fortiori ipse Swantoborius Dux fretus exercitu conflixit, et pluribus occisis praedam omnem recuperauit et reduxit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEXAGESIMVS NONVS

Bregensis Ducatus partem dimidiam per Boleslaum Ducem Legnicensem, in iniuriam fratris Ludouici, Boleslao Swidnicensi venditam, Ludouicus praefatus Bregensis Dux, iuxta faedus quod Carolus imperator et Bohemiae Rex, dissidentes fratres Boleslaum Legnicensem, et Ludouicum Bregensem concordando pepigerat, liberaturus, Oppoliensibus Ducibus Vuladyslao et Boleslao, quibus partem ipsam Boleslaus Swidnicensis velut consanguineis suis moriturus donauerat, duo Marcarum soluit millia, et ciuitatum eiusdem sortis principalium, videlicet Grothow, Piczczen, et Creuzborg accepit possessionem. Oppolienses autem Duces Vuladyslaus et Boleslaus, ad grandem reuocantes iniuriam, quod de sorte Ducatus Bregensis dimidia fuerunt per Ludouicum Ducem Bregensem exclusi, et redempti, multiplicibus guerris, damnis, et inuasionibus, Ducatum Bregensem afficiunt. Quorum inuasionem Ludouicus

Bregensis Dux non ferens, opponit illis resistentiam, et ex parua odiorum scintilla, in vniuersalem dimicationem per vtramq. partem ventum est. Certamine autem prope Creuzborh inito, edita vtrinq. strage, cessit Ludouico Bregensi iustius bellum et arma tractanti victoria. Magna extunc pace vsus, Ecclesiam in Bregensi oppido fundatam et dotatam a se et fratre Wenceslao Duce, ad honorem Sancti Joannis Baptistae et Sanctae Heduuigis, quorũ meritis et suffragio se aduersarios profitebatur vicisse, instituit Collegiatam, certum Canonicorum numerum in ea constituens, Impetrato a Sede Apostolica priuilegio, vt Decanus illius, solennibus diebus mitra vtatur pontificali et baculo. Item fundatis Mansionarijs, qui Beatae Virgini Mariae horas annis et diebus singulis psallerent, nobilitat, et Oppidum Bregense de multiplicibus debitis, vsuris, obligationibus, et censibus, quibus illud pater suus Boleslaus Bregensis Dux inuoluerat, eximit, libertat, et exoluit. Duobus filijs videlicet Henrico et Wenceslao, ex quibus Wenceslao immature mortuo, Henricus solus sortem paternam possedit, item tribus filiabus inclytus, prima erat Margareta Alberto Duci Bauariae desponsata, altera Heduuigis, quae Duci Oswiecimensi nupserat, Catherina tertia in Trzebnicensi Monasterio Abbatissa.

Duodecima die mensis Februarij Casimirus Poloniae Rex Crucem magnam de auro purissimo, margaritis et lapidibus preciosis distinctam, ligno insuper dominico gloriosam et magnificam Ecclesiae Cracouiensi donat, Et quamuis Cracouiensis Ecclesia plurimis Clenodijs liberalitati Regum, Principum, et Pontificum insignis refulgeat, non habuit tamen, nec in hanc diem habet Clenodio Crucis praefatae quicquam vel nobilius, vel excelsius

Henricus Zeganensis et Glogouiensis Dux quem a Carolo Bohemiae Rege mediam partem oppidi Glogouiensis contra ius fasq. per Joannem Bohemiae Regem occupatam, exegisse monstrauimus, Casimiri Poloniae Regis propter tertiam vxorem Elizabeth socer, moritur, et in Zegano apud Canonicos Regulares iuxta paternum sepulchrum sepelitur. Tres filios, videlicet

Henricum Seniorem, Rumpoldum, et Henricum iuniorem relinquens, in quos Principatus Zeganensis taliter partitus est, nam Henrico Seniori cessit Zeganum, Crosna, Neuenburg, et Swibodzin, Rompoldo media pars Glogouiae, Gora, et Stinauie ac Heinczendorff, Henrico vero iuniori qui Sperling cognominabatur, Frewnstad, et Sprotauuia

Urbanus quintus Papa cum annis octo sedisset, veneno intoxicatus obijt. Post cuius mortem Cardinales conclaue ingressi Gregorium undecimum eligunt, qui ante vocatus est Petrus de Belle Diaconus cardinalis. Post eum sequitur tribulatio Ecclesiae, quam Beata Brigida propter peccata hominum futuram praedixit

Solatys militum peregrinorum, qui ex Almania oris aduenerant, Wenricus Prussiae Magister exhilaratus, in Lithuaniam ire pergit. Et quo efficatior foret sua expeditio, lapides, cementum, et lateres castrum construendi secum vexit. Ad fluuium itaque Niemen perueniens, multam materiam pro erigendo muro a Lithuanis in extruendum castri congestam reperiens, et prosperari suum desiderium agnoscens, castrum a fundamentis, nomen ei Gotiswerder, id est insula Dei imponens inciat, et infra tempus semestre consumat, praesidioque forti militum imposito reuertitur Prussiam, pro die Penthecostes, terra Lithuaniae circumcirca populata, praedata, et exusta. Lithuanorum autem Duces Olgerts et Keystuts super extructione castri et patriae suae occupatione, furore et indignatione pleni, Magistro Prussiae discedenti, cum potentijs suis contra castrum Gotiswerder adueniunt, et quinque hebdomadis assiduis illud nocte et interdiu impugnando, Cruciferis dissimulanti bus, nec probe illud tuentibus, conquirunt. Et maiori parti praesidij trucidata, ceteros in dira vincula conijciunt. Et quamuis expost de utriusque partis beneplacito, commutatio captiuorum acceptata fuerit, in Diata tamen ad id exequendum indicta, Duce Keystutso contra Prussiae Marsalcum Henricum Schindekopf, ampullosius loquente, re imperfecta discessum est. Quapropter Henricus Marsalcus Prussiam reuersus, magno exercitu comparato, intrat Lithuaniam, et castrum Beyern circumdat, et vehementi impetu expugnatum conquirit. Requisitus autem per Nuncios Ducis Keystuty ut castrum conquisitum, antequam in eum grassetur, reddat, in indignationem versus, et castrum et centum novem Litthuanos cum castro conflagrat, caeteros vincit. Dux itaque Keystuts mansuetiori animo usus, colloquium petit, ubi captivorum hinc inde permutatio secuta est. Sed nec tunc Keystuts Dux modestiam servare potuit, sed comminatus est pro anno futuro in Prussiam se adventurum. Ea comminatione Magister Prussiae Winricus motus, duplicem iterum eodem anno in hyeme in Litthuanos expeditionem per Marsalcum Heinricum Schindekopf egit, et in utraque ferro caede et flamma in Litthuanos debacchatus, castrum Pastow, Capitaneo illius Weydo nomine effugato, conquisyt, et magnam praedam captivorum et spoliorum retulit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTVAGESIMVS

Natalem Domini nostri Jesu Christi Casimirus Poloniae Rex dum cum debita solennitate et veneratione Cracoviae peragens, inde dum iam Quadragesimales dies propinquassent, in terras maioris Poloniae cum curia sua divertit. In quibus cum veris et aestatis tempora exegisset, versus terras Sandomiriae et Russiae autumnum et partem hyemis, vacando ferarum capturis illic exacturus iter suum reflexerat. Jamque in curiam oppidi Regii Przedborz, pulcherrimo muro per eum constructam perveniens, diem Nativitatis Sanctae Mariae illic festivabat, cum insperato morbo et valitudine adversa vi sementivo obrutus est. Ascensuro siquidem Regi currum iam aptum praeparatumque, in tanto festivitatis die, et in venationem cervorum in sylvam propinquam transituro, per viros timoratos et devotos consultum est, ne in dicata gloriosae virgini die, venandi aggrederetur opus. Superesse plures dies quibus id licentius posse audebant suppleri, diemque illam servili opere non violari. Vera et sana Rex illos suggessisse ratus, animum a venando avertebat, aliorum tamen susurrationi incitatus, variato priori sanoque consilio, curru ascenso, ad nemus venatus pervexit perrexit. Ubi dum die altera venationi dans operam fugientem cervum audentius insequitur, gradario cui insidebat propter obstacula et invia in cursu crebri cadente, Rex ipse velut homo carneus et senilis, adeo vehementer concussus, collisusque est, ut non nisi in curru ad hoc vix in villa propinquiori reperto, veheretur.

Febri deinde correptus, industria medicorum ab illa solutus, versus Sendomiriam contendit, spretisque medicorum, et praesertim Magistri Henrici de Colonia, viri in arte illa solertis et experti consiliis, in crapulam et balnea, utendo fructibus inordinate se resolvit. Ex balneo autem in Sandomiria, cuius usum sibi Magister Henricus, quasi cucurbitam veneni, vitandum iniunxerat, mox gravi recidiva, iuxta quod medicus praenunciaverat, vexari coepit. Sentiensque morbum invalescere, versus Cracoviam redeundum esse satius duxit. Et ex Sandomiria egressus, flammam febris crebrius refrigerare, medico nequaquam inhibente, gelidam aquam bibit, quae illi acriores ignis continuo incendit. Illo itaque die in Chrobrzany ad militem curiae suae Zonorhonem perveniens, gravissima febri tot incommoditatibus, quas sibi ipsemet conflaverat, affectus, torquebatur, adeo valido dolore, ut tam medici quam milites illum nocte subsequenti animam exhalaturum aestimarent.

Verum altera die febrium flammis aliquantulum arte medici restrictis, et inhibitis, ex Chrobrzany discedens ad vehiculum impositus, per milites certatim vectes subeuntibus, et vicissim subcollantibus usque ad Monasterium Coprzywnicense Ordinis Cisterciensis lento et pedestri gradu vehebatur. In quo grandis erga Regem militum charitas pietasque monstrata est, qui in iumentorum morem pro efferenda Regis sui salute ministerium veredariorum implere non horrebant. In Monasterio autem Coprzywnicensi, quiescens octo diebus, ad religionem votaque conversus, templi Plocensis, in quo caput Beati Sigismundi Regis et Martyris, singulari servabatur veneratione, ruinas se reparaturum, et pro vicariis eiusdem Plocensis Ecclesiae, pro Dei et matris eius honore quotidianas distributiones, quae quarta appellantur, se ordinaturum devovit. Et pro illo exequendo Capellanum curiae suae Joannem de Skrzyn in Plocham transmisit, utriusque rei effectum celerrime, ut Rex mandaverat plenarie exequutum. Alleviationem autem

aegritudinis

ægritudinis persentiens, ex Coprzywnicensi Monasterio in
Ossiek perveniens, et Magistri Matthæi alterius medici per
missu, cæteris medicis omnibus improbantibus, medonem bibens,
in ampliorem recidivationem devenit. Ex Ossiek in castrū
pulcherrimum et nobile, novæ civitatis Korczyn, quod opere
sumptuoso fabricaverat adductus, aliquantam moram, donec
virium instaurationem et ægritudinis diminutionem senti
recepit, in eo moratus, versus Cracoviam Magistro Mat
thæo medico instigante contendit. Mox quoq; in primo noctur
no, sive intempestivo motu, sive virtute morbi faciente, va
lide cœpit febribus, non simplicibus quidem, sed erraticis, et
nunc quartanis, nunc tercianis, interdum quotidianis agitari.
Et dolor quidem erranti febre tolerabilis putabatur, verum
dum prima die Octobris in Cracoviam febre coadunata ad
ductus, validius a languore premeretur, altera die prima
videlicet Novembris mandavit per interpretem, a medicis per
quiri, num iam Cracoviam pervenissent. Quibus interroga
tionem suam velut delirantis irridentibus, adiecit, Non ignoro
siquidem me Cracoviam advenisse, sed vestrorum promissorū
inquisitione mea, insinceritatem vanitatemq; coarguo, qui cura
vi me, quamprimum Cracoviam ingrederer, succis, herbis, et cæ
teris Apothecarum contentis, quæ in via haberi minime poterant,
promittebatis. Medicis autem rubore perfusis, et operas su
as in eius curatione pollicentibus, exigere ab illis non destitit,
quatenus omni pavore circumscripto, quid de convalescentia
sua sentirent, plane et intrepide dicerent, et si mors propinqua
immineret, quatenus domui suæ tempestive consuleret, denun
ciare non dubitarent. Medicis autem non solum convalescen
tiam ex præsenti morbo, sed et longam vitam ampullosis vela
tisq; sermonibus portendentibus, Rex alteri sensu se de
bilitari intelligens, quamprimum tertia dies Novembris illu
xerat, Floriano Cracoviensi Episcopo, et Vuladislao Duci Oppo
liensi nepote suo, ex Elizabeth Ducissa Swidnicensi Bolislai
germana filia, sororis Casimiri Regis, quem Ludovicus Un
gariæ Rex ad visitandum Regem transmiserat, et præstan
tioribus Prælatis et Canonicis Cracoviensibus ac militibus
suis in cubiculum accersitis, primum fidei Catholicæ articulos
Symboli

Symboli, oratione professus, testamentum condidit, Per quod duabus filiabus suis virginibus, Annae et Hedwigi, ex Hedwigi filia Henrici Ducis Glogoviae, tertia uxore susceptis, omnia ornamenta lectorum, cortinas, et velamenta, bysso, purpura, gemmis, margaritis, et lapidibus preciosis, rari operis fulgentia. Item omnes scutellas ex puro auro fabricatas, Item omnium vasorum, jocalium et clenodiorum de argento medietatem, reliquam medietatem Hedwigi consorti suae; Item nepoti suo ex filia Elizabeth primi matrimonij Casimiro filio Boguslai Ducis Stetinensem, Siradien, Lancicien, et Dobrinen Ducatus, et quatuor castra Crusviciam, Budgostiam, Balachow, et Vualcz, Item Ecclesiae Cracoviensi crucem magnam auream pluribus gemmis et lapidibus ornatam, notabilem portionem dominici ligni habentem, quae de centum millibus florenorum aestimatur. Item Ecclesiae Gnesnensi monstrantiam argenteam deauratam, et insignem, reliquijs Sanctorum refertam, et Bibliam, Item Brachium Sancti Cosmae in ciborio argenteo deaurato Ecclesiae Posnaniensi, Item duobus filijs suis naturalibus, Nyemerzi, quem ex Judaea susceperat, et Joanni Boguszi villas, Cutsanu, Jurznicz, et Drugina, Item Sbigneo Przeborio et Paczosso, filijs Sbignei de Brzezi, oppidum regium Vulodzislaw cum aliquot villis, Item Joanni Zablika castrum Miedzygorze in terra Sendomiriensi, Jasthoni Zorawski, Podgagye, Paulo Zloczen Nychlay, et pluribus alijs militibus curiensibus et servitoribus suis villas, oppida, advocatias, possessiones, domos, pecunias, in certo numero et quantitate dedit, contulit, et legavit. Joannem de Strzelcze vocatum Suchiwilk Grzimalitam Decanum Cracoviensem, et Cancelarium Regni Poloniae, huiusmodi testamenti sui constituens legitimum exequutorem. His itaq, et alijs multis memorabili ordine compositis, dignissima Eucharistia cū magna devotione et lacrimarum effusione percepto viatico, sacro etiam oleo, confessione sincera saltem sepius, viribus aliquot factas delinctis, ut Catholico Principi conveniebat, religiosissime in Sala bassa magna in castro Cracoviensi ad meridiem sita feria tertia proxima ante Sancti Leonardi, quae fuit quinta Novembris Spiritum suum, ad [illegible], Christo reddidit, et in pace feliciter obdormivit humanae sorti

Sorte subtractus maiori Polonorum damno quam suo. Rumore autem, qui in tali re etiam velocitatem nunciorum praeire solet, mortem suam divulgante, ad vicinos Praelatos et Barones Regni Poloniae perlato, Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus, qui et ipse ad comparendum Regi super sua infirmitate Cracoviam veniebat, Item Petrus Episcopus Lubucensis, et magna Baronum, militarium, atque popularium, ex terris praesertim vicinioribus Cracoviensi et Sandomiriensi, multitudo, sua sponte ad cohonestandum funerias chari Regis convenit. Tertia itaque mortis suae die, quae fuit septima Novembris, a tribus Pontificibus, Gnesnensi videlicet, Cracoviensi, et Lubucensi, a Duce Vladislao Oppoliensi, et Baronum, militarium, et popularium, frequenti numero in omnibus Ecclesiis et Monasteriis urbis Cracoviensis exequiis celebratis, postremo dum ad maiorem Ecclesiam ventum est, Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus, assistentibus sibi caeteris Episcopis Missam Defunctorum peragens, caetera omnia, quae vel saluti, vel honestati esse credidit, Regi iustissima persolvit. Corpus deinde exanime non in paterno Sarcophago sed in speciali loco, in latere dextro prope maius altare terrae mandatum est, arbitrantibus universis statibus singulari cum dignandum Mausoleo, qui singulari in patriam et in Ecclesiam Cracoviensem usus est charitate. Quod successu temporis sumptu Regio, tabulis, imaginibusque marmoreis, faciem etiam Regis Casimiri, qualis vivus apparere solebat, exprimentibus, ornatum est. Tantus autem in funere Regio sepeliendo concursus erat Ecclesiasticorum, et saecularium, militarium et popularium, divitum et pauperum ploratus et luctus, ut non solum Cracoviensis Ecclesia sed universa urbs Cracoviensis vocibus pium Regem deflentium, et sibi immatura morte ademptum quaerentium resonaret, et unumquemque maiori aut fletibus indulgentem, parentem crederes filium, aut matrem unigenitum amisisse. Silentium deinde apud omnes obstinatum, et surda ad omnia solatia aures, quaestionesque crebrae et variae, quid deinde futurum esset, et caetera lamentationes, quales in tali casu dolor suggerit, maioris quoddam ostentabant producebantque certamen. Dolor insuper nuper amissi et perditi Regis, cuius charitas et virtus in omnes privatione magis quam

fructione

fruitione notata percepta et cognita est, universos in luctu continuo versari cogebat. Annum tunc aetatis sexagesimum, cum excessit, impleverat, non secus propter charitatem in patriam, et iustitiam in singulos, quam si in florenti et viridi decessisset aetate, a suis omnibus, Ecclesiasticis et saecularibus, locupletibus et inopibus desideratus. Semovitus Masoviae Dux, morte Casimiri Poloniae Regis, a suis, quos ob id in curia Regis tenebat, nunciata, castra illico Plozko, Rawa, Vissegrad, Gostinin, et Sochaczew adijt, et ea extunc sui iuris fecit Capitaneis et Tenutarijs illorum, et ex praecepto Casimiri Regis quod vivens illis fecerat, et ex precio, quod illis datum et promissum, a Semovito Duce Masoviae fuerat, in deditionem illius ultro spectantibus

Ex omnibus siquidem Regibus et Principibus, quos unquam Regnum Poloniae superioribus temporibus habuit Casimirus secundus Poloniae Rex merito a Polonis plangendus, merito desiderandus erat, praesertim cum nullum liberorum in sexu virili legitimum superstitem reliquisset. Is enim inter omnes Reges Poloniae unus extat, qui Regnum ipsum non solum edificavit, sed etiam ampliavit, magnificavit, et varijs templorum, castrorum, civitatum, et curiarum, muris, pulcherrima structura et opere extulit. Is primum castrum Cracoviense palatijs, thalamis, turribus, fossatis, sculpturis, picturis, tectis. Item civitatem Casimiriam iunctam Cracoviae, Item Vuieliczkam, Skawinam, Ilkusch, Bandzin, Lelow, Sendomiriam, Vislicziam, Szydlow, Radom, Opoczno, Vuawelnicza, Lublin, Calisz, Pyzdry, Stawiszin, Vuielun, Conin, Piotrkow, Lanciciam, Plozko, Leopolim, Inowlodz, Sanok, Crosznam, Czchow, civitates, castella et oppida, Item castra et curias Posnanien, Kalis, Sendomirien, Lublinen, Leopolien, altum et inferius Pysdri, Siradien, Vuielunen, Lancicien, Colo, Plocen, Niepolomicze, Schidlow, Brzeznicza, Przedborz, Boleslawiecz, Ostrzeszow, Przemislen, Lanczhorona, Bandzin, Lelow, Czorsztin, Oczecz, Crzepicze, Szczekow, Solecz, Zawichost, nova civitas dudum Korczyn, Konin, Nakel, Vuelun, Miedzyrzecz, Cruswicza, Zlotoria, Przedecz, Bidgoscza, Lubaczow, Trebowla, Halicz, Cussztan, Opoczno, Szydlow, Przyssow, Rannam, Rauuam, Vuyssegrod. Item templa et aedes sacras, videlicet duas Ecclesias collegiatas in castro Cracouiensi, videlicet Sanctissimi Michaelis, et Sancti Georgij. Item Hospitale in Stradomia, Item Sendomirien̄, Vuislicien̄, collegiatas, Item in Stobnicza, Szydlow, Lapschicze, Kargow, Niepolomicze, Solecz, Opoczno, Korczyn, Sancti Stanislai in rupella. Item Monasteria in Piotrkow, Lancicia, noua ciuitate Korczyn, muris, structuris, picturis, tectisque sumptuosis construxit. Ac eisdem Ecclesijs et Monasterijs cruces, calices, et libros iuxta magnificentiam Regiam, in auro, argento, et gemmis donauit. Ac ne singula in longum prosequar, haud ad vllum facile praeterijt Regni Poloniae locum vetustarum arcium, atque vrbium, in quo nouos muros non erexerit, labentem non renouauerit, aut quae deesse videbantur, appositis non extulerit. Ad caetera vero castra, curias, Ecclesias, et domos, sub suo regimine ex muro per militares ciues aut populares erecta, petentibus liberalia praestabat suffragia, et ad perfectionem caeptorum operum illos verbo et exhortatione animabat. Tantus enim illi ad magnificandum, locupletandum, Regnum Poloniae inerat ardor, ut grauissimos et notabiles sumptus, in erigendis ex muro Ecclesijs, castris, et ciuitatibus, et curijs, faciendo omnem ad id sollicitudinem curamque intenderat, ut Poloniam, quam luteam, ligneam, et squalidam reperierat, latericiam gloriosam, et inclitam, sicut cernimus, relinqueret. Nam quicquid Polonia in castris, Ecclesijs, ciuitatibus, curijs, et domibus. murorum continet, id pro maiori parte ab ipso Casimiro Rege, et suis Regijs sumptibus est profectum. Et licet, ut superius perstrinximus, procliuus in libidinem fuerit, clericos tamen quos sciebat studiosos et continentes factiuos et in aliqua arte peritos et excellentes, etiamsi sortis humilis, et obscurae originis fuissent, singulari illos prosequebatur fauore. Et neglectis praeteritisque nobilibus suis seruitoribusque et familiaribus, eos in beneficia suae collationis, et ad regimen castrorum, curiarum, et bonorum suorum motu proprio promouebat. Id quoque in peculiari habebat cura, ut Praelati, Canonici, et Ecclesiarum Parochialium Rectores circa suas Ecclesias residentiam facerent personalem, et Cmethonibus, colonisque a nobilibus et militaribus non fierent oppressiones et iniuriae, quo factum est ut Cmethones et coloni sub militaribus et nobilibus degentes, quotiescunque per suos dominos et haeredes gravabantur, toties ad illum solum habebant recursum, ipseque pro illis et eorum iniuriis effectualem oppositionem severe et rigide interponebat, ut nemo quantumcunque magnus potens et dives auderet esse in suos kmethones violentus, gravis et iniurius, Regi Casimiro unumquemque pro sua factione, excessu, aut demerito, digna mulcta coercente. Ob quam rem asperius ut militaribus apparebat, in eos praedicatam sugillationem vitare non potuit, quin rusticorum Rex a nobilibus et militaribus vo esse citaretur. Quam notam patienter et aequo animo ferens in defendendo pupillo, advena et vidua, in administranda civili iustitia, in plectendo fure, oppressore, praedone, latrone, nihil rigoris, nihil animi remittebat, eundem tenorem in paupere iuxta ac divite demonstrans, virtutibus praemia, sceleribus supplicia compensans, bonos in pretio haberi, pessimumquemque calcari, florere iustitiam, honorem esse viris fortibus, exulare malos, nobiles et cives et rapto atque iniuria vivere assuetos, bonos autem atque honestos in suum Regnum suique Regni urbes undecunque transferri, in construendis, reparandis, ornandisque Sanctorum Basilicis munificus et studiosus. Vir statura elevata, corpore crasso, fronte venerabilis, crine cirrino et abundanti, barba promissa, voce aliquantulum balba, sed sonora, praeceps in commessationibus et Venerum, caeterasque voluptates, in patriam clemens, in subditos modestus, in amplianda ornandaque patria et Republica cupidus, comis, et frugi cuique conditioni, generi, atque aetati, facilis ad eum accessus, summae civilitatis, per quam pauperi iuxta ac opulento se impartiebatur, et propter illam offensionem militum vitare non potuit, propensiorem curam rusticorum, quam sat Regi erat, cum habuisse criminantium. Tanto sane iustitiae cultu et moderamine in omnes tam nobiles, quam agrestes propensus, ut colonis proprios dominos et haeredes iniquitatem et iniuriam inferri prohiberet, illosque iuxta ac peculiares tutatus est, Acceptoque interdum maiori homine, homini de Hero suo quaerenti, monens, ut igniali mercato, et silice in campo reperto, si aliter non daretur, incendio se ultum iret, tradidit. Caeterumque licentia, multorum militarium, fortunas subditorum suorum, quacunque occasione, per iniuriam expilantium aut illos gravantium referrant. Crassus et medius corpore, vultu plenus, comissationis cupidus, ad diligendam patriam naturali instinctu promptus, ut nihil magis quaereret quam illi prodesse et ornare illam decoris quamplurimis. Cuius ea charitas in patriam, ea munificentia, ea liberalitas, ea sollicitudo, ad ornandam illam, ut superiores omnes Poloniae Reges, et qui illum ad nostram aetatem secuti sunt, charitate vicerit, per promulgationem edictorum, et iurium, per distinctionem stratarum, per constructionem et locationem arcium, et urbium, marmorea mole aut petrosa lucentium, per aedificationem Ecclesiarum, recto certoque modo statum Regni, ordines, Magistratus, et officia stabiliens, ornatum suum, stabilimentum, et splendorem subinde licet et inculto gubernatore ex Casimiri ordinatione retentura. In popinam ventremque proclivis, non exigua illi cura fuit, quid ederet quidque biberet, per omnem aetatem, testimonio eorum, qui noverant illum virentem, et postea iam senem, redimens vitia virtutibus, plura habebat, quae merito laudari debuerant, quam quibus debebat ignosci. Erat insuper in eo fides sincera, pietas domestica, et par quaedam in omnes aequitas, regius denique splendor, atque munificentia, Lubricus tamen ut praemisimus, et in mulieres intemperantis ingenij, tutelam pro universis opponens sua defensione et iustitia, quibus minus propria resistentia potentia suffragabatur, Exacta diligentia quoslibet calumniatores gravi mulcta afficiens, moleste enim tulit, dum nocentem liberabat, adumbrata veritas, et innocentem ingeniosa falsitas obruebat. Inter Reges et Principes sui temporis mansuetissimus, per annos quadraginta Regni Poloniae obtinens principatum, facilitate ac mansuetudine fastum Regiae temperans dignitatis, pro augenda exornandaque Republica Regni sui Poloniae fervidi animi, nec prudentiae vulgaris. Sed in aedificando, quod Principes egregios decet, maxime sumptuosus, adeo iusto iure imperans, ut nihil fere ad iustorum Principum modum desideraretur, omniumque ab eo in Polonia incitata sunt studia murorum

Cominationes suas contra Cruciferos de Prussia, anno superiori prolatas Kyestutus Litthuaniae Dux impleturus, Tartarorum, Ruthenorum, et caeterorum barbarorum quaesitis solatijs, cum ingenti equitatu, properatque in Prussiam, una cum Olgerdo germano suo Litthuaniae Duce advenit, et districtum Samensem bipartito exercitu et populatione latius extensa vastat, invadit, et praedatur, Quo in solitudinem et vastitatem redacto ad castrum Ortelszberg ducit exercitum, illud conquirit et invadit. Abinde versus Rudow alias Roundin castra ponit, ubi Prussiae Magister Wenricus cum omnibus potentijs, ad quas peregrinis militibus deficientibus augendas, etiam cives et agrestes armaverat, advenit. Et barbaros in Dominica Exurge, invadit, utrinque autem magno impetu pugnam cientibus, atrox strages commissa est, et multis hinc inde, videlicet Heingo Schindikop Marsalco Prussiae, et viginti fratribus de Ordine, centum armigeris, de parte Cruciferorum, mille vero barbaris cadentibus, Duces Litthuaniae dato signo receptui, pro victis abeunt, et proximis sylvis se committunt, quibus tumultuario labore incisis, ne finali clade superari possent, se tutantur. Multis tamen tam rebus quam captivis eorum Prutenus potitus est, multi ex vulneribus, plerique frigore et fame in sylvis errabundi Litthuani interierunt. Advenit posthac Lupoldus Austriae Dux Ordini in auxilium, cuius suffragio Magister et Ordo freti, in Samogitiae terram, quadripartito agmine descendens, fere universam Samogitiam subijcit, incendijs, et vastitate, Caesis autem senibus et impuberibus, puberes in magno numero captivos in Prussiam deduxit. Quo abeuntem Dux Litthuaniae Keystuts sequutus, castrum et districtum Gogelanken invadit, et expugnat, et multis utriusque sexus hominibus caesis aut captis, praepropere in Litthuaniam refugit. Commendator vero de Insterborch Wigandus de Beldersheim eo discedente Litthuaniam cum suis ingressus, villas nondum vastatas invadit, et multis captivis atque spolijs potitus, in Insterburg regreditur.

Explicit Liber Nonus.

IOANNIS LONGINI ANNALIVM REGNI POLONIAE

LIBER DECIMVS

LIBER DECIMUS

Clarissimo Polonorum Sydere, et immensa ferventissimaque claritate, qua Regnum et gentem Polonorum evexerat, extulerat, amplificaveratque, Illustrissimo videlicet Casimiro secundo Polonorum Rege occidente, ad occupandum Regni Poloniae terras, munitiones, confinia, et castra, multorum hostium et invidorum Regni eiusdem, qui metu Casimiri Regis dum viveret continebantur, flagrare coepit ambitio, et quasi signo dato, morte Regis Casimiri ad suam notitiam perlata, in occupationem Poloniae Regni grassabantur. Nam Hasso miles de Hucstery, item filius Hassonis de Vuedel, Ottonis Marchionis Brandeburgensis filii Ludovici olim Romanorum Regis Capitaneus, duobus Saxonibus, per tercium sibi et paucitatem gentium et victualium, et absentiam Sandivogii de Vicz Castellani Gnesnensis, et eiusdem castri Santhok Capitanei, significantibus, castrum Santhok cum paucis, quorum maior pars ex agrestibus erat, obsidione cingens, expugnare coepit, violato foedere de observandis pacis sufferentiis recenter cum Baronibus Maioris Poloniae icto. Opponenti autem Sandivogio de Szubino iuvene acerrimo et audaci continuam resistentiam, fuit castrum per dies plures defensum, quo vigiliis et labore continuo, Saxonibus qui secum una in castro erant, nulla suffragia ferentibus fatigato, cum et Przeczslaus de Goluchowo Palatinus Calisiensis, et maioris Poloniae Capitaneus, expeditione indicta, tardius cum gentibus pro ferendo obsessis subsidio adveniret, castrum Santhok Hassoni deditum est. Keystuth insuper Litthuanorum Dux, frater Olgerdi, cum Lubardo, ceterisque Ducibus Litthuaniae morte Casimiri Regis comperta, Vuladimiriense castrum, quod a Casimiro Rege Poloniae et suis praefectis tenebatur, valida obsidione illico constrinxit. Poterat autem obsidio ipsa non solum fortiter sed et latenter tolerari, et obici, omnibus ad tolerantiam sufficientibus, si tantummodo bona mens

Petrassio

Hasso de Hustersagn miles post mortem Regis Casimiri castrum Santoh capit.

'' qui in castro Santoh morabantur

Litthuaniae Dux Keistuts Vlodimiriense castrum sub Petrasso Turski Capitaneo capit et relicto lignio lakierum vastat. Tandem postulando regnum lignum Crucis in monte Calvariae acceptum dum durare non posset remittit.

Petrasso Thurski, praefecto castri, Lancicita sic erat, et suis adfuisset. Casimirus siquidem Poloniae Rex Vuladimiriensem terram solum fecundum et crassum habere conspiciens, pro retinenda ea, nobili et sumptuoso opere ex coctis lateribus castrum Vuladimiriense, ligneo, ne opus a Litthuanis praepediri posset, stante, erigere ceperat, et prope finem perduxerat. Cum casto adhibens operi curam, ut trecenti homines et multa iuga boum, calcem, lateres, lapides, ligna, et quae in opus necessaria erant conducenda, integro biennio iam exacto, tam nocti quam interdiu ad consumationem operis sollicito studio intenderent. Infra quod tempus plus quam tria millia marcarum latorum grossorum in opus huiusmodi Rex Casimirus expendisse compertus est. Sed et moriturus curam castri eiusdem egit, quarta die priusquam excederet, Vuinceslao de Thanczin presbytero, qui operi praeerat, sexcentas marcas latis grossis consignaverat ad perficiendum castrum impendendas, quae pecunia Rege mortuo in thesaurum Polonorum relata est. Poterat autem obsidio castri praefati per milites Polonorum averti, et exercitus Litthuanicus illud obsidens vel debellari vel depelli, sed segnicie et negligentia Polonis naturaliter inhaerens, cum et inter Barones reperiretur nemo, qui id munus assumeret, magno parta labore facile amisit. Elizabeth quidem Regina Ungariae soror Casimiri Regis Poloniae et mater Ludovici Ungariae, quae Casimiro Regi defuncto Cracoviam festine advenerat, missis ad Ducem Keystuth nunciis, quorum missio a Baronibus Poloniae non verbis sed armis obsidionem cingentibus resistendi oportere dissuadebatur, obsidionem solvi monebat, Sed tam illi quam caeteri Litthuaniae Duces legationem pro ludibrio habita, et amplius legatione ipsa animati quam fracti, in obsidione perseverabant, maxime continuo Petrassium Capitaneum et suos lacessimus, maximis dederet terroribus, quibus infelix et formidolosus homo ni castrum conterritus, nulla illum necessitate stringenti, parum honori suo, parum patriae et Reipublicae consulens, absenti etiam Alexandro filio Michaelis alias Koriats nepotis Olgerdi Ducis Litthuaniae tunc in Cracovia agenti, cui castrum et terra Vuladimiriensis a Casimiro Rege erant commendata, Petrassius ipse sibi parere iussus, cum Litthuanis miserabiliter paciscitur, et cum singulis quæ castrum continebat exire permissus, castrum Litthuanis utrumque tradit. At illi castro ligneo contenti, praesidio forti imposito, castrum nobile a Casimiro pulcherrimo opere prope perfectum, demolliuntur, et usque ad fundamenta in perpetuam redigunt ruinam. In hunc modum vir improbus Petrassius Turski Clenodium Regni Poloniæ nobile, fidei sua creditum, hostibus et fidei et Regni tradidit, prostituit turpem famam integra vita potiorem ducens. Nec his contenti Olgerdus et Keystutus Duces Litthuaniæ, vexaturi Regnum Poloniæ per Lublin intrant terram Sendomiriensem, quam cum ad Calvimontis usque Monasterium vastassent, audito, quod Polonorum milites contra illos procedunt, cum illis praelium conserturi, citato agmine cum captivis et spolijs regrediebantur. Ceperant autem tunc Litthuani Sanctæ Crucis in Monasterio Calvimontis lignum vivificum, et dum fines Regni Poloniæ vellent egredi, currus, in quo lignum Dominicum vehebatur, repente substitit, neque ab equis, bobus, aut hominibus poterat moveri, sed equi, boves cum hominibus anhelantibus subita morte cadebant. Quæ res cum Duces Litthuaniæ in extasim et terrorem verteret, Flamines Litthuanorum respondit, hic Siteram crucem aliâs Ladzski Krysz, in quadriga consistere, nec primus posse currum nisi ea in locum suum reddita moveri, Paritum est illius Flamini, et Crux gloriosissima in Calvummontem, per unum nobilem Polonum Chorabalam dictum captivum, qui ob id etiam libertati donatus est, remissa, et statim lucis omnij a Litthuanis conquirunt. Ob quod prodigium hunc in conspectu Litthuanorum patratum, in summa lignum vivificæ Crucis apud Calvariæ montem consistens habetur veneratione.

Avunculum suum germanum Casimirum Poloniæ Regem, Ludovicus Vngariæ Rex ex frequentibus nuncijs et literis diem obijsse comperiens, multa secum et cum Consiliarijs, fluctuans animo, ~~evadebat~~ versabat ~~Poloniæ~~ iturus cum Vngarorum copijs in Poloniam, motus novos, et impedimenta, tum a duabus filiabus Anna et Hedvigi, quas Casimirus Poloniæ Rex ex Hedvigi filia Henrici

Ludovicus Rex Vngariæ post longam Regni Poloniæ recusationem tandem annuit et Polo

Glogovien

nam vi
ris do
nationes
testamen
tarias Ca
simiri Re
gis factas,
praeter
Casimiri
Ducis Steti
nensis et
filiorum
Regis na
turalium
Niemirae
et Joan
nis con
firmat.

Glogoviensis generat, tum a nepotibus Casimiri Regis Ducibus Mazoviae et Cuiaviae, item Casimiro Duci Stetinensi nepote germano ex filia, quibus successio iustior debebatur, veritus oppressurus an in Ungaria subsisteret, donec exploratum haberet quid Poloniae proceres de illo sentirent. Venerunt tandem Regni Poloniae Oratores ad illum, Florianus Episcopus Cracoviensis, Janussius Regni Poloniae Cancellarius, cum aliis, petentes ut Regni Poloniae sceptra assumeret, diu cunctatus est. Instantibus deinde Polonorum Oratoribus, urgentibus quoque Regni Ungariae Consiliarijs, tam Ecclesiasticis quam saecularibus, aliquanto tempore recusavit, ignorare asserens utrosque quid suaderent, cum utrumque Regnum ad periculum illa suasione trahebatur, astruens non convenire duos greges loco distantes ab uno pastore probe a morsibus luporum servari, nec uni viro duas uxores legittime posse coniungi, nec duos Pontificatus in unum rite conferri, Romam vix despectum Imperium habentem duos simul Reges ferre non potuisse, pertimescendum ne in eum disiunctum regimen utrumque Regnum pessundet, et quaesiturus profectum Regnis, illis exitio sim. Ad extremum utrorumque petitione victus suscepit, quasi illum tam Poloni apud quos regnaturus erat quam Ungari, apud quos iam regnabat, suis ingenijs uti passi fuissent, latius et tunc et satius Regnum Poloniae quod coregente in pluribus suis provincijs, in clenodijs, in thesauris spoliatum et mutilatum fuit, providentia sua funiculos extendere voluisset. Cui novam Sandecz intranti, multitudo Praelatorum et Baronum Poloniae, proceresque et natu maiores occurrunt, et versus Cracoviam urbem Regiam et caput Regni perducunt. Itum est autem illi et a processionibus Ecclesiarum et ab omnibus civibus civitatis Cracoviensis obviam, praecedentique vexillo civitatis Cracoviensis in quo arma civitatis picta erant, omnium Mechanicorum cuiuslibet artis subsequebantur, quibus per signa feros Ludovico Regi deditionem et subiectionem significantibus oblatis, Rex ipse cum maxima pompa et honore Cracoviam, et Ecclesiam Cracoviensem introivit, castrumque Cracoviensi conscendit. Altera autem adventus sui die Janussius Suchywilk Decanus Cracoviensis, et Regni Poloniae Cancellarius testamenti Casimiri Poloniae Regis executor, Ludovicum Regem perquirit, an

Singula, quae avunculus suus Casimirus Poloniae Rex per testamentum suum fieri iusserat, et donationes ab illo, de Ducatibus, terris, castris, oppidis, et villis factas, rata manere censeret. Quo universa se probaturum et admissurum respondenti, suggestum est illi parum providam et cautam responsionem dedisse, cum Casimiri Regis testamentalis ordinatio, plures donationes et alienationes Regno Poloniae perniciosas secum ferens, falsis scripturis et codicillis signata foret. Correctus itaque Ludovicus Rex responso, donationes ipsas etiam iam literis et sigillis maioribus munitas, ad consilium Praelatorum et Baronum Poloniae reiecit, committens ut investigent decernantque, si donationes huiusmodi admittendae sint, vel irritandae. Et illi quidem omnes donationes Casimiri Regis robur habere, duas tantummodo, quarum una Casimiro Duci Stetinensi, de terris Siradiensi, Lanciciensi, Dobrzinensi, et castris Crusviciensi, Bydgostiensi, Vulotouuo, et Vualcz, altera filiis naturalibus Casimiri Regis, Niemerzi et Ioanni, de nonnullis villis, quoniam in laesuram et dismembrationem Regni Poloniae, et in illius grave praeiudicium facta noscitabantur, rescindendas et penitus abolendas decernunt. Mittitur tandem et a Ludovico Rege Vuladislaus Opoliensis Dux ad Praelatos et Barones Poloniae, ut per suam sententiam pronuncient, quid iuris sit, si licuit Casimiro Poloniae Regi et propinquis et praelatis et Baronibus suis Poloniae inconsultis, terrarum et Ducatuum notabilium facere alienationes. Sed Praelatis et Baronibus Poloniae odia eorum, quibus donationes a Rege Casimiro in morte factae fuerant, et praesertim Ducis Casimiri Stetinensis, evitantibus, et quaestionem dissimulatione aut silentio absolventibus, Nuntio Regis Duce Opoliensi instanti, determinationem huiusmodi ad iudices terrestres reiiciunt. Locati igitur extemplo ad iudiciarium tribunal Pelcha Zambr iudex Sendomiriensis, et Vuilczko de Naborouuo subiudex Cracouiensis. Qui a procuratoribus Ludovici Regis rogati pronunciant donationes Regis Casimiri Poloniae in morte factas, tanquam in laesionem notabilem Regni, et praeiudicium proximorum factam, irritandas et rescindendas fore. Gratus ea pronunciatione

Ludovicus Rex petit, ut Praelati et Barones Poloniae suae pronunciationi et decreto iudiciario se subscribant, sigillisque communiant. quibus abnuentibus Ludovicus Rex cum Duce Casimiro Stitinensi agere coepit, ut Gnewkoviensi Ducatu accepto, de iure caeterorum sibi per Casimirum Poloniae Regem legatorum, ~~cedat~~, excedat, quo conditionem refutanti; Sciebat enim Gnewkoviensem Ducem Vladislaum auum Casimiri, filium, verum Sacerdotem illius quamvis Monasticam vitam agentem, superesse. Ludovicus Rex cum eo denuo placitat, et Casimiro praefato gratificanti et assentienti, Dobrzinensem Ducatum cum castris et oppidis, Bydgostiensi, Vulatkow, et Vualcz illi donat, Regi enim securum visum est, Casimiro Stitinensi singulos Ducatus a Casimiro Rege Poloniae donatos committere, ne illorum possessione nacta, etiam Poloniae Regnum, cuius erat iustior, quam Ludovicus Ungariae Rex haeres, cum Caroli Imperatoris Romanorum et Bohemiae Regis, qui sororem germanam Elizabeth Casimiri Ducis Stitinensis habebat in consortem, viribus, subriperet. Donatione itaque Ducis Casimiri Stitinensis truncata, filiorum vero naturalium Casimiri Regis Poloniae Nyemerze et Joannis in totum rescisa, caeterae omnes donationes Regis Poloniae Casimiri in morte factae, pronunciatione iudiciaria non obstante, effectus suos sortitae sunt, quamvis adulterinis codicillis ferebantur conscriptae. Ex adventu autem Ludovici Ungariae Regis in Poloniam, mediocris tenuisque et pene nulla dulcedo et voluptas tam militarium, quam popularium animos invaserat. Casimiri quippe nuper defuncti Regis radicata charitas prohibebat, et Ludovico et cuique alteri moderato Regi et succedenti favorem impendi, cuius etiam imperium respectu defuncti et adempti sibi Regis plerique aspernabantur. Lugebaturque et desiderabatur mirum in modum, et magis quam in funere, Rex illustris, quod et patriam primus muris arcibusque ornaverat, et specimen iustitiae illi infuderat, quodque non in ultimis laudum suarum scribendum est, omnibus indigentibus et gravatis facilem se aditu praebuit. Aures illius ad querimoniam agrestium, egenorum, viduarum, et quorumlibet oppressorum adeo semper intentae, ut

nunquam tenuis cuiusquam vel calamitosi colloquium aut propo
sitionem repudiarit. Qui etiam ob sua legittima et iusta instituta,
claraque et claritatem paterna diffundentia facinora, facilius a succes
soribus omnibus laudari quam exprimi et aemulari potuit, calumni
atores puniens, districtione singulari, caliditatem a pacificis et in
nocentibus satagebat rescindere improborum, qui vita annorumque
~~omnium~~ numerum multitudine, et egregiorum operum, aedes fabricando et ur
bes superavit

Quaestione nodosa et difficili de donationibus
Casimiri Poloniae Regis in morte factis absoluta, coronationem suam
Ludovicus Ungariae Rex in Poloniae Regnum maturandam duxit,
et frequenti petitione atque instantia eam per Praelatos et Barones
Poloniae petiit consumari. Iniecta autem fuit per Iaroslaum Gne
snensem Archiepiscopum et Barones Maioris Poloniae nova et oc
culenda magis quam vulganda difficultas, rogantium Ludovicum,
ut in Gnesnam de Cracovia proveheret, et ibi Gnesnensem Eccle
siam coronationis suae et unctionis in Regem Poloniae carismata
percepturus. Floriano autem Episcopo et Baronibus Cracovien
sibus huiusmodi rogationem refellentibus, Ludovicus Rex avum
suum Vladislaum Lokthek, et filium eius, avunculum suum, Ca
simirum, immediatos ante se Poloniae Reges non Gnesnae sed Cra
coviae coronatos perstringens, nihil se de pristina observantia cir
ca avum et avunculum observata immutaturum, et ius Ecclesiae
et Civitati Cracoviensi quaesitum, non se aliquatenus infecturum,
respondit. Roganti demum Iaroslao Gnesnensi Archiepiscopo, et Lu
dovico Rege non abnuente, ut saltem ad honestandam Gnesnen
sem Ecclesiam regio amictu et Diademate ornatus in illa appa
reat, ad coronationis absolvendum officium processum est. Et
Ludovicus ipse Ungariae Rex per praefatum Iaroslaum Gne
snensem Archiepiscopum, assistentibus sibi Floriano Cracovi
ensi, et Petro Luburzensi Episcopis, praesentibus vero Casimiro
Stetinensi et Dobrzinensi, Vladislao Opoliensi, Ducibus, Baro
numque militarium Regni Poloniae multitudine copiosa, in Cracovi
ensi maiori Ecclesia, die Dominico post festum S. Martini, quae fuit
decimaseptima mensis Novembris, ~~[illegible]~~ cum honore immenso et so
lemnitate, genitrice sua Elizabeth Ungariae Regina seniore, cum
altera regina Casimiri Poloniae Regis relicta Hedwigi, et duabus
filiabus

Ludovi
cus Rex
Craco
viae prae
sentibus
dictis Baro
nibus ma
ioris Polo
niae coro
natur, et
ibi Duci
Opoliensi
multas ci
vitates
et ca
stra do
nat in
feudum

filiabus Casimiri Anna et Hedvigi inspectantibus, in Poloniæ
Regem coronatur et inungitur, et Regni Poloniæ, ut regeret super
duo Regna accepit regimen. In ipsis autem Regni primordijs, mox
ad illius et status sui depressionem et enervationem procedens,
Vladislao Opoliensi Duci ex Elizabeth filia sororis Casimiri Polo
niæ Regis genito, et Regni Ungariæ Palatino, terram Vieluniensem,
quæ olim Rudensis antiquitus vocabatur, cum universis castris
in ipsa terra Vieluniensi, item castris et oppidis, Holstyn, Crzepi
cze, Bobolicze, in terra Cracoviensi, item castro et oppido Brzeznicza
in terra Siradiensi consistentibus, per Casimirum Poloniæ Regem
muro pulcherrimo et mirifico extructis, donatione perpetua et
irrevocabili, Prælatis et Baronibus Regni Poloniæ nequicquam
adversantibus, et improbantibus, donat, et inscribit, et Regni
Poloniæ corpus, per plures alias alienationes, multifarie mu
tilatum et distractum, ampliori scissura debilitat, et corrumpit. Ut
prorsus etiam tunc appareret, Ludovicum Regem ditissimo
Ungariæ Regno locupletem, nihil pensi de Regno Poloniæ stabi
liendo, aut de his, quæ illi a Bohemis, Saxonibus, et Cruciferis
abstracta erant vindicandis, habuisse, neque de illius profectu et
incremento, sed de dismembratione cogitationes et curas inten
disse. Ad mitigandum autem restringendumque dolorem,
et acerbitatem Prælatorum et Baronum Poloniæ, pro donatio
ne tam perniciosa Opoliensi Duci Vladislao facta, ipsum car
pentium, et rescindi illam petentium, tam a Duce Vladislao
Opoliensi, super terra Vieluniensi et cæteris castris et op
pidis Regni Poloniæ sibi donatis, quam a Casimiro Steti
nensi et Dobrinensi Duce, super Ducatu et terra Dobrinensi,
cæterisque castris illi inscriptis, feudum accepit. Profitenti
utroque Duce se terras, Ducatus, Districtusque prædictos a Lu
dovico, ut tanquam a Rege Poloniæ, in feudum et iure feu
di accepisse, devolvendos ad Regnum Poloniæ, si illos absque li
beris masculini sexus mori contigerit.

Corona
tione pera
cta fiunt
exequiæ
Casimiri
Regis pom

Coronatione de Regno Poloniæ Ludovicus Rex
susceptâ, ad peragendum avunculo suo Casimiro Poloniæ Re
gi exequias, in eam usque diem intermissas, animum et curam
intendit, et die Martis decima nona Novembris illucescente,

funeres

funeris et exequiarum pompam per Officiales Casimiri Regis in
structam, in hunc modum egit. Processionis singularum omnium Ec
clesiarum et Monasteriorum Cracoviensis urbis, quatuor currus de
nigro cum suis aurigis vestiti, curribus vero, quadraginta armati
milites, equos de purpura amictos singuli insidentes, quorum un
decim Banderia undecim Regni Poloniae Ducatuum, unumquemque
Ducatum per signa Banderijs impressa designantia, duodecimo quod
maius omnibus erat, in quo candida aquila, Regni Poloniae insigne,
et praecedente, sequebantur. Milite uno nobilissimis vestibus Re
gijs gemmis et auro ostroque superbis in nobiliori equo, qui et ipse
de praestantiori velatus erat purpura, personam enim mortui
Regis repraesentabat, subsequente. Ibant post hos bini et bini pro
cessionaliter sexingenti caroferarij, totidem candelas accensas
magnae quantitatis et ponderis, duae enim singulae et singulae
lapidem unum cerae appendebant in manibus gestantes, hinc
feretrum pannis auro argento intextis, item purpureis varijs
item laneis pannis qui postmodum Ecclesijs et Ecclesiarum mi
nistris partiti sunt, onustum, Ambibant feretrum plusquam
mille milites, omnes mortui Regis familiares, et lugubri veste
induti, lugubrem fletum et eiulatum, carmineque moerentium
implentem sydera, et pene singulis mortalibus excutientem la
chrymas emittebant. Anteibat feretrum miles in singulas
partes latos pragenses grossos spargens, ut liberior esset tran
seuntibus via, obsidentibus varij generis hominibus singula
itinera, Subsequebatur Ludovicus Rex a Jaroslao Gnesnensi
Archiepiscopo, Floriano Cracoviensi, Petro Luburgensi Episco
pis, Baronibus Poloniae et Ungariae, caeteraque innumerabili mul
titudine comitatus. Et tribus Ecclesijs videlicet ad Sanctum
Franciscum, ad Sanctam Mariam in circulo, ad Sanctam Tri
nitatem visitatis, sacrificijsque et oblationibus in eis peractis,
in quarum singulis dum tractarentur divina, duae pelves
grossis pragensibus latis impletae tenebantur ad feretrum,
ex quibus accipiebant pro libito singuli, altari oblationem
imposituri, et quibus evacuatis, per novarum pecuniarum
supplementum fiebat repletio, ad maiorem Ecclesiam Craco
viensem ventum est. Ubi Floriano Cracoviensi Episcopo ad
maius altare prosequente divina, caterva omnis ara a Sacer
dotibus

posi cum
maximo
fletu omni
um subdi
torum, nam
ipso extin
cto, Regni
Poloniae
stirps
extin
cta est.

dotibus officiabantur. Singulis autem altarijs duplex oblatio de grossis latis supposita est, viro quoque virum premente, non nisi militibus submoventibus multitudinem, aræ ab offerentibus ægre poterant frequentari. Altari maiori insigniora dona ab officialibus et præfectis Regis mortui Casimiri, iuxta officia et ministeria quæ administrabant superimposita. Vitt Thezaurarius siquidem et Camerarius Swantoslaus, pelves argenteas regias, manutergia mensalia altari obtulit. Przedborius Dapifer cum Subdapifero, quatuor scutellas argenteas maiores. Item uterque pincerna cuppas et picharios, Item Marsalcus potiorem dextrarium, Ultimo præcedentibus duodecim signiferis ibat miles equo optimo insidens, et personam Casimiri Regis repræsentans, quo a Subagazoni oblato, signa universa duodecim, a militibus confringebantur. Ex quorum fragore, tam ingens militarium et popularium, universæque plebis planctus et gemitus coortus, ut nemo quantumcunque duri cordis inter senes et iuvenes, mares et fœminas reperiebatur, qui fletibus et lamentis non indulgeret, quærentibus singulis, se optimo, liberali, pacifico, et iusto Rege immature privatos esse, sub cuius defensione et tutela felicem et beatam agebant vitam, illum patrem patriæ, illum Regni Poloniæ restauratorem, illum iustitiæ præcipuum cultorem vocitantis. Increpabant deinde sortem suam, quod semine Regum Poloniæ abdicato, Saevo, extraneo, peregrinoque Regi, non ingenita lingua sed per interpretem aliquando, et in remotis regionibus, ubi difficilis ipsis esset aditus, demoranti, orbandi familiaritate sua et conversatione, orbandi visione, præsencialitate sermonis, piaque commiseratione et compassione, orbandi officijs, prærogativis, largitionibus et ministerijs, essent de cativo parituri. Venubant in memoriam clades plurimæ, et strages, desolationes exactionesque terrarum frequentes et diuturnæ, quibus Polonia Regnum, Przemislao primo Polonorum Rege apud Rogozno absque liberis mortuo, fuit, petentibus illud exteris, attritum et vexatum. Jamque tunc futurorum malorum gravissima dispendia tanquam præsentia, et necessario eventura augurabantur pervenisse. Maximus autem popularium favor in præfato funere die erga Casimirum Regem monstratus est, cum omnes illum iuxta ac parentem, patremq; patriæ veris nō fictis lachrimis deplangerent, ita ut illius benignitatem, benevolentiam, comitatem, pietatem, nomen, famam, nec præsentis Regis Ludovici nec cuiuscunq; alterius succedentis, decoloratura in Polonorum pectoribus putaretur invidia. Sed nec ulli Polonorum Regi aut Principi in funebrijs, tot lachrimis et fletibus, tot effusis lamentationibus, tot querelarum ingeminatione fuit parentatum, summoq; omnium consensu et dolore desiderabilior, quoniam pignus virile non reliquerat, plangebatur. Lbrogatus vir dignus prioribus sæculis, non in Tyrannos, ut plerique nostrorum, sed in regios mores se componens, voluit doctos, sensatos atq; excellentes viros, avidus laudis et gloriæ; et quod in magnis viris admodum laudi datum, benignus, et perhumanus, ex cuius morte genus vetustum, Regum Poloniæ, in ea usq; tempora continuatum, extinctum est, quantū ad Reges et Diadema Regni Poloniæ, a veris iustis et naturalibus Principibus, ob varias prævaricationes et dolos in alienigenas et exteros iusto Dei permittente iudicio translatū.

Et quoniam ad peregrinum et externū ventum est Regem, operæpretium putavi, altius illius originem repetere, quatenus præsentibus et posteris clarescat, sub quali et quanto Rege degebamus. Triplicem apud Gallos ex Historijs constat tam ordinem quam originem Regum Franciæ extitisse. Prima siquidem origo capit anno Domini quadringentesimo vicesimo a Pharamundo Rege, et per aliquot successiones duravit. Qua anno Domini septingentesimo sexagesimo primo desinente, Carolus Magnus exortus est. Sed et huius quoq; progenies in plures Reges derivata, in Ludovico Sexto, circa annum Domini nongentesimum octuagesimum septimum desijt. Habebat autem præfatus Ludovicus Sextus, Francorum Rex in Caroli stirpe ultimus, Baronem quendam genere Saxonem Marsalcum Franciæ et comitem Parisiensem, vocatum Hugonem cappetta vel caper, virum prudentem, industria et facultatibus tam spectata, et tam rara, ut universi Regni Franciæ status, ordo,

Unde traxerit originem Ludovicus Rex Ungariæ et regimen, fauentibus et Rege et Baronibus, et ex eo penderet, et apud illum consisteret. Is ex magna nobilitate ortus, apud nonnullos inscribitur, aliqui autem ferunt illum obscuræ sortis et unius macellatoris filium fuisse, sed per operationem et sapientiam in gradum eminentem euasisse, Huic Ludouicus sextus ultimus, secundum originis Franciæ Rex moriturus, tam Regnum et consortem, quam filiam unicam virginem a se relictam commendans monuit, iussitque, ut non alteri nuberet nisi illi, cui Hugo Capetta nubendum mandaret. Habens itaque præfatus Hugo filium notabilem et adultum Carolum nomine filiam Ludouici sexti et unicam Regni Franciæ hæredem illi coniungit et desponsat, a quo tertia Regum Franciæ etiam in hunc diem durans capit origo. Ex hac etiam stirpe et familia descendens Carolus Ciotti Siciliæ Rex tres filios ex filia Ludouici sexti suscepit, videlicet Carolum Marcelli, Sanctum Ludouicum, et Robertum, Carolus deinde Marcelli ex Clementia filia Rodolphi Imperatoris filij Alberti cum filium genuisset Carolum Marcelli appellatum dum obijt, et illico frater suus Robertus tertio genitus Ludouico sancto secundo genito spernente et abhorrente se a Regno Siciliæ Regnum inuasit, primogenito fratris sui Caroli excluso. Qui tandem in ætate tenera ad Regnum Ungariæ delatus, non sine grandibus rumoribus et dispendijs illud obtinuit. Et ex Elizabeth filia Vladislai Lohtich Poloniæ Regis plures filios generans, tres tantummodo videlicet Ludouicum, Andream, et Stephanum maiores reliquit. Robertus tandem Siciliæ Rex unum tantummodo filium Carolum Ducha produxit, qui non nisi duas filias Joannam et Mariam reliquit Robertus itaque Siciliæ Rex qui filio Carolo superuixit, iniuriam, quam nepoti suo Carolo Ungariæ Regi intulerat, instauraturus, cum esset senex et decrepitus, et ut possessio Regni Siciliæ in domo et familia sua continuaretur, facinus insuper suum correcturus, præfati nepotis Caroli Ungariæ Regis, et cui Regni Siciliæ legittima successio debebatur, filium Andream accersiuit, et filiam filij illi Joannam in tertio gradu consanguinitatis sibi coniunctam desponsari, Gregorio xi° dispensante.

dispensante ordinat. Quae post biennium filio ex eo suscepto, ipsum ut in superioribus narravimus, fune serico suspensum et iugulatum in Aversa civitate extra cubiculum proici iussit. Residuus filius Caroli Ungariae Regis Stephanus, unicam filiam ex filia Ludovici Ducis Bavariae, et Romanorum Imperatoris generatis, extinctus, omnem successionem Ludovico reliquit. Qui et Carolo patri, in Ungariae et Casimiro avunculo in Poloniae Regnis succedens, ex filia Regis Bosznae, quam in matrimonio habuerat, nomine Elizabeth, duas tantummodo filias Mariam et Heduigim generavit.

Egressus tandem Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex, ex Cracovia in terras maioris Poloniae processit. Post cuius recessum genitrix sua Ungariae senior Regina thesaurum a fratre suo Casimiro Poloniae Rege, inter Relictam Regis Heduigim, et filias Regis, Annam et Heduigim, iubente Ludovico Rege iuxta ordinationem Casimiri Regis in morte factam divisit. Et Relicta quidem Casimiri Heduigis Regina, portione tertia illam contingente, quae non nisi ad trecentas triginta tres Marcas et dimidiam argenti, et mille marcas latorum grossorum tendebatur, accepta, ad paternam domum remissa, Ruberto Duci Legnicensi, Venceslai filio nupsit. Filiae vero Regiae, Anna et Heduigis, cum omni thesauro et suppellectili eis a patre largita, per Elizabeth Reginam in Ungariam, ne potentes maritos sortitae ad novandum res pro Poloniae Regno, procliviores forent, transferuntur. Ubi a Ludovico Rege, instaurato iudicio, quasi non de legittimo thoro natae forent, abdicatur illis Regni Poloniae ius, successio, et haereditas. Desponsatur tamen, una maior natu Anna Comiti Celiae Vuilhelmo, altera Heduigis Romero Duci.

Ludovicus Rex filias Casimiri Annam et Heduigim in Ungariam mittit, illisque non legittimo thoro natas probato, omni propinquitate Regni Poloniae abdicat.

In qua quidem re iustissimi Dei iustissimo et exactissimo iudicio, singula mortalium ferventes et prevallentes facinora, libet contemplari et admirari dispensationem, qui praefatas duas Casimiri Regis Polonorum Annam et Heduigim filias, in paternorum scelerum expiationem, et paterna haereditate privari, et non iusti thori opprobrium illis obiici permisit. In coloro filiarum Regis Casimiri praefati sinens decus iusto decreto, parum pessundari, in quo ipse, alterius filiae decus pudicitiae eripuerat.

Veruntam

Ludovicus novus Rex Poloniae Maiorem Poloniam invisat, inde Cracoviam rediens, commisso Regno Elisabeth Reginae Seniori, in Ungariam abijt.

Venientem in terras Maioris Poloniae Ludovicum Regem, variae et frequentes Baronum et militarium partium illarum cohortes excipiunt, et in Gnesnam deducunt. Ubi etsi in Gnesnensi Ecclesia regius fuerit thalamus illi praeparatus, recusavit tamen illum conscendere, asserens id ad suum ludibrium verti posse. Sed nec suae nec Polonorum convenire dignitati, ut coronatio in solito Regiae urbis Cracoviensis loco semel accepta, debeat iterum velut ambigua apud Gnesnam variato et infecto more maiorum, innovari. Duobus itaque diebus apud Gnesnam absumptis, per Lanciciam, et Siradiam Cracoviam remeavit. In plerisque autem locis, Ungaris oppidanos et agricolas violantibus et nonnullas res per vim abstrahentibus, frequentes ad Regem concurrebant querelae, quae ad audientiam Regis, Ungaris oppidanos agricolas et caeteros iniuriatos repellentibus, non poterant perduci. Parvo deinde tempore Ludovicus Rex, ex quo de terris Maioris Poloniae redierat, Cracoviae immoratus, Reginam Elizabeth matrem suam ad gubernandum Regnum Poloniae relinquens, non stabilito, non ordinato Regno, neque castris Santhoriensi, et Vuladimiriensi, Regno abstractis, recuperatis, gradu concito in Ungariam, coronam Regni Poloniae matricalem, sceptrum, pomum, gladium, et caetera Regni insignia, ex Cracovia auferens, ne alius Rex a Polonis substitueretur, quod quammaxime et prae caeteris verebatur, ob sui absentiam, et nonnullorum Poloniae Ducum iustiorem successionem accideri, alius posset insigniri, per viam, qua venerat, rediit. Ex eo quoque tempore Poloniae Regnum amplius per faeminam, Reginam videlicet Elizabeth Seniorem, quam per Ludovicum Regem administrari coeptum est. Amotis quoque antiquis Consiliarijs, Praefectis, et Officialibus, quibus Casimirus Poloniae Rex usus est, Novi parvam quidem Rerumpublicarum habentes peritiam, sed qui optime noverant muliebri conditioni blandiri, sub quibus res publica Regni Poloniae vehementer concidere et labi coeperunt, surrogati. Tunc quoque ex comparatione Ludovici primum sentire coeperunt, quam facetum, quam utilem Regem amiserant. Charitati quoque Casimiri, non poterat Ludovico Regi succedenti favor, et a nobilitate et a popularibus haberi, quam rem Ludovici quoque Regis parvum Regnum Poloniae aestimantis, angebat causabaturque absentia

Tumultuario exercitu comparato Kyjstuth Litthuaniae Dux Prussiam subintrat, et districtu qui Stisken nominatur vastato, et incenso, facta strage in Christiano populo celerrime se cum captiuis et spolijs de Prussia euoluit. Quam vastationem Magister Prussiae Venricus, vltum iri satagens, cum omnibus copijs et peregrinis militibus in Litthuaniam intrat, Et exercitu in partes quatuor dispartito, populationem longe lateque acta, plurimos captiuos, et spolia in Prussiam deducit. Quo recedente Vlric Commendator de Balga partes Russiae ingreditur, et castrum Drouuch impugnat, Quod cum vincere nequiret, spoliata regione in Prussiam cum captiuis redit. Confluentibus deinde multis forensibus, tertia expeditio in Litthuanos acta est, et a Commendatore de Insterborg Ducis Castrum Dursenne expugnatum et incensum, et multi Litthuanorum occisi aut capti

Letthuani Prussiam, et Prutheni vicissim Letthuaniam vastant, spoliant et praedantur.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS

Suadentibus et insusurrantibus nouis Consiliarijs, quorum persuasionibus et monitis Elizabeth Senior Vngariae Regina Regnum Poloniae, permittente Ludouico Vngariae et Poloniae Rege administrans, permiserat se, veteribus, et sana consilia praebentibus, abrogatis, deliniri, Przeczslaum de Golucsowo Palatinum Calisiensem, ex Capitaneatu maioris Poloniae, quem probe et animose fertur rexisse, in dubus carens priuij amouit, et Otthonem de Pilcza virum et militem ea tempestate liberalem et insignem instituit. Id a militibus et nobilibus maioris Poloniae quaerentibus se ea mutatione oppressam, et iura sua atque obseruantias veteres pessundatum iri, quod maioris Poloniae Baronibus contemptis et praeteritis Ottho praefatus, nullas possessiones in ora maioris Poloniae retinens, eis praeferretur, Et subijci ~~illa~~ illi atque parere velut Capitaneo detrectantibus, molestiae aliquanto tempore latum. Tandem ipsius Otthonis liberalitate, industria, qui nonnullos ex militaribus Poloniae magis sibi aduersos, in praefectos, Officiales, et tenutarios castrorum

Elizabet Vngariae Regina Regni Poloniae gubernatrix, Przeczlao de Golutsow Capitaneatu maioris Poloniae amoto, Ottonem de Pilcza Cracouiensem praefecit. Qui ob multas persequutiones illi renuncians, Sandiuogium de Subino habuit successorem.

in eodem Capitaneatu consistentium, assumpserat, sedatum et sublatum est. Crescente vero indies, praedonum, furum, et hostium clandestinis excursionibus, fines partium Maioris Poloniae operas suas in odium Otthonis Capitanei subtrahentibus, in militiam quoque iussu Otthonis ire aspernantibus, Otho praefatus mores huiusmodi et livorem in se conceptum militarium pertaesus, sponte cedit Capitaneatui. Cui Sandivogius de Subino illarum partium miles et indigena succedit. Sub cuius regimine et Capitaneatu anno eodem et sequenti plurimae depraedationes et spolia nemine prohibente in Regno Poloniae, et ab hostibus incursantibus externis, et a propriis et civibus committebantur. Accessit et aliud aeque et amplius malum, et lues pestifera epidemiae Regnum Poloniae universaliter invasit, et plurimos mortales anno eodem et sequenti, adeo ut plurimae domus remanerent absque habitatoribus, extinxit

Il innardentium, numero, et pro illorum persequtione et exterminio, militaribus maioris Poloniae operas suas

Quintadecima mensis Aprilis apud Posnaniensem Ecclesiam, vertex dextrae turris fulmine percussus, et extremitas anguli turris eiusdem disrupta est. Exiguo insuper testitudinis foramine in capellam regiam virtus fulminis penetrans, et fortissimum impetum agens, a singulis, quae apud capellam consistebant, abscindens imagines Przemislai Poloniae Regis et consortis suae Reginae hihszae in parietibus capellae insculptas, quasi in unum confecturus, fregit, et decussit, qui eventus pro singulari prodigio habitus est.

Fulmi. Posnaniae quod prodigii loco est imagines sculptas Regis Poloniae Przemislai et consortis suae demolitur.

Tertio faecundata utero Elizabeth consors Ludovici Ungariae et Poloniae Regis, dum mirum in modum a ~~affa~~ renti utroque, sed et ab Optimatibus Regni Panonici prolis masculinae desideraretur, faemineam effudit, quae in Baptismo Hedvigis nomen accepit

Vicissitudine reciproca inter Cruciferos de Prussia et Litthuanos, eo etiam anno vastationes terrarum habitae sunt. Nam et Keystuth Litthuaniae Dux non in parvo exercitu Prussiam veniens, districtum Stisten vastat, et multis Christianorum occysis et captis, spolia cum captivis Litthuaniam reducit, Et Prussiae Magister Venricus cum advenarum et propriorum militum solatiis Litthuaniam

Vicissitudinaria ac reciproca Litthuanorum cum Prutenis concertatio atque praedatio niam et Samogitiam vastat, caedit, et urit, et cum spolijs atque captiuis reuersionem facit. Expost vero Commendator de Balga frater Ulricus altero exercitu expeditionem contra Russiam agit, castrumque Drouch expugnare adortus, cepto irrito desistit, spolijs tantummodo et captiuis onustus in Balgam redit. Egit et secundam in Litthuanos expeditionem Commendator de Insterburk et cum forensi militia, castro Dirsunie expugnato et incenso, multos Litthuanorum aut cepit aut necauit.

Tertia die mensis Decembris Dobeslaus appellatus Szowka Plocensis Episcopus, dum ex Woltborsko in Ploczsham procederet, in villagio quodam prope Rorzno ad mensam sedens Apoplexia percussus, inconfessus, et incommunicatus, repentina morte absumitur, dum annis tribus tantummodo Cathedrae praefuisset, in Plocensi Ecclesia excepit sepulturam, Corpore autem suo nondum sepulto Capitulares praesentes a Ducibus Masouiae Semouito et Ianussio instigati, absentibus non vocatis, electione celebrata, sexta die Decembris Stiborium de Radzimino Plocensem Archidiaconum eligunt, genere nobilem, de domo et familia Ostoya, Cuius electionem etsi Ioannes Suchiwilk Gnesnensis Archiepiscopus apud Zneniam agens decima octaua Decembris confirmasset, ipsumque in Episcopum ibidem consecrasset, ne tamen confirmatio sua posset reuocari in dubium, electionem suam ab Vrbano quinto obtinuit etiam confirmari. Qui in villagio sui natalicij Radzimino Ecclesia lignea et humili demollita, Ecclesiam nouam de cocto latere opere sublimo fabricauit, adornauitque tumulis

Boleslao Plocensi Episcopo mortuo apoplexia, succedit Stiborius de Radzimino.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS

Integro fere biennio Iaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus, in bonis mensae suae, districtus Louicensis, a nonnullis militaribus et nobilibus Masouiae, et signanter a Petrassio filio Cristini Palatini Plocensis, grauibus, frequentibus et exquisitis molestationibus, depraedationibus, et rapinis lacessitus,

Iaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis a Petrassio filio Cristini Palatini in bonis damnificatus, to tumulta zouiae Ducatum Ecclesiastico interdicto supponit, duasque villas pro sua Ecclesiae damnis accipit

requisitus, Ducem Mazouiae Semovitum, quatenus praefatum Petrassium, ditioni suae subditum, ad raptorum, occupatorumque restitutionem et quietem, Nuntijs et literis cogeret, multifarie fatigat. Verum Dux Semovitus, exhortationes de malis quae a Petrassio Gnesnensi Ecclesiae inferebantur, ex occupatione vel aut ex industria ~~dissimulo~~ ~~[illegible]~~ dissimulanti, cumque a nonnullis insimularetur vexationi huiusmodi annuisse et mandasse, spiritualem gladium patientiae vagina hactenus conclusum exerit, et universum Mazouiae Ducatum Ecclesiastico supponit interdicto. Quo malo Semovitus Dux, Ecclesiasticis et Saecularibus universis omnem culpam in eum referentibus, perculsus, ab Anathematis vinculo terram suam solvi efflagitat, Offerens se et iustitiam et aequitatem de Petrassio impensurum, Sed dum Jaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis non iustitiam aut aequitatem super notorijs gravaminibus, praedis, et spolijs sibi illatis, sed realem tantummodo satisfactionem recepturum respondisset, omnibus praeterea anxietatibus, et singulari confectus dolore, arbitris communibus negocium committitur, quorum decisione Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus duabus villis in refusionem suorum damnorum, in perpetuam Ecclesiae suae sortem acceptis, placatus, interdictum resolvit

Jaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis caecus factus nepoti suo Joanni Suchiwilk Archiepiscopatum resignat

Naturali calore Jaroslaum Gnesnensem Archiepiscopum praefatum sensim deserente, virtus quoque visiva illi vicesima prima mensis Decembris, Veneris die, adeo subducta subito est, ut ex vidente caecus repente fieret. Quapropter Ecclesiae suae Gnesnensi, cum qua plusquam octo lustris concorditer vixerat, quamque murorum aedificijs celeberrimis et villarum locationibus extulerat, magnificaverat, consultius et utilius, Nicolao de Coszutkow Praeposito Gnesnensi consanguineo suo de sede sua cedendum duxit, procuratoresque ad cedendum constituit. Qui parum provide rebus suis prospiciens, neque capitulari consensu, neque Regio favore suffultus, ratus nudam sibi cessionem sufficere, in Avinionem ad Gregorium Papam se contulit, provisionem Ecclesiae Gnesnensis facili ut sperabat impendio obtenturus. Sed a Janussio Pashonis, Cantore Gnesnensi, qui illum apud Avinionem eadem celeritate qua illi venerat consequutus, erat et nomine Capituli Gnesnensis impeditus, multis sumptibus et fatigis inutiliter anno integro, sub quo a peste inguinaria adversarius suus Janussius Cantor extinctus est, gestis, infecto et desperato negocio vacuus rediijt. Praeposito autem Nicolao animum remittente de prosequendo, Archiepiscopus Jaroslaus semel coeptum propositum de cedendo intendit. Et noua constitutione ad cedendum honori et oneri Archiepiscopali in personam nepotis sui ex sorore germani Joannis Suchiwilk de Strzelcze Decretorum Doctoris, Decani Cracouiensis et Canonici Gnesnensis, ex terra Sandomiriensi, et villa Strzelcze prope oppidum Sczydlow ad Sczychodnyas sita, de domo et familia Grzimalitarum orto, procuratores constituit. Verum dum Nuncij praefati Joannis Suchiwilk Decani, Domarath miles et Jarandus Canonicus Gnesnensis, Ludouici Vngariae et Poloniae Regis intercedentibus pro Decano literis, fulti, casso labore apud Gregorium Vndecimum Auinione, Ludouico eadem facilitate, qua concesserat, intercessiones suas alijs literis reuocante, Joannes Decanus praefatus, nouis literis, a Gnesnensi Capitulo, quibus sui Nuncij fulciti non erant, item literis Ludouici Regis Poloniae, item literis Caroli Romanorum Imperatoris, et Bohemiae Regis armatus, Auinionem se personaliter contulit. Et Guilelmo Cardinali propinquo sanguine Gregorio Papae coniuncto, causam suam promouente, de Ecclesia Gnesnensi per Gregorium Papam, anno subsequenti videlicet M° ccc° Septuagesimo tertio prouisus est, et de mandato speciali Papae, Auinione, in Dominica Misericordia domini, consecratus. Subito deinde ex Auinione propter grassantem illic pestem euoluens, Gnesnam feria tertia mense Julij prima die ingressus, et Pontificionum honore susceptus, altero adueniens sibi die in festo videlicet Visitationis Sanctae Mariae in Pontificalibus, Missarum solennia peregit, Pacificamque et plenam Archiepiscopatus possessionem nactus est, praeter Slomirangrod et Opatouiensem districtus, et Calisien̄ decimas, quae Sedes Apostolica Jaroslao olim Gnesnensi Archiepiscopo, pro manutinendo statu suo reseruauerat. Fastidiens quoque praedictus Jaroslaus Archiepiscopus, saecularium habitationem et conuersationem, in Monasterio Landensi prope Pisdri, integro fere, paenitentians secessum et disciplinans, versatus est biennio. Hunc autem Joannem Suchiwilk Archiepiscopum Gnesnensem, aliqui ortum tradunt, ex villa Strzelcze prope Pacanow, in terra Sandomiriensi, ad fluuium Sczodnya sita, Aliqui ex villa Golussow prope Calisz ex patre Przeczslao Palatino Calisiensi.

Ludouicus Vngariae et Poloniae Rex, filiam suam Mariam natu maiorem, Sigismundo filio Caroli Imperatoris, et Bohemiae Regis Brandeburgensi Marchioni desponsat.

Cum anno proxime transacto Epidemiae morbus in corpora humana apud Poloniae Regnum, parco et castigato languore saeuisset, eo anno acrius grassabatur per agros, fora, oppida, rura, atque urbes, ut in plerisque locis libitina vix sufficeret.

Duplex et hoc anno a Cruciferis de Prussia in Litthuanos expeditio habita est, quarum unam Frater Vigandus de Beldersheim, alteram Commendator de Insterborch administrauit. Nihil memorabile in utraque gestum, neque enim Litthuani crebra vastatione fessi, in aciem aut dimicationes prodibant, Vastata itaque sunt tecta, et caedibus in senes et impuberes indultum, et captiuorum aliquantus numerus Prussiam adductus.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTVAGESIMVS TERCIVS.

Wladislaus albus Dux Gniwkowiensis, Poloniae Regni haeres, qui multis annis regulam S. Benedicti professus fuit, audita morte Casimiri, dum a Pontifice non posset dispensationem obtinere, in Poloniam per quosdam milites vo

Ad nouandum res, nonnulli ex Baronibus Maioris Poloniae procliui, et Regis semini Polonorum affecti, Wladislao albo Duci Gniewkowiensi in ordine et religione Sancti Benedicti apud ~~Diuionem~~ Diuionem Burgundiae in Monasterio Sancti Benigni annis prope quatuordecim demoranti, mortem Casimiri Polonorum Regis, quamprimum secuta est, literis et Nuntijs significant, Et illum ut Monasterio et religione desertis in Regnum Poloniae veniat, successionem illius velut Casimiro Regi Poloniae per lineam masculinam proximior, sua et aliorum Baronum Poloniae secum una sentientium habiturus opera, habiturus, animant. Nec Nuntijs et literis contenti ipsimet ad perquirendum Ducem suum Wladislaum album, prisco exemplo, quo Casimirus primus Polonorum Rex ex Cluniaco, ubi ordinem et regulam professus etiam in Diaconi gradum euectus fuerat, excitati, proprijs expensis ire pergunt. Et Wladislaus quidem albus Gniewkowiensis Dux, morte Casimiri Poloniae Regis percepta, ut erat ad leuitates, resque nouandas natura praeceps, ad capessendum Poloniae Regnum, magnis spebus incensus, exiuit de religione et Monasterio. Et primum in Gniewkowiam

dispensatione

dispensationem ab Apostolico quaesiturus, ut ei in Polonia liceat succedere Regnum, spe animoque Regni Poloniae dominatum complexus, et imperium, descendit, Polonorum Baronibus, quos ad se perquirendum et reducendum adventare noverat, apud Basileam Rheni urbem adventum suum operiri iussis, ex Avinione tandem omni spe de obtinenda dispensatione frustratus, recedens, nonnullos Basileae, quosdam in Argentina Barones Polonicos et signanter Przedpelkonem de Stasszowo, Stephanum de Tolang, et Visczotam de Curnik, pluresque alios eorum comites offendit. Eorum procuratus expensis, eorumque directus consiliis, Ludovicum Ungariae et Poloniae Regem apud Budam tunc agentem primum adijt. Ubi parum grate susceptus, Baronibus Poloniae illum deserentibus, et inanem spem prosequi desistentibus, plusquam biennio degit. Assiduis autem obsecrationibus consortis suae Elizabeth Reginae Ungariae iunioris, Vladislai albi ex sorore germana neptis, Ludovicus Ungariae Rex expugnatus, Vladislaum Ducem album ad Papam Gregorium undecimum in Avinionem, et cum illo notabiles Oratores, rogaturos, ut dispensatus Dux Vladislaus albus, saeculum, et Ducatum fas illi esset repetere, transmittet. Supplicationis autem suae repulsam passus, cum ad dispensandum nulla legittima causa, qua Summus Pontifex moveretur, extaret, ex Ungaria Ludovico Rege ignorante quatuor tantummodo comitatus familiaribus, temporalium flagrans desiderio, in Poloniam maiorem descendit. Et primum apud Gnesnam feria sexta die Nativitatis Sanctae Mariae ab hospite cognitus, prospere inde digressus, Vladislaviam veniens, cum prohiberet nemo, castrum occupat. Civibusque Vladislaviensibus in castrum accersitis, et dicto parentibus, sacramento illos de fide sibi et non alteri obligat. Praesidio autem aliquali castro Vladislaviensi imposito exiliens, mira celeritate Gniewkow in suam ditionem redegit. Iamque aliquibus militibus, civibus, et agrestibus ad adventum suum exultantibus comitatus, Romlikonem castri Zlotoria tenutarium in rure se continentem ex improviso adortus captivat, et vinctum ad castrum Zlotoria adducens, familiaribus illius castrum Zlotoria observantibus, castrum reddi imperat, abnuentis terret se illorum Dominum Romlikonem illico capite damnaturum. Hijs illi fratri et Ducis Vladislai albi promissionibus eos mulcentibus

catus veniens quatuor castra duobus diebus conquirit, unde facile eiectus est.

centibus exhilarati, castrum Zlotoria tradunt. Sub uno itaq; de trium castrorum nactus possessionem die; altera vero die Sabbati cum Wladislaviensibus et Gnewkowiensibus civibus Barcen castrum obsidere coepit. Ubi aliqualem resistentiam, eo tantummodo die quo venerat expertus, die Dominico mane castrum Barcen per deditionem, uno tantummodo de suis desiderato, accepit. Occupatione castrorum quatuor sub tam brevissimo tempore sequuta, Sandivogius de Subino Maioris Poloniae Capitaneus expergefactus, et magno consternatus, cum castra ipsa sub eius Capitaneatu et [illegible] ditione consisterent, dolore, frequenti consilio advocato, quid facto opus sit, deliberat. Veloci itaq; Nuntio Regi Ludovico in Ungariam, invasionem et occupationem praedictorum castrorum significans, ipse expeditione indicta, quam etiam literae Regiae celerrime ex Ungaria relatae fieri iubebant, Wladislaviam, convenientibus copijs universarum Maioris Poloniae terrarum, obsidione vallavit. Et continuo Wladislaus Dux albus a nobilibus et militaribus, qui illi adhaeserant, regiarum literarum metu desertus, quid ageret, quorum imploraret suffragia, penitus ignarus, in spe sua deffluere et collabi coepit. Longam autem obsidionem Wladislaviensis civitas non tolerans, cum fame saevissima pluribus diebus laborasset, et nihil praesidij in Wladislao albo Duce, tam pecunijs quam gentibus inope sciret repositum, facinore suo recognito obsecrans sibi ignosci deditionem facit. Quo Wladislaus albus Dux cognito, maiori fluctuatione collisus, amicis suadentibus, castra singula quae occupaverat, et singula victualibus integro anno famem toleratura fulciverat, Sandivogio de Subino Capitaneo Maioris Poloniae, uberem gratiam Ludovici se consequuturum sperans, Sandivogio Capitaneo, et caeteris Baronibus Poloniae suam augentibus spem, et pro ea impetranda suas pollicentibus intercessiones et operas, ex integro restituit et resignat. Hic Wladislaus albus Dux, felicibus fuit Casimiri Ducis filij Zemomisli, filij Casimiri Ducis Cuiaviae, Lanciciae, Siradiae, et Dobrzinensis, Casimirus autem fuit filius Conradi Ducis Mazoviae filij Lestkonis Monarchae Regni Poloniae. Iste Zemomisl Dux Gnewkowiensis

wiensis

niensis habuit tres filios, Przemyslaum, Lesthonem, et Casimiru[m]. Sequuta autem morte paterna, diuisione Ducatuum celebrata, cessit Przemislao maiori natu Budgostia, Lesthoni Juniuladislauia, Casimiro Gnewkowo, et Castellania in Slawnsk. Przemyslaus et Lestho cum orbi decessissent solus Casimirus superstes remanens, licet plures habuisset filios et filias, unus tamen Wladislaus albus, et una filia fuere, caeteris fato absumptis, superstites. Cui cum uxor sterilis mortua foret, dimissis principatibus suis in potestatem Casimiri Poloniae, et mille florenis ab illo receptis, animo nunquam in Poloniam reuertendi ad terram sanctam ex Venetijs pelago transfretauit, et visitato sepulchro domini in Auinionem diuertit, et Cistercensium Ordinem professus, illic longo tempore mansit. Tandem Cistercensium Ordinem perosus, in Diuionem se contulit, et in Monasterio sancti Remigij Ordinis Sancti Benedicti, habitu griseo in nigrum commutato usq. ad annum Domini M. CCC. LXX iij mansit. Morte tandem Casimiri Poloniae Regis, tarde licet, audita, in Poloniam se conferens, plurimos se et alios malis inquinauit et inuoluit, et dum aliud consequi et obtinere apud Regem Poloniae et Ungariae Ludouicum per intercessiones neptis suae germanae ex sorore Elizabeth Reginae consortis Ludouici non posset, decem millibus florenorum a Ludouico Ungariae Poloniae Rege venditionis nomine receptis et inaniter consumptis, etiam Abbatiam quandam Sancti Benedicti a Rege Ludouico in Ungaria satis pinguem et uentrosam obtinuit, et secum et aliquorum affectionem dies suos illic consumauit.

Commendator di Balga frater Cluar comparato exercitu, Russiae bellum infert, et terram Bolinsha vastare aggressus, usq. ad Camenecz grassatus est, patrata autem caede, et congestis captiuis, et pecore Balgam redit. Quadragesimali uero tempore Keystuth Litthuanus Dux omnes vigilias Cruciferorum fallens per deserta et remota Prussiam ingressus circa villam Biberstein, aliquali mora facta, hostilitate in Christianos barbarica usus, plures aut occidit, aut capit. Ab exploratoribus vero suis certior factus de Cruciferorum exercitu in sui repressionem collecto, in syluas et deserta illico refugit, relictis insidijs in locis

Russia Pruteni, Prussiam Litthuani ingressi eas spolijs ac caedibus complent.

in locis opportunis et abditis, si Cruciferi insequi fugientem auderent. Commendator itaque de Brandeburg qui ducebat exercitum insidias incidere veritus, persequi Ducem Kieystuts destitit.

Brigitta
Sancta
Scotiae Re
gina mo
ritur de
cuius Cano
nisatione
Romae agi
tur.

Viccesima Secunda Julij Beata Brigida Scotiae Regina moritur. Pro cuius Canonizatione coram Gregorio Undecimo in Consistorio publico Magister Matthias de Cracovia insignem fecit propositionem, virtutum eius et actionum efferendo, miracula que, quae constabat illam et in vita et in morte egisse, dignamque quae in caelicolarum transferretur numerum deducens. Cuius festum etiam et in praesentiarum Sanctitas est in Catholico orbe et signanter in Poloniae Regno celebris, et ordo illustris.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTVAGESIMVS QVARTVS

Repetens
Ludovicus
Rex a Po
lonis cen
sum sive
Poradlne,
quem cum
ipsi Casi
mirum sibi
donasse alle
garent, ob
tinuit tan
dem ab
eis, ut fi
liae eius
Maria et
Hedwigis
illi in re
gnum suc
cederent
et deinde
a censu
illos libe
ravit, du
obus tan
tummodo
grossis pro la

Largis et integris Regni Poloniae introitibus Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex parum contentus, quia nimium ante illum Poloniae Regum integriores provenerant, universos Pontifices, Barones, et quoslibet Regni Poloniae Proceres monet per officiales suos atque praefectos, et requirit, ut thesaurum regium et censum diminuant, ne sibi Casimiro Poloniae quondam Rege avunculo suo, inferioris depressiorisque conditionis putent, et tributum ratione universalis dominij de quolibet possesso laneo solvi pro camera regia solitum ad sex scotos latorum grossorum, unam mensuram siliginis et unam avenae se extendens, quod hvohiustinuo vel est regalis census, aut Poradlne nuncupari consueverunt, etiam sibi iuxta vetustam legem et observantiam, usque ad tempora sui regiminis custoditam, in praxi habitam, persolvant. Praelati autem et Barones Poloniae, solutionem tributi, non secus, quam pestis cuiusdam et servitutis, agros eorum, et villarum colonos magnopere demollientis omnibus execrati, respondent, benignitate Casimiri Regis pro se, suis ecclesiis et Regnum meritis, a tributo huiusmodi sic et agros suos solutos et liberatos esse, et censum huiusmodi perpetuo abolevisse. Huiusmodi autem re

responsionem

sponsionem ad Ludovicum Regem per speciales Nuncios transmissa, rogatus est Ludovicus Rex frequenti prece et instantia a Polonorum Legatis, ne libertatem super solutione tributi praefati, a Casimiro Poloniae Rege avunculo suo donatam, violatum et abrogatum iri contenderet, quin potius gratiam semel factam ratam perpetuo esse sineret, et eam pro futura subsistentia et robore literis confirmaret. Et Rex quidem Ludovicus de meritis et qualificatione huiusmodi negotij a nonnullis Polonis praefatis et Curialibus suis informatus, respondit, praedecessorem quidem et avunculum suum Casimirum Poloniae Regem de relaxando abolendoq; tributo Poradlne pollicitationem Praelatis et Baronibus Poloniae fecisse, nunquam implesse, et contraria observantia atq; exactione usq; ad tempus sui obitus producta, sponsionem ipsam et temerasse et refudisse. Non tamen se abnuiturum, quin pro Regni Poloniae et Praelatorum, Baronum, et Procerum eius incremento et commodo, nova sua concessione atq; dono tributi praefati in parte maiori, in signum consilij, minori remanente, relaxatio subsequatur, dummodo Pontifices, Barones, et Proceres Regni Poloniae sibi velint esse morigeri, et novis pactis, novisq; literis, filias suas, Mariam, et Hedvigim se pro haeredibus habituros, et ad possidendum Poloniae Regnum admissuros obligent, Proceresq; suas promissiones et pacta temporis Casimiri Regis de filijs duntaxat Ludovici, et Joanne nepote suo filio Andreae in Aversa per Joannam consortem suam Reginam Siciliae impie occiso, filijs deficientibus inita, quae stirpem filiarum excludebant, etiam ad filias extenderent, postquam Ludovicus Rex esse orbus filijs, Joanne insuper nepote germano in Sclavoniae Duce a Ludovico creato filio Andreae Regis Siciliae fatis absumpto, duas tantummodo filias Mariam et Hedvigim relinquebat. Pontifices itaq;, Barones, et Proceres Poloniae, grave et onerosum tributi praefati Poradlne iugum a suis et successorum suorum cervicibus excussuri, in conditionem a Ludovico Rege petitam consentiunt, et

mo et toto Poradlne super bonis Monachorum relictis alteram ex filiabus Regis, eo mortuo, pro haerede se suscepturos, Ludouico Rege tributum Poradlne per literas relaxante, et non nisi ad duos grossos in signum dominij restringente, astringunt. Pontifices autem Poloniae cum suis Capitulis donationi et relaxationi superiori, per Casimirum Poloniae Regem de praedicto tributo factae, quae omnem solutionem tollebat, inhaerendo, etiam duos grossos in signum dominij relictos soluere detrectarunt, Monasteriorum colonos et rusticos ad solutionem integri tributi, Regijs praefectis, relaxatione Ludouici Regis non obstante, illos cogentibus. Ex qua quidem tam euidenti iniuria loca religiosa, quibus huiusmodi inferebatur violentia, parum tuta fuerunt a Pontificibus si et sua tantummodo tueri satis ducentibus, defensa

Joannes Episcopus Posnaniensis fatis absumptus, cui Nicolaus de Kurnik sufficitur

Quartadecima mensis Februarij Joannes Episcopus Posnaniensis rebus humanis exutus, in Ecclesia sua Posnaniensi sepelitur, morbo hydropisi ad mortem perductus, in villa sua Episcopali Sdbikowo, cum annis decem et nouem sedisset dum obijt. In cuius locum Capitulares plerijque et signanter Compromissarij, qui fingebant se Trocanum Praepositum Posnaniensem electuros, Nicolaum de Kurnik Praepositum Sanctae Mariae de Cracouia et Canonicum Posnaniensem nobilem de domo Lodzia eligunt. Qui in Auinionem se personaliter conferens a Gregorio undecimo confirmationem et consecrationem, Ludouico Poloniae et Ungariae Rege, Joanne Archiepiscopo Gnesnensi, Floriano Episcopo Cracouiensi, literis et Nuntijs nequicquam impedientibus obtinuit, Possessionem etiam pacificam Episcopatus, quamprimum ex Auinione rediit adeptus.

Iustam partem Litthuaniae Cruciferi populantur.

Commendator de Insterborh cum pedestri et equestri agmine Litthuaniam ingressus, ad districtum Veigow perueniens, igne et caede cuncta peruastat, et cum spolijs captiuisq; Insterborh redijt. Consurgunt postea omnes Commendatores Prussiae in arma, et terram Dirsmegey et Vneygow Duce Gotsfrido de Lidia Marsalco Prussiae ingressi, omnia ferro et igne vastant, septingentosq; captiuos ex Litthuanis in Prussiam ducunt

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTVAGESIMVS QVINTVS.

Anno plusquam uno, Vladislaus albus Gniewkoviensis Dux stipe aliena Rodeze vivebat de Orzew alitus, exacto, cum spei sibi per Sandivogium de Subino Capitaneum, et Barones maioris Poloniae, de gratia per Ludovicum Regem monstranda facta, effectus non respondisset, et ipse gravi egestati, hospiti etiam suo Bodeze de Orzew gravis et fastidiosus existens, urgeretur, ad recuperandum Ducatum suum Gniewkoviensem, studio pertinaci pluribus suasoribus animum suapte irritatum inflammantibus intendit. Non tamen machinationes sua adeo fuere tecta et secreta, quin in publicum non prodirent. Vulgaveratque praecurrens omnia fama, Ducem Vladislaum album, aliquot ex castris, quae olim suae ditionis fuerant, dolo vel virtute intercepturum. Quo rumore Sandivogius de Subino, maioris Poloniae Capitaneus, sub cuius cura et potestati, castra a Duce Vladislao albo occupanda, consistebant, irritatus, ne Dux ipse machinationes suas impleret, provisurus, Cristinum de Skrzypno militem, sororem suam pro consorte habentem, gravis enim iam tam annis, quam his, quae ferro administranda erant, fuerat et ad expellendum denunciatum periculum minus idoneus videbatur, a castri Zlotoria, cui Sandivogius Capitaneus magis timebat, amovere, et castrum alteri magis apto et industrio committere instituit. Sed Cristino de Skrzypno destitutionem suam gravius ferente, et allegante, non convenire suo honori, ut in tempore periculoso et difficili velut inutilis et ineptus, a castri tenuta debeat excludi, Sandivogium Capitaneum, et suis et consortis suae precibus pervincit, ne ipsum tam notorio deturpet dedecore, omnem insuper metum et sollicitudinem, Sandivogium Capitaneum de castri sibi crediti amissione deponere iubet, astruens se illud ab omni invasione, interceptione, et periculo hostili conservaturum. Corrupti interim a familiaribus et exploratoribus Ducis Vladislai albi pecunia, et promissis piscatoriam exercentis artem, et sufficientes ab eis de prodendo castro Zlotoria instructi, in castrum Zlotoria aliquot vascula vino meliori

Vladislaus albus, Ducatum suum Gniewkoviensem ambiens, castrum Zlotoria, inebriato per suos Capitaneo capit lwri impleta ferentes, Cristi~~anum~~num tenutarium illo inebriaturi, quem noverant ebrietati deditum, perveniunt. Et vino praesentato a Crystino favorose excepti et considere iussi, quod attulerant vinum, in commune cum Cristino potus avido hauriunt. Quo brevi epoto, aliud rursum in quantitate maiori ex suorum ordinavarunt propere afferri. Nec prius inde discedunt, donec viderunt ex bibitione forti et continua Cristinum inebriatum et hebetatum fore. Cristino itaque in gravem soporem ex ebrietate nocte insequenti soluto, familiares et exploratores Ducis albi Vuladislai scalis appositis castrum Zlotoria in Assumptionis Sanctae Mariae die conscendunt, et tam Cristinum tenutarium, quam plerosque suos familiares ex potatione hesterna vix expergefactos captivant, Ducique Vuladislao et castrum Zlotoria ab eis interceptum, et Cristinum eius tenutarium vinctum praesentant. Dux autem Vuladislaus albus suo potitus desiderio castrum quidem Zlotoria, multis vagis inopibus alieno aere gravatis, aut damnatis per iudicia, ad illum exemplo confluentibus, valido servat praesidio, Cristinum vero militem in Sandivogii Capitanei odium et exacerbationem, diro torquet carcere, a quo tandem, Sandivogio Capitaneo liberationem suam negligente, et suam saepius illi exprobrante ebrietatem et desidiam, aliis amicis agentibus, quingentis sexagenis solutis, pro quibus in omni vita residua sufficiens vinum, si sobria mens adfuisset, poterat habuisse, redemptus, et a captivitate solutus est

Ylricus de Osten ferens Wladislao albo opem, castrum Gniewkow capit, postea ipsum Wladislaum deserit

Laturus Vuladislao Duci albo solatia quarta die, ex qua castrum Zlotoria interceptum est, Ulricus de Osten filius Bodeze de Drzden, ducens secum aliquantos equites, et pedites, advenit. Qui iuvenis insuper fortunam Ducis albi enixius promoturus, castrum Episcopale Karzansz accedens, campanili et stuba quae cominus castrum sita erant, conflagratis, castrum oppugnat. Sed castrensibus strenue se et maenia defendentibus inde repulsus, versus Gniewkow contendit, et castrum

Gnewkowien

Gniewkowiense gravi impugnatione vexare cepit. Et licet illius tenutarius Gerardus de Slomowo fortiter cum suis restitisset, et Ulrici, suorumque fregisset et elisisset impetus et conatus, oppidanis tamen Gniewkowiensibus Ulricum adiuvantibus, et magnos palearum et sarmentorum acervos circumquaque castrum congerentibus, impugnatione castri omissa, igne paleis et sarmentis supposito, castrum quoque Gniewkowiense licet tenacissime a Gerardo et suis defensum, vento flammas in structuras adiuvante, igneo ardore correptum est. Quo, ne conflagraret Gerardus cum fratre et duobus filiis, et aliis duobus et viginti familiaribus, armis quoque et equis, in captivitatem Ulrici se dedere compulsus est, a qua per Sandivogium de Szubino Capitaneum, non parva pecuniarum quantitate, Duci Wladislao albo soluta, redemptus est. Mandantibus deinde Dobrogostio et Arnoldo germanis, Ulricus Ducem album Wladislaum, ne de crimine lesæ maiestatis, cum Regni subditus fuerit, convictus, etiam ceteris fratribus ignominiæ notam ~~diff~~ inureret, deseruit, et in propria cum suis omnibus remeavit.

Ad opprimendum Wladislai albi Ducis assiduas terrarum maioris Poloniæ impugnationes, invasiones, incendia, militarium captivitates, neces, atque conatus, quæ eousque processerant, ut illis per solum Sandivogium de Szubino Capitaneum maioris Poloniæ non quiverint resisti, Joannes qui et Jaszko Kuntsa Siradiensis Capitaneus de genere domoque Srzeniawitarum expeditione indicta cum militibus et copiis Siradiensibus, versus Zlotoriam ad obsidendum illam veniebat. Militibus autem et copiis quas ducebat, aliud iter tenentibus, et nullum hostilem respectum, dum in terra Cuiaviensi consisterent, verentibus, currus sui et suorum militum cum ceteris impedimentis a gentibus Wladislai albi Ducis capti sunt, et omnibus rebus quas vehebant in auro, argento, et cetera supellectili Dux albus Wladislaus potitus. Magnos ex eventu Wladislaus Dux ausus concipiens, flumine Vistula superato, cives et agrestes quoslibet Gniewkovienses, et quamlibet imbellem ætatem in militandum cogens, numeroso magis quam expedito agmine ad obsidendum

Wladislaus albus castrũ Inowlodiense occupaturus, a Jaskone Kunitsa Capitaneo Siradiensi profligatur, et Zlotoriã fugiẽs inde continuas incursiones facit in Poloniæ regionem.

obsidendum Juniuladislaviam pergit. Sed Jaschko Kunitha Capitaneus Siradiensis de suo adventu ab exploratoribus certior factus, potentijs cum Bartossio de Vuczszemburg Capitaneo Brestensi coniunctis, prope Annuchow illi occurrens animo confligit, et facili negocio fundit fugatq. Dux Vuladislaus albus, ne vivus hostibus traderetur, per invia et indirecta loca versus Nyesla viam, tribus tantummodo comitatus socijs festinus et pavidus tendens, manus persequentium evasit et fefellit, quo perveniens, equis relictis, navigio Zlotoriam rediit, sui vero a gentibus Kunitha et Bartossij usq ad Thorunense navigium persequenti, magna strage aut deleti aut capti sunt. Nihil tamen ea clade Dux albus Vuladislaus perculsus Sbūr bona oppidi Juniuladislaviam et plures in Cuiavia villas flammis dedit, nobilesq cives et quoslibet mercatores captivari non desijt. In munitione itaq Jaroslai, in Slusgewo, et nonnullis alijs locis, forte militum praesidium a Sandivogio Capitaneo Maioris Poloniae locatum est, quo nequicquam prohibente, captivationes, spoliationes, et exustiones, per Ducem album et suos non in Cuiavia solum, sed et in maiori Polonia agebantur

Heduigis filia Ludouici Regis Vngariae et Poloniae nupsit Vilhelmo Duci Austriae.

Alteram filiarum suarum Heduigim natu quidem minorem, sed praestantiorem forma, Ludouicus Poloniae et Vngariae Rex dum se valetudinarium et morbis cognouit implicitum, Vuilhelmo Duci Austriae filio Lupoldi desponsat. Qui ex Austria in Pannonias adductus, sub omni tempore quo Ludouicus Rex vitam produxerat, filiali indulgentia, sub oculis et in aula soceri nutriebatur

Ludouicus Haliciensem Metropolim, et Cathedralem Premisliensem ordinat, et a Gregorio Vndecimo sui propositi confirmationem obtinet

Ruthenorum regiones a Casimiro Polonorum Rege frequentibus et iustis armis expugnatas, possessas, et locatas, Ludouicus Vngariae et Poloniae Rex pro comperto habens, Catholicorum numero et multitudine refertas esse, solennibus Nuntijs ad Gregorium Vndecimum Avinionem destinatis, obtinuit, quod Haliciense oppidum Archiepiscopali, Premisliense et Vuladimiriense Episcopali pro fidei et religionis Orthodoxae augmento, et Catholicorum in terris huiusmodi degentium profectu fuit insignita excellentia et honore. Quae quidem Rutheniae terra sibi et Poloniae Regi, cum in earum possessione nunquam alias fuerit, morte Casimiri Poloniae Regis sequuta, primum provenerant. Fuit autem ad praefatam Metropolitanam Haliciensem Ecclesiam recenter a Gregorio undecimo erectam, Jacobus natione Polonus consecratus, et sedi suae Ecclesia ibidem gravi ritus consignata. Ad Premisliensem autem Ecclesiam per Gregorium Papam praefatum promotus fuit vir religiosus, et consecratus primus Episcopus, Ericus frater Ordinis minorum natione Almanus, nobilis genere et moribus virtuosus, qui illam pulcherrimo ordine regulavit.

Geminata expeditione Cruciferi de Prussia in Ruthenos et Litthuanos usi sunt, Maior siquidem exercitus, in quo erant omnes Commendatores in Litthuaniam, Commendator vero de Rangnetha in Russiam cum minori agmine diverterunt. Uterque autem exercitus spolijs, caedi, et exustioni intentus, spolijs et captivis refertus rediit. Interim vero Litthuaniae Duces, videlicet Olgerdus, Keystuth, et Swerderhe, cum proprijs et auxiliaribus gentibus Prussiam intrant, et trifariam divisi, Olgerdus quidem districtum Wielow, Keystuth Tanslankey, Swerderhe Insterborh, igne caedibus et spolijs vastant, et crudeli caede in Catholicos grassantur. Occisis autem nongentis Christianis, castro etiam Insterborh expugnato et adusto, magnum captivorum et spoliorum numerum ex Litthuaniam nullam resistentiam aut offensam experti retulerunt. Secundo deinde Julij mensis die, Berardus Commendator de Ragnetha cum exercitu proprio et de fratribus ordinis collecto, per unam partem, frater vero Theodoricus per alteram partem, Litthuanorum terras ingressi, caedibus et spolijs per dies aliquot nullam experti renitentiam vacabant, Comprehensis quoque centum quinquaginta captivis Prussiam revertuntur.

Prussiae Cruciferi Russiam et Litthuaniam invadunt, Litthuani quoque Prussiam tripartito exercitu ingressi caedibus complent

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SEXTVS.

Crescen
tes vires
Wladislai
albi Sand
ivogius Ca
pitaneus
curas re
primere il
lum in Zlo
toria obsi
det, tam
diu donec
ipse se de
dit, et Vn
gariam
ad Ludo
vicum Re
gem ivit,
a quo pro
contenta
tione de
cem millia
florenorū
et Abbati
am accepit,
ibi nō diu
moratq; ad
primū redi
ens Mona
sterium, ibi
vitam fi
nivit

Dispendia gravia et assidua quæ per Vladislaum album Gne
vkowiensem Ducem et suos Cuiaviæ et maioris Poloniæ terris
ex castro Zlotoria inferebantur, crescente indies maleficorum
et rapto furtoq; viventium assertorum, ad illum confluentium nu
mero, Sandivogius de Subino Capitaneus maioris Poloniæ intelli
gens, per præsidia frequentia, quæ in plerisq; locis posuerat co
erceri et sedari non posse, expeditionem omnibus Maioris
Poloniæ terris indicit, Ducem Casimirum Stetinensem et Dobri
nensem requirens ut et ipse cum suis gentibus ferret solatia.
Quo suam pollicente operam, motis Sandivogius Capitaneus
exercitibus, castrum Zlotoria cum Bartossio de Vissem
burg Capitaneo Cuiaviæ, et Bartossio de Sokolowo obsidione
vallat. Quibus Casimirus Stetinensis et Dobrinensis Dux
cum potentia gentium suarum in subsidium personaliter ad
veniens, ampliori obsidione obsessos terruit. Assultibus itaq; et
admotis machinis, caeterisq; expugnationum generibus,
pulcherrimi castri, a Casimiro Rege Poloniæ pro decore et de
fensione patriæ cocto latere extructi, parietes, turres, et mœnia
nocte et interdiu quatiebantur. Sed et obsessi, facto ex castro
per naves clandestino et nocturno descensu, obsidentes et eos
præcipue qui longius a castris progressi, pabulatum iissent,
et qui in castris solutius se gessissent, vehementer lacessebant.
Erat apud Ducem album in castro quidam molendinator
Hanko, Bregsinsis, Molendini Sanctitarius possessor, qui ab
eodem Duce in prima castrorum interceptione captus et ad
simplicem sponsionem dimissus, dum moneretur ut sponsionē
impleret, illiq; suum Capitaneum Bartossium de Vueyssemberg
consuleret, qui consulere dissimulans, ipsum suo relinquebat ar
bitrio, spontaneus sub obsidionis tempore gentibus Vuladisla
albi ad continendum illum venientibus, quadrigam pro co
missam confitendo, captivitati se, quæ per prima pacta exol
verat, repræsentat. Cuius et alterius molendinatoris, qui ca
strum Zlotoria prodiderat arte et ministerio machinæ et tor
menta in obsidentem exercitum ex castro torquebantur. Ve
ritus itaq; Hanko Bregsinsis molendinator, ne canis ali
quando sibi noxa fieret, et ne pro lato hostibus suffragio, cum

probe

provenisset Ducem album diuturnam obsidionem victualibus
deficientibus laturum non esse, molendino Brigensi primarius
venerit, de castro Zlotoria tradendo cum Sandiuogio Capitaneo
Maioris Poloniae per internuncium paciscitur, et illi claues portae
et ianuae castri apud se consistentes obligat, transmissurum. In
suspitionem vero vehementem ex nonnullis signis apud Ducem al
bum adductus capitur, et tormentis fateri veritatem compulsus,
futuram castri traditionem ex ordine edicit. Dux itaque Albus Vla
dislaus generum Hankonis cum clauibus ad Sandiuogium Ca
pitaneum transmittens, mandat illi, ut nomine Hankonis praesen
tatis clauibus de tempore et hora quo castrum recepturus cum
illo conueniat. Laetus plurimum eo nuncio Sandiuogius Capita
neus, non tamen rem Duci Casimiro Stitinensi et Dobrinensi, non
Bartossio de Vuisemborg indicat, ne futurae castri conquisitionis fa
ma, lucrum et gloria ad plures quam ad se unum perueniret.
Sed Hankonis genero a se cum instructionibus dimisso, assumptis
magis animosis militibus, sub horam, de qua cum Hankonis gene
ro conuenerat, ad castrum venit. Ianua itaque per clauem reserata,
viginti sex militibus ingressis, Sandiuogio Capitaneo cum residu
is foris adhuc se continentibus, Vladislai Ducis albi milites in fre
quenti numero ad exequendum id munus positi, cataractam ianuae im
pendentem et duobus saxis pro vno ut celerius deorsum curre
ret, ingrauatam demittunt, cuius mole Fridericus de Vuedel, et
dominus de Vsez miles strenuus et insignis oppressus illico expirat,
caeteri qui intrauerant superne saxis obruti in captiuitatem Du
cis Albi venere. Sandiuogius Capitaneus plurimum de suo
rum captiuitate et Frederici de Vuedel morte anxiatus, tristis
in castra rediit, illucescente vero sequenti die castrum Zlotoria
cum vniuerso exercitu ab omni parte impugnare coepit. Sed integro
diei spacio in huiusmodi expugnatione frustra absumpto, plerisque
militibus vulneratis, paucis desideratis, in tabernacula reditum
est. Quam etiam saxo in ea oppugnatione Casimirus Stitinensis
et Dobrinensis Dux in casside ictus, et in castra relatus, non lon
go post tempore ex vulnere tunc accepto diem obisse creditus est.
Dux interim Vladislaus albus Hankoni molendinatori et
genero suo, item et his, quorum opera castrum Zlothoria intercaptum
erat

erat, pyra publica ante castrum extructa, inspectante obsidentium exercitu, iustam illis reddiderunt mercedem, crematis, cum Sandivogio Mauro Poloniae, et Bartossio Cuiauiae Capitaneis, de reddendo castro, quod pertinaci studio videbat ab exercitu Polonico obsideri, deficientibus victualibus, famem veritus, componit, illisque gratiam Ludouici Regis se sibi ordinaturos pollicentibus, e castro cum suis omnibus manu missis captiuis excedit. In ipso autem excessionis articulo, acutis sagittis Bartossium de Veszemburg ludere serum obtinens, a Bartossio graui vulnere sauciatus est, quo curato, per Bartossium de Viszemburg et Bartossium de Soholowo et in eorum expensis in Vngariam ad Ludouicum Vngariae et Poloniae Regem deductus post plures altercationes et tractatus, Ludouico Regi pro decem millibus florenorum Ducatu suo Gnewkowiensi vendito, et Abbatia notabili in Vngaria Ordinis Cisterciensis, ad vitam degenti, accepta, reconciliatus Regi illic constitit, et residuum fere vitae temporis illic exegit. Milites, nobiles, ciues et agrestes, in Regno Poloniae qui illi adhaeserant, et suffragia tulerant a Capitaneis Regijs, ob facinus in Regem et Rempublicam capti, et post carceres et vincula exactionati eje statim extremam subire, Principe cui inseruierant gemitus eorum et querelas non audiente, nec ferente praesidium, coacti sunt, Habitationem demum apud Pannonios Dux praefatus Vladislaus Albus perosus, relicta Abbatia, Burgundiam transijt, et apud Diuionem Monasterium degens, non sibimetipsi solum, sed etiam funeri voluntarium indixit exilium. Ibique non solium sistendum, sed et moriendum duxit, conducibilius ratus post tam amaras salsedines quas in patria pertulerat, extra natale solum aeuum residuum traducere, et enormia, caedes et homicidia, quibus se in Polonia agens inquinauerat, salubri paenitentia delere.

Posnaniensem, Vuratislauiensis Preczslaus ~~Et~~ de Pogorzela Episcopus sequutus, in Quadragesima medio moritur, cum annis triginta quinque in Vuratislauiensi sede utiliter praesedisset, et in Ecclesia Vuratislauiensi in Capella Mansionariorum sepelitur. Quem assequitur Joannes

carus

tarcus ob veteres simultates et odia veneno sustulisse. Qui a Boleslao Legnicensi et Bregensi Duce castrum et civitatem Grotkow cum suo districtu in sortem Wratislaviensis Ecclesiae obvenerat, Qui collegium Mansionariorum in praedicta Ecclesia Wratislaviensi, et duodecim pauperum laicorum stipem singulis diebus et amictum annuum sumentium, conventum in Nissa fundaverat et dotaverat. Qui Ecclesiam Wratislaviensem murorum aedificiis, piscinarum structuris, villarum locationibus, et emptionibus, vasis aureis et argenteis, ornamentisque, et diversis variae supellectilis adeo ornaverat, extulerat, magnificaverat, ut vulgari fama, veritatione, et nomine Aureus Episcopus appellaretur. Praelati autem et canonici Wratislavienses Ecclesiae, dilata die pro futuri pontificis electione, Polonis viris idoneis, et virtuosis, de suo gremio contemptis Theodoricum Bohemum Decanum Wratislaviensem, qui de Decanatu praefato Albertum plebanum Bochnensem et Dobrzinensem, Cancellarium Regis Poloniae Casimiri, apud Sedem Apostolicam oratorem et Nuntium, cui tanquam de beneficio reservato de illo provisum properam, et Caroli Imperatoris Romanorum et Regis Bohemiae, cuius coquinae erat expensator et Notarius, spoliaverat, in Episcopum eligunt. Quo electionis sua apud Gregorium undecimum in Avinione petente confirmationem, Papa introitus Ecclesiae, quam fama plus iusto singula celebrans, auream, et Pontificem eius mortuum Przeczslaum, magnam quantitatem reliquisse vulgaverat ambiens, occasione ex literis Caroli Imperatoris et Regis Bohemiae, qui electionem Theodorici multipliciter impugnabat, sumpta, electionem Theodorici Decani confirmare differens, dixit rexit non prius se de Ecclesia Wratislaviensi velle disponere, donec ex Avinione Romam transmigraret. Interim vero mittit ad Wratislaviensem Ecclesiam fratrem Nicolaum Ordinis Praedicatorum Episcopum Nazarenum, ut Wratislaviensis Ecclesiae fructus et reditus velut eius curator et gubernator perciperet, et omnia per Przeczslaum devoluta, camerae Apostolicae reddi ad plenum imperavit et procuravit. Qui Wratislaviam adveniens publicato mandato Apostolico, Wratislaviense requirebat capitulum, quatenus illius exequerentur contenta. Verum Capitulum Wratislaviense per plures dies re digesta, cum intelligerent per alienigena et forensia gubernationem, varia pericula et dispendia Vuratislauiensi Ecclesia proventura, cum Nuncio Apostolico Nicolao Episcopo Maioricensi, sub pactis conveniunt, ut singulis annis quo Vuratislauiensem Ecclesiam vacare contigerit, octo millia florenorum Apostolicae reddantur camerae, pro devolutis Episcopi Przeczslai triginta millia, pro collecta et contributione biennali Ecclesiae Poloniae imposita, pro sorte Ecclesiam Vuratislauiensem contingente duo millia, et pro expensa et fatiga in pecunia huiusmodi ad urbem ferenda subeundis, unum mille reddi tenerentur. Eo itaque pacto inito Vuratislauiense Capitulum Nuncio Apostolico Nicolao Episcopo Maioricensi triginta tria millia florenorum sub anno die et tempore persolvit. Et Papa Gregorius et praesentis pecuniae summa manibus sui Nuncij consignata, et futurae quantitati illectus, Theodorico Vuratislauiensi electo etiam Romae illum, de sua confirmatione frequentius sollicitanti, providere distulit, sed Ecclesiam Vuratislauiensem a tempore suae vacationis, et Przeczslai morte plusquam biennio fructus percipiens, ex illa vacare permisit, animo et intentione maiores sumptus ab Ecclesia Vuratislauiensi emungendi.

Duos Pontifices Posnaniensem et Vuratislauiensem, tertius illorum quondam Metropolitanus, Jaroslaus de Skotniki, qui se Gnesnensi Archiepiscopatu cesserat, sequebatur. Qui plenus dierum, habitatione Monasterii Landensis perosa, in Calisz veniens, in Archiepiscopali domo sexta decima die mensis Septembris moritur, et vigesima eiusdem mensis in Gnesnensi Ecclesia in capella ab eo fundata et dotata iusto honore sepelitur. Instaurator hic ad ornandam amplificandamque tam patriam, quam Ecclesiam, castra Lowicz, Opatowiecz, Kamien, item Ecclesias in Gnesna, Vniejow, Curzelow, Opatow, Calisz, item curias in Gnesna, in Lancicia, in Vielun, in Calisz pulchro et sumptuoso muro construxit. Districtum Lovicensem desertum pene, ut pote qui non nisi duas marcas habebat in censibus, reperiens, locatum et populatum octingentas fundentem de annuo censu marcas reliquit. De quo etiam fertur memorabile illud factum, quod dum in Bononiensi studio cuius ipse ea tempestate Rector ultramontanus extabat, Anglicus studens, pro adulterio cum quadam muliere, marito in facinus ob egestatem ultro consentiente, capiti damnatus esset.

esset, studium ex Bononia authoritate sua, cui tunc Avo paritū est, transtulit, nec prius restituit, donec a civibus Bononiensibus in remedium Anglia damnati, capella specialis erecta est, et perpetua dote provisa. Sedit in Gnesnensi sede annis quatuor et triginta, post cessionem vixit annis duobus. Vir magnus consilio, prospera semper usus fortuna, nec liberalitati inferior, qui Ecclesiam Sanctae Mariae in Calisz de novo instauravit, cui et contulit duo praedia in dotem, unum in Dzyniecz, aliud in Dobrzycza, item unum hortum ante valvam, qua itur Vuratislaviam. Fertur et illud de praefato Jaroslao factum singulare et mirabile, moriturus enim mandavit, ut non ostio Ecclesiae, sed foramine disrupto, in Ecclesiam Gnesnensem sepeliendum corpus suum inferretur, postquam non ostio, sed aliunde Gnesnensem Ecclesiam intraverat, quod et factum est, et murus in parte meridionali capellae ab eo fundatae disruptus, sui mandati et disruptionis ostentat indicium

Nicolao Episcopo Mayorensi Nuntio Apostolico, contributionem biennalem ab Ecclesia Polonica petenti, Joannes Gnesnensis Archiepiscopus Synodum apud Vniow, pro die nativitatis Sanctae Mariae indicit. Quo, Sbiluto Vuladislao, Dobeslao Plocensi Episcopis, in personis propriis, caeteris vero per nuncios communientibus, sancitum atq. definitum est, ut quaelibet Dioecesis, pro sua rata Dioecesis Apostolicum Nuntium contentet, Praedictus itaq. Nicolaus Mayorensis Episcopus, rigore, quo primum uti coeperat, laxato, a singulis Polonicae Ecclesiae Dioecesibus modicam quantitatem, de marca videlicet qualibet taxae papalis duos grossos recipere consensit

Elisabeth Senior Ungariae Regina, vexata et afflicta pernitudine vehementi, quod Poloniae Regni gubernacula, propter ejusdem Regni frequentes commutationes et disturbia perosa, ea filio suo Ludovico Regi anno superiori, notabilibus introitibus in Regno Dalmatiae a filio contentata, reddiderat, rursum sibi ea obtinuit, etiam non sine contumeliosa exprobratione, quam prudentibus nec an pacientibus Rex tulit digno Sei non poterat, committi. In comitatu itaq. et apparatu licet ochua generica, ingenti et splendido, Poloniam reversa, mandat Baronibus

et eorum matronis introitum suum circa Sandecz exrsi; quod
cum obedienter implevissent, Sandomirienses terrae Barones illi
in Bohemiam advenienti denunciant, se per suos exploratores do
ctos esse, universam Litthuanorum potentiam hostiliter ad par
tes Sendomirienses invadendas conspirasse, et invasionem eo
rum, ni provideatur, propediem proventuram. At illa mu
liebri animo nihil pensi, super denunciato et imminenti periculo
habendum rata, respondet Baronibus, non vos sollicitos esse opor
tere, filium suum Ludovicum Regem ea potentia fretum fore,
et tam validum et extensum gestare brachium, ut non Litthua
ni solum, sed et universae in circuitu nationes ad eius nomen con
tremiscant. Eo verborum fastu, vaporem ad modicum calenti
continentes, Sandomirienses Barones, in defensionis et provisionis
curam, a Regina Elizabeth accepto, quasi verbis non armis vin
cendi essent hostes, securos se reputantes, in denunciatum pericu
lum incidunt. Duces enim Litthuanorum, Keystuth, Jagello, Vin
thaudus, ex Troki, et Vilno, et Grodno, item Lubardus ex
Luczsko et Georgius de Belz per Lublinienses terrae vastas
solitudines, citato agmine, et silente Luna semipleno lucente
orbe, noctu iter agentes, interdiu vero in locis dumosijs et
impervijs latitantes, usq; ad fluvium Szan secunda No
vembris die perveniunt. Quo superato, populationem longius
quo possunt caede mixtam extendunt, trucidatisq; senibus, Sa
cerdotibus et impuberibus, universam oram inter Vuislam
et Szan fluvium sitam vastant, et magnum numerum utriusq;
sexus hominum cum praeda et pecore in servitutem, Ecclesijs
exustis, abducunt. Tardius illorum irruptionem ad vil
lam suam Bertanow Petrassius filius Cztani germani Ja
nussij Gnesnensis Archiepiscopi dignoscens, quamvis eva
dendi, neque locus, neque spacium superesset, animo tamen forti
et nihil habita invasione hostili deterrito, arrepta coniuge et
parvulo infanti nondum baptizato, equoque cui insidebat, impo
sitis, per medios hostes exiliens, fluctibus Vuislae fluminis,
Litthuanis illum persequentibus, et frequentissima tela con
tra eum iacientibus, se committens, hostilem captivitatem
evasit. Mirsaclius de Tarnow Castellani Vuisliciensis re
licta, in ipso articulo, quo ex villa sua Vuyelannyeß ad exa

pernoã

Quandam Reginam Elizabeth in apparatu magnifico Cracoviam processura, supervenientibus Litthuanis, aegre a satellitibus suis defensa, superata Vistula, Sandomiriam deducta est, plures tamen ingenuae matronae cum liberis raptae. Accepto de tam infausto eventu Elizabeth Regina Nuntio, anxietatem spiritus vultus hilaritate tegere, et doloris magnitudinem in pectore Polonorum obortam, frustra solari conata est, asserens filium suum Ludovicum Regem celerrime, irrogato a Litthuanis malo, subventurum, et Litthuanos ad restitutionem captivorum, et ablatorum arctaturum. Verum ad id genus belli, quo Litthuani utebantur, par genus repressionis erat necessarium, Litthuani enim in formam praedonum, expeditiones suas agebant, praeda rapta, sylvis, nemoribus, locis palustribus et inviis se condebant, et Polonicis cedendo legionibus, raro in dimicationis veniebant discrimen, quas ubi defessi senserant, mox agros Polonicos eodem quo prius tenore incursabant, crebritudinemque ludibrio nunc quietem ostentabant, nunc bellum. Quae tam insidiosa vexatio Polonos pluribus incommodis afficiebat, a quibus nec reciprocum bellum undique limosis et fluminibus obstantibus agi poterat, nec latum diffugientibus Litthuanis refelli, noverant enim vires suas Litthuani, nec secus quam subitis incursionibus feliciter sibi bella provenire, seque Polonis nisi ea bellandi arte, qua multas populationes passim extendendo cum praeda aufugerent quam qua pugnandi copiam facerent, possi superiores fore. Paludinosis insuper locis inclusos, atque silvistribus, ad haec insuper iugi vigentibus frigore inclusos fluminibus, etiam et lacubus stagnatos, difficilius aliquanto videbatur adire, quam vincere. Quos etiam Polonorum segniciei et divisione, et magis audaciores constabat fuisse, et robustos, quam propria virtute

Henricus Prussiae Magister intelligens Litthuanos in Regni Poloniae expeditione occupatos, in terram Samogitiae, proprium duntaxat militem, ex equite et pedite lectum, traducit. Ubi nullo prohibente, districtus sex, videlicet Medniki, Eroglen, Arnigsten, Rossgein, Gissow, et Pasovu, caede et flammis vastat. Castrum post haec Kowno oppugnare adorsus, dum in illius expugnatione plerique notabiles milites de Ordine cecidissent, clade suscepta, et castro inexpugnato relicto, Margal cum cum decem millibus armatorum mittit, qui universa regionem ad Nyemen fluvium sitam demollitur, quo reverso cum multitudine captivorum Prussiam remeavit

Lugubrem ora; ad Szan fluvium sita; vastationem per barbaros Litthuanos patratam, Elizabeth senior Regina de pectore et recordatione propellens, choreas, cantus, et tripudia apud Cracoviensem arcem, dum satius lamentis ad propitiandam divinae bonitatis clementiam vacasse conveniret, die Dominico in crastino Sancti Nicolai instaurat, et commun si constituit spectaculum. Sed mox superno verbere attrita est. Ungari siquidem, qui cum illa Cracoviam venerant, consuetudine sua et moribus usuri, plerosque currus in Cracoviense forum cum blado et faeno ad forum ductos occupabant. Idemque suis curribus et faeno, quod in domum suam valvae Bochnensi conterminatam ducebatur, Przedborius de Brzeszie miles, posita familia, quae Ungarorum solitam rapinam arceret, muniverat. Ungaris itaque ad occupandum faenum pro Przedborio adductum concurrentibus, et familiaribus Przedborij defensionem opponentibus, clamore ab utrisque suos in subsidium vocantium sublato, frequente concurrente tam Polonorum quam Ungarorum multitudine, ingens seditio exoritur. Ad quam sedandam Jaschko Kmitha de Visnicze de Szreniawitarum domo Capitaneus Cracoviensis iussu Elizabeth Reginae equo vectus et pedestri familia comitatus, illico advenit. Et contentionem seditionemque extinguere molitus, telo Ungarico ab uno de Ungarorum numero, cuius sors et conditio erat ignota, in collum ad locum nervosum percussus, ex equo defluens, in terram moribundus expirat. Cuius morte vulgata, fratres, cognati, et familiares sui indignatione permoti, in magna multitudine accurrunt, In furiamque versi universos Ungaros, non eos tantummodo qui seditionem excitaverant, sed et eos, qui apud Hospitia se continebant, parentando morti iniustae sui affinis et domini, non conditioni non dignitati deferendo, trucidant. Miles quidam Slavus Michael Pogaro de vestibulo sui Hospitij in quo latere credebatur, extractus, miserabiliter conciditur. Duo adolescentes ingenui, et Reginae Elizabeth, et pro parentum meritis, et eorum probitate chari, a Przedborio de Brzezie, ad cuius domum confugerant, ne violarentur, camerae potiori includuntur. Sed Przedborio in castrum, Reginae vitam illorum pro magno doloris lenimine supplicaturo, ex domo discedenti, fracto ostio, Przedborij familiares, duos illos adolescentes argenteis cingulis et vestibus nudatos, perimunt, et corpora peremptorum intra muros proijciunt. Tantus insuper furor et indignatio, fratres et familiares Kmitha exasperat, ut Ungaros in castrum fugientes, aut gladijs aut sagittis obruerent, eos vero qui evaserant, et a matronis virginibusque occulebantur, inde ereptos ex fenestris superne praecipitabant. Centum sexaginta Ungari eo die caesi. Regina Elizabeth tripudiorum et chorearum senis quam suae conditioni congruebat oblita, valvas castri diligentius obserari et turres maniaque frequentibus armatis custodiri per triduum, ne reliquiae Ungarorum delerentur, iussit. Anno deinde interjecto tempore flens et eiulans, sortemque suam increpans, tam de Cracovia, quam Polonia, in Cracoviensem Capitaneum Petro Kmitha, licet admodum iuvene, in solatium necis pa terrae creato, exivit, Budamque ad filium, anxium gerens spiritum reversa, altera iam vice Regni Poloniae gubernacula illi resignat et remittit.

Successionem imperij magno fervore aestuans Carolus Romanorum Imperator et Bohemiae Rex in sua familia suoque genere continuare, et illius decus in filios transferre, multifarijs largitionibus precibusque Electores imperij tam Ecclesiasticos quam saeculares pellexit impellitque, ad filium suum Venceslaum natu maiorem, iam enim ex quarta coniuge Elizabeth Casimiri Polonorum Regis ex filia nepte, alterum filium Sigismundum susceperat, in Regem Romanorum eligendum. Electum autem, quo electio sua nequiret variari aut rescindi, procuravit per Archiepiscopum Maguntinensem in Aquisgrani coronari. Displicebat electio et coronatio huiusmodi Gregorio undecimo et Cardinalibus, quod de homine parum

legittima

legittimam aetatem haberet, et probitatis nondum nota fuerit celebrata, propter quod ad confirmandum illam, et ad titulandum Wenceslaum Regis Romanorum nomine, licet patre Carolo magnis instante tam conatibus, quam muneribus non poterat quoquo modo induci. Electus autem fuit in die Barnabae Apostoli in Frankfordia per ipsum Carolum Imperatorem tanquam Bohemiae Regem, Ludovicum Maguntinen., Simonem Treverensem, Fredericum Coloniensem Archiepiscopos, Robertum Ducem Bavariae Comitem palatinum Rheni, Wenceslaum Saxoniae Ducem, Sigismundum Marchionem Brandeburgensem, eiusdem Wenceslai electi germanum. Et coronatus Aquisgrani in octava Apostolorum Petri et Pauli, non habens tunc nisi annum sextumdecimum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SEPTIMVS

Vastationem Regni sui Poloniae per Lithuanos in terra Sendomiriensi illatam Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex ulturus, expeditionem contra Lithuanos et terras quas tunc occupabant indicens, in Cracovia Sandivogium de Szubino, in maiori Polonia Domaratum de Pirzchno Regina Elizabeth seniore eum promovente, quod is sub tempore quo occidebantur Cracoviae Ungari, multos a morte defenderat, in Cuiavia Bartossio de Viszemburg, et Bartossio de Sokolowo Sendomiritam et genere Grzimalitam, duo millia marcarum annis singulis reddere, cum a superioribus Capitaneis octingenta solverentur, se obligantem, pro Capitaneis instituit. Maioris itaq Poloniae Capitaneus Domaratus de Pirzchno ex Ungaria reversus, regalibus literis quas secum attulerat, Poloniam Ecclesiam monet, et rogat Pontifices quatenus Ludovico Regi barbaricam expeditionem obituro, gentium armatarum mittant solatia. Verum Pontifices ne se et Ecclesiam obnoxios servituti redderent, nulla se subsidia missuros respondent. Subsidium insuper a civitatibus eorum postulatum, et quod Rex Lu-

dovicus exigendum mandaverat, negant, Ludovicus tan
dem Rex cum copijs Ungaricis itinere recto versus Sendo
miriam per Alpes Sanocenses, quae Poloniae Regnum ab Un
garia disterminant, advenit. Ubi Episcopis et Baronibus
Poloniae ad illum confluentibus, conventu habito, copijs cun
ctis, versus Belsz, ita enim Sendomiriae, deliberatione
communi constitutum erat, procedit. Verum videns copi
as suas validas et frequentissimas, milites enim de domo
Bisennium, septem in ea expeditione habuere Banderia, Otto
de Pilcza Palatinus et Capitaneus Sandir. unum, Sandivogi
us de Subino Capitaneus Cracoviensis alterum, Jaszko
de Thanczin Vuoinicensis Castellanus tertium, Nicolaus
de Ossolin Visliciensis Castellanus quartum, Drogossius
de Chroberz iudex Cracoviensis et Capitaneus Siradiensis
quintum, Zaklicza de Miedzigorze R. P. Cancellarius
sextum, et Joannes Holczich de Lomnicza septimum.
Earum agmina dividit, et Cracovienses Sendomiriensesque
milites sub ducatu Sandivogij de Subino Capitanei Cra
coviensis ad obsidendum castrum Chelmense transmittet
ipse cum residuis versus Belsz ire pergit. Et Cracovi
enses quidem et Sendomirienses exercitus Chelmensi ca
stro infra dies octo, ex quo obsideri coeptum est, expugnato,
et in suam potestatem redacto, alijs insuper castris videli
cet Grabowiecz, Hrodlo, Sinnolosz captis, et expugnatis
ad Ludovicum Regem obsidionem castri Belsz agentem
perveniunt. Ludovicus vero Rex castrum Belsz situ ma
gis quam arte munitissimum expugnare non valens, in eius
obsidione perseverandum duxit, ratus obsessos fame saltem
ad deditionem perduci posse. Advenit interim Kiystutt Dux
Litthuaniae et castra Regis sub salvo conductu ingressus, ex
hoste mediator factus, pacem his conditionibus componit, ut ca
stris quos Litthuani ceperant restitutis Georgius Dux
castrum Belsz Regi dedat, et illius gratiae se permittat.
Deditione castri facta Ludovicus Rex iniuriam beneficio
pensaturus, Georgio Duci castrum Belsz obligantis se
illud Regio nomine pro eo et prole sua Regnoque Poloniae fi
deliter

deliter administraturum, reddit. Aliud quoque castrum Lubaczow adiicit, et centum marcas census annui ex Zuppa Bochnensi tollendi, ad certa tempora inscribit. In hunc modum Ludovicus Rex rebus Ruthenicis, Lithuanicisque compositis, itinere quo venerat Vngariam rediit. Orta autem fuit sub tempore expeditionis praefatae inter Polonos et Vngaros contentio, in qua Petro Safraniecz de Luczycze milite Polono per Vngaros in facie vulnerato, res in seditionem grandem spectare caeperat. Quam Rex Ludovicus, veritus ne Vngari a Polonis robore et numero superioribus opprimerentur, compositione sedat, et dato Petro Safraniecz donatione perpetua castro Regio Pyeskowa Skala glisenti seditionem extinguit.

Secunda Januarij mensis die Casimirus Boguslai Stetinensis Dobrinensis et Cassubitarum Dux Nepos Casimiri Poloniae Regis ex Elizabeth filia, vulnere quod in castri Zlotoria conquisitione in capite pertulerat, sensim ingravescente, in castro Bidgoscza moritur, et in Monasterio Bysouiensi terrae Pomeraniae Ordinis Cisterciensis sepelitur, nullam prolem ex filia Ducis Mazoviae Semoviti, quam prima obeunte superduxerat relinquens, quo evenit ut et Ducatus Dobrinensis, et castra, Bydgoscza, Vulatkow, et Vuelcz, ad Ludovicum Regem et Regnum suum Poloniae iure feudi devolverentur. Fuit autem praefatus Casimirus Stetinensis Dux liberalitate, quae ad prodigalitatem accedebat insignis, ea largitione in milites suos usus, ut oppidis, villis, et introitibus Ducalibus, in milites parum provide distributis, sub egestate degeret, donec patre suo Boguslao Duce Stetinensi absumpto, in thesauros et terras ab eo relictas succedens, se de inopia, parumper vendicasset. Afferebantur insuper illi a germana sorore Elizabeth Caroli Imperatoris Romanorum et Bohemiae Regis consorte, sortem eius miserante, frequentes pecuniae, vasa argentea et aurea, diversaque suppellex, quae Casimirus Elizabeth imperio nequicquam prohibente, in milites et curienses erogans, in solitam egestatem recidebat. Audax et magnanimus, sed vehementis et parum gravis animi, corporis insuper debilis magis, quam robusti

Terrarum Ruſſiæ Ludovicus Ungariæ et Poloniæ Rex, anno ſuperiori glebam uberem et ſitum contemplatus, quarum ſibi antea ignotus erat conſpectus, cum eſſet in Ungaros quam Polonos tam affectione quam largitione propenſior, applicare illas, et ſubijcere Ungariæ Regno, et a Poloniæ Regno ſequeſtrare, in cuius ditione eas fuiſſe reperierat, in animum induxit. Vuladiſlaum itaq; Opolienſem Ducem, cui plerosq; diſtrictus et caſtra in terris Ruſſiæ, Regis Poloniæ authoritate, perpetua largitione donaverat, et qui ex eo Ruſſiæ Princeps, vulgato et communi ſermone, titulo naturalis Ducatus Oppolienſis ſuppreſſo, denominabatur, ex terris Ruſſiæ et diſtrictibus atq; caſtris ſibi inſcriptis, quo facilior Regno Ungariæ illarum accederet ſucceſſio, amovit, Ducatumq; Dobrinenſem cum caſtris Bydgoſcza, Vulatkow, et Vuelcz, ex morte Caſimiri Stetinenſis Ducis devolutum, item Gnewkowienſem Ducatum precio decem millium florenorum apud Vuladiſlaum album Ducem comparatum, illi perpetuo, quo æquiori animo deſtitutionem terrarum Ruſſiæ ferret, donat, caſtraq;, diſtrictus, oppida, et villas Ruſſiæ Ungaris, Polonis nequaquam obſtantibus aut improbantibus, aut committit, aut partitur. Quod ſolum Polonis documento eſſe poteſt, ne propriis anteponant exteros, cum ad Regni ſui Poloniæ integritatem ſcindendam tot peſtes viderint peregrinum Regem exiviſſe. Vuladiſlaus autem Opolienſis Dux, Gnewkowienſem Ducatum, et caſtra Bydgoſcza, Vulatkow, et Vualcz, tunc nactus. Dobrinenſem Ducatum, obtinente illum in dote octo millium marcarum Caſimiri Stetinenſis Ducis relicta, non niſi morte ſua ſequuta, nanciſci potuit.

Dolis magis quam viribus Keyſtuts Litthuaniæ Dux Cruciferis de Pruſſia bellum daturus, copias ſuas per Mazoviæ terras, principibus Mazoviæ Semovito et Joanne vel diſſimulantibus, vel annuentibus, traducit, et omnem oram circa Dzoldow et Niedborz vigeſima nona Septembris gravi cæde et igne et cum multarum animarum, improviſus enim et ſubitus advenerat, captivatione vaſtat. Multis autem captivis utrinsq; ſexus comprehenſis, gravi agmine tam ſpoliorum, quam captivorum referens, via qua venerat per Mazoviam reverſus, ſpolia quæ tulerat, cum Ducibus, qui in Littuania remanſerant, diuiſit. Circa feſtum vero Sancti Jacobi, filius Keyſtutti adoleſcens manu et animo promptus Vittaudus primam expeditionem in Pruſſiam egit, Et circa Taynow et Inſterborch populationem et conflagrationem peragens, tam ſpolijs quam captiuis onuſtus ad patrem illaeſus rediit. Magiſter itaq; Pruſſiæ Henricus duplicem inuaſionem terrarum ſuæ tunc ditioni moleſte ferens, cum frequenti militum ſuorum armatura, primum Ruſſiæ in oram deſcendit, et circa caſtrum Byelyagi aliquot diebus ſtatiua tenuit, deinde in Camunuerz applicuit, abinde vero in terras Littuanorum et Samogitarum deſcendit. Quas cum frequenter cædibus et flammis peruaſtaſſet cum ſpolijs et captiuis, Pruſſiam regrediunt, tendunt Littuani inſidias, et ſylua vaſta, qua iturus erat, in pleriſq; locis ſuccisa, exercitum Pruthenicum ſyluam Swinemude ingreſſum, adorti, et iniquitate loci vehementer adiuti, in primario congreſſu viginti milites de Ordine, qui Ordines ducebant, ſternunt, cæteri latebris ſyluarum tecti, manus barbaras et truculentam effugiunt. Feruntur poſt hæc duo Littuanorum Duces Olgerth et Keyſtutt, in terras Pruſſiæ, habentes fortem exercitum trifariam diuiſum, deſcendum, Et terra circa Inſterborch et Vuckown exuſta et in ſolitudinem redacta in terram Salow, quam Canonici de Hinsberg obtinent, aduenientes, eam funditus cædibus ſpolijs et flammis euertunt, atq; per Jurgeborch cum cætu magno captiuorum utriuſq; ſexus atq; ſpoliorum, Littuaniam reuertuntur. Commendator deinde de Ragnitha uno agmine, item Commendator de Balga altero, item Frater Kune de Hatteſtein tertio, ſeorſum in Littuaniam ingreſſi, quilibet populatione latius quo poterat extenſa, multa ſpolia atq; incendia peragunt, et pluribus Littuanis captis eos in Pruſſiam vinctos deducunt, Congerit poſt hæc omnia Henricus Magiſter generalis exercitum copioſum, cumque Littuaniam ingreſſus, duo caſtra in eius confinijs erigit, et ædificat, videlicet Bartenburg et Dimein. Interim vero quo perficiebatur opus Gotfredum de Linda Marſalcum cum expeditiori milite Littuaniam transmittit. Qui frequenti exuſtione uſus, plures captiuos cum spolijs incolumes reduxit, Sed neq ea expeditione Magister Vinricus Prussiae contentus, advenientibus in sui solatium contra barbaros Australibus, in Samogitiam transit, et duabus regionibus videlicet Kaltheneuen et Vedukle per dies decem vastatis, spoliatis, et incensis, plurima spolia, et captivos in Prussiam in quadrigis reduxit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS SEPTVAGESIMVS OCTAVVS.

Deordinationibus, commotionibusq multifarijs, et quae earum futurae et propinquae seditionis portendebant in Poloniae Regno propter Regis longe distantem absentiam, et publicorum facinorum impunitatem, assidue crescentibus, Ludovicus Rex provisionem aliquam, de qua a Praelatis et Baronibus Poloniae, frequentibus literis et Nuntijs vexabatur, impensius, cum et genitrix sua Elizabeth Senior Regina propter Ungarorum stragem Cracoviae in suo conspectu patratam, Poloniae Regni gubernationi se penitus abdicans, et omne regiminis onus filio Ludovico Regi resignans, nunquam se ad illud redituram devovisset, Ludovicus vero Rex causatus auram Poloniam naturae suae peregrinam fore, neq a se tolerari posse, veni~~us~~re ad illud annis singulis, et summovere illius deformitates, plectiq facinorosos, Ungaricis rebus distractus fastidiret, Wladislaum Opoliensem Ducem ad gubernandum Poloniae Regnum cum plena et extensa authoritate transmittit. Cuius adventum, etsi cives et rusticani homines probarent, regimenq illius, magnopere, velut sibi profuturum commendarent, et deposcerent, Barones tamen, Proceres et Nobiles tam Cracovienses quam Maioris Poloniae in Vuyslicia et Gnesna conventu habito, novitate huiusmodi altius despecta, non se Ducis Wladislai Opoliensis regimini ullo pacto permissuros, conformiter diffiniunt. Afferentes et suae gravitati et moribus Regni non convenire, ut a Duce a se non probato, neq electo, sed ex Regijs dato arbitrio Respublica eorum deberet disponi, et status eorum, atq Regni conditio, si Regibus parere consuevit, in deteriorem redigeretur redigerentur Ducalem, pessundari. Spectatae itaque virtutis viros, de Baronum et militarium numero lectos, ad Ludouicum Regem Vngariae transmittunt, Qui Regi apud Vissegradum offenso, orant, ne in eorum et Regni ludibrium, iurium quoque Regni, quae non se violaturum, adacto Sacramento, astrinxit, laesionem, Duci Wladislao Opoliensi eos parere cogat, cum illius regimen non essent quoquomodo passuri. Extare inter eos multae industriae et probitatis viros, quibus iustius posset ab eo id munus mandari. Ea Polonorum legatione Ludouicus Rex audita, rebellionem, ad quam nonnullorum animos novitate huiusmodi vehementer infensorum spectare dubitabat, veritus, Ducem Wladislaum Opoliensem a gubernatione Regni Poloniae revocat, et per patentes literas, Polonorum legatis tributas, regimen illius, de quo Dux ipse ingenti dolore et rubore, Polonis non Regi vehementer succensens, tortus est, rescindit

Vno grauamine vix dum sublato abrogatoque aliud illico exurgit, Ludouicus siquidem praefatus Vngariae et Poloniae Rex, nonnullorum Baronum et Procerum Poloniae forte Ecclesiasticae parum faventium, suggestione pulsatus, mandata in Poloniam destinat, ut Ecclesiarum coloni ratione tributi quod krolewstwo seu Poradlne dicitur, sex grossos in pecunia, dimidium eius, quod alias solvere soliti erant, et duas mensuras unam siliginis alteram avenae, in blado, suae Regiae Camerae persolvant, asserens relaxationem a se universo Regno Poloniae de praedicto tributo factam, et ad duos tantummodo grossos restrictam, ad villas Ecclesiasticas non extendi, et pro singulari ac liberali gratia a Pontificibus et Ecclesiasticis personis censeri, ut dimidij remissione habita, de dimidio se responsuros non excusent, detrectantes parere mandato huiusmodi, mandabat Rex ad solutionem totius Poradlne presso more compelli. Capitaneis itaque et Praefectis Regijs qui se exinde commodum consebant Prelatiwos, mandata Regia sollicita diligentia exequentibus, Joannes Gnesnensis Archiepiscopus, ad Wladislaum Opoliensem Ducem Nuncios mittit, ut Capitaneis et Praefectis Regijs rigorem, quem in exactione tributi praedicti ingesserat, ingesserant, interim donec Ludovicus Rex a Nuntiis Poloniae Ecclesiae adiri et exorari posset, cum tributi huiusmodi reputetur exactor primarius, suspendere iniungat. Vladislaus autem Dux praefatus apud castrum Crzepicze a Nuntiis Archiepiscopalibus, Joanne Archidiacono Gnesnensi, et Derslao de Rinuno Subdapifero Calisiensi, feria sexta ante Dominicam Laetare, quo die Treugarum diem cum Bartossio Fegin de Chotel tenutario in Odolanow, Ducatum suum circa Olsznam, multyplici vexantem spoliatione, firmabat, offensis, votis Archiepiscopi morigerum se praebens, exactionem a Rege Ludovico in Ecclesiasticis bonis indictam, usque in diem Beati Jacobi Apostoli intermitti mandavit, et suspendi. Totalem vero solutionem Joannes Gnesnensis Archiepiscopus abrogaturus, Synodum provincialem apud Calisiense oppidum convocat, non sane tantummodo, qua ad summovendam contributionem a Rege, sed et alteram, qua a Summo Pontifice et eius collectoribus Nicolao Episcopo Posnaniensi, et Nicolao Stroszberk impetrabatur. Ex ea Synodo Florianus Cracoviensis Episcopus, singulorum Episcoporum et Spiritualium Ecclesiae Polloniae supplicatione victus, cum Dobrogostio Decano Cracoviensi, Ungariam profectus, Regem Ludovicum Budae convenit. Ubi mandatis totius Poloniae Ecclesiae expositis, prudenti et grata Regi oratione docuit persuasitque Regi, iniquum valde et Christianae religioni adversum esse, nec Catholico Regi, semen a sancta descendenti progenie convenire, ut universo Regno Poloniae a solutione Poradlne libertato, sola Ecclesia tributaria remaneat, quam conveniebat primario et potiori ordine, a Catholicis Principibus servato, libertationem ipsam praesensisse. Mandato itaque Regio conquieverunt, et exactor et tributum, et tam Ecclesiastica bona temporalia, quam militaria in antiquam libertatem redacta.

Oppido Vualcz multipliciter a Nobilibus de Pomerania, vocitatis Borkowye, per frequentes invasiones et insultus afflicto, et vexato, etiam conflagratio ex fortuito incendio proveniens accessit. Geminato itaque Oppidani malo, sub uno tempore attriti, et provisu dierum se rati atterendos, municipium praefatum statuerant, transmigratione in alia loca facta, deserere, nisi Domaratsius Capitaneus maioris Poloniae, con gesto, ex familiaribus, fratribus, et aliquibus maioris Poloniae militibus exercitu, Pomeraniam ingressus, fortalicia, oppida, et villas, et singula quae ad dictos nobiles pertinebant, expugnando, incendendo, vastando, insolentiam praedictorum nobilium, et humiliasset, et restrinxisset.

Vicesima nona die mensis Septembris sydus crinitum, quod appellamus Cometam iuxta ursam maiorem inter arietem et taurum apparuit. Quod contra firmamentum cursum dirigens, atque faciem, motu velocissimo ferebatur quinque tantum modo noctibus perdurans. Gravissimum schisma Ecclesiae, et tam Sacerdotij quam imperij mutationem, quae omnia anno eodem subsequebantur, portendebat

Mortuo in urbe Gregorio undecimo ex Avinione reverso, in Dominica Laetare, qui annis octo sederat, et in ecclesia Sancti Petri sepulto, Cardinales qui tunc fuerunt omnes fere ultramontani, praeter quatuor Italicos, pro futuri substitutione Pontificis agentes, conclave, Romanorum circumsedit populus, unicuique Cardinalium, nisi genere Romanum in Papam eligant, mortem interminans, pro maiori enim parte Collegium Cardinalium tunc ex Gallis constabat Verebantur Romani, ne Gallo in summum Pontificem assumpto, Roma suis, curia in Avinionem translata, lucris fraudaretur Cardinales autem electionem agentes, licet conformi electione Robertum tituli Basilicae duodecim Apostolorum, Presbyterum Cardinalem, Gebennensem appellatum, in Papam delegissent, et Clementem Septimum appellassent, necem tamen et impendentem procellam tempestatis, a Romanis, qui obsidionem Conclavis continuabant, evasuri, ea cautela et figmento utuntur. Erat inter alios ex Roma ortos, et Cardinalibus cognitos, Bartholomaeus Barensis Episcopus, qui Sanctitatem simulando, vir rarae religionis creditus, in magna veneratione habebatur. Hunc Cardinales in conclave accersitum rogant, ut ex manibus Romanorum stragem illorum meditantium eos vindicet, et se ab eis appellari Papam simultaneum ferat, et nomini sibi induendo et simulando, ipsis cum vero Papa Roberto, Clemente septimo, urbe excedentibus expressurus. Conditione accepta, et iure iurando per Bartholomaeum tholomeum Barensem Episcopum firmata, Cardinales se illum pro Papa elegisse simulant, et Urbanum Sextum vocant. In hunc modum Romani populi tumultu sedato, Cardinales cum Roberto eorum electo, Clementi Septimo, urbe in Veterbium egressi, electionem factam Clementis publicant, Urbani simul tiaram detegunt, Urbanumq; requirunt, ut quae iureiurando pollicitus est observet. Sed Urbanus tribus sibi Cardinalibus Jacobo Sancti Petri, Velabri de Ursinis, Mediolanensi, et Florentino, conciliatis, Papatu cedere detrectans, se pro vero Papa gerere, et in Papatus dici se in Papam a tribus Cardinalibus, facinori suo et ambitioni faventibus, conservari procurans, caepit. A Cardinalibus tandem errori suo faventibus desertus, alios mox viginti sex Cardinales una die ex diversis nationibus, sed praesertim ex omni Romanorum statu, et inter alios Quinque Ecclesiensem Episcopum, in favorem Ludovici Ungariae et Poloniae Regis substituit, et creavit, et ex castro Sancti Angeli, quod pro Clemente tenebatur, provectionibus machinarum vehementissime impugnatus, ex palatio Sancti Petri ad Sanctam Mariam trans Tyberim se contulit, ubi anno integro mansit. Britonibus autem Romanos strage magna pro Clemente urgentibus, ad necem forensium et praecipue Gallorum conclamatum est. Sed seditione et tumultu populi vix sedato, forenses de urbe exulant, et Clementem verum Papam in Avinione, ubi in Italia consistere non ausus, sedem posuerat, sequuntur. Clemens itaq; Urbanum, et Urbanus Clementem cum suis sequacibus anathematizat, et exinde gravissimum Schisma, Cardinalium pusillanimitate et metu mortem expavescentium, quam potius quod Capellus eorum insigne designat, subire, quam Schismati occasionem praestare debuerant, introductum secutum est, quod cum scandalo et interitu multarum animarum annis quadraginta vigens, Constantiensis ~~Consilij~~ Concilij opera extinctum est. Italia autem, et Regnis Ungariae, Poloniae, Bohemiae, Daciae, Sueciae, Norvegiae, ac universa Germania obedientiam Urbano profitentibus, Galliarum, Anglorum, Hispanorum, et Siciliae Regna Clementem Septimum sectata sunt.

sunt, ut prorsus Salvatoris verbum ad literam impletum sit, gentem contra gentem, et Regnum adversus Regnum surrexisse. Erat autem praefatus Robertus, alias Clemens septimus, de domo et genere Comitum Gebenensium, Almanici Idiomatis aliqualem habens peritiam, pede uno parum claudicans, larga conscientia, mediocris staturae, eloquens et dapsilis. Urbanus vero erat homo tenuis et pauper, tamen Doctor egregius, Neapoli in platea nida, in loco qui infernus appellabatur, ex patre Pisano, et matre Neapolitana ortus, brevis staturae, et spissus, coloris lividi et fusci. Et licet praefatus Urbanus ex Roma, Tiburtum discedentibus Cardinalibus sibi pacificare contendisset, ipsi tamen omnibus suis oblationibus spretis, apud Fundanam civitatem Clementis electionem publicarunt, Et ortum fuit Schisma duodecimum, omnium quae praecesserant pessimum, subtilissimum, adeo perplexum, ut et docti et conscientiosae vitae non possent discernere, cui esset magis obediendum

Electus Vuratislauiensis Theodricus, usque in Avinionem Clementem septimum secutus, confirmatione suae electionis ab eo facile obtenta, in Vuratislauiam redibat. Sed Gnesnensem provinciam, cui Dioecesis Vuratislauiensis subiecta est, intelligens alterius electionis et obedientiae esse, non se de caetero aut electum aut confirmatum Vuratislauiensem gerere praesumpsit, iusto Dei iudicio, a Pontificatu exclusus, qui alium a Decanatu Vuratislauiensi perperam et violenter excluserat. Carolus insuper Romanorum Imperator et Bohemiae Rex tam Italiam quam Germaniam obedientiae Urbani sexti se addixisse intelligens, in illius partem divertit, et filium suum Vinceslaum Romanorum Regem, cuius electionem et coronationem ad Imperatorem, per praefatum Urbanum sextum, tunc apud Tiburtinum agentem, missis specialibus Oratoribus, quod antecessor Gregorius undecimus facere detrectaverat, confirmari obtinuit

Vlgandus de Beldersthen Commendator de Capyoun, habens in suo comitatu Prutenos tantummodo gentes, in Lithuaniam descendens, omnem terram circa Nyemyey fluvium sitam spoliat, vastat, et exurit, et in captivorum ac spoliorum multitudine ad propria revertitur. Quo reverso, Gotfridus de Linda Prussiae Marsalcus cum altero exercitu transiens, regionem Litthuanorum ad Xarew sitam, igni, spolio, et caede vastat, exinde in reditu Kowno divertit, et fluvium Xwunyasza asperrimis navibus cuncta invenerunt, multosque ex Litthuanis ducens captivos, cum spolijs revertitur. Magister deinde Livoniae, oppido Ruthenicali Palow a Litthuanis obsesso solarium laturus, illuc cum suis et Pruthenicis copijs advenit, et Litthuanos obsidionem solvere compulit. Fecit et alteram eo anno Gottshridus Marsalcus in Litthuaniam expeditionem, et districtibus pluribus videlicet Labnow, Egelow, Paslow, vastatis, captivorum et spoliorum ferens sarcinas redijt. Tertiam expeditionem facturus Marsalcus, aegritudine distentus, Commendatorem de Balga, mittit qui et ipse nullam resistentiam expertus, postquam plures districtus vastaverat, incolumis redijt. Magister insuper Livoniae circa diem Sanctae Scholasticae Litthuaniam hostiliter ingressus, districtum Myednik, et sex alios, adeo saeve vastavit incendijs, ut in singulis ne unius tugurij vestigium posset reperiri. In tempore denique carnisprivij Commendator de Osterrod Burgardus de Mansuelt in Camyenyecz prope Brzescie exercitum ducens, oppidum succendit, et magna praeda hominum et pecorum potitus, Prussiam redijt. Post diem autem Assumptionis Sanctae Mariae virginis, Commendator de Balga Theodoricus de Cluver, exercitu quem habebat trifarie diviso, districtus Ruthenicales Drohiczin, Myelnik et Brzescze vastat, castrumque Brzeskense obsidione terret. Quo inexpugnato relicto, vastatis singulis in circuitu, cum spolijs et captivis revertitur. Tot autem et tam frequentibus vastationibus ex Prussia et Livonia fatigati Litthuani, desperatione invicta, dum se nullo pacto exterminationem perpetuam crederent evasuros, deserenda patriae agitabant tractatus. Consiliumque fuit tam hominibus agrestibus et colonicam exercentibus, quam pecoribus et pecudibus in unum collectis, in sylvas et indagines paludibus et aquis tutas et nondum habitatas transmigrare, Cruciferisque Litthuaniam et Samogitiā terram relinquere. Quae quidem deliberatio exequuta tandem fuisset, si non Polonorum solatia Duce Litthuanorum Jagellone in Regem assumpto, dispersionem huiusmodi avertissent. Quod et Dux Alexander Vithaudus, quamvis florentes res suas viderit ingenue profi-

tebatur, aſſerens ſuam et ſuorum omnium curtiorum, dilaſſuriq;
ex terris Litthuaniæ et Samogitiæ, beneficio Polonico eſſe et fuiſſe aver
ſam, et prohibitam, Poloniſq; potitæ et reſtitutæ patriæ gratificatio
nem perpetuo deberi

Eodem anno post feſtum Penthecoſtes Keyſtuts Lit
thuaniæ Dux, fingens ſe per dolum, gravi ægritudine correptum
intrat clandeſtinis itineribus terram Pruthenicam. Caſtrum quoq;
Cheſszberg impugnat, conquirit, et incendit. Caſtri quoq; Præfectu
Joannem Snubart captivat, quem etſi ſui cohortarentur vivum
pro libamine Dijs ſuis incendere, præfatus tamen Dux Keyſtuts
abominandum facinus fieri prohibuit

Gottfridus de Linda Pruſſiæ Marsalcus habens
in ſuo comitatu duodecim pugnatorum millia, Lituaniam ingreſ
ſus, uſq; ad caſtrum Troky quod a Duce Keyſtutho tenebatur, op
pugnaturus illud advenit. Trocenſi autem diſtrictu vaſtato,
etiam Vilnenſem ſimili ſubijcit vaſtitati. Cuius potentiam Dux
Keyſtuts plurimum perhorreſcens, petit colloquium, ad quem Pruſ
ſiæ Marsalcus fide data et recepta venit, et tractatibus mutuis
factis, rogatus a Keyſtutho Marsalcus, a cæde et flammis
ſe temperat, et paſtis tantum modo contentus in Pruſſiam exerci
tum reducit. In continenti vero Marsalco regreſſo, Comenda
tor de Ragnetha frater Henricus de Hattenſtein cum novo exercitu
in die Sancti Joannis Baptiſtæ Samogitiam et Litthuaniam in
greſſus, diſtrictus Przennay, Labyow, Arunſis, Paſtrom, Cro
ghen, et Pernaven, cædibus ſpolijs et flammis vaſtat, et cum
multitudine captivorum, ſpoliorum, redit in Ragnetha. Cum
nova deinde militia, quæ ex Alemania orbe advenerat, Got
fridus de Linda Marsalcus Pruſſiæ tertiam agit in Litthua
nos expeditionem, habens in ſuo comitatu omnes Commendatores.
Et prima quidem ſtatura apud Dzirſuinsky pont, ſecunda
apud Siedmilyſky, tertia ad caſtrum Trokky, quarta in Rudno,
quinta vero caſtris omnia igni et cædi ſubijciendo, in Vil Vil
no perveniunt. Dux autem Keyſtuts qui tunc in caſtro Vil
nenſi agebat, Treugis in unum diem obtentis, petebat ab ex
ſtum oppidi Vilnenſis abſtineri. Quod etſi ſibi fuerit per Got
fridum Marsalcum promiſſum, media tamen pars oppidi
ygne

igni conflagrata, altera agri defensa est, Frugibus expirantibus castri Vuilnensis tentata expugnatio, quam cum Marsalcus provenire non posse, defendentibus probe Litthuanis moenia, animadverteret, obsidione soluta Prussiam remeabat. Interim vero Vuitsaudus Keystuti filius cum quingentis Litthuanorum, Pruthenicum exercitum antecedens, commeatus, quos Cruciferi in solitudine pro reditu reliquerant, occupat, recipit, aut distrahit. Quapropter Pruthenicus exercitus illuc adveniens, et victualia occupata inveniens, sex diebus atrocem famem in se et equis perpeti coactus est.

Penultima Decembris die Carolus Romanorũ Imperator et Bohemiae Rex cum annis uno et triginta imperasset, apud Pragam moritur, et in maiori Pragensi Ecclesia Pragae sepelitur tam Imperium, quam Bohemiae Regnum Venceslao filio derelinquens. Qui etsi in utroque, Carolo patri successisset, a moribus paternis degenerans, neque clerum neque studia diligens, sed vanis et inutilibus insistens, plerasque personas in suam communionem suumque consortium adsciscens, levium et humilium rerum se sectatorem, magnarũ vero et fortium osorem se demonstrabat. Alter autem filiorum Sigismundus, quos relinquebat Carolus Imperator, ex paterna donatione Marchionatum Brandeburgensem assequutus, et a Ludovico Rege Ungariae et Poloniae, in generum adoptatus, filiam suam natu maiorem Mariam pro coniuge sortitus est, in alterum ex duobus quod Ludovicus orbus filiis relicturus erat Regnum, propter huiusmodi coniugium successurus. Clarus profecto praedictus Carolus Imperator fuit, nisi Bohemiae Regni gloriam magis quam Romani quaesivisset. Illud quoque splendori suo offecit, quod Venceslaum filium largitione ad imperium promovit, nam cum Electores ad eam rem haud facile trahi possent, cuilibet centum millibus aureis promissis rem confecit, quos cum repraesentare non posset, publica illis imperii obligavit ~~vectigal~~ vectigalia. Adeoque imperium pessumdedit, ut deinceps imperium, caput extollere non potuerit, cum Electores omnia sibi retinerent, Imperatoremque iurerando adegerunt, ne pignora revocaret. Mortuus autem est anno Romanorum Regni tricesimo tertio, Imperii vicesimo quarto, Venceslaus cum iam regnasset cum Carolo patre annis octo, regnavit expost solus annis viginti duobus.

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS SEPTUAGESIMUS NONUS

Stipendia sua, quae Sandiwogius de Vir Castellanus Bninensis, nobilis Polonus, de familia et prosapia Nalancz apud Casimirum Stetinensem et Dobrinensem Ducem in bello quod aliquanto tempore inter praefatum Casimirum et Othonem Marchionem Brandeburgensem gerebatur, in frequenti suorum familiarium numero et apparatu equestri militans, meruerat, ex morte Casimiri Ducis Stetinensis insperata, perditum iri propter sumptuum emeritorum quantitatem moleste ferens, Swantoborum Ducem Stetinensem et Casimiri Ducis mortui ex altero thoro germanum fratrem velut haeredem et successorem convenit, solutionem stipendii requirens ab eodem. Quo abnuente, Sandiwogius praedictus ferente illi Ioanne Sandiwogii de Czarnkow iudice Posnaniensi nepote suo solatia, Swantoboro Stetinensi Duci guerram movet, terrasque suas et dominia crebris spoliis, invasionibus et incendiis lacessiit. Swantoborus itaque Stetinensis Dux vexationem huiusmodi ratus iniustam, ad reprimendam illam, expeditione indicta, conatus suos intendit. Stargardensiumque et plurimarum aliarum civitatum maritimae orae adiutus copiis in multitudine gravi pedestris et equestris exercitus curruumque sequentia, Regnum Poloniae hostiliter ingreditur, et castrum Czlopense Ioannis de Czarnkow iudicis Posnaniensis, haereditarium, obsidione vallavit. Quod expugnare altera die aggressus, facilem sibi futuram illius conquisitionem, quod fossata eius arida et inaquosa forent, pertendens, a tertiarum hora usque in vesperam ad illius conquisitionem, substituendo integros fessis et vulneratis non destitit. Nec minor militum suorum fervor fuit, omnia siquidem fossata transgressi ad parietes castri pervenerant, quos dum securibus conarentur effringere, a Ioanne de Czarnkow Iudice Posnaniensi et familiaribus suis saxis et telis superne obruti, testudine ex scutis et asseribus facta, nequicquam eos tuente, gravem stragem et caedem in suos certam contemplati, serius ab oppugnatione castri resiliunt. Interpositione deinde Sulisii de Vucdel, ut desudatos sepelire liceret, Treuga in diem alterum tantummodo confecta; Swantoborus

Stetinenſis Dux gravi ſuper ſuorum nece actus mærore, ſoluta obſidione, copias dividens, populationem exuſtionemq; villarum in circuitu Czlopenſis caſtri juſſit latius extendi, qua perfecta in terram ſuam copias reducens, cum Sandziwogio de Tur et Joanne de Czarnkow hoſtibus ſuis, pacem exuſtione terrarum ſuarum veritus placitavit, et per communes arbitros, damna irrogata et debita ſolvere compulſus, geſtum bellum et gerendum prudenti ſolertia extinxit

Externo bello ſedato proprium et inteſtinum bellum et in Ducatibus Stetinenſibus Caſſubiæ Pomeraniæ, et in Marchionatu Brandemburgenſi, et dominijs Comitis de Nowgard et Baronum Vuedelenſium, et Sczigliczonum agi cœptum eſt. Principibus autem et Baronibus prædictis, longo bellorum ſtridore ſe mutuo collidentibus, tantus furor ſingulorum occupaverat pectora, ut præter civitatis munitas et caſtra, ſingulas villas, oppida, et rura, flammis et incendijs deleverint, et terras præfatas odijs magis quam armis certantes, ad tam patentem vaſtitatem et ruinam poſuerint, ut nec una quidem villa in tot regionibus reperiri poterat, quã bellicus furor non cõflagraſſet

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS OCTUAGESIMUS.

Januſſius de Vuedel, Stetinenſium Ducum et nobilium civili bello permotus, ex caſtro Czlopenſi, cuius poſſeſſionem obligantibus ſibi illud in certa pecuniæ quantitate Joanni de Czarnkow Judici Poſnanienſi, et Vincentio germano ſuo nactus erat, non parvum equeſtrium numerum de ſuis et amicorum familiaribus collectum adiungens, maiorem numerum peditum, quem de Tuczen et Czlopen diſtrictibus, ex agreſtibus coegerat, in Stetinenſem terram ſpolia et prædas acturum tranſmittit, ratus ex inteſtino bello Stetinenſium, nullam ſuum exercitum iacturã ſenſurum. Vaſtata itaq; ora Pirziczen biduo, et præda ſpoliorum et pecorum nocte et interdiu congeſta, verſus Czlopenſe caſtrum exercitus Januſſij redibat. Hunc Dux Swantoborius Stetinenſis, Vuarcislai patrui ſui Ducis Novi Stetinenſis, Stargardenſium quoq; et civitatum aliarum fautore, ſibi unitarum, gentibus ex equite et pedite collectis, adiutus, in metis Regni Poloniae consequentibus, invadit. Cui etsi praeda relicta evadere in castrum Czlopense, non enim remote aberat, licuisset. Suorum tamen paucitate, quae et ipsa maiori ex parte de agrestibus constabat, et hostium frequentia parum pensata, cum hostium catervis confligit. Ubi licet Polonorum et gentium Janussij acies aliquamdiu imperterrita stetisset, ad extremum tamen abundanti hostium multitudine victa succumbit. Quadringenti quinquaginta in eo praelio de Polonis caesi, Centum undarum gurgitibus in palude ad quam pugnatum erat, suffocati.

Vicesima Octobris die Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex residuam quantitatem decem millium florenorum pro quibus Ducatum Dobrzynensem a Wladislao albo Duce coemerat, per Petrassium Malorsa militem Capitaneum Cracoviensem, et Simonem vicecancellarium Poloniae eidem Wladislao albo Duci in Oppido Gdansk terrae Pomeraniae, coram praesenti, et aurum numeranti, persolvit, et plenarie illi pro Ducatu huiusmodi de introitibus Regni Poloniae satisfecit. Qui auro recepto quittanciam et recognitionem, quam se super solutione decem millium florenorum Nuncijs Regijs dare spoponderat, minime reddita, clandestine ex Gdansk paucis familiaribus comitatus, vectus pelago discessit, et in civitatem Lubik, quae in Polonico Bukowiecz appellatur, et quam de Regni Poloniae corpore constat excidisse, se transferens, illic involatum temere, sumptibus inanis faciendo caepit. Sub eodem quoq tempore, cum Joannes Gnesnensis Archiepiscopus et omnes sui Coepiscopi Poloniae iniurias suas et gravamina quae ipsis et Ecclesijs, cleroq eorum assidue a militibus insolenter bona Ecclesiae diripientibus, quaestum, Fratrem Andream Ceretensem Episcopum Suffraganeum, Bartholomaeum Cantorem Wladislaviensem, Nicolaum de Stronow Canonicum Cracoviensem ad Ludovicum praefatum Regem, usq Budam fatigassent, petentes iniurias suas reformatum iri, et gravamina tolli, nihil obtinuit responsum, nisi Regem Dietam instituturum generalem, et in ea gravamina Ecclesiarum correcturum

Florianus Cracoviensis Episcopus, dum annos tredecim in Pontificatu exegisset, sexta Februarij mensis die ad horam extremam perveniens moritur et in Ecclesia Cracoviensi in capella Sancti Thomae per eum dotata, sub tabula aerea sepelitur. Hic in oppido Bodzantin castrum muro, prudenti dispositione erexit, et tam Bodzantin quam Ilsa oppida muro et turribus cinxit. Ecclesiam in Dobrownoda, et alteram in Vuangleszin villa patrimonij sui muro construxit. Calicem aureum gemmis preciosis decorum, casulam, et dalmaticas de flaveo examento, pro decore domus Dei Ecclesiae Cracoviensi reliquit. Domum lapideam et in aliqua sui parte muris refertam Capitulo Cracoviensi tradidit. Obligans habitatorem eius ad duas marcas denarijs Cracoviensibus in eius anniversario persolvendas. Altare Sancti Joannis ante portam latinam, data decima in Pelgrzimowicze dotavit. Cracoviense autem Capitulum in Dominica Laetare ad electionem alterius Pontificis procedens Zauischium de Curoszwanki Archidiaconum Cracoviensem genere nobilem de domo Rosa, Elizabeth seniore Regina Vngariae, apud quam Vicecancellariatus fungebatur officio, et Ludovico filio eius Vngariae et Poloniae Rege operantibus, per viam compromissi eligit. Cuius electio a Joanne Gnesnensi Archiepiscopo in Calisz sexto die Paschae confirmata, et ipse Zauischius de mandato Vrbani sexti per Strigoniensem Archiepiscopum in Strigonio in Episcopum consecratus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS PRIMVS

Elizabeth Caroli olim Vngariae relicta, filia Vladislai Lokietek et soror Casimiri Poloniae, genitrix vero Ludovici Vngariae et Poloniae, Regum, vicesima nona Decembris in aetate grandaeva in castro Budae moritur, et in Monasterio in insula Budensi sepelitur. Qua excedente Ludovicus Poloniae et Vngariae Rex, novum et iustiorem in Regno Poloniae ~~quam~~ qui matre superstite provenire non poterat, statum formaturus, Praelatis et Baronibus

nibus Poloniae conventum apud Budam pro medio Quadragesimae indicit. Offerens se pro illa die singulorum oppressorum et gravatorum quaerelas et causas iusto et legittimo ordine expediturum. Ad quem, licet longa distantia porrectum, frequens Praelatorum et Baronum de sua Republica et eius statu conservando, assidua meditatione sollicitorum, frequentior tamen ex gravatis et passis iniuriam numerus ex Poloniae Regno convenisset. Post plures tamen deliberationes et tractatus, ad formandum salubrem Regni Poloniae statum diebus aliquot habitos, nulla salubris et efficax reperitur via, singula enim quae proposita erant vertebantur propter Regis absentiam in irritum recisura; ea tandem paucis suggerentibus, pluribus improbantibus capta, et a Ludovico Rege decreta est, ut apud Zawischam Episcopum, Dobeslaum de Curoswanky Castellanum Cracoviensem, et Sandivogium de Sa Subino Palatinum Calisiensem, et Capitaneum Cracoviensem vicariatus et administratio totius Poloniae Regni consistat. Hi quoque tres et Rempublicam Poloniae Regni stabiliant, insolentes et praevaricatores compescant, iuraque reddant petentibus. Quo promulgato decreto Ludovicus Rex conventum dissolvit et querulantium ~~et~~ et qui ex longinquo ad eum Budam advenerant, causas, ne dum ut pollicitus erat expedire, sed nec audire sustinuit, sed singulas ad decisionem Zawiszij Episcopi, Dobeslai Castellani, et Sandivogij Capitanei Cracoviensis vicariorum suorum in Poloniae Regno remisit. Ab eo itaque tempore Zawischius Cracoviensis Episcopus se Regni Poloniae Vicarium et scripsit, et gessit, et frequentissimum militum familiarium, et equorum, subiectorumque numerum, ut regiam magis quam Pontificalem aestimares in sua curia tenuit. Cui etiam pro bene administrando vicariatu praedictus Ludovicus omnes dignitates et officia in Regno Poloniae conferendi pro suo arbitrio, Castellanatu et Palatinatu Cra Cracoviensi duntaxat exceptis, per certi tenoris literas, quae in Cracoviensi conservantur Ecclesia, plenam contulerat facultatem. Quam caeteri Proceres Poloniae plurimum carpebant et improbabant, volenti sibi gravem, ignominiosam, et lividosam

Oppolien

Opolien, Vielunien, et Dobrzinensi Duci Wladislao, soluta dote relictae Casimiri Stetinensis olim Ducis, Ducatus Dobrzinensis possessionem consequuto, et a colonis dumtaxat villarum, quas in Ducatu Dobrzinensi Ecclesia Ploczensis obtinet, mediam marcam de laneo, pro tributo exigente, Decimas insuper campestres manipulo solvere detrectante, Dobeslaus Ploczensis Episcopus suae Ecclesiae gravamina non ferens. Ducem Wladislaum, suosq Capitaneos, Officiales, et Praefectos, censuris, quibus in universa Gnesnensi provincia paritum est, percellit, Loca etiam in quae deveniret Ecclesiastico supposuit interdicto. Cumq censuras ipsas aliquanto tempore tolerasset, et Sacramentalis illi pro festo Paschae negata fuisset communio, ad Joannem Gnesnensem Archiepiscopum personaliter se contulit, Et tum in ea re pro qua excommunicabatur, tum in suggestione; quam apud Ludovicum Regem de non remittendo tributo Poradlne Ecclesiarum colonis fecerat, reatum suum recognoscens obtulit ad Archiepiscopi arbitrium, pro singulis satisfactionem. Absolutus itaq ab Archiepiscopo, tredecima expost Maij die cum Dobeslao Ploczensi, Sbilutho Wladislaviensi Episcopis, eorumq Capitulis in castro Zlotoria conventu acto, et gravamina sustulit, et omnem pecuniam pro iniusto, et a Ludovico Rege relaxato tributo, post varias altercationes, quibus sibi exactarum pecuniarum summa summopere indulgeri conatus est, Ploczensis Episcopi Dobeslai qui ad huiusmodi remissionem faciendam nulla prece aut ingenio flecti poterat, visa constantia restituit

Junij mensis decima septima die Semovitus Masoviae totius tunc unicus Dux, Troydeni filius in castro suo Ploczensi mortuus, patribus suis appositus est, et in Ecclesia Ploczensi tumulatus. Tres filios, quorum duos ex prima uxore filia Nicolai Ducis Opaviae, videlicet Janussium et Semovitum, tertium Henricum ex filia Wladislai Ducis Zambicensis, Item duas filias, quarum unam Wladislao Opoliensi, Vieluniensi et Dobrzinensi, alteram Casimiro Stetinensi, quo absumpto, Henrico Ludovici filio Bregensi, Ducibus in coniuges tradiderat, relinquens. Qui dum secundam

Uxorem Ratiborzensis Ducis filiam, cuius propter fere raram venustatem nimio detinebatur et zelotypio amore, ex avisamento sororis suae Thesinensis Ducissae, quae id a nonnullis Semoviti servitoribus, facinus Ducissae apud coniugem prodere verentibus, acceperat, stupri consuetudinem cum quodam nobili gessisse audivisset. quamvis ab ancillis suis nullis tormentis facinoris huiusmodi confessio exprimi poterat, a punitione illius, uterum enim tunc impleverat, abstinuit. Virili vero partu edito, per satellites coniugem iugulavit, potatum vero de adulterio, in Prussia captum, equis primum distractum, in patibulum egit. Indignatione deinde mitigata, mox ingenti torquebatur poenitentia et dolore, praecipue cum videret filium Henricum per eam genitum, et filiam suam Ducissam Casimiri Stetinensis et Dobrzinensis ingenue educatam formam suam expressisse. Hunc processu temporis literis eruditum, singulari amore et charitate prosequutus, primum in Plocensem, deinde in Lanciciensem praepositum promoveri obtinuit. Assequutioni autem Lanciciensis praepositurae Archiepiscopali provisione Feliczę de Garbowo se opponente, et Ducis familiares ex dote et curia praepositurae Lanciciensis ignominiose illos eiicientes, Semovitus Dux iratus in furiamque versus, cum exercitu introitus et decimas praepositurae Lanciciensis occupavit, alterum castrum Lowicz obsedit, nec ante solvit donec spoliis multis patratis Felicha provisioni suae cessisset. pluribus sic libertatibus Gnesnensem, Posnaniensem, et Plocensem Ecclesias in adolescentia extulerat, quas postea in altiori aetate rescindere et saeculari per tyrannidem conatus, ignominiosas censuras et interdicti sententias in eum et Ducatum suum latas pertulit. In milites et subditos saevus et praeceps, in omni fere vita singulis onerosus et gravis, tallias, subventiones, et exactiones crebras a militibus et popularibus exigens, quo facilius liberalitatem qua pollebat produceret, et sumptus diffusos expensasque inutiles aequo tenore continuaret. Ducatum autem Massoviae in duos tantummodo filios suos bipartito, Ianussio Varsoviensis cessit ducatus, Semovito Plocensis

Octaua die mensis Augusti, Cartusiense Monasterium inter duos lacus de prope villam

quatuor milliaribus

milliaribus a civitate Gedanensi distantem, in Vuladislaviensi Diaecesi fundatur, et locus ex eo tempore Paradisus Mariae vocitari coeptus est. Fundatum est autem Monasterium praedictum per Joannem Ruszczynski militem natione et genere Polonum nobilem, qui pro insigniis nobilitatis suae Leonem cum capite Sturionis deferebat. Qui in dotem praefato Monasterio tres villas suas haereditarias donavit, Kolpin, Czapli, et Grdinya di: prope fluvium Radunya in terra Pomerania consistentes. Fuit autem id secundum Monasterium pro ordine et religione Carthusiensium in Regno Poloniae et sub Polonica Ecclesia fundatum. Ad quod formandum inchoandumque fratres ex Pragensi Monasterio Carthusiensium assumpti sunt, fuerunt illic habitaculum et diuturnius, quam in Praga, ubi illorum, infesta haereticis Bohemia, sequuta est eiectio, habituri.

In maioris Poloniae terras, et primum in Brzescz, in crastino Sancti Joannis Baptistae, deinde Cruswiciam, Trzemsnam, Gnisnam, Posnaniam, et Calisz, Dobeslaus de Curoswanki Castellanus, Sandivogius de Subino Capitaneus Cracovienses, et Magister Joannes de Naszacowicze Archidiaconus et Cancellarius Cracovienses ingressi, et cuilibet querulanti et oppresso iustitiam, haereditatibus vero spoliato restitutionem per generale edictum et proclama in foris publicatum administrare polliciti, magno huiusmodi favore excepti sunt. Verum dum pro constitutis ad reddendam iustitiam diebus frequens querulantium oppressorum, et spolium haereditatum suarum passorum numerus confluxisset, et iuxta Baronum praefatorum ordinationem querelas suas, oppressiones, spolia, et iniurias, contra Capitaneos et praefectos regios in scriptis ostentando, haereditatum a quibus pulsi erant privilegia offerrent, illi querulantes et oppressos de loco in locum se subsequi, quasi deliberabundi de ferenda sententia, iussos, magnam multitudinem, se usque in Calisz sequentium, et causas eorum, quas se decisuros promiserant, uno absolverunt responso. Responderunt siquidem Zavissij Cracoviensis Episcopi, qui inter eos vicarius Regni primarius censebatur, obstante absentia, quem speraverant pro festo Sancti Jacobi ad eos accessurum, de administranda iustitia, de-

de restituendis Sacerdotalibus, sibi potentiam Regijs literis esse penitus interdictam. Quo audito, omnis illa querentium multitudo in fletus et ampliores quas ferebat querelas conversa, probris et maledictis Regem et suos vicarios, a quibus se querebatur delusam in sectando, in propria rediit.

Improbam temeritatem et ausus sceleratos Bartossij filij Peregrini de Chotel, qui ex castro Regni Poloniae Odolanow, praedis, spolijs, et rapinis, vicinam illi oram vastaverat, et quosdam Gallicos milites et mercatores captos depraedatosq. ad solutionem quantitatis notabilis arctaverat, Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex querulantium assiduitate permotus, oppressurus, Maioris Poloniae terris bellum per literas et Capitaneos suos indixit, Obsiderique castrum Odolanow et expugnari mandavit. Universitate militibus terrarum Maioris Poloniae iuxta iussum Regis, sub Domarati Capitanei Maioris Poloniae ducatu, in Suinbmeck expeditionem proficiscentibus, undecima Septembris die, post varias praedationes et spolia in villis Gnieznen. frequentior conventus habitus est. Ubi Bartossio parum potenti infra aliquot dierū statiua, pax his conditionibus componitur, ut Bartossius de castro Odolanow excedat, illudq. regijs Capitaneis consignet, Decem et octo florenorum millia, pro quo castrum Odolanow cum suis pertinentijs estimatum est, et illorū solutionem a Rege et suis vicarijs ac praefectis, pecunia tamen qua Gallicos mulctaverat de numero decem et octo millium praestitorum, primum defalcata, et detracta, habiturus. Quibus omnibus adimpletis, belli intestini exortus stridor conquievit.

Eam expeditionem, qua Ecclesiastica bona plurimum afflicta sunt, castri Archiepiscopalis Uniejow, in hunc modum proveniens occupatio sequuta est. Inter epulas secundum a Petrasso Malocha Lanciciensi Capitaneo in praedio regio quod Dambye appellatur, instructas, Pelka praepositus Cuzeloviensis et castri Uniejoviensis tenutarius a Nicolao Castellano Lanciciensi suborto, occasione quarundam venationum, contentioso sermone, familiaribus praepositi secuta contentione, abeuntibus, cultro percussus, illico expirans interficitur. Familiaris autem Pelchae praepositi, nece sui Domini comperta, fugientem Nicolaum Castellanum Lanciciensem consequuti, calente et subministrante iustitia vires, pluribus vulneribus inflictis, perimunt. Germanum suum Pelham Cruzwiciensem Praepositum Bernardus de Zarbow Sendomiricta, in cuius fidem castrum Vneiouiense deserviens commendauerat, intelligens in seditione huiusmodi extinctum, Archiepiscopali thezauro effracto, sexingentas marcas in auro et argento exinde sustulit, et magno pecorum, pecudumque mactato numero, et in castrum importato, quindecim diebus rebellis suo domino Archiepiscopo Gnesnensi Janussio permansit, donec per Domaratum Poloniae maioris, Petrassium Malocha Cracoviae Capitaneos, Derslaum Gnesnensem, Grzymalam Costrzinensem Castellanos, pactis, quibus sibi ablatorum et patratorum plena dabatur remissio, persuasus et allectus, fidefragus et infamis castro exiens, illud Archiepiscopo Gnesnensi reddidit

Prima mensis Decembris die Dobeslaus cognominatus Szowka Plocensis Episcopus, in defendenda Ecclesiastica libertate propugnator, et desperditorum, collapsorumque instaurator egregius, dum annis tantummodo tribus in Plocensi sede sedisset, in quodam rure prope Gorzno ex Poltsowsko transitum faciens, sedens ad mensam Apoplexia invasus, moritur. Quo nondum in Ecclesia Plocensi, ubi illi tumba comparata erat, sepulto, Ducibus Masoviae Janussio et Semouito instigantibus, absentibus non vocatis, electione festina celebrata, Stiborius Archidiaconus Plocensis eligitur. Cuius electio nemine improbante, decimaoctava mensis eiusdem Decembris die, a Janussio Gnesnensi Archiepiscopo apud Znenam confirmatur. Cui quidem confirmationi Stiborius Plocensis Episcopus parum fidens, velocem nuntium in urbem transmittit. Qui receptis a Judais Cracouiensibus sexingentis sexaginta latorum grossorum cum accrescentia usurarum, Romam pertingens, alteram confirmationem, ab Urbano Sexto, in sua obedientia nominato, reportavit, in nullo sibi necessariam aut fructuosam

Anno eodem mensis Decembris vicesima die Nicolaus Stroszberg Praepositus Gnesnensis, et Sedis Apostolicae fructuum in Regno Poloniae collector, a Thoma Episcopo Lucerino Nuntio Apostolico, cameram Apostolicam primum in mille quingentis

gentis florenis, quos restituere cogebatur. deinde suspitione aucta, ex quietationibus et Registris Succollectorum coram se per compulsorium productis, in duodecim millibus florenorum decepisse, capitur, et perpetuis carceribus deputatur.

Ad diuturnam Ecclesiae Vuratislauiensis turbationem, quam pro vacatione sui Pontificis annis iam sex pertulerat, alia quoque amplior anxietas, fortuna in eum annum molestiam super molestiam cumulante, accessit. Cereuisiae siquidem Swidnicensis propinationem, per vicarios maioris et Sanctae Crucis Ecclesiarum Vuratislauiensium vicarios, in eorum domibus hactenus tractatam, Consules Vuratislauienses, damnosam eorum lucris rati, abrogaturi, graui prohibent edicto, ne aliquis Swidnicensem potum pro Clero Vuratislauiensi audeat in Vuratislauiam inferre. Vector interim quidam a Ruperto Lignicensi Duce aliquot vasa cereuisiae praefatae, Henrico Decano Vuratislauiensi germano, dono ad celebritatem instantis Natalis Christi missa, aduehens, Consules Vuratislauienses rogat, ut liceret illi cum cereuisia praedicta ad Decanum, cui mittebatur, habere ingressum. Consules vero rigorem suae authoritatis extensius quam conueniebat, promulgatum, vectore capto cereuisiam etiam auferunt. Propter quod Venceslaus Lubucensis Episcopus, et Vuratislauiensis Ecclesiae sede vacante administrator, Capitulo Vuratislauiensi consulto, Vuratislauiensem ciuitatem interdicto supponit, et cum Praelatis, et Canonicis, Clero quoque Vuratislauiensi in Nissam, seditionem popularem veritus, transmigrat. Sedaturus itaque dudum gliscentem et tunc per operis effectum vehementius incitatam inter Clerum et populum Vuratislauiensem discordiam Venceslaus Bohemiae Rex, Vuratislauiam vigesima septima Junij aduenit. Et propter aduentum suum, a Clero, qui reuersus fuerat, diuina resumi petijt, offerens se Consules ~~Cracouienses~~ Vuratislauienses culpa eorum cognita, ad damnorum refusionem coacturum. Sed Clero abnuente, ne in propria nationis vicium incideret, Rex Venceslaus iratus, Abbatem Sanctae Mariae de arena penultima Junij captiuat, et octo diebus in Pratorio Vuratislauiensi detinet captiuatum, pertulisset eandem sortem Sancti Vincentij extra muros Abbas frater Marcus, nisi se altera die in insula, diuina coram Rege celebraturum fingens, nocte insequenti cum singulis sui Monasterij Canonicis, ex Monasterio omnium victualium abundantia referto, fugiens, in Regnum Poloniae, et in Monasterium Strzelnense sui Ordinis, ubi tutus consisteret, divertisset. In oppida deinde, et villas Ecclesiae et Monasteriorum saevitum est, et tam ingens pecorum pecudumque numerus, villis Ecclesiasticis, mandato Regis per Bohemos spoliatis, Vuratislaviam invectus est, ut ducenta oves pro tribus marcis communibus, boves et vaccae pro fertone exhiberentur venales. Non tamen ea vilitas precij numerum pecorum absumere potuit, quin maior illius portio ad vendendum, Bohemiam, propter emptorum penuriam, pelleretur. Universis itaque Praelatis et Canonicis, et singulis de Vuratislaviensi clero tyrannidem pertimescentibus regiam, in varia loca, prout quemque sors tulit, diffugientibus, Vencislaus Bohemiae Rex curiam Episcopalem, curiasque Monasteriorum, Canonicorum, Vicariorum, et quorumlibet Spiritualium, militibus suis spoliandas, diripiendas, et occupandas permisit. A quibus aurum, argentum, pecunia, vasa, vestimentaque preciosa, et varia rerum concupiscibilium supellex, in notabili quantitate etiam, non in locis tantummodo clausis, quae confregerant, sed etiam apertis, et mira aviditate scrutatis, reperta, Rege partem tollente, divisa atque direpta est. Oppida insuper et villas Ecclesiae, obedientiam et tributa iussit sibi praestare, abnuentes suum imperium gravibus poenis multari. Duravit haec occupatio notabili tempore, Rege Vencislao et Bohemis, Ecclesiarum et Monasteriorum substantias, praedia, et plena promptuaria pro libito consumentibus, et ex patrimonio Iesu Christi, rebusque nomini divino dicatis, opipare vescentibus, et assidue agentibus convivia splendida, profusa et delicata.

Instigatus multipliciter et persuasus Ludovicus Poloniae et Ungariae Rex per Urbanum Sextum, ad invadendum Regnum Siciliae, quod tunc Ioanna regina cum Ottone Duce Brunsvicensi marito suo secundo obtinebat, Carolum Ducem Duratii affinem et cognatum suum, cum decenti armigerorum comitiva transmisit, vindicaturus ultionem de praefata Ioanna Regina, quae virum suum et fratrem patruelem Stephanum, et germanum Ludovici crudeliter peremerat. Qui cum auxilio et sumptibus dicti Vrbani Neapolim et plura castra Siciliae conquirens, etiam Joannam Reginam cum viro suo Ottone capit, et Joannam quidem Reginam ad quoddam castrum in Aprucio deductam, missis quatuor Vngaris strangulauit. Ottonem vero post triennium ex quo captus fuit, in carceribus extinxit. Jn huncq modum Joanna, interemptis marito et fratribus iustissimas poenas soluit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS SECVNDVS

Januarij mensis duodecima die Zauischius Cracouiensis Episcopus, cum annis duobus et dimidio Cracouiensi Ecclesiae praefuisset, in villagio Ecclesiae Cracouiensis Dobrowoda prope Visliciam sito, infirmatus, sicut nonnulli scripto et relatione tradidere, dum aceruum scala ascendere nititur, collisus moritur, et in Ecclesia Cracouiensi in Corporis Christi capella sepelitur. Patre autem suo Dobeslao Castellano Cracouiensi, et Crzeslao germano Castellano Sendomiriensi, ordinantibus, militari more pompa sui funeris, equis ~~[illegible]~~ purpura velatis cadauer praecedentibus, et tandem Ecclesiam introductis, acta est, Propter quod nocte subsequenti a Sanctuarijs vigilias in Ecclesia Cracouiensi obseruantibus, strepitus velut equorum per Ecclesiam discurrentium, et vociferatio daemonum audita est, vt monstraret dominus pompam funeralem mundano more introductam, in corporibus militum exosam, in Pontificum detestandam fore. Hic anno sui Pontificatus secundo, Collegium Mansionariorum de septem personis, qui officium Virginis benedictae Dominae nostrae in Cracouiensi Ecclesia iugiter psallerent, donando illis duodecim decimas manipulares, et unum hortum in Nigra villa mensae Episcopalis, fundauit. Felix profecto eo vno opere qui rem multipliciter meritoriam, et Cracouiensem Ecclesiam decorantem, ab omnibus suis praedecessoribus neglectam instaurauit, et primus attamen vnus, inclitum et singulare meritum rapuit. Fundauit et Ecclesiam Parochialem in villa patrimonij sui Chodow, in villa Poramba, et alijs decimas manipulares largiens ei pro dote. Cuius contemplatione et interuentu villa Pyestrzecz cum allodio dicto Cruszecz et domus lignea cum turri lapidea, in castro Cracouiensi, in recompensam domus Episcopalis, qua nunc Granarium vocatur regium recepta per Ludovicum Poloniae et Ungariae Regem ablata est. Vir si nonnullorum scriptis standum est, mundanis amplius quam divinis inhians, et ad illecebras proclivis carnales. Die autem Purificationis Sanctae Mariae pro eligendo futuro Pontifice Cracoviensi a Capitularibus indicta, Joannes Radlicza medicinae Doctor Canonicus Cracoviensis et Regni Poloniae Cancellarius, affectuosissimis precibus pro eo, Ludovico Rege apud Cracoviense Capitulum intercedente, cum et probitate et virtute esset insignis, electus est. Hic siquidem Joannis ortum habens ex maiori Polonia ex parentibus nobilibus de domo et familia, quae Galeam nauticam aliâs Korab defert pro insigni, patre Mirsach, matre Cristina de villa Radliczicze prope Calisz, post liberalia studia in adolescentia absoluta, in virili robur evadens, medicinis, natura eum ad id unum magis inclinante, operam dedit, et pro consequenda artis medicinae peritia Galliam adiens in monte Pessulano annis pluribus immoratus, et Ludovico Ungariae et Poloniae Regi, variis involuto aegritudinibus, a Rege Francorum medicos sibi expertos mittere petenti destinatus, facile pro doctrina artis suae, qua etiam ex naturali instinctu pollebat, et Regis Ludovici et Baronum Poloniae in se provocat affectum. Electio sua a Joanne Gnesnensi Archiepiscopo confirmata, et ipse Urbano sexto iubente in Episcopum consecratus

Decima octava mensis Martij die, Nicolaus de Curnik Posnaniensis Episcopus, cum biennio in loco genitalium, gravissimo Cancri morbo ureretur, quartana febre correptus, in lingua et gutture adeo ulceratus, ut officio loquelae privaretur, in Curia Ecclesiae Czanszin moritur, et in Ecclesia Posnaniensi vigesima prima eiusdem mensis Martij sepelitur. Vir loquax, et in altercationibus atque litibus, plusquam gravitati Pontificali conveniret, praeceps. In cuius locum vicesima nona Aprilis mensis, a Praelatis et Canonicis Posnaniensibus, electionem de futuro Pastore apud Posnaniam celebrantibus, Nicolaus Scholasticus Posnaniensis conformi electione sufficitus est. Cuius electione, Joannes Suchiwilk Archiepiscopus Gnesnensis, in grabato apud Zninam gravi languore decumbens, velut iusta, et canonica, confirmata, quinta die mensis Aprilis, in Paschae vigiliam cadenti, post crepusculum, Znyne de vita excedit, annis novem in Pontificatu exactis, Cuius thesaurus et omnis Archiepiscopalis suppellex illico per nepotes, fratres, et consanguineos suos in frequenti numero praesentes, quibus plusquàm sat erat carnali amore affectus, singula Gnesnensis Ecclesiae castra gubernanda tradiderat, direptus est. Singularis et rara tam prudentia quàm industria vir, dum in privato versaretur statu habitus. Ad pontificale vero culmen promotus, dum irae indulget, dum affectionem in sanguinem et carnem depromit, dum saeculari potestati, clerum gravanti, assentitur magis, quàm resistit, dum in Sacerdotes suae Dioecesis dictis et factis probrosis saevit, de prisca prudentia parum visus est retinuisse. In Gnesnensi Ecclesia, ~~quam test~~ in choro, quem testudine et tecto ornaverat, medio, sub tabula pulcherrima aerea, Flandrensi sculpta magisterio, sepultus, casulâ nobili Ecclesiae Gnesnen. relinquēs.

Semovitus Mazoviae et Plocensis Dux, Joannis Gnesnensis Archiepiscopi morte ad se festino nuncio perlata, coactis militibus et agrestibus in arma, castrum Lovicz Archiepiscopale, nulla re laesus, quod a Derslao Castellano Gnesnensi tenebatur, feria Secunda Paschae obsidere, expugnareque et bona Ecclesiae Gnesnensis diripere coepit. Missus ad illum extemplo a Gnesnensi Capitulo Andreas Ceretensis Episcopus, Ecclesiae Gnesnensis Suffraganeus, qui solvere obsidionem suaderet, et ex qua causa eam intulisset inquireret. Accepit responsum, Ducali ius suum existere, ut castrum Lovicz nemo alius sub ratione Ecclesiae Gnesnensis, quam ipse possideat, non se tamen iuris huiusmodi usum sibi vendicaturum, et ab obsidione castri temperaturum fuisse, si illius tenuta et gubernatio apud aliquem ex Canonicis Gnesnensibus, non apud suum hostem praecipuum, Derslaum Castellanum Gnesnensem consisteret. Ea responsio Ducis, et accelerare futuram electionem Archiepiscopalem, et magis conformem fore coegit. Sexta decima Aprilis die. Dobrogostius de Novidwor Decretorum Doctor, Decanus Cracoviensis, et Cantor Gnesnensis, genere nobilis, de domo Nalęcz, concordibus votis Canonicorum electus, suo et Capituli Gnesnensis nomine Bronislaum Cancellarium, Boguslaum Canonicum Gnesnensem, Sandivogium de Kazimirz, Joannem de Czarnkow Judicem Posnaniensem Castellanum Naklensem, et Ozeponem de Grodzisko ad Ducem Semovitum,

tum, continuantem obsidionem destinat, Quibus obsidionem petentibus solui, destitutionemq; Derslai Castellani Gnesnensis pollicentibus, Semouithus Dux morigerum se praebens, grauibus damnis irrogatis, de agro et obsidione abscessit, Derslaoq; destituto, et familiaribus, qui obsidionem tolerauerant, ducentis Marcis salariatis, Boguslaus Canonicus Gnesnensis possessionem castri accepit.

Fauorem et consensum Ludouici Vngariae et Poloniae Regis, velut patroni, pro electionibus suis Dobrogostij Gnesnensis, et Nicolaus Posnaniensis electi obtenturi, Joannem de Czarnkow iudicem Posnaniensem, N. Castellanum Nakliensem, et Petrum de Sneyna Canonicum Gnesnensem in Vngariam destinant, Ipsi, res, sumptibus, et equos, Romam, quo facilior electionum suarum subsequatur confirmatio, personaliter profecturi, expediunt. Sed Ludouicus Rex maligna suggestione praeoccupatus, persuasusq;, Dobrogostij ad Gnesnensem Ecclesiam promotionem, sibi et proli suae perniciosam fore, cum Dobrogostius ipse eo respectu electionem conformem sortitus est, ut Ludouici morte sequuta, Semouitum Ducem Masouiae in Poloniae Regnum et promoueat et coronet. Nicolai vero Posnaniensis electi iuri suo aduersam, Nuntijs praefatis, aegre tertia die admissis, et parum benigne auditis, respondet se omni facto pacto, electionibus Dobrogostij et Nicolai impediturum, Vnde et per se et per amicos in plerisq; locis, quibus illos versus vrbem transitum facere suspicatus est, ipsis laqueos et tendicula subministrat. De quo, dum iter agendo Vratislauiam peruenissent, auisati, iter suum nihilominus, quanto cautiosius possunt, maturant, et apud Teruisium in insidias incidunt, Duce, Veronensium, pro Regis Ludouici complacentia, iubente, detinentur.
~~detinant~~ur Altero tamen die, Gnesnensi Electo Dobrogostio cum suis familiaribus et sarcinis retento, Nicolaus Electus Posnaniensis, Vladislao Oppoliensi, Vielunensi et Oppoliensi, qui nepotem suum germanum, Boleslai Opoliensis Ducis filium Joannem, nondum aetatem debitam, iam tamen eiusdem Vladislai Ducis patrui sui intercessione, Praepositurum Sancti Martini Scepusiensem sortitum, Bononiae literis dantem operam, ad Posnaniensem Ecclesiam quendam Ludouici Regis fauore et consensu impetrato promouebat,

agente, ne pro captiuitate ipsius, quasi ab eo subministrata, a fratribus et cognatis suis hostilitate lacessiretur, et futura sui nepotis promotione, velut per impressionem facta, carperetur, ex captiuitate et aresto dimissus Romam ire pergit.

Verum antequam illuc peruenisset, Vrbanus Sextus propter Scisma ab eo deriuatum, Principum fauores sibi quesiturus, Nuntijs Ludouici Regis, quos ob eam rem in vrbem destinarat, sollicitantibus, de Gnesnensi Ecclesia Bodzantha de Schelygij Sandomiriensi, genere nobili de domo quae Lunam cruce ornatam defert pro insigni, Schelygas se appellat, et generali Cracouiensi Procuratori, De Posnaniensi vero praefato Joanni qui Cropidlo cognominatus est, filio Bolislai Ducis Opoliensis, eo maxime permotus, quod Duces Opolienses, pari, quo et ipse, glauca vtebatur aquila in campo caelestino vterentur pro insigni, nona die mensis Junij prouidit, contemptis sed nec praestolatis viris optimis in regimen vacantium Ecclesiarum legittime accersitis. Vigore itaque prouisionis praefatae, in grande et eminens Dobrogosty et Nicolai Electorum praeiudicium, et Bodzantha in Gnesnensem, et Joannes Cropidlo Dux in Posnaniensem, Ecclesias successit. Dobregostius Electus Gnesnensis a captiuitate et aresto integris rebus singulis suis remanentibus solutus, Poloniam in festo Assumptionis Sanctae Mariae reuersus, ad castrum Lowicz primum applicuit, ratus se illud cum consensu et fauore Capitulari contra Bodzantham, cum quo de iure Ecclesiae Gnesnensis certare intendebat, possessurum. Sed inde egredi iussus, Gnesnam venit, et pro sumptibus, quos pro iure Ecclesiae prosequendo fecerat, ac pro sua conseruatione sibi castrum Lowicz aut Carnyen dari deposcens, in petitione sua auditus non est, respondente Capitulo, largitionem distributionemque castrorum Archiepiscopalium, nunquam sibi licuisse multoque minus iam licere, Bodzantha confirmato et promoto.

Pertulit et aliud Ecclesia Gnesnensis mortuo Joanni Suchiwilk Archiepiscopo, suae calamitatis incommodum. Nam Petrus et Nicolaus fratres germani, filij Ztam de Strzelcze et nepotes Joannis Archiepiscopi germani, quibus Capitulo ignorante castrum Vnieiow commiserat, multis grauaminibus et spolijs in bonis Ecclesiasticis patratis, castri Vniecow resignationem pro varijs terminis sollicitatam, facere detrectarunt, Propterque quod a Joanne Archidiacono, et Bromislao Cancellario administratoribus, sententijs interdicti fuerant irretiti. Quas cum contumaciter contemnerent, mittuntur ad Ludouicum Regem in Vngariam, Bromislaus Cancellarius unus ex administratoribus, et Joannes de Tilang Archidiaconus Crusuiciensis, et redditionem castri Vniecow petituri, et purgaturi suspitionem, qua Capitulum Gnesnense falso accusabatur, in fauorem Semouiti Mazouiae Ducis, pro consequendo Regno, et praeiudicium Ludouici et prolis suae, Dobrogostium elegisse. Et quamuis castrum Vniecow reddi Rex sub poenis districtissimis iubebat, non tamen prius ab occupatoribus redditum est, donec Bodzantha possessionem Archiepiscopatus nactus, insolentiam eorum partim terrore, partim modestia perdomuit

Vuratislauiensem Ecclesiam et eius vacationē Vrbanus Papa Sextus respiciens, et illius dispendia, quae ex septennali vacatione pertulerat, animaduertens, Nuncijs Vratislauiensis Capituli eximius personam Venceslai Lubucensis Episcopi, filij Boleslai Ducis Legnicensis, efferentibus, et illum Ecclesiae Vratislauiensi pro Pontifice dari obsecrantibus, praefato Venceslao Episcopo Lubucensi et Ecclesiae Vratislauiensis administratori, de Ecclesia Vratislauiensi prouidit, substituens in Lubucensem Ecclesiam Adamum de Kytlerz Canonicum Lubucensem. Quam quidem prouisionem Venceslaus Bohemiae Rex, quod se non petito, neque consentiente, expedita fuerit, perosus, pro ea rescindenda multiplices conatus edidit, et ne castrorum et ciuitatum Ecclesiae Vratislauiensis sibi consignaretur possessio, Praelatis et Canonicis Vratislauiensibus sub poenis grauissimis interdixit. Plerisque autem Canonicis Vratislauiensibus, in sententiam Venceslai Bohemiae Regis ultro euntibus, et contra prouisionem Venceslai Episcopi prouocatione se tuentibus, a parte tamen maiori et saniori, pro legittimo Pontifice habitus, possessionem castrorum et ciuitatum Ecclesiae Vratislauiensis, nequicquam Rege interminante accepit. Serpsit autem, partium studijs, et ex temporis diuturnitate fomentum accepit huiusmodi discordia, tandem sub iniquis conditionibus sedata est, per quas et omnia damna Ecclesiae Vratislauiensi per Venceslaum Regem

irrogata, et quinq. millium Marcarum, Carolo patri suo per
Capitulum Wratislauiensi mutuatorum, debitum, remissa
sunt, et quantitas nouarum pecuniarum, quae iratum pla
caret Regem adiecta. Id tamen vnum pro sui doloris lenimi
ne retulit, et eo se solabatur, quod praedictis conditionibus
sancitum est, ut Consules Wratislauienses de nouo creandi,
ex Pretorij loco, creatione celebrata, lares proprios non introe
ant, nisi primum Ecclesia Wratislauiensi adita, corporale
iuramentum, de defendendis, et manutenendis iuribus et
libertatibus Ecclesiae; in manibus Canonicorum, corporali Sa
cramentum praestituri.

Seditionem et cladem apud Litthuanos, et
eorum principes, per plura tempora gliscentem, in annum
vero praesentem erumpentem, praesenti operi inserturus, a
rebus Polonorum digressionem facere cogor. Principumq. Lit
thuaniae, quibus propitiatione diuina, Principibus Poloniae re
probatis ob facinora, apud Polonos destinabatur imperium,
texere originem, quo rerum gestarum et gerendarum in
telligi clarius posset ordo et conditio. Erant Gedimino, qui
in Litthuanos longo tempore, dominatione rapta, et iusto Principe
apud quem stabulatus officio fungebatur, occiso, imperium
exercuerat, septem filij, quibus pater dum adhuc viueret,
terras a Ruthenis abstractas et occupatas diuisit. Mon
tiuido secundum natu maiori consignauit Kiernow et Slonim,
Narimunto Pijensk, Olgerdo Krewnam, cui Dux Russiae de
Vitbewsko vnica quam relinquebat filia in matrimonium
tradita, Ducatus sui successionem tradiderat, Jewnutha Vilna,
caput gentis, ut magni Ducatus successio apud illum consi
steret, Keystutho Trokhy, Koriatho Nowogrodek, Septi
mus et vltimus Lubardus sortem inter fratres non accepit,
matrimonium filiae vnicae Ducis Vladimiriensis sortitus, cũ
qua illi Ducatus Leopoliensis et Vladimiriensis obueniebat.
Inter praedictos autem septem germanos Duces, Olgerd et
Keystuth vegetiora sortiti ingenia, etiam strictiori se compli
xi sunt glutinio et charitate. Indignumq. rati parere Jawnu
thae, deiicere illum ex Vilna et Ducatu magno, dumq. quo
destinata exequantur, constituunt. Serius autem Olgerdo
ex Vuitewsko propter itineris longitudinem veniente, Keystuth
du

die qua inter eos convenerat, cum gentibus armatis Vilnam occupat, parumque abfuit, quin et Jawnutham Ducem nihil hostile de Keystutho suspicantem occupasset. Qui sub tumultus tempore de Vilna exiliens, in sylvasque et montes transmigrans, pedibus prae frigore rigescentibus, a persequutoribus captus, Vuilnam relatus est. Misit itaque Keystuths in fratris sui Olgerdi Ducis occursum, nuntium, significans, se et Vilnam et Ducem Jawnutham cepisse, Qui Olgerdum in itinere apud Krevuam offendens, celerius eventu nunciato venire Vilnam coegit. Quo venienti quis eorum ad praesidendum in Ducatu magno consistere debeat, aliquanto tempore, uno alteri deferente honorem imperij, certamen habitum est. Keystuthum Olgerdus iure cogebat victoriae, Keystuthus iure refellebat aetatis. Tandem ea conclusio capta, ut aliquibus districtibus inter se partitis, Duci Jawnuthae quem ceperant consignaretur Zaslaw cum suis pertinentijs, Olgerdus Vilnam et Magnum Ducatum possidens in singulos fratres exerceret imperium. Si qua terrarum obveniret occupatio, ex aequo inter Olgerdum et Keystuth partiretur, et unus alterius fide et iureiurando interposito, non ambiret necem aut dominia, sed pro posse procuraret commoda et profectus, Sed quam probe id Sacramentum et foedus servatum sit, in sequentibus narrabimus, neque enim inter barbaros tuta et sincera durare possunt foedera, inter quos verus ignoratur Deus, nullaque viget fides, nullum sacrosanctum iusiurandum, nulla legittima religio

In magnum itaque Litthuaniae Ducatum

Olgerdus favore Ducis Keystuthi evectus, felix et insignis principatu, sed multiplici prole filiorum censebatur. Erat namque illi duodecim filij ex eadem matre Ruthena, Sarcerat Ducis Thwerensis .N. filia, suscepti, videlicet Jagello, Skirgello, Swidrigello, Korzelek, Koributh, Vignuth, Korigal, Narimunth, Languin, Lubarth, Andreas, Buthaw, omnes adolescentes spectabiles quos genetrix eorum ad mores fovebat Graecos, ritum graecum illis instillans. Dux vero Keystuths sex filios ex una coniuge generans, videlicet Vithaudum, Patryki,

Thotwil

Thotunil, Sigismundum, Voydath et . N . et duobus quidem ex his videlicet Vithaundo et Sigismundo principari in Ducatu Litthuaniae contigit, Tothunil in obsidione Vilnensis castri ictus bombarda occubuit, Vuithaudum, quod mores patrios, formamque et indolem singillatius expresserat singulis anteponebat. Eademque Jagelloni apud Olgerdum fuit sors, et conditio, qui quasi illum unum genuisset, caeteris neglectis, charitate eum plus quam patria adamabat. I~~niun~~unxerant et ipsi duo filij a patribus suis amati societatem inter se, et ex assiduo contubernio germanitatis, se prosequebantur amore, his quoque duobus patres Olgerdus, et Keystuths permutuas conditiones, suorum filiorum successionem destinabant. Absumitur interim Olgerdus anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, et Keystutho servante fidem, Jagello patri in magno Ducatu succedit. Quem Keystuths patruus suus, eadem qua patrem suum Olgerdum solitus erat, colunt subiectione et reverentia, frequentando eius solium et consilia, et fideliter consulendo, pro bene administrando suo regimine et principatu. Sed puritati fidei suae teterrimo praemij genere responsum est, Erat apud Ducem Olgerdum vir quidam vocitatus Vuoidolo, sortis rusticana et obscura; primum apud Olgerdum pistrinam, deinde Cubicularij, postremo pincernae munus agens; qui se adeo Olgerdo in officijs huiusmodi insinuaverat, ut primus et maior inter omnes suos haberetur. Nec Jagelloni filij sui minor erga illum erat favor et affectio, qui patrem officio et benevolentia victurus, sororem suam germanam Mariam, quae ex post Duci Dauid nupserat, Keystutho Duce non consulto, et affinitatem ipsam et increpante et abhorrente; matrimonio Vuoydiloni coniungit. Vuoydolo itaque praefatus, suspectam habens Ducis Keystuthi erga se fidem, prudentiam quoque, industriam et potentiam Keystuthonis perniciosam sibi et sorti suae futuram, veritus, etiam illum apud Ducem Jagellonem criminatur, et vehementissime efficit tam odiosum, quam suspectum. Vuoydolonis quoque persuasione et suggestu, cum Magistro et Ordine Cruciferorum de Prussia Jagello Magnus Dux Litthuaniae; post frequentes conventus, clandestine habitos, clandestinum contra patruum suum Keystutorem Ducem de Trokhy, celebrat et inscribit foedus. De quo

Dux Keystuth per Sundsteyn Osterrodensem Commendatorem ex affinitate secum iuncta, filiam enim Keystuthi Danutam in barbaro, suscepta vera fide Jannussio Mazoviae Duci desponsatam, de sacro fonte levaverat, avisatus, voto filio Vuithaudo, quam ambiguae fidei sit, quibusque dolis et ingeniis laqueos illi paret Jagello Dux Magnus Litthuaniae, cum quo plusquam germane Vuithaudus versari, et de singulis communicare consueverit, edocet. Quo suspicionem paternam ex avisamento Osterrodensis Commendatoris natam, pluribus argumentis extenuanti, et asserenti, impossibile eius se conspirationis latere, quocum assidue versetur, mittitur a Jagellone Litthuanicus et Ruthenicus contra Polocenses, germanumque suum Ducem Skirgalonem detrectantes suscipere, exercitus, in cuius solatium Magister Livoniae cum suo exercitu, invitatione faederatus, advenit personaliter, et utroque exercitu Polocenses affligentur; Polocenses vehementer inopes consilii quid agerent, angustiabantur. Rursus Keystutus Dux his ad se perlatis, Vuithaudum filium, secretioribus querelis convenit, Non est inquit amplius cunctandum fili, nepos meus Jagello sorore sua nepte mea in sordidum et rusticanum matrimonium tradita, cum infestissimis hostibus nostris, cum quibus nos assidua hactenus gessimus bella, faedere per inscriptiones iuncto, Polocenses impugnat, eaque impugnatio, fidem, avisamento ab Osterrodensi Commendatore facto, facit, insidias meo et tuo capiti fore a Jagellone nexas et comparatas, nisi interea aliquid nobis prospexerimus, priorum more illis involvemur. Sic fatus, suis se subsequentibus copiis, filio Vuithaudo nequicquam dissuadenti, et retrorsum in Drohiczin, quod tunc sui iuris fuerat, abeunti, ad Vuilnam agmine silenti veniens, et Jagellonem Ducem, et castrum Vilnense comprehendit. Singulis autem in suam ditionem redactis, dum et inscriptionum faedera, quibus se Jagello cum Magistro et Ordine Cruciferorum, contra se alligaverat, deprehendisset, Vuithaudo filio per celerem nuntium de his quae egerat avisato, et iuxta patris imperium in Vuilno festinanti, uno etenim die, spatium itineris de Grodno in Vilnam emensus erat, venienti, Diis, inquit, fili, quorum ope vita nostra ab impendenti periculo servata est, et hostis infestus Jagello oppressus, gratiae agendae sunt, et qui fideli et amicae denunciationi pluribus etiam experimentis comprobatae, fidem praestare nolueras, saltem nunc his visis inscriptionibus, quibus per Jagellonem cum hostibus itum erat contra nos faedus, tollebatque in altum dispersas

faederis

fateris literas credo, Iam infesto tamen hosti omnis honos a me, neque enim illum vinxi, neque thesauros suos diripui, neque de rebus ad illum pertinentibus quicquam tuli, praestitus est, praestabiturque. Nam etsi ipsum ex sede sua magni Ducatus pellere, magnitudo periculi mihi et tibi comparati impellit, sortem tamen suam paternam, Vuithunsko, et Crevna sibi reddo. Exhilaratus Dux Jagello de Ducis Vuithaudi adventu, verebatur enim pro sua perfidia, Keystuthum Ducem patruum suum grave aliquid in se consulturum, facinore perfidiae utroque purgato, fidum se in posterum et in singulis prosperis et adversis Keystutho Duci pollicitus, foederi cum Cruciferis inito abdicat, iureque iurando firmat, uno periurio subsequenti polluturus. Reconciliatione inita Jagello Dux cum fratribus, et singulis fortunis, pignoribusque et mancipiis a Keystutho dimissus, Vuilna excedens, Duce Vuithaudo cum concomitante, in Vuithunsko se contulit, et illic, magno Ducatu Litthuaniae ablato, manere coepit. Mittit autem extemplo Dux Keystuth duos nuncios, unum ad exercitum Litthuanicum Polocensis obsidentem, alterum ad obsessos, obsessis quidem suffragium solutionis se in tempore laturum pollicens, obsidentibus vero ut soluta obsidione redeant, denuncians. Magno gaudio Nuncij excepti, utrisque fuerant solatio, parentesque Litthuani Keystuthi iussionibus, Duce Skirgello deserto Vuilnam redeunt. Magister vero Livoniae, propter sui exercitus paucitatem in obsidione consistere non ausus, sibi et suis consulens Livoniam revertitur. Quem et Dux Skirgello sequi compulsus, apud Livonitas aliquanto tempore degit, sollicitus mente et spiritu, multaque in animo tacitus secum volvens, qualiter patruo suo Duci Keystutho eiectionis sua ex Vilna et Ducatu magno Litthuaniae vicem redderet, et tam vita quam Ducatu, castroque Vilnensi, quacunque parte, colore, occasione, nihil pensi habendo, exueret privaret.

Indicit deinde Dux magnus Litthuaniae Keystuth expeditionem, et tam Ruthenicis quam Litthuanicis copijs coactis, vadit contra Sebenngersk. Nowogrodich et Ducem eius Koributh suae ditioni parere detrectantem, Vuoydilonem Ducis Jagellonis genero, quem unum suum praecipuum hostem reputabat, in patibulum acto, filio vero suo Vuitando in Litthuania et castris suae ditionis derelicto, Et quamuis Dux Jagello in patrui sui Ducis Keystuth solatium cum gentibus et fratribus suis se adventurum promiserat, violato tamen promisso, dolos conceptos nectens, Hannulonem, et primores Vilnenses cives in suam partim precibus et promissis pertrahit, quorum cateruis, Vuithaudo agente in Trokhi, Vilnense castrum primum obsessum, deinde Jagelloni ex Vuithowsko, cum omnibus fratribus et exercitibus suis venienti, sibi traditum est. Quo in suam potestatem redacto, ducit Jagello copias contra Trokhy, in cuius solatium Masalcus cum forti Pruthenico exercitu veniebat. Vuithaudus itaque et a Litthuanico et Pruthenico exercitu se in Trokhy circumsessum cognoscens, Duci Keystutho Nowogrodek obsidenti, sibi quae apud Litthuaniam acciderant significatis, de Trokhy cum matre effugiens in Grodno castrum se recepit. Troczenses autem paucis diebus obsidione tolerata, dedunt castrum Duci Jagelloni. Properans autem Dux Keystuthus deserta Nowogrodensi obsidione, Litthuaniam remeans, dum per Pruthenica auxilia cognoscit potentiam Ducis Jagellonis vehementer invaluisse, et principatu Magno Litthuaniae, duobusque castris praecipuis Vilno et Trokhi se privatum esse, in Grodno perveniens, versus Samogitiam exercitum novum ex Samogitis collecturus, quo Jagelloni resistat, ire pergit. Et Vuithaudo in Grodno relicto, consortem suam in Brzescie, de Janussio Masouiae Duci genero suo confisus, destinat, aut si illic obsideretur, per Ducem Janussium obsidionem soluturum, aut si inde exiret, velut suam socrum recollecturum. Verum Janussius Dux Mazouiae vir oculatus et industrius, nequaquam temporis opportunitatem negligendam ratus, militibus suis arma induere iussis, castra duo, Drohiczin et Mielnik, in suam redigens, dedentibus se Ruthenis et Litthuanis, potestatem, praesidio valido et frequenti eis imposito, Szurasz, Bielsko, Kamieniecz, et Brzestensi districtibus vastatis, castrum Brzescze circumuallat, subacturus illud, nisi socrus sua praesentia illic cognita, discessionem fecisset

Comparato apud Samogitas Dux Keystuth exercitu venit ad flumen Vilia, cui filius Vuithaudus cum alijs copijs de sorte sui patrimonij in arma raptis, duobus milliaribus ultra Kowno occurrit. Junctis itaque copijs, et in eodem loco amne superato, versus Trokhy pergunt, et castrum Trokhy obsidione coarctant. Jagello autem Dux hunc euentum futurum ratus, suos in armis tenuerat, et ab utroque Magistro Prussiae et Liuoniae confoederatis suis de ferendo subsidio certitudinem acceperat, versus Troki obsessis laturus auxilia, Prutenicas et Liuonicas copias de propinquo regno sentiens, processit. Cuius Dux Keystuth ab exploratoribus comperto adventu, soluta obsidione, copias suorum ordinatas, de certamine aestuans, educit. Utroque itaque exercitu ad pugnam instructo, et ad iactum trium aut quatuor sagittarum a se invicem distante, veniunt in Ducis Keystuthi exercitu caduceatores a Jagellone missi, et Vuithaudo Duce convento, orant, ut sit inter Jagellonem Ducem, et patrem suum Ducem Keystuth pacis arbiter, pacemque sub conditionibus aequis, sua unicuique tribuentibus, compositam, profluvia sanguinis, caedes mutuas fundendi, mox secutura, intercipiat, et ad Ducem Jagellonem securus ad confirmandam pacem huiusmodi accedat. Vuithaudus vero, patrem suum Ducem Keystuthum super his interim consulturus, respondit, non se in exercitum Jagellonis aliter iturum, nisi Dux Skirgello personaliter veniat, et de tuto veniendo et redeundo securitatem faciat. Qui cum prospere venisset, fidemque fecisset, patre Keystutho permittente, Dux Vuithaudus, utroque exercitu agente inducias, advenit. Resumenti autem Duci Jagelloni caduceatorum orata, placuit Ducem Keystuthonem ad tractatum pacis acciri. Suadenteque Vuithaudo Dux Skirgal et suo et Jagellonis Ducis germani sui nominibus, facturus Duci Keystutho securitatem, ad Keystuth Ducem pergit. A quo, filioque suo Vuithaudo Dux Keystuth rogatus, data acceptaque fide, venire ad placitandum de pace consentit. Nullumque dolum in sermonibus huiusmodi latere ratus, parum provida usus solertia, non relicto ad castra sua Vuithaudo filio, sed secum una venire iusso, neque enim altero ex eis ad castra propria remanente, patrando fraudem, ausum Jagello cepisset, de pace placitaturus, in Jagellonis exercitum advenit. Ubi circumdant illos in coronae modum Jagellonis et Prutenico exercitu, se in laqueum cecidisse deprehenderunt. Asserente autem Jagellone Duce, neque loci, neque temporis qualitati, de pace tractanda convenire, redeundumque Vilnam, et illic de pace agendum, ab utroque exercitu quasi signo dato, declaratum est. Verum cum ad Vilnam Duci Keystutho, et filio suo Vuithaundo resistere non ausis, ut actum esset, Duce Vuithaundo sub custodia Vilnae reservato, Dux Keystuts ferreis cathenis vinctus, Crevuamque ductus, ad fundum turris obscurae et sordidae proiicitur vinculatus, Quinta demum nocte, a Proxa Jagellonis Ducis pincerna, item fratre suo Bilgenij, item Mostew. Lithone, Creunlanim, Cuczuk, Lisszcza, qui Zibentse forum et tavernas ac vendentes gerebat officium, caeterosque quibus id munus a Jagellone imperatum erat, indigne se perimi iure gentium et foederum violato, vociferantem, caede, iugulatur, et funus suum a Duce Skirgalone in Vilnam relatum ritu veteri, additis armis, equis, vestimentis, canibus, potoribus et accipitribus crematum est. Pro liberatione autem Vuithaundi non solum Litthuaniae Duces et Boiari, sed et Magister Prussiae intercedentes, non fuere audti, quoniam Jagello Dux eidem sorti, cui et patrem, illum addicere destinabat, subtilitatem ingenij sui sibi et germanis suis habens suspectam. Ita Princeps Keystuts pater fulmen egregius, dira morte absumptus est, a propriis, et consanguineis, quem exteri et alienigenae servare omni conatu satagebant. Pater hic Vuithaundi erat, quam sicut caeteri filij a patribus, ita hic, qui tale lumen progenuit, a filio nominandus est, inter omnes Gedimini Ducis filios magis prudens, magisque industrius, et quod illum plurimum honestabat, cautus et humanus, et verax in sermone

Keistutho Duce crudeli nece consumpto, Jagello Dux in eos, quos per suspicionem habuit, mortis Vuoydilonis char. sui familiaris et generi, fuisse authores, saevire caepit, et duos quidem quos extinctionis eius magis conscios credidit, videlicet Vuidimunts patruum germanum relictae Keystuthi et matris Vuithaundi, alterum Butrim nepotem germanum, necis Vuoydilonis parentando, rotis distraxit, caeteros capite damnavit. Ducem vero Vuithaundum cum sua coniuge Anna in Crevuam sub honesta, arcta tamen, observantium custodia, transmisit, ubi Duci Vuithaundo in camera privata, frequenti custodum numero septa, consistente, nec limen egredi auso, consorti suae Ducissae Annae cum duabus foeminis ad maritum pro nocte ingrediendi, et de mane egrediendi, facta fuit potestas. Rumoreque communi, qui in populo personaverat, maritum suum Ducem Vuithaundum, eandem necis sortem, quam et patrem, subiturum permota,

Sumit

Suadet, Duci Vuithaudo, experiri fortunam, et unius faeminae quae secum ingrediebatur et egrediebatur induto habitu, maturare fugam, consilio uxorino probato, quod suaserat, exequitur. Et faeminam se ex habitu simulans, camera, Ducissa Anna altera ex faeminis in cubili, quae Ducem Vuithaudum repraesentaret, dimissa, egreditur, ac nocte insequenti per funem se ex castro demittens, ad maritum sororis suae Jannussium Mazoviae Ducem primum pervenit. A quo recollectus, et iuxta nonnullorum assertionem lotus baptismate Conradi nomen sortitus, possessione insuper aliquarum villarum donatus, consistere illic, ne a Duce Jagellone opprimeretur, parum ausus, in Prussiam, Magistro Prussiae Conrado eum colligente, transijt. Quem omnis Baronum in sorte sui patrimonij consistentium turba, cum familijs et mancipijs, nec non et Anna coniuge sua, quam Jagello Dux fuga Vuithaudi cognita liberam esse iusserat, in Prussiam miro affectionis more sequuta est. Arguebatur autem a Magistro Prussiae et Commendatoribus suis, quod non tempore feliciori, dum castrum Vilnense cum hominibus et terris Litthuaniis, sui iuris, suique dominij forent, ad eos divertisset. Benigne deinde, et favorose tractatum, bene de se et Ordine suo sperare Vuithaudum et suos omnes sequaces iussit, pollicens se illum in solio magni Ducatus Litthuaniae locaturum. Duce Vuithaudo vicissitudinarie adstipulanti; quod pro beneficio et auxilio sibi impenso et impendendo, vellet gratiam Ordini perpetuo referre, et ille serviendo cum suis omnibus, subiectus et auxiliator fore. Clandestino deinde accessu, credentibus Samogittis ipsum in Prussiam accessisse, non personaliter accedens, ipsos sibi conciliat, Samagitas pollicentibus Samagitis se pro illo contra Jagellonem suas navare operas, et se sibi in omni casu fideliter auxiliaturos, et suo in singulis parituros imperio. Quibus etiam quo fideliores essent, Magister Prussiae, arma, equos, et vestes, donavit. Ea autem recollectio et gratia tunc Vuithaudo per Magistrum et Ordinem sub tempore et articulo necessitatis exhibita, adeo mentem Vuithaudi devinxerat, suoque insederat animo, ut ad diem mortis suae favore nimio prosequutus, ad defectionem illius non posset induci.

Ad Polonorum res a quibus digressum feceram, redeundo, Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex sensim se considerans et viribus destitui, de duorum Regnorum, dua rumque filiarum statibus provisurus, Sigismundum Marchionem Brandeburgensem, filium Caroli olim Imperatoris Romanorum et Bohemiae Regis ex secunda uxore Elizabeth Boguslai Ducis Stolpensis filia susceptum, in generum legit, cuique quartumdecimum annum tunc agenti filiam suam natu maiorem Mariam, Regnum Poloniae pro dote consignans, locat. Indicto deinde pro die Sancti Jacobi in Zolio, aliâs Sunolyen oppido in Ungaria prope Cremniczam Polonis conventu, Praelatos et Barones Poloniae qui illuc advenerãt, ad suscipiendum Sigismundum Marchionem Brandeburgensem in Regem, et ad praestandum illi omagiã, et fidelitatis iuramenta impellit. Quibus Ludovici Regis iussa, in singulis exequentibus, ad recipiendum possessionem Regni Poloniae, castrorumque regalium, et ad reprimendum plerasque in Poloniae Regno insolentias, et commotiones, praefatum Sigismundum Marchionem Ludovicus Rex cum copiis Ungaricis, et sub Bodzantha Archiepiscopi Gnesnensis, Sandivogii de Subino Cracoviensis, et Domaratki Maioris Poloniae Capitaneorum, tutela, et conductu destinat. Qui Poloniam, militarium catervis illi occurrentibus, ingressus, castrum et oppidum Cosmin, item duo fortalicia Nabiszicze et Kozminiecz, quae ditionis hereditariae Bartossii Capitanei in Odolanow erant, in ultionem earum factionum, quas patraverat, brevi expugnat. Castrum vero Odolanow Bartossio pacta sacramenta, non servanti, circumsidet. Sed cum illius expugnatio difficilior censeretur, novis pactis de castro dedendo firmatis, et certa pecuniae quantitate, ad quam villarum castro pertinentium aestimatio perducta est, promissa, post gravia damna utrobique in ecclesiarum bonis irrogata, Sigismundus Marchio, Polonis et Ungaricis copiis in Mazoviam, ita enim soceri iussione doctus erat traducens, Ducatum tantummodo Semoviti, praestare Ludovico et Poloniae Regi omagium et obedientiam detrectanti, Janussius enim alter Mazoviae Dux ducatum in ditionem Regiam concesserat, vastare, spoliis et incendiis coepit. Interim vero Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex fatis apud oppidum Ungariae Tarnawa interceptus, tertiadecima die mensis Septembris, ad Albamque regalem relatus, in capella ab eo dotata sepelitur, cum apud Polonos annis duodecim, non sine Polonorum gravamine, peravit, et assidua seditionum et invasionum civilium sensim invalescentium, quas morbo et senio gravatus opprimere et extinguere neglexit, vexatione; apud Ungaros annis quadraginta imperasset.

set, Cuius excessu Sigiſmundus Marchio per feſtinū nuncium ſibi denunciato, et ipſe de agro Masouiæ exiuit, versusq; Poſnaniam ire pergit, A Poſnanienſibus autem ciuibus honore congruo ſuſceptus, fidelitatis iuramenta exegit. Quo illic agente, omnium fere Baronum et militarium maioris Poloniæ per Legatos impetitur prece, ut Domaratum de Pirzchno eis multipliciter grauem et moleſtum, a maioris Poloniæ Capitaneatu deſtituat, pronam eorum, dummodo apud Regnum Poloniæ personaliter vellet reſidere, cum abſentia regia multifariis Regnū Poloniæ cladibus et calamitatibus afflixerit, ſubiectionem, obedientiam habiturus. Quo deſtitutionem Domarati clara reſponſione abnuente, omnium maioris Poloniæ Baronū et militarium, quæ ad illum confluxerat caterua, ex Poſnania, animis irritatis deſerit

Sub idem tempus parum prospera Poloniæ fortuna, ingens diſpendium ſua Reipublicæ experiuntur. Vngarorum enim milites, quibus Ludouicus Rex castra Russiæ insigniora, a Casimiro Poloniæ Rege, Polonorum sanguine expugnata, quæsitaq;, Polonis deſtitutis, Russiæ terras a Poloniæ Regno ſequeſtraturus et Vngariæ Regno adiecturus, tenenda commiserat, morte Ludouici Regis comperta, castra quæ poſſidebant, videlicet Crzemyenyecz, Oleszko, Hrodlo, Lopatin, Snyatyn, Duci Lubardo tunc castrum Luczsko obtinenti, produnt, Magnaq; auri et argenti quantitate ab eo corrupti, castra Regni Poloniæ fidei eorum commissa venundant, et caſtris præfatis excedentes, turpi lucro ſubfarcinati, Vngariā repetunt. Non tulit autem Elizabeth regina Ludouici relicta, impune hanc eorum perfidiam, ſed pleroſq; eorum aut in carceres coniecit, aut capite multauit, bonaq; eorū, hæreditates, et quaslibet poſſeſſiones applicauit fiſco Regio, et tam ipſis quam vniuerſæ ſtirpi eorum notam perpetuæ infamiæ inuſſit.

Sigiſmundus Brandeburgensis Marchio ex Poſnania egreſſus, in die beati Venceslai Gnesnam veniens, a Bodzantha Gnesnensi Archiepiſcopo, qui diebus octo ante, Archiepiſcopatus nactus fuerat poſſeſſionem, et vniuerso Clero et populo Proceſſionis honore ſuſceptus est. Exequiis autem pro Ludouico Rege magnifico ſumptu ſolemniq;

ritu in Gnesnensi Ecclesia ultima die Septembris celebratis, in Cuiaviam divertit. Cui apud Brzescie agenti, multi Baronum et militarium maioris Poloniae priorem repetunt petitionem, et Domarathum a maioris Poloniae Capitaneatus regimine amoveri deposcunt. Sed dum ex consilio prave iuvenili et parum digesto, se id nullo pacto, adiectis insuper quibusdam comminationibus, si Poloni suum imperium abnuissent, respondisset, apud Miloslaviam habito conventu, omnium animis ab eo alienatis, mittuntur ad Cracovienses Praelatos, et Barones nuncij, qui communem apud Radomskie oppidum agi conventionem, pro die Sanctae Catherinae, ad providendum de statu Regni Poloniae persuaderent. Quo impetrato et frequenti Praelatorum et Baronum numero, pro die constituto veniente, etsi magnae parti Praelatorum et Baronum ad regendum Poloniae Regnum Semovitus aptior, quam Marchio Sigismundus, iuncta illi altera Ludovici Regis filia Hedvigi videretur, post varias tamen altercationes et tractatus, ea conclusio capta est, ut Rempublicam Regni Poloniae et eius statum, universi aequa et conformi fide, unitisque consilijs, auxilijs, et potentijs promoverent, et iuxta pactorum et iuramentorum suorum ordinem, alteri ex filiabus Ludovici Regis praestent omagium, Principem prudentem, et qui verisimiliter in Poloniae Regno continuam et personalem facturus foret residentiam, alteri ex filiabus Ludovici iungendum, pro Rege indubitato habituri. Cum autem huiusmodi conclusio Sigismundi Marchionis exclusionem, a Poloniae Regno clandestina dispositione includeret, Bodzantha Archiepiscopus Gnesnensis, et Domarath Castellanus Posnaniensis, et maioris Poloniae Capitaneus se illi assensuros magnopere abnuebant, asserentes se Marchioni Sigismundo et fidem fecisse, et castrorum quae per Domarathum tenebantur, deditionem facere spopondisse, alijs tamen nequicquam recusantibus, Conclusio praefata, et scripto et Sigillorum appensione roborata est, et Nuntij ad Dietam Visliciensem a Cracoviensibus et Sendomiriensibus militibus pro die Sancti Nicolai tenendam, pro conclusione praefata maiori firmitati transmissi.

Vicesima prima Septembris die Boleslaus tertius Opoliensis Dux in Strzelcze moritur, et in Monasterio Fratrum minorum apud Opoliam tumulatur. Quem Henricus Dux Falkembergensis in superiori Glogoviae Ecclesia sepultus, et quarta decima die eiusdem mensis Septembris absumptus praecesserat

Sancti Nicolai lucescente die magnus Vuisliciae conventus Baronum et militarium Sabbati captus est. Cui cum Sigismundus Marchio, obedientiam et fidelitatis iuramentum pro se a Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus petiturus, cum Bodzantha Gnesnensi Archiepiscopo et Domaratho Castellano Posnaniensi et Maioris Poloniae Capitaneo interessent, duo Episcopi videlicet Stephanus Agriensis et Joannes Cenadien., totiusque Vngariae Barones, ab Elizabeth Vngariae Regina Ludovici relicta destinati venerunt. Qui obtenta audientia, ingentibus primum, nomine praefatae Reginae Elizabeth, et filiarum eius, Praelatis et Baronibus Poloniae, quod erga se et filias suas gessissent intemeratam fidem, actis gratiis, ad extremum precati sunt, ne cui alteri, sed nec Sigismundo Marchioni fidem et subiectionem praestent, donec per eam de utraque filia certior ordinatio subsequuta fuerit. Gratis et aequis auribus legatio huiusmodi audita est, Proceribus Poloniae Sigismundum Marchionem quod in Bohemos propensior esset, quam Polonos favore, et pelli illos, ebrium sumptuosus, ex aula perturbabatur, Sed et praeposituram Twerzinen Naulicro Polono, pro quo primores Barones Poloniae studiose intercedebant, neglecto, Bohemo contulerat, quam maxime infensis. Quapropter conclusionem apud Radomshe habitam, frequenti et conformi approbatione ratam esse, sic qui Vuisliciae convenerant iubent et decernunt, cui et Archiepiscopus Gnesnensis Bodzantha, et Capitaneus Maioris Poloniae Domarathus per expressum assentire coacti sunt. Offerebat et tunc Domarathus Maioris Poloniae Capitaneus, militaribus Maioris Poloniae ipsum et actiones suas vehementer carpentibus, legittimam iustificationem, sed a Nuncijs militarium Maioris Poloniae accepit responsum, neque licere neque convenire aliter iustificationem eius accipere, nisi postquam a Capitaneatu amotus fuerit vel se ipso ~~ab~~ abdicaverit. Ex Vuisliciensi Dieta Sigismundus Marchio Cracoviam venire, licet id maximo aestuaverit desiderio, Dobeslao de Curoswanki Castellano Cracoviensi dissuadente, ne pro rescindenda conclusione in Radomshe et Vuisliciae firmata, navaret operam, admissus non est, sed Vuisla apud Vuadzinczige superata, in Nepolomicze, exinde vero Bochniam, novam Sandecz deductus, et sumptu publico curatus, Vngariam rediit. Movebant enim callidi et perspicacis ingenij virum Dobeslaum de Curoszwanki Castellanum Cracoviensem, qui tunc et arci Cracoviensi et summæ rerum apud Polonos velut maior dominus præsidebat, pluris respectus, is tamen quam maxime, ne Sigismundus Marchio Cracoviam ingressus, simulata infirmitatis causa, moram mansionis suæ in longum extraheret, ac sub illo tempore gentibus immissis, arcem et urbem occuparet, Polonorumque animos donis, largitionibus, et promissionibus corrumperet.

Consulturus rebus suis Bartossius miles de Coszmin, tenutarius in Odolanow, Semovitum Masoviæ Ducem ad consequendum Poloniæ Regnum, vehementi ardore affectum, adit, seque in illius ditionem et obsequia iureiurando cum castro Odolanow mancipat. Pactis insuper clandestinis cum eo percussis, ex Masovia cum gentibus Semoviti Ducis Mazoviæ in suum et eorum quæ pro Duce Semovito acturus erat solatium destinatis, reversus, in vigilia Beati Thomæ Apostoli castrum Calisiense pro se et Duce Semovito Mazoviæ, universo conatu tentat intercipere. Iam nonnullis ex suis, castri mœnia conscendere, vigilibus soporatis, annitentibus, unus suorum portam versus molendinum sitam terebraverat, admotaque serra ad loca foraminata, excidere largius foramen, hominum ingressurorum capax, parabat, occasum Lunæ, quæ pro ea nocte pernox lucebat, Bartossio, quo facilius castri potiretur interceptione, præstolante. Sonitus interim serræ, ad pistores castri panes coquere, lignaque pro clybano scindere consurgentes, pervenit aures, qui anhelitu temperato, ad portam quæ serrabatur perveniens, periculo deprehenso, securi, quam gestabat, serram adeo leniter, ut etiam is qui serrabat non sentiret, fecit recurvam. Miranti serratori, et quidnam serræ acciderit apud socios, ipsumque opus maturare, cum prope aurora esset, instigantibus, quærenti, pistor his qui in castro erant celerrime excitatis, in quo periculo versentur denunciat. Hi clamore sublato, saxis et tormentis superne proiectis Bartossium et suos a castro depellunt, fugientesque, suis omnibus integris, veriti insidias non insequuntur. Qui sequenti die castri Calisiensis interceptione frustratus, ad Kozminiecz fortalicium suum paulo ante a Sigismundo Marchione Brandeburgensi expugnatum applicans, illud intercepit,

et conquirit. Exinde movens, et Chotcz perveniens, domum a
Casimiro Poloniae Rege, cocto latere aedificatam, incastel
latam, ponteque super flumen Prosna tumultuario opere
constructo, ad castrum et oppidum suum Koszmin a Sygismun
do Marchione conquisitum venit. Sed a gentibus Domarathi
Capitanei maioris Poloniae, quas pro illius praesidio locaverat
facile repulsus, ad fortalicium Michaelis Thomassij de O
strowarzno quod Parsk appellatur, divertit. In cuius oppugna
tione octo diebus immoratus, Michaelem Thomassij conquisi
tionem fortalicij sui expavescentem, Domarathum Capitaneum
maioris Poloniae, cum quo sentiebat, deserere, et Baronibus
ac militaribus maioris Poloniae, contra illum, adhaesionem
polliceri coegit, obsidionemque solvit

Octavo Calendas Julij Winricus Knyprode
Prussiae Magister moritur, unum et triginta annos in magi
sterio exigens, cui Conradus Czolner de Rottensteyn succedit.

Nona die Augusti Vladislaus Opolien
et tunc Vyelunien, Ostresuniensis, et Dobrinensis Dux, de Ec
clesia Parochiali Sanctae Mariae in antiqua Czestochowa,
matre filialis Ecclesiae in oppido Czestochowa sibi propinquo,
de consensu Joannis Cracoviensis Episcopi, et Henrici Byel
de Bliszno Cracoviensis et Gnesnensis Canonici, de familia
Ostoya plebanatum in antiqua Czanstochow sponte illi renun
ciantis, fundat Monasterium fratrum Heremitarum Ordi
nis Beati Pauli primi Heremitae, militantium sub regula beati
Augustini. Cui Monasterio Dux praefatus pro dote assignavit
et donavit donatione perpetua villas, antiqua Czanstochow,
et Krowodrza, cum fabrica ferrificij, molendino,
dio eidem adiacentibus. Item decimas pecuniales, et pra
orum in oppidis Ostrzeszow et Czanstochow. thelonei
frumentales in villis Balanczycze, Dzwonszowicze, Item decimas
Krupplin, et antiqua Brzeznicza, sub tenuta castri Brzeznicza Dupicze,
consistentibus. Item decimas frumentorum et Brasiorum de
molendinis constructis et construendis oppidorum
chow, et Zarn. Item decimas mellis villarum Czansto
Przywod, Zrebowicze, Bobrownicki, Kawalicze, Przemilowicze,
Skupicze in districtu Holstinensi, Koschancz in Bi
districtu Vielunensi, Bobrownicki et Kamyenin in
Libertando bona Monasterij praed. Eti

ab omnibus oneribus, tributis, et Datijs ordinarijs et extraordinarijs universis. Dux autem ipse Vladislaus Opoliensis, Ducatus praefatos, suos terras Regni Poloniae videlicet Wieluniensem, Ostrzeszowiensem, Dobrzinensem, item et castra Holstin, Crzepicze, et Bobolicze in terra Cracoviensi consistentia, ex donatione perpetua sibi per Ludovicum Poloniae et Ungariae Regem facta, consequutus fuerat, in recompensam et vicissitudinem terrarum Russiae, videlicet Leopoliensis, Premisliensis, Haliciensis, et Podoliae, ab eo resignatarum, quas sibi idem Ludovicus ut et tanquam Poloniae Rex etiam perpetue donaverat, intelligens donationem ipsam terrarum propter enormem laesionem Regni Poloniae sibi non posse fore diuturnam, Ludovico etiam Regi instante, qui donationem ipsam vel potius alienationem, et Regni Poloniae mutilationem, conscientia illum remordenti, ferre non poterat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS TERCIVS.

Baronum et militarium maioris Poloniae in Domarathum de Pierzchno genere Grzimalitam, Capitaneum maioris Poloniae, tam furorem, quam livorem, diutinum mutua animorum irritatione agitatum, et qui facile poterat interpositione, si quis ad fuisset mediator, opprimi, vulgaris fama, mendax ne incertum an vera, qua persibilabatur Domarathus praefatus in animum suum induxisse, quod ad se ulciscendum, refricandumque ignominiam, qua Barones et militares illi de castro ut Capitaneo detulerant districtissimo edicto, sub capitis et bonorum mulcta, parendum esse, Bohemos, Saxones, Cassubitas, et quoslibet hostis, in castra Regia in sua ditione consistentia, pro auxiliatoribus induceret, et per suam, et eorum potentiam, Barones et militares maioris Poloniae ex eorum curijs et laribus traheret, opprimeret, probrisque, vinculis, spolijs, et quolibet gravaminum genere afficeret, et suae parere cogeret ditioni, in altiorem indignationis et odij flammam accendens, ingens et detestandum bellum civile, quo et caedes mutuae, et agrorum tectorumque hostilis vastatio, direptio oppidorum, stragesque acerbae plusquam sunt, excivit. Barones siquidem et militares Poloniae sequutae in capita sua comparata a Domaratho senserant, ne ea quae Duci Vincentio de Campa, Palatino Posnaniensi, pati cogerentur, arma sumunt, et Bartossio de Coszmin cum Mazovitarum genti, eorum adiuvante

factionem

factorum, die Dominico infra Octavas Epiphaniae oppidum et
castrum Pysdri primum expugnare adorti, quatuor diebus
ad illorum expugnationem intendunt. Quarto demum die
dedentibus se civibus, pactis, ne quid hostile paterentur,
et invitis his, qui in arce erant, portas aperientibus, arcis
quoque expugnatio fieri coepta est, quam tandem die tertio pro
pter victualium et praesertim aquae inopiam milites Domarati
cum singulis equis, armis, et rebus abire salvi permissi dedunt
Quibus in suam ditionem redactis, praesidio arci imposito,
Vincentius de Campa, Palatinus Posnaniensis exercitum ver
sus Calisz vicesima undecima die mensis Januarij traducit,
Sandivogio Swinicza, Nakliensi Castellano, cum certis copijs ad
Posnaniensis civitatis custodiam et defensionem, ne quid ho
stile ex castro, in quo praesidium Damarathi erat, paterentur,
destinato, iam siquidem Posnaniensis civitas, et caetera, missis
versus Pysdry ad Vincentium Palatinum et exercitum nun
tijs, se in eorum potestate pollicebantur futuras. Quod Da
marathus Capitaneus intelligens, civium Posnaniensium
precibus et instantijs expugnatus, ut civitate abiret, castrum
Posnaniense, et illius praesidium in Przedpethonis de Sta
szewo Castellani Miedzirzecensis, castrum vero Calisi
ense in Joannis de Lanhossino Castellani Lanciciensis fi
dem, discessurus, gentes et auxiliares contra Vincentium
Palatinum Posnaniensem et eius exercitum conquisiturus,
commisit. Applicanti autem Vincentio Palatino Posnaniensi
et eius exercitu ad Calisz, civitas Calisiensis illico dedita
est, Arx vero praesidio militum animose illam defendente,
resistens obsessa, Cuius obsidione durante Conradus Dux
Olesnicensis latenter Domaratho solatia, a Derslao
de Quuno Castelano Gnesnensi fratre Domarathi amplis
et variis promissis illectus, quasi castrum Calisiense in su
am redacturus ditionem, adivit. Verum omnes aditus ca
stri videns obstructos et occupatos esse, a Vincentio Pala
tino Posnaniensi, quod si Domaratho continuo eorum hosti
iunxisset gravem reprehensionem argutus, copias quibus cum
castrum Calisiense possessurus venerat, in Derslaum de
Quuno maledicta spargens in propria reduxit. Vincentius
vero Palatinus et suus exercitus obsidere tantummodo
non expugnare arcem contenti, singulas Ecclesiarum et Mo
nasteriorum

nasteriorum villas in Calisiensi circuitu consistentium, iuxta ac Hostes, assidua pabulatione, et direptione vastabant. Misera quoque, maioris Poloniae regio, quae per annos quadraginta, sub dominatu Casimiri Regis in optima pace constiterat, innovatis antiquae seditionis cladibus, a domesticis lacerabatur, non ex iusta aliqua, quae nunquam suberat causa, sed ex invidia, ira, et falso rumore.

Eadem quoque apud Posnaniam belli anceps erat facies et fortuna. Sandivogius etenim Swidwa Castellanus Nakielensis, cum parte copiarum sibi a Vincentio Palatino Posnaniensi attributa, Posnaniam ingressus, stubam ligneam magnae quantitatis subter castrum sitam in suam potestatem redegit, militesque in ea, ne ex castro in cives irruptio fieret, ponit. Una quoque ea re, quasi per illam expugnatio castri sequi posset, et qua per milites existentes in castri praesidio, quibus per portam versus campestria sitam singula inferebantur victualia, suburbio sublata est, provisa, ad vastandum villas Ecclesiae Posnaniensis, hostilibus metum deferens, se convertit. Ictus demum pudore, et a Posnaniensibus civibus, quod proprios, non adversarios vastatum ire sineret, correptus, duas tantummodo villas Domarathi Capitanei, Pierschno videlicet et Kromolicze et paucas quasdam alias sibi adhaerentium invasit, diripuitque. Domarathus autem Capitaneus cum suis ad irrogandum adversarijs damna et spolia, praecipua cura intentus, ipse ex castris et fortalitijs, Miedzibod, Vnoln, Miedzirzecz, Sbanszino, Keplow, Krzimala vero de Obiesierze Costrzinensis, Andreas de Swierzadowo Camponensis Castellani, Wierzbantha de Szmogulecz, et Theodoricus de Margonino fratres sui et consanguinei, ex castro Nakiel, quod in eorum ditione Domarathus Capitaneus commendaverat. Item praesidia reliqua ex castro Labiszino Alberti Palatini Cracoviensis et Palosicz fortalitio Hectoris olim Cracoviensis, omnem oram circa Gnesnam, Kloczko, Swiaronowo, Znynam, Kcinowo, Wrzanki, Szamotuly, Buk, consistentem, assiduis et crudelibus spolijs, rapinisque, caedendo viros, matronas vero ingenuas et agrestes captivando, decoris et indumijs, omnemque eorum exi suppellectilem, nulli deferendo conditioni, auferendo domorum, immaniter vastabant.

Miserabilis erat et calamitosa universae regionis maioris Poloniae pro ea tempestate conditio, si quis enim cum Vincentio Palatino Posnaniensi, et Baronibus militaribus, contra Domaratum Capitaneum non sentiret, hostis patriae iudicatus est, et Haereditas sua veniebat confiscanda. Sentiens vero cum Vincentio Palatino Posnaniensi, a Domaratho et suis, gravi, per spolia pressus, aut captus, incommodo deperibat. Sed et Mercatorum sub tam infausto bello conquieverat negociatio, quibusdam eorum circa villam Voszniki nona Februarij occisis, spoliatisque, quibusdam circa Ponyecz, ab his, qui in Labischiniensi, et Cleczensi praesidijs constiterant, vehementer lacessitis, qui freti multitudine, necatis aliquot invasoribus, reliquis perterritis, impendens periculum propulerant.

Vehementis Spiritus et animosi vir Domarathus de Pirzchno Castellanus Posnaniensis, et maioris Poloniae Capitaneus, rebus his, quae illi a Vincentio Palatino Posnaniensi, et militaribus maioris Poloniae irrogabantur, irritatus, Pomeranis, Saxonibus, et Cassubitis in sui solatium precio accitis, fortunam universae dimicationis cum adversarijs experturus, dedecusque sibi illatum, et inferendum, obsidione quoque duorum castrorum Posnaniensis et Calisiensis depulsurus, in campestria gentem suam deduxit. Vastatoque oppido Vronki et villis in eius circuitu, in villa et curia Piothkowicze prope Szamotuly sita, Sandivogij Swidwa Castellani Nakliensis castra sua locat, oppidumque Szamotuly diripit, gradum in ulteriora promoturus. Sandivogius autem Swidwa de singulis, quae Domarathus conducendo Pomeranos, Cassubitas, et Saxones, fortiterque coadunando exercitum agitaverat, ab exploratoribus certior factus, Bartossium de Odolanow, item Castellanum Srzimensem et plures alios, ut armati in frequentiori quo possent numero advenirent, et ipse per nuncios sc crebros accersat. Quibus Sabbato ante Dominicam Reminiscere Posnaniam venientibus, Sandivogius Swidwa nocte eadem ut facilius Domarathum occuparet, suorum copijs, quae trecentas lanceas efficerant, eductis, citato agmine ad Domarathi castra pergit. Cuius adventum, exploratore sub nocte media sibi denunciante, Bartossium de Odolanow, et Castellanum Sremensem advenisse ignarus, potentiam tantummodo Sandivogij et eius paucitatem metitus, discredens, curare suos corpora sinens, nihil quod salutare sibi et exercitui contra Hostes imminentes foret, providerat. Illucescente autem Dominico die, quae fuit XVa Februarij Hostes ab excubiatoribus conspecti, Domaratho denunciantur magna celeritate venire, statimque, nisi illis festine occurrat, irrupturi. Trepidatum itaque in castris Domarathi est, et Hostibus irruentibus, neque ad expediendum arma et equos spatium dantibus. Domarathus medietate sui exercitus tumultuario more vix armata, medietate inermi de castris exilit. Et acie parum instructa, cum Sandivogio et suo exercitu dimicat. His autem qui in exercitu Domarathi in acie constiterant, partim caesis partim ex equis deiectis, reliqui inermes facile in fugam aguntur. Quos Sandivogius Swidwa, dum per se ipsum et suos, disciplinae militaris parum peritus, campo certaminis excedens, ad plura milliaria caedendo captivandoque persequitur, partam feliciter victoriam, quasi non ferente divinitate, cuius templa, templorumque villas, gravibus spoliis et dispendiis afficerat, eo illum triumphi honore ad extremum dignari infeliciter praecipitat. Vuyrzbienta siquidem de Smogulecz partium Domarathi, qui nocte praecedenti circa Obrzezko, ultra flumen Vuartha, certaminis eventum nulla ratione suspicatus, pernoctaverat, centum lanceas equitum, et quingentos pedestres habens in comitatu copias, cum Domaratho Capitaneo coniuncturus veniebat. Qui a fugientibus de inito conflictu, et debellato Domaratho certior factus, quod alijs terrori fuisset, pro sui adiumento vertens, in praelij locum concito gradu advenit, et gentes Sandivogij palantes per agros, aut ducentes capientesque profligatos, aut legentes spolia et hostilia arma, ex quibus aliquot currus efferebant, invadit, Strenuitas et paucos resistere ausos obtruncat, pauloque ante victores debellat, et ex gente Domarathi captos et vinctos dissolvit. Ad quem et Domarathus Capitaneus et caetera fugientium multitudo ilico collecta, et spolia ablata repetit, et Hostilibus potitur, victoribusque victus insultat, Sandivogio Swidwa a persequutione fugientium Hostium revertenti, in castra Hostilia, spoliaque et captivos ducenti, dum nuncius cladem suorum et Hostium victoriam referens allatus esset, in Hostis tamen

cū sis

cum his, qui secum una glomerati residebant, ire pergit. Quorum conspecta comminus multitudine, mente consternatus, suos, ut sibi quisque prospiciat, exhortans, ipse equo vectus diffugit, et ad fortalicium Derslai Grochola, castellani Santhocensis, Ostrorog, cum paucis comitibus receptus, Domarathi et Vvirzbientha illum avidius persequentium manus evadit. Caetera tamen exercitus sui multitudo a Domaratho et suis tam armis quam equis exuta captaque est, sed et desiderati non exiguum numerum expleverant. In certamine autem praefato, variante fortuna vicem, diverso Marte commisso, pars utraque paribus acclamationibus usa, infestioribus se odiis alusuato, quam armis, acclamatione ipsa, quae unius ditionis et obedientiae esse eos testabantur, bella gessisse fatebantur. Primarius autem et seditionum et odiorum inter Barones militaresque et Domarathum Capitaneum Maioris Poloniae exortorum, fomes creditus est, quod Domarathus conformium et Canonicam Dobrogostij ad Gnesnensem, et Nicolai Scholastici ad Posnaniensem Ecclesias, scitus erat apud Ludovicum Regem, electione interesse, quoniam caetera gravamina, et poenarum immoderatarum exactiones, belli civilis impium non exciuissent stridorem. Fortalicium deinde Ostrorog, ad quod se Sandivogius Swidwa receperat, Domarathus Capitaneus expugnare adorsus, dum illius integra die tentata expugnatio non provenisset, et integer militum Poloniae a Poznania pro subsidio Sandivogio praestando exercitus, venturus falso nunciaretur, Domarathus expugnatione fortalicij, vano metu relicta, copias suas in oppidum Obornicki deducit, illicque a decima septima Februarij usque ad octavam Martij agens, universam oram inter Posnaniam, Buck, Vingnki, et fluvium Vartha consistentem, assidua depopulatione vastabat. Similis quoque vastatio eo iubente ab auxiliatoribus suis, ex castris, varijs regionibus, militaribus nequicquam gaudentibus illata.

Crebris Elizabeth Ungariae Regina Ludovici relicta, a Polonorum Proceribus fatigata nuncijs, ut alteram ex filiabus in Poloniae Regnum, Principi Polonis grato coniungendam et apud Polonos regnaturam transmittat, denunciantibus cantibus vacationem Regni, cladibus in maiori Polonia effervescentibus non se diutius toleraturos, in conventionem generalem quae Siradiae Februarij mensis antepenultima die celebrata est, Nicolaum Vesprimiensem Episcopum et duos Barones transmittit. Hi in consilium, frequenti Praelatorum et Baronum Poloniae redundanti numero, introducti, dicendi potestate facta, singulos Praelatos, Barones, et Proceres Regni Poloniae, authoritate in patentibus literis specialiter designata, a iuramentis et fide, qua filiae Ludovici Regis natu maiori Mariae, et eius Sponso Sigismundo Marchioni se devinxerant, absolvunt. Relictamque Ludovici Reginam Elizabeth, alteram filiam natu minorem Hedvigim, Vuilhelmo Austriae Duci a Ludovico Rege in coniugium repromissam, et iuxta nonnullorum assertionem desponsatam, pro festo Paschae instanti, in Regnum Poloniae destinaturam astruunt, Dummodo Praelati et Proceres Regni Poloniae, scripto, et iureiurando primum se astringant, virginem Regiam praefatam Hedvigim Polonico insignituros Diademate et illico genitrici suae praedictae Reginae Elizabeth, propter aetatis teneritudinem sub cura materna educandam, Vngariam remissuros. Pontificibus autem et Proceribus Poloniae legationem huiusmodi in digestionem referentibus, dum sententiae non convenirent, placuit alteram conventionem in eodem Siradiensi oppido, vigesima octava die mensis Martij indici, et Nuntios Reginae Elizabeth responsum interim praestolaturos detineri. Missi deinde sunt ad interimendam guerram domesticam inter militares et Domaratsum Capitaneum Maioris Poloniae grassantem, Spytko de Melstyn Cracoviensis, Sandivogius Calisiensis Palatini, Nicolaus Bogoria Zawichostensis Castellanus, et Crzeslaus Szczukowski. Qui vigore literarum Reginae Vngariae Elizabeth, quibus fulciti erant, cum primum ad Calisiense castrum, quod in eam diem a militaribus obsidebatur, applicuissent, mandabant Joanni de Lahoszyno Castellano Lanciciensi et caeteris qui castrum observabant, castrum suae potestati et manibus reddi, quod, et singula alia, quae a Domaratso tenebantur, ut guerra facilius pleniusque posset restringi, in suam ditionem recepturi advenerant. Vincentio autem Palatino Posnaniensi, et militaribus Maioris Poloniae qualificationem huiusmodi expresse abnuentibus, tandem convenit inter partem utramque, quod Calisiense castrum Joanni Castellano Calisiensi, obsidione soluta, recedin tibus dicto Domarathi præfectis, commissum est. Ex eo autem loco Spythkone Cracoviensi, et Sandivogio Calisiensi Palatinis in Ungariam ad Elizabeth Reginam profecturis, discessionem facientibus, Nicolaus Bogoria Zawichostensis Castellanus, et Crzeslaus Sczukowski ceteras belli intestini flammas restricturi, Posnaniam adveniunt, et post varios tractatus in villa capitulari Posnaniensi Starczmovo inter militares et Domarathum fluvio Radzim eos segregante habitis, atrox et perniciosum bellum, quo proprius et civilis et haustus est, et hauriendus erat sanguis, et in propria tecta propriosque colonos sæviendum, possessione castrorum et civitatum apud Domarathum remanente ex integro, per pacis sufferentias in festum Sancti Joannis Baptistæ duraturas, dirimunt

Vicesima octava Martij die adveniente, in frequentissimo Prælatorum, Baronum et Militarium Poloniæ numero, Vladislao etiam Oppoliensi, Vieluniensi, et Dobrzinensi Duce præsente, Siradiensis conventio agi cœpta est. Vota autem Pontificibus et Proceribus Regni, super responsione Elisabeth Ungariæ Reginæ firma fundentibus, fere universorum sententijs Semovitum Mazoviæ Ducem in Poloniæ Regem assumi, eique regiam virginem Hedvigim placuit desponsari. Et quoniam Vladislaus Oppoliensis et Vieluniensis Dux, quamvis germanam sororem Semoviti Ducis haberet in matrimonio, sententiam huiusmodi plurimum aversatus, ne decretaretur vehementer obsistebat. Electionem enim Semoviti ratus illam ex aucsamentis nonnullorum futuram, spretum se, cui Regni Poloniæ convenientiorem rebatur successionem, molestissime ferens iri, consulto Siradiam pro Diæta præfata advenerat. Plerique Proceres et milites Poloniæ, Semoviti Ducis Mazoviæ faventes amplitudini, captivare illum machinati sunt, provenissetque machinata cogitatio, nisi illam Primores observassent. Singulis itaque Pontificibus et Baronibus Regni Poloniæ Semovitum Mazoviæ Ducem pro Rege habendum decernentibus, Gnesnensis Archiepiscopus Bodzanta qui et ipse ad procurandum Semovito regnum erat propensior consurgens, a multitudine nobilium et militarium quærit, placeretne et ipsis Semovitum Mazoviæ Ducem assumi, et coronari in Poloniæ Regem. Quibus nimia vociferatione, conformi tamen et concinna sententia, Semovitum Regem instituendum, coronandumque clamantibus, tumultu et murmure conquiescente, Jascho de Tanczin Vuoinicziensis Castellanus, filius Andreæ olim Palatini Cracouiensis his verbis contionatur. Turpis est inquit o Proceres periculosaque in re quam tractandam conferendamque suscepimus, festinatio, diuturnam pœnitentiam cum pernicie nostræ Reipublicæ, si eo quo tenditis agatur ordine habitura, cum unicuique vestrum probe noverint Hedvigi filiæ Regiæ, primum nos debitores esse, et obnoxios. Cuius adventum pro festo Pentecostes proximo illi peremptorie interveniendum præstolari, re integra, exigendumque, ut cum marito et sibi et nobis grato personalem agat apud nos præsentiam, censeo. Qua pro constituto non veniente, aut nostram diffinitionem abnuente, tum demum ad provisionem et substitutionem Regis suadeo procedi. Ea sententia ab omnibus collaudata, probataque, placuit et Semoviti Ducis electionem in tempus æstatis differri, et Legatis Reginæ Elizabeth responderi. Vocato itaque Wesprimiensi Episcopo et suis comitibus in Consilii medium, primum quibus cladibus et calamitatibus Regnum Poloniæ ex diuturna eius vacatione affligatur, et timeatur plus affligi exponunt. Si quidem, quod ad iusiurandum Ludouico Regi et suis filiabus præstitum, et eius religionem pertinebat, sincere custodivisse, non tamen ea religione eo usque quo pereant detineri vanis promissis debere. Si itaque filia Regis Ludouici Hedvigis pro festo Pentecostes instante in Regnum Poloniæ advenerit, et in eo cum viro ei coniungendo mansuram se, et singula ab illo alienata et distracta, et signanter terras Russiæ, item terras Vuieluniensem et Doborziniensem recuperaturam spoponderit, se illam pro domina et Regina habituros, sin minus, quæsituros sibi utilem Regem, nec admissuros ut per tot et tam frequentes dilationes suspensionesque Respublica et Regnum Polonicum intereat

Adventum Elizabeth Reginæ Vngariæ, Ludouici relictæ, et filiæ illius Hedvigis, de quo per legatos Vngariæ apud Siradiam agentes, spes certa facta fuerat, expectaturi Barones et Proceres Regni Poloniæ, pro die Pentecostes, quindecimam Maij cadebat, ad nouam Sandecz conveniunt. Ad quos Sandivogius de Subino Palatinus Calisiensis et Capitaneus Cracouiensis, mandata Elizabeth Reginæ perferens advenit. Qui Regi nam Elizabeth cum filia Hedwigi vsq; Caſchouiam deſcendiſſe et abinde propter inundationis aquarum in Poloniæ Regnum procedere non potuiſſe aſtruens, rogabat illi non ſuccenſeri, Offerens eam ſi id ſibi non remittatur, etiam cum periculo venturam. Perſuaſit deinde ac perſuaſioni adiecit preces, quatenus primores ex Baronibus ſe illam viſitatum iri dignarentur, certiora quæq; coram concluſuri. Mediocribus itaq; ad propria reverſis, a Primoribus videlicet Dobeslao de Curoszwanki Caſtellano, Spythcone de Melstin Palatino Cracouienſi, Iaszkone de Tarnow Sendomirienſi, Vincentio de Kampo Poznanienſis, Sandivogio de Subino Caliſienſi, Palatinis, Domaratho Poſnanienſi Caſtellano in Caſchouiam itum eſt. Vbi poſt nonnullos tractatus in derogationem concluſionis quæ apud Siradiam capta fuerat, noua inita ſunt, vt videlicet pro Die Sancti Martini futuro, Hedwigis filia Regia Cracouiam adveniat, Regnum Poloniæ, Sponſo ex ſententia Prælatorum et Baronum illi iungendo, poſſeſſura, quæ ſi prole non relinquit, ad Germanam ſuam Mariam ea obeunte devoluatur Regni Poloniæ Succeſſio. Vicereciproca et ipſa prolesq; ſua in Vngariæ Regnum ſi Maria orba deceſſerit, ſucceſſionem habitura, Continuareturq; Vngariæ et Poloniæ Regnorum liga et vnio, et proli ex ſororibus præfatis, aut earum altera producenda, integra vtriusq; Regni ſecuritas remaneret. Dilato autem adventibus Hedwigis filiæ Regiæ tunc arrepta, arbitrantibus plerisq; etiam in tempus longius illum extrahi debere, acerrimas ſtrages cladisq; apud Poloniã excivit.

Electionem de ſe in conventione Siradiæ habitam Semouitus Mazouiæ Dux, Bodzantha Gneſnenſi Archiepiſcopo, et fere ſingulis maioris Poloniæ Prælatis et Baronibus ſpem illius mulcentibus, fini et conſumationi mandaturus, Sperans inſuper Hedwigim filiam Regis Ludouici et eius coniugium adipiſci, in præfati Bodzanthæ Archiepiſcopi Gneſnenſis, et Bartoszij de Coszmin comitiua verſus Cracouiam ſeptima menſis Maij, celata ſua præſentia advenit. Sed propter frequentiam militum Maſouiæ, qui haſtas quingentas explebant, adventu ſuo in publicum vulgato, Cracouiam ingredi non permiſſus, in curia

Præpoſiti

Praepositi Sancti Floriani extra muros Cracovienses, quam Bodzantha Gnesnensis Archiepiscopus, Praepositus existens, muris insignierat, constitit. Ibi denique legatione Cracoviensium Consulum qui latitationem suam cum dedecore suae civitatis sati continere periculi, aequis animis ullatenus non toleraturos asseverabant, vexatusque, crebris excubijs ne ex urbe in eum fieret irruptio ea nocte per milites instructis, die sequenti Sole oriente relinquens Cracouiam in Nouam ciuitatem Korczin se recepit. Vbi diebus quindecim immoratus, earum rerum, quae in Vngaria per Barones Poloniae cum Elizabeth Regina agitabantur, finalem exitum operiebatur. Militum suorum et armata et frequenti caterva vulgaverat illum, produxeratque Heduigim filiam Regiam, suggerentibus id pluribus Poloniae proceribus, si sponte non daretur, vi Regnum Poloniae ingressam rapturum, et eo respectu Barones Poloniae, qui in Cassouiam descenderant, permotos, adventum Heduigis filiae Regiae in tempus longius, ut Semouitus Dux cogeretur abire, ad abrogandum destinatas insidias, consulto protelasse, nonnullorumque Capitaneorum destitutionem, eorum praesertim qui Semouiti Ducis se ditioni substraxerant, suasisse.

Semouitus Masouiae Dux spes suas de adipiscendo Poloniae Regno, et Heduigis filiae Regiae connubio aliter quam speratus fuerat succedere videns, ex Cracouiensi et Sendomiriensi terris, quarum Consiliarios et Barones, et signanter Spithonem de Melsztin Palatinum Cracouiensem, et Jasszkonem de Tanczyn Castellanum Vuoinicensem, obstare magis quam favere proposito suo cognouerat, discedere, et in Mazouiae Ducatus, et in terras maioris Poloniae, ne exclusio sua a Cracouiensi arce et urbe, pectora Praelatorum et Baronum Maioris Poloniae sibi de Regno fauentium infirmaret, variaretque, redire constituit, praesentia sua illos existimans in fide continere. In Spythonem autem de Melsztin Palatinum Cracouiensem, quod adolescens pene, et nondum virilem sortitus aetatem, nondum enim annum decimum octauum supergresso, Palatinatus Cracouiensis magistratus illi mandatus erat, deijcere illum a Regno Poloniae, cuius sibi et naturali, et electionis conformis iure debebatur successio, anhelantem, grauiter iratus, in oppidum suum Xansz haereditarium dum Mazouiam reuerteretur, adueniens, flammis illud non secus quam hostile consumit, tam sibi quam caeteris, qui illius obsistebant regimini formidinem incussurus.

De singulis autem quæ apud Cassoviam ordinata fuere Semovitus Masoviæ Dux ab his qui partium suarum Baronis extiterant, certior factus, non proficientibus clandestinis machinationibus, apertius utendum duxit. Intelligens quoque Stiborium Mosczyczonis, militem, ad regendam Cujaviam, Lanciciamque et eius castra, Petrassio Malocha qui in vehementem suspicionem de favendo Semovito Duci adductus erat, destituto, per Reginam Elizabeth et Baronis Poloniæ missum esse, Abrahamum Bocham Palatinum Plocensem et Crzeslaum militem, filium Dobeslai Castellani Cruswiciensis, ad occupanda castra terræ Cujaviensis, de fide et assistentia Petrassij Malocha Capitanei Cujaviæ confidens, universorum ipse Mazoviam, et singulos suos subditos, armaturus, præmisit. Quibus in castrum Brestense per Dobeslaum germanum nepotem Jaroslai olim Archiepiscopi Gnesnensis, et generum Petrassij Malocha, vicesima tertia Maij intromissis, Stiborius Mosczyczonis serius adveniens, a Brestensibus civibus Semoviti Ducis principatum propter eius tyrannidem execrantibus, magno favore excipitur. Sed Ducis Semoviti gentes obsidione illico civitatem cingunt, quapropter Stiborius Mosczyczonis in arcto se positum videns, ne quid hostile pateretur, pavidus, civitati excedit, Petrassius vero Malocha civitatem Brestensem et castrum ingressus, plerisque Brestensibus civibus, qui authores recipiendi Stiborium Mosczyczonis in oppidum se absente fuerant, in dira vincula coniectis, bonisque eorum confiscatis, castrum et civitatem Brestensem cæteraque Cujaviæ castra Semovito Duci prodidit. Abinde exercitus Semoviti Ducis Abrahamo Bocha Palatino Plocensi Duce descendens, castrum Cruswiciense quod per militares Maioris Poloniæ a Petrassio Malocha, qui et ipse cum Domaratho Capitaneo eiusdem generis fere sentiebat, oppugnatum, deditioneque acceptum, Dobeslaus de Cosczelecz Castellanus Cruswiciensis, suo et Castellani Brestensis et Jacussij Kulig de Srzemieczorzino nominibus, a militaribus commendatum tenebat, circumvallant. Acceperat præfatus Castellanus Brestensis, qui et ipse conventui apud Cassoviam habito interfuit, a Regina Elizabeth de castro Cruswiciensi in manus et potestatem Stiborij Mosczyczonis resignando personale mandatum, quod consulto neglexerat, dolumque conceptum contenturusque tardius ex Vngaria rediit. Castrum enim Crusvicense, et de sua annuentia, et Dobeslai Castellani Crusvicensis et nonnullorum aliorum terrigenarum Cuiauiae mandato, quemadmodum per secretas conspirationes inter eos et Ducem Semouitum conuenerat, Abrahamo Bocha Palatino Plocensi, per Jacussium huius deditum est.

Cuiauiensi terra et suis castris Semouitus Masouiae Dux in suam redacta ditionem, Conuentum apud Siradiam generalem omnibus Regni Poloniae Praelatis et Proceribus per Lasotham de Stawiszino Dapiferum Cuiauiae et nonnullos alios suae partis militares pro die Sancti Viti indicit, Dicto suo parituros et in coronationem suam consensuros se praemiaturum, abnuentes vero imperium hostilibus armis et incendiis vexaturum, denuntians. Sed dum fere singuli Optimates Ducis Semouiti aspernarentur edicta, solus Bodzantha Gnesnensis Archiepiscopus cum nonnullis Maioris Poloniae militaribus Siradiam pro die constituta adueniens, Semouitum Masouiae Ducem Poloniae Regem in Monasterio Fratrum Praedicatorum, singulis qui conuenerant probantibus, pronunciat, in altumque fauore militari sublatum Regem acclamat. Et nisi paucorum restitisset dissuasio, etiam illum in loco eodem Regio Diademate, quo pronunciatio sua et decretum minus rescindi posset, assistentibus sibi Stiborio Plocensi et Nicolao Kyouiensi Episcopis, ad expediendum munus id consulto ascitis, coronandum insigniendumque sanxerat. His perfectis Semouitus Masouiae Dux, cum iam et Lanciciense castrum, ciuitasque a Petrasso Malocha sibi dedita foret, in terras maioris Poloniae exercitum gentium suarum, sperans et Maiores sibi fauere, deducit. Oppidumque Calisiense, Bartossio Odolanowski suadente, ferenteque solatia, expugnare adorsus, propugnaculum in agere circum Coenum consistens, ciuibus nequiquam illud probe tuentibus, conquirit. Cui Conradus Olesniciensis Dux suffragia laturus, castrumque Odolanow, Bartossio cedente in ditionem suam ex composito recepturus, cum trecentis lanceis aduenit, et ab altera parte Calisiensi oppidum obsidione arctauit. Dux autem Semouitus aliquot diebus in ea obsidione moratus, dum et expugnatio castri, et oppidi difficilis, et deditio nulla ex parte proventura videretur, exercitu ad obsidendum relicto, Lanciciam se contulit. Variis interim maior Polonia cladibus bellisque flagrare coepit, nam Grzimala de Olesnicza Costrzinensis, Albertus de Sunigeradowo Camyenensis Castellanus, et Vurzbyetha de Smogulecz, ex castro Nakiel vicesima prima die mensis Junij facto descensu, oppidum Znina Archiepiscopale, ne in Semoviti Ducis ditionem concederet, tradi sibi a civibus magnopere efflagitant, ni traderetur, allodijs eorum exustis, oppidi expugnationem se tentaturos pronunciant. Oppidanis autem Zninensibus inducias aliquot, sub quibus consulere Archiepiscopum possent Gnesnensem, obtinentibus, ad Gambicz oppidum Regium quod a Praefecto Ducis Masoviae iam tenebatur, aliquos levis armaturae homines mittunt, et velut hostile direptum, praedam illic quaesitam in Nakiel referunt. Vicesima vero quinta die mensis praefati Junij Bandzimirus de Radzicze, genti cadc, qui apud Nakiel commorabatur, fretus, oppidum Archiepiscopale Kamyen in Pomerania, oppidanis, mendacijs praefati Bandzimiri, quod Gnesnensis Archiepiscopus ex Regno Poloniae per Elizabeth Reginam exulatus profligatusq sit, circumventis, intercepit. Arcem deinde fortissime impugnans, gentibusq Archiepiscopi propter defendiculorum penuriam se dedentibus, conquirit. Bodzantha itaq Gnesnensis Archiepiscopus plurimum super his adversitatibus anxiatus, Zninam adveniens, cum Grzymala et Vurzbyetha, ne quid hostile ab eys pateretur, quadraginta quinq marcis latorum grossorum et decimis Paluczensibus largitis, pacificatur. Sed uno hoste conciliato, alter mox erupit. Pactis enim, quae Bodzantha Archiepiscopus cum Grzymalitis de Nakiel pepigerat, Abraham Palatinus Plocensis, Slawyecz vexillifer Masoviae, caeterisq Ducis Semoviti qui Crusvicense castrum, caeterasq Cuiaviae munitiones observabant, praefecti, irritati, octava Julij die Qwieczischowo oppidum et villas Archiepiscopales plures numero multifarijs spolijs direptionibusq afficiunt. Apparentq quantas seditiones et bella apud Polonos certus Regis defectus excitaturus foret, cum sola absentia et interregnum tam horrendas procellas excivisset.

Durior deinde anxietas afflictioq praefato Bodzantha Gnesnensi Archiepiscopo, ab his quoq, quos se placasse crediderat, dimmitati. Hanc illi, proco, quod potestati saeculari legittimo electo excluso, in Gnesnensem sedem conscenderat

rat, tentationem immittente, inflicta est. Domarathus enim Castellanus Posnaniensis, pridem ex Ungaria Capitaneatu Maioris Poloniae, qui Peregrino de Wyangliszin nepoti germano Floriani olim Episcopi Cracoviensis commissus erat, resignato, reversus, Znenam ad Bodzantham Archiepiscopum cum socero suo Alberto Palatino Cracoviensi Grzymala et Wyrzbantha, decima die Julij se conferens, in quanto periculo ipse statusque suus versetur, primum arbitris exclusis, mox etiam adhibitis, edidit. Astruxit siquidem, quod propter adhaesionem, quam Duci Semovito Mazoviae, et sponsionem de eo in Regem Poloniae coronando, castrisque Colesia sibi dedendis noscitur fecisse, ab Elizabeth Regina Ungariae eiusque genero Sigismundo Brandeburgensi Marchione, hostibus infestis indicatus sit. Et quod supplicatio per Nuncios speciales Reginae et Marchionis nomine Summo Pontifici directa sit, ut eum velut praevaricatorem iurisiurandi, et communium foederum, criminisque laesae maiestatis obnoxium, sede Gnesnensi privet, et alterum in eius locum substituat. Monet deinde Domarathus, ut pro tollenda suspicione, rescindendoque quod sibi nectitur periculo, Znenam suae potestati, nomine Hedwigis filiae Regiae tenendam de caetero conferat, expugnationem eiusdem oppidi et vastationem villarum Archiepiscopalium, a se infligendam, si secus agendum praesumpserit, asserens. Bodzantha autem Archiepiscopo crebra execratione diluenti obiectum crimen, Domaratho vero pro deditione Oppidi instanti, Archiepiscopus hac voce illi respondit. Video me, inquit, angustiis in utramque partem circumsessum esse, nam si suspicionem delaturus Znenam tibi contulero, a tuis hostiliter vastabitur, si quod petis renuero, eandem vastationis sortem a te et tuis me probe video subiturum. Malo tamen ut a te tuisque vastatus subeam rerum dispendium, quam meam innocentiam aliqua suspicionis contagione, quae ex eo solo, si tibi Znenam contradiderim, emerserit, contaminem. Hac responsione edita in crastinum tamen se deliberaturum asserens, saniori usus consilio, Znenam non in Domarathi, sed in Grzimalae de Obiesiercza Costrzinensis Castellani potestatem se consignaturum, ad ostendendam suae puritatis intentionem obtulit. Sed Grzimala praefato, si Wyrzbantha de Smogulecz pro comite individuo non adiungatur sibi, rem aspernante, Znena eo pacto, ut nihil hostile cuiquam inferatur, ex eaque sumptus et expensae illis quomodolibet fundi repetantur, utrisque fidei in solidum ab Archiepiscopo commissa est.

Cunli

Ciuili et domestico bello apud Maioris Poloniae oras dudum intumescente, externum quoque accessit, Glogouienses enim Duces Henricus vocitatus Sperling et alter N. grauiter et moleste ferentes, quod de terra Vaschouiensi quam occupauerat per Casimirum Poloniae Regem fuerant deiecti, recuperaturi illam, arma sumunt. Et oppidum Vschowa impugnare et expugnare molliuntur, Verum dum per Oppidanos cum ignominia a maenijs pulsi forent, in maiorem furorem acti, terram praedictam spolijs et incendijs vastabant. Quorum insolentiam restrictum iri Peregrinus de Vangleszin Capitaneus Maioris Poloniae; et ciues Calisienses soluere obsidione, qua a Conrado Olesniczensi Duce et Bartossio Odolanowski ac exercitu Semouiti Ducis Masouiae premebantur, satagens, militibus Maioris Poloniae expeditionem indixit. Verum cum pauci suo imperio paruissent, vastatis pluribus villis Posnaniensis Ecclesiae, et Monasterij de Luben, nullo militari edito opere, Posnaniam rediit. Sub quo tempore Conradus Olesniczensis Dux, Ponyecz castrum suis gentibus circumsidens, facta cum Thomislao Vischota, qui illud tenebat, pactione clandestina, per deditionem illius possessione potitus est. Fraudem autem huiusmodi Peregrinus Capitaneus maioris Poloniae non ferens, Thomislaum Vischotam et fratrem eius, velut fraudis praefatae authores in vincula coniecit. Quorum consilio et suggestu proditum castrum recuperaturus, dum cum gente sua versus illud procederet, Ducis Conradi gentes pro praesidio relictae, sola fama aduentus eius in pauorem actae, antequam appropinquasset castro incenso diffugiunt. Cuius ex nouo constructionem Peregrinus Capitaneus insistens, villas Posnaniensis Ecclesiae iuxta Grobya et Dolsko consistentes, frequentibus spolijs inhumane oppressit. Altera insuper vice districtiori edicto, militares in Vinnyecz villam Posnaniensis Episcopi conuenire armatos imperat, pro depulsione Conradi Ducis et Bartossij Odolanowski ab obsidione oppidi Calisz processuros. Pluribus autem huic edicto parentibus, et in designatum locum conuenientibus, Bartossius Odolanowski eam expeditionem impediturus, in Vinyecz adueniens, singulos qui conuenerant incautius se gerentis opprimit, et armis equisque et caeteris rebus exutos, plerosque etiam captiuitati addixit

Cracouiens

Cracovienses et Sandomirienses Barones, apud quos omnia quieta erant, gravi ferentes molestia terras Maioris Poloniae intestino et externo bello colludi, conventum apud Cracoviam pro die Sancti Jacobi Apostoli indicunt. Ad quem Semovitus Masoviae Dux, et Bodzantha Gnesnensis Archiepiscopus, frequentibus Nuncijs et literis Cracoviensium Baronum rogati, de Statu et tranquillitate Regni Poloniae provisuri conveniunt. Et post varios tractatus, dum de pace ad liquidum reintegranda non convenirent, sufferentia in diem Sancti Michaelis tantummodo duratura aegre obtenta est. Et licet ex pacto Calisiensium obsidio solvi, et vastatio depraedatioque villarum debuerat quiescere, Bartossius tamen Odolanowski Semoviti Ducis negligens spernensque imperium, in dies octo ex quo iussus est desistere obsidionem extraxit. Sub quibus quaslibet villas et oppida in circuitu plurima praedatione vastavit, donec Masoviae Dux Semovitus personaliter adveniens, et Bartossium et exercitum suum ab obsidione XIIIJa augusti die amovit. Sed et alij quoque Ducis Semoviti in castris, Crusviciensi, Brestensi, et Srzedzensi, praefecti servare Treugam etiam iussi, ad spolianda Ecclesiarum et militarium bona, curam plus solito intendebant. Sub idem tempus Ungarorum exercitus duodecim armatorum explens millia, Duce Sigismundo Marchione Brandeburgensi, et qui in suo comitatu Demetrium Strigoniensem Archiepiscopum habebat, hostilitates Semoviti Ducis Masoviae coercituros, Poloniam advenit. Superatisque Alpibus, qui Poloniam et Ungariam dirimunt, primum stativa ad Oppidum Nowisandecz posuit. Gravis subinde dissensio inter Cracovienses Barones, subsisteretne exercitus Ungaricus an in Masoviam pergeret, suborta est, astruentibus nonnullis pacta cum Duce Semovito inita servanda esse, alijs et quorum sententia accepta est in adversum intendentibus, differentibusque, pactis se cum ea prior Dux Semovitus et sui violassent non teneri. Post plures itaque dies Sigismundus Marchio motis a Nowasandecz castris, Cracoviensium et Sendomiriensium militum auctus exercitu, per Radomiensem districtum in Masoviam contendit. Et singulas possessiones, vicos, et rura, quae ad Semovitum Ducem et suos pertinebant, Duci Simovito dirimendi non facienti potestatem, et vastant et incendunt, variasque et torrendas crudelitates in eam duntaxat Masoviae oram, qua a Semovito Duce obtinebatur, potentiam et molimina Ducis praefati Semoviti oppressuros, et ipsum ad praestandum Omagium filiabus Regis Ludovici coacturos, excurrunt. Cum vero Mazouiae oram, quae ditionis Janussij Ducis erat, neq infestari, neq violari a quoquam permisit. Dux enim Janussius in fide qua Ludovico Ungariae et Poloniae Regi sinceriter perseverans, etiam filiabus se eandem fidei integritatem praestiturum omagio spoponderat, sed neq Poloniae Regni occupandi ambitione, proprio Ducatu contentus, detinebatur.

Erectionem novi castelli Lossow, per Arnoldum de Valdowo Domaratkus de Pierzchno Castellanus Posnaniensis contra se et partem suam ratus erectam esse, cum fratribus et coadiutoribus suis Andrea de Swera Dowo Camyenensi, Grzymala de Olisnicza Costrzinensi Castellanis, et Vuirzbintha de Smogulecz, agrestium insuper ex districtibus Crnensi et Naklensi notabili manu dissolutionem illius facturus, advenit. Quod diebus octo impugnans, coepto irrito, uno ex suis adolescente ingenuo Joanne Przeslai de Margonino desiderato, pluribus vero vulneratis discessit. Arnoldus vero de Vueldowo, Crcymensibus agrestibus, quod contra se arma tulerant, iratus, sub diebus quibus fortalicium suum a Domaratko oppugnabatur, et Crcynensis oppidi, et villarum Archiepiscopalium Crcymenses districtus, cum inopinate venisset, ingentem gregem pecorum pecudumq et equorum sustulit, et in Golanczam abegit. Districtum deinde Naklensem potenti fretus amicorum et familiarium numero, quod a Domaratko et suis anxiatoribus tenebatur, ingressus, pluribus diebus vastavit. Sub idem tempus Lekno oppidum a Grzymala Costrzinensi et Alberto Camienensi Castellanis, oppidanis ad excurrendum raptam praedam invante se ex oppido effundentibus, et in oppidum refugere, visis insidiis, conantibus, interceptum, spoliatu et exustum est.

Wladislaviensis Episcopus Sbiluthsus nobilis de domo Besennium, sinistram corporis partem mediam ex Paralysi laesam, annis aliquot perferens, Veneris, ultima mensis Julij, die, in castro suo Episcopali Raczasz moritur, et in Vladislaviensi Ecclesia ante maius altare sepelitur. Qui pro Ecclesiae suae decore, plura vasa aurea, et argentea, libros, et pe-

cunias

tunicas in Capituli manibus reliquit. Satagens autem Drogossius Siradiensis Capitaneus, sui nominis et generis fratrem suum Nicolaum de Hroborz Wladislauiensem Cantorem ad Wladislauiensem sedem evehere, Castrum Wolborz quod tunc ab Henrico Canonico Wladislauiensi tenebatur, per familiarem suum Jarusium Lurzkowski et caeteros satellites eius ad consulto destinatos, de occulta eiusdem Henrici Canonici conniuentia occupat, et intercepit, et oppidanos atque agrestes districtus illius plurimis talijs et contributionibus grauauit. Capitulum Wladislauiense, nihil his, quae a Drogossio inferebantur oppressionibus, motum, die Mercurij undecima mensis Augusti in castro Raczass electionem futuri Pontificis celebrans, per viam compromissi, in Theodricum Wladislauiensem, Troyanum ~~praepositos~~ Posnaniensem praepositos, et Joannem Archidiaconum Gnesnensem Canonicos Wladislauienses facti, unum ex compromissarijs Troyanum videlicet praepositum Posnaniensem elegit, cuius electionem Bodzantha Archiepiscopus Gnesnensis etsi in die Assumptionis Sanctae Mariae in castro Uniejouiensi confirmauerit, consecrationis tamen munus impendere distulit. Hic Sbiluthus Episcopus, Chorum Ecclesiae conuentualis in Brzesc Ordinis Praedicatorum suae Dioecesis, cocto latere fabricauit, sedit in Cathedra Wladislauiensi annis uno et viginti.

Vaccantis Ecclesiae Wladislauiensis oppressionem narrauimus, sed ea quam narraturi sumus Gnesnensi Ecclesiae et Pontificem suum habenti accidit. Peregrinus namque de Wangleschino Maioris Poloniae Capitaneus, cui superiores expeditiones contra hostes Regni indictae parum prospere cesserant, in proprios grassatur, ut quod minus in hoste habuerat, in proprio suppleret. In Gnesnensem Archiepiscopum Bodzantham, cum Vincentio palatino Posnaniensi, Perslao de Ostrorog Santhocensi, Sandivogio Swidwa Nakliensi, Castellanis, Arnoldo de Valdouno, caeterisque maioris Poloniae Proceribus, quasi is iuxta ac Semouity Masouiae Dux, cuius Ducatus ea tempestate, Ungarico, Cracouiensium, et Sandomiriensium, exercitu, durissime vastabatur, cont. vendus veniret, arma sumit. Et sexta mensis Septembris castris ad Terrinam positis oppidum impugnat. A cuius conquisitione repulsus in agrestes et tecta innoxia saeuire capit, praedijs suburbanis exustis, villas Archiepiscopales Zninenses vastat, diripit, et spoliat, praedaque ingenti.

ingenti ex provinciis onustus, stativis in villa Archiepiscopali Biskupitze habitis, Gneznam venit, curiamque Archiepiscopalem et Canonicorum domos cum gentibus suis ingressus exposuit in prædam. Ratus se insigne et gloriosum explevisse facinus, quod proprios et agrestes nullam opponentes resistentiam, spoliis et manubiis vexaverit.

Ducatu Mazoviæ universo, qui ad ditionem Semoviti Ducis pertinebat, Sigismundus Brandeburgensis cum Ungaris, Cracoviensibus, et Sendomiriensibus, spoliis et igne crudeliter pervastato, Brestensem civitatem, quæ et ipsa Duci Semovito parebat, obsidione frequenti, vigesima quinta Septembris vallavit. Sub undecim autem diebus, quibus ipsius extracta est obsidio, tam Polonicus quam Ungaricus exercitus, Cuiaviensem terram perinde ac hostilem vastare non destitit. Dux deinde Vuladislaus Opoliensis, Vuieluniensis, et Dobrzinensis mediatorem se ingerens, Treugas in festum Paschæ duraturas, inter Sigismundum Marchionem, et Semovitum Masoviæ Ducem ordinat, quibus per conditiones æquas firmatis, Ungaricus exercitus, qui in eo bello crudelitatis usus barbarica, templa et sacraria ad explendum cupiditatis ardorem, spoliis prostituerat. Cum Duce suo Sigismundo Brandeburgensi Marchione, Polonorum manubiis et spoliis ad satietatem onustus, ditatusque Ungariam repetiit. Domarathus de Pierzchno Castellanus Posnaniensis qui favorem Sigismundi Marchionis et Elizabeth Reginæ Ungariæ propensius vendicaturus, Saxonibus et Pomeraniis in sui solatium conductis, Cuiaviensem terram et ipse, sub diebus, quibus a Sigismundo Marchione Mazovia vastabatur, spoliorum ingeminatione ex Oppido Crusvicensi atteruerat, uno tamen ducum gentis suæ, Ducis Vuladislai Opoliensis apud Juniwladislaviam demorantis, prohibitione, qua per ditionis suæ terram, rapinam prædam agere illos vetuerat, contempta, a gentibus Ducis præfati, magna strage, præda insuper quam abigebant, excussa, obruti sunt.

Bodzantha Gnesnensis Archiepiscopus dolis et fallaciis, Domaratha de Pierzchno Castellani Posnaniensis, pro sua depositione Sigismundum Marchionem et Elizabeth Reginam Ungariæ apud Papam laborasse, eo quod cum Mazoviæ Duce Semovito sentiret, vehementer insimulantis, ex sermone et tractatu, cum Sigismundo Marchione in obsidione Brestensis oppidi, apud quem obiectum scelus purgare nisus est, habito, intelligens delusum et circumuentum, molestiam insuper ferens ex oppido praefato, patriae bellum et agrestibus spolia inferri, Grzymalitam et Vnczbiantam, in quorum fidem oppidum Zneinam ad purificandam suggestionem de se falso vulgatam commiserat, de illius resignatione requirit. Quibus abnuentibus, et contra pacta sumptus et expensas illic factas sibi in magna quantitate primum reddi petentibus, Bodzanta Archiepiscopus cum Magistro et primoribus civium Zneynensium, secrete re communicata, portas sibi aperiri disponit. Quas cum notabili gentium numero, nona Octobris ingressus, Saxonibus, Pomeranisque per potentiam eiectis, Zneynam recuperat, illiusque gubernationem et regimen Jarando Gnesnensi Decano committit.

Seditionum et ciuilium cladium stridore Litthuani et eorum Duces Regnum Poloniae audientes, simulque Masouiae Ducatum a propriis et externis afflictum esse, magnis auxiliis contractis, castrum Drohiczin, quod a Masouiae Ducibus tenebatur, expugnaturi adueniunt. Absens tunc ab illo Szasinus Ducis Masouiae Marsalcus eius tenutarius fuerat, qui imminens periculum, nouerat enim paucas gentes in castro Drohiczin se reliquisse, depulsurus, cum triginta lanceis et sexaginta balistarijs, per media hostium castra intrepidus transcurrens, ad arcem peruenit. A suis quoque illico agnitus, apertis portis intromissus, virilem defensionem hostibus opponens, frequentique strage illos affligens, spem Litthuanis conquirendi castri ademerat. Interim tamen a Ruthenis castro consistentibus, precio corruptis, in locis aliquot castrum incensum est, qui incendio patrato per funes in hostium stationes effugerant, flammaque Litthuanis castrum vniuerso exercitus robore impugnantibus, non poterat extingui. Quapropter multis mortalium ab igne et telis Litthuanicis consumptis, Szasinus Marsalcus strenuissime decertans, ad extremum tamen cum reliquis, qui flammis hausti non erant, se Principi Litthuanorum Jagelloni, is enim tunc in exercitu hostili primarius habebatur, se dedere coactus est

Eandem quoque Cruciferorum de Prussia exercitus in Litthuania sortem et fortunam pertulit, nam cum Magister Prussiae Conradus Czolner castrum Trohky obsidione assidua et bombardarum frequenti proiectione, vexatum et pro maiori parte fractum dirutumque, Litthuanis vlteriorem resistentiam opponere non ausis, illud deserentibus conquisisset, et forti militum atque victualium praesidio imposito abscessisset. Jagillo Magnus Dux Litthuaniae Miro castrum antiquam ruinam illius refici possent, nova obsidione vallavit, omnibusque conatibus ad illius conquisitionem insistens, Cruciferos et Almanos, ut cum rebus universis abscedere liceret, pactos, viderant enim praesenti et transacta impugnatione singula castri mania concussisse, reddere quaesitum paulo ante castrum coegit.

Annus sic Epidimia peste fere in universum orbem saeviente insignis, Poloniae quoque singulas regiones pervadens, mortalium plures numero extinxerat.

Urbanus Papa Sextus ex urbe Siciliam descendens et in Aversa civitate agens, per Carolum Siciliae Regem capitur, Sed post paucos dies operantibus Cardinalibus relaxatur. In publicam quoque audientiam Carolus Rex adveniens, ad pedes Urbani prostratus flens sibi veniam praestari petiit. Ex Aversa vero in Neapolim Urbanus reversus, in castrum Luceriae, quod Franciscus Butillus Nepos suus germanus ex donatione Caroli Regis habebat, divertit. Ubi stando, sex Cardinales, videlicet Adamum Cardinalem Angliae, Ordinis Sancti Benedicti, item Cardinalem Venetiarum, item Cardinalem Januensem Ordinis minorum Theologiae Magistrum, item Cardinalem Corsonensem legum, item Cardinalem de Sandro, et Marinum Cardinalem Tharentinum, Decretorum Doctores, item Episcopum Aquilensem, quasi in mortem suam vel captivitatem conspirassent, ultima Augusti captivari et crudelibus tormentis quaestionari mandavit. Creavit et tunc multos novos Cardinales, inter quos erant, Coloniensis, Maguntinensis, et Treverensis Archiepiscopi, item Arnoldus Leodiensis, et Wenceslaus Wratislaviensis Episcopus, et Petrus de Rosumberg nobilis de Bohemia, qui omnes unanimi voluntate Cardinalatus spreverunt honorem. Moleste interim ferens Carolus Siciliae Rex hostilitates Urbani, ipsum per exercitum suum in Luceria vallavit, quem Raimundus de Bancio cum Britonibus adveniens, et ex obsidione educens, ad portum flumarii perduxit. Ubi Januensium galeas ascendens, cum Cardinalibus et Curialibus Januam pervenit, magno illic exceptus et celebratus honore. Ubi ad petitionem Riccardi Angliae Regis Adamum tituli Sanctae Caeciliae Cardinalem Angliae relaxavit, in carcere caeteros quinque in talem vitam provectos extinxit, secundum vero aliquorum assertionem securi percuti aut in mari suffocari disposuit. Aquiligiensem vero Episcopum propter crudeles torturas, debilem in equo et suo conspectu gradientem per lictores mactari jussit.

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS QVARTVS.

Pacta, quae apud Cassoviam cum Polonorum proceribus, Elizabeth Ungariae Regina, Ludovici relicta, pepigerat, quibus se pro die Sancti Martini filiam Hedwigim Cracoviam missuram strinxerat, tenuerant, Sandivogius de Subino Calissiensis Palatinus et Cracoviensis Capitaneus, militarium filiis magis praestantioribus et ingenuis assumptis, ex Joannis Episcopi et Baronum Cracoviensium authoritate in Ungariam transijt, Reginam Elisabeth et carpturus de negligentia, et aversionem defectionemq Polonorum, si secus agendum perseveraverit, cladesq innumeras, quibus Regni Poloniae atterentur coloniae, ostensurus. Quam cum apud Zadram Dalmatiae Metropolim offendisset, singulis mandatis, quemadmodum iussus erat, per ordinem expositis, preces tandem adiecit, rogavitq, ut diuturna so longaq periculosa cunctatione abrogata, filiam Regiam Hedwigim Cracoviam dirigat, mox in Ungariam pro complemento annorum nubilium, coronatione suscepta, et Regno cladibus afflicto stabilito, reversuram. Et si sermoni et promisso suo publica authoritate prolato diffidat, nobilium filios secum una missos in obsides interim, quemadmodum per Nuncios suos postulare visa est, accipiat. Elizabeth autem Regina unam ex alia excusationem, pro his, quibus accusabatur, purgandis, nectente, responsisq utente ambiguis, Sandivogius Palatinus praedictus, suas, et Polonorum spes legationisq reddere prospiciens in irritum, irritatus ipse et in furorem iustum actus, remeandum quamprimum statuit. Verum Elisabeth Regina metu iniecto, ne Sandivogius Palatinus cum castro principali Cracoviensi desisceret, Jasztonem de Tarnow Castellanum Sendomiriensem, qui arcem Cracoviensem in suam ditionem redigeret, et Ungaris postea mittendis, quatenus Cracovienses continerentur in fide, traderet, Cracoviam praemittit, Sandivogio ex Zadra in Sibito remisso, Sandivogius autem omnium eorum, quae contra se ordinata fuerant, conscius, equis per varia loca, quibus redeundum erat, locatis, Cracoviam insuper directo nuncio, qui moneret viros Cracovienses arcis observatores a se relictos, mandaretq, ne etiamsi ipsum dominum suum igne conflagrari spectarent, arcem dedant, ipse cum paucis ex Zadra evulsus, equos mutando, in naturali uno die, quod vix credibile dictu est, sexaginta Ungarorum milliaria, quae Almanicis crassiora esse constat, conficiens, Cracoviam defatigatus et anhelus, nuncios quosque praeveniens, pervenit. Cuius relatione moti Proceres, conventum quem in Lelovia agendum decreverant, in diem secundam Martij, et in Oppidum Radomsko, quod propinquior Baronibus ex maiori Polonia procuretur accessio, transferunt. Fugam autem et discessionem Sandivogij de Subino Capitanei Cracoviensis et Palatini Calisiensis Elizabeth Ungariae Regina gravi et exulcerato animo ferens, Marczonem Succamerarium Calisiensem et singulos filios nobilium, et adolescentes ingenuos, magna ex parte praefati Sandivogij aut nepotes, aut consanguineos, quos obsides habitura erat, captivat, in praesentes saeviens, dum in absentem non poterat

Ad constitutam secundam mensis Martij diem, Bodzantha Gnesnensi Archiepiscopo, et caeteris Praelatis et Baronibus Regni Poloniae in Radomsko convenientibus, vario sermone, varijsque sententijs, de substituendo Rege, de stabiliendaque Republica, et bello intestino restinguendo certatum est. Sed cum singulas, iustas, legitimasque deliberationes, unus scrupulus de Hedwigi filia Regia, et pactis cum patre suo Ludovico iureiurando firmatis inficeret, ampliora externa et interna bella si negligeretur, exciturus, unum et levem nuncium ad Elizabeth Reginam mittere placuit, ut levitas legati, mittentium gravem et exacerbatum animum, atque in rebellionem et contemptum spectantem, testaretur. Prohibitum quoque edicto publico, ne qua de caetero legatio ad eam fieret, neve quis ipsam publice aut privatim adiret. Przeczslaus Wronimelski miles extemplo missus est, qui apud Budam Reginam Elizabeth conveniens, Praelatorum et Baronum Regni Poloniae mandata exponit, Rogat inprimis ut verbis et promissis frequentius repetitis, praestet aliquando veritatem, et filiam Hedwigim pro die octava Maij, festo videlicet Sanctissimi Stanislai Cracoviam transmittat, abstineatque ludibrijs, quibus in Polonos tantopere usa est. Praelatos enim, et primores Proceresque Regni Poloniae, neque eam iniuriam usque ludibrium de caetero laturos, neque missionem filiae Regis per alios legatos quaesituros, si extremum esse, qui in ea re ad eam mandata perferat, denunciat insuper Polonos iureiurando se obstrinxisse, festo Sancti Stanislai lapso, sibi de Rege, si Hedwigis Regia filia Cracoviam conducta non fuerit, provisuros. Movit tam aspera legatio Elizabeth Reginam, frequentique consilio advocato, Sigismundum Marchionem Brandeburgensem generum suum ad regendum Poloniae Regnum, quo filia Hedwigis adolescat, viris, armis,

equisque

equisq, et opulenta suppellectili provisum, in Poloniam destinat. Quod cum apud Cracovienses Barones percrebuisset, irritati, quod præfectis ex Ungarorum et matronarum arbitrio datis, parere cogerentur, moresq insuper Sigismundi Marchionis pridem pertæsi, iusto exercitu collecto, usq in Sandecz procedunt. Missisq ad Sigismundum Marchionem, qui iam apud Lubowlya hospitabatur, nuncijs, monent ne Regnum Poloniæ eis invitis introeat, se illum, neq pro Rege, neq pro gubernatore, ullo pacto accepturos, quinetiam ingressum illi iuxta ac hosti armis interdicturos. Qua hac denunciatione deterritus, gradum pressit, missisq reversalibus nuncijs, mitti ad se in Lubowlyam aliquos Barones Poloniæ, secumq de arduis rebus statum Regni Poloniæ et eius profectum concernentibus, magna prece, magnaq instantia extorsit. Missi Sandivogius de Subino Palatinus Calisiensis, et Capitaneus Cracoviensis, Spytko de Melstyn Palatinus Cracoviensis, Jastsko de Tarnow Castellanus Sendomiriensis, Quibus post varios tractatus Marchio Sigismundus id ægre persuasit, ut adventus Hedvigis Reginæ filiæ a festo Sancti Stanislai in festum Pentecostes prorogaretur, astruens illam pro die præfata certo certius, si ad id omnem possibilem navanti operam, Cracoviam venturam. Ferunt autem Sandivogium de Subino ideo dilationem ipsam etiam cæteris dissuadentibus accepisse, quod Sigismundus Marchio, Maczkonem Calisiensem Succamerarium, et omnes alios adolescentes in Zadra post fugam suam, per Reginam Elizabeth captos, si quamprimum rediret, vafra pollicitatione, cuius e vestigio oblitus est, absolvendos astrinxerat. Interim autem in maiori Polonia variæ militarium, vicissitudinariæ, et intestinæ captivitates, cædesq exortæ sunt, nam et Przeczslaus Jacussij de Golurbowo, per gentes Dobeslai de Golincza ex castro Uscie, curia sua Vuchna exusta, rebusq spoliatus, tandem captus est, Janussius de Skoky per Przisconem de Przisczeka, et Joannem Galawska ex insidijs, Martinus de Swanowo per Jaraczewium de Syedlcze et Joannem Dobrogostij de Schamotuly capti, et lethalibus affecti vulneribus, Janussius advocatus de Obornski a Smudna de Galowo occisus, pluresq alij militares et nobiles maioris Poloniæ mutua se captivitate aut strage concidebant

Festo Sancti Stanislai in Maio advenienti, iterum conventus Baronum et Procerum Cracoviensium et Sendomiriensium apud Sandecz oppidum habitus est, Hedvigis filiæ Regis

præstolantium

praestolantium adventum. Quae cum diutius praestolata non veniret, sed nec spes restaret, sui proximi adventus, nova consilia a Baronibus agitata sunt, Et licet placuisset singulis, duos Nuncios videlicet Spythkonem de Melsztin Palatinum Cracoviensem, et Petrum de Szczekoczin Castellanum Lublinensem Ungariam mitti, et Elizabeth Ungariae Reginam, de Hedvigis filiae suae missione, denunciatione et iusta instantia rigidiori urgeri, Przeczslao cum Unawelski milite longo differente sermone, neque eorum, neque sua, qui ex Ungaria recenti legatione rediit, ut de caetero aliqui Nuncii Ungariam mittantur, honestati convenire, cum legatio sua de mendatio notabitur, quae astruebat, nullos de caetero legatos Ungariam venturos, missio praefatorum Baronum retractata est, Novoque edicto sancitum, ne cui publice aut privatim Ungariam ire liceret, quo praevaricato Sandivogius de Subino Capitaneus Cracoviensis, suorum procuraturus solutionum, si Ungariam contulit, et privato non publico usus officio, Hedvigim mitti celerrime Poloniam, et nisi mittatur, rem ad discrimen penitus recisuram, persuasit.

Magna indignatione Peregrinus de Vuanglesino Capitaneus maioris Poloniae, Vincentius de Campa Palatinus Posnaniensis, et Swidwa Castellanus Nakliensis contra Nicolaum de Lodzia, quod cum Domaratho de Pierzchno Castellano Posnaniensi, et sua parte, contra illos sentiret, permoti, fortalicium suum Lytsin, (vel Bnin) circumvallant, et pro illius expugnatione machinis a civibus Posnaniensibus commodatis, illud vehementer tormentant. Sed cum a Nicolao de Lodzia et suis non solum animosam resistentiam, sed etiam excursiones in castra, et suorum strages, et vulnerationes fieri animadverterent, villis ad eum pertinentibus primum spoliatis, mox etiam exustis, casso irrito ab obsidione discedunt. Treugasque inter se ab una, et Domaratum eiusque auxiliarios, parte ab altera confirmant. Quas dum Vincentius Swidwa Castellanus Nakliensis, et Visschota de Kurnik detrectarent suscipere, et Domaratum vilem et infirmum hostem esse, nec dignum cum quo pacis sufferentiae ineantur, astruerent, Domaratus contemptum sui et ludibrium ulturus, valida suorum auxiliariorum manu, in oppida, Caźmirsz, et Szamotuly irruens, tam illa, quam quaeque villagia et rura in eorum circuitu consistentia, quae dictionis Swidwae et Visschotae aut suorum auxiliariorum fuerant, crudeliter despoliat, Et Swidwa ex suo fortalitio Gatowo, Peregrino etiam Capitaneo maioris Poloniae apud illum tunc hospitato, inspectante, nec suis ferente opem, singula quae despoliaverat liauerat exuit. Ita Swidwa et Vulszota, dum hostilis vires despiciunt, proprias vero plus iusto superba iactantia metiuntur, paucitati, quam in hoste contempserant, succumbunt

Vuladislauiensis Ecclesia ex morte Sbilutsi nobilis de domo bipennium, vacantis, electione et confirmatione canonica, de Troyano Praeposito Posnaniensi, Vrbanus, in sua obedientia, vocatus Papa sextus, reprobata, Joanni Olits filio Bolislai Ducis Opoliensis, et Episcopo Posnaniensi, de illa prouidet, et de Posnaniensi in Vuladislauiensem transfert. Qui cum undecima mensis Februarij ad Vuladislauiensem Ecclesiam cum mandatis Apostolicis accessisset, et ab Electo Troyano, et a Capitulo Vuladislauiensi in Episcopum acceptus est, et castra, Vuladislauia, et Raczansz illi consignata. De Posnaniensi autem Ecclesia per translationem Joannis Olits aliâs Kropidlo vacante, Dobrogostio de Nowydwor aliâs de Lanszenicze, genere hic nobilis erat, de domo et familia Nalancz, prouidet, quem in superioribus ad Ecclesiam Gnesnensem ex morte Joannis Suchiwilk vacantem, electum fuisse mostrauimus.

Crebras promissiones suas Elizabeth Vngariae Regina, et Ludouici relicta, de filia sua Heduuigi in Poloniae Regnum destinanda, impletura, dum spes Polonorum in longius tempus sine rerum discrimine extrahi non posse intelligeret, ipsam in magno Baronum et militum, et praecipue Demetrij tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Praesbiteri Cardinalis, et Archiepiscopi Strigoniensis, et Joannis Cenadiensis Episcopi comitatu, ferentem secum in auro, argento, in vasis, pannis, clenodijs, gemmis, et contentis, insignem et regiam suppellectilem, transmittit. Ad cuius aduentum Praelati et Barones Poloniae, de quo iam pene desperauerant, excitati, certatim illi occurrunt, et ipsam cum ingenti alacritati animorum Cracouiam, omnium Ecclesiarum Processionibus, omniumque Statuum ordinibus obuiam illi effusis, perducunt. Tanta autem erat erga illam Praelatorum et Baronum Poloniae affectio, et tam charitas immensa, ut viros sexus obliti, parere tam insigni et virtuosae faeminae putarent non inglorium. Ea insuper charitati et affectione deuicti, non dicto, non procurato illi sponso, quasi ipsa sola ad gubernandum Regnum Poloniae sine marito suffeceret, ipsam in Cracouiensi Ecclesia, die Solis, quinta decima mensis Octobris, quo apud Polonos Sanctae Heduuigis agitur celebritas, per Bodzantham Gnesnensem Archiepiscopum, Joannem Cracouiensem, Joannem Vuladislauiensem, Dobrogostum Posnaniensem Episcopos, ſub præfati Strigoniensis Cardinalis, et Baronum atque militarium utriusque Regni Poloniæ videlicet et Vngariæ copiosa frequentia, procurarunt in Poloniæ Reginam, Diademati Regnali inungi et conſecrari. Tributa ei plenaria facultate, quatenus Poloniæ Regnum interim, quo illi Sponſus aptatur, et quæritur, administret. Nec mirum, noverant enim illam ita educatam atque institutam esse ab annis teneris, ut formam honestas, ſpeciem pudor, pulchritudinem virtutes, gloriam et divitias continentia atque modestia, potentiam manſuetudo antecellerent, cui etiam raram eximiamque ſpeciem, decorem, a natura videbant donatam, doctam inſuper literis, moribus eruditam, decoram non tantum genere, quantum et fœminea dignitate moderatam, natura, pudore quoque ingenuo ſingularem, cui ex munere cælesti amplior et magis venustior nullique obnoxietati forma contigerat, matronarum verum decus atque ornamentum pudicitia, in qua omnis virtutis numerus ab incunabulis usque instillatus cum lactis nutrimento, putabaturque infantiæ annos egreſſa, ita mature et graviter ſapere cæpit, ut quicquid diceret, quicquid faceret, ex ſenili gravitate manare videretur.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS QVINTVS

Intelligens Jagello Litthuanorum magnus Dux virginem Regiam Hedvigim Ludovici filiam ad Poloniæ Regnum ex Vngaria traductam, et Diademati regnali inſignitam, eique universi Regni Poloniæ administrationem et regimen mandatum eſſe; et tam aſſiduo rumore, quam frequenti ſuorum Nunciorum, quos exploratum mittebat, relatione, cognoſcens, virginem prædictam Reginam, adeo venustam, decoramque existere, ut pro illa tempestate in orbe universo parem in forma non habere credita ſit, duos Duces fratres ſuos videlicet Skirgallonem et Borzyſch, item Hanulonem Capitaneum Vilnensem, Cracoviam ad Hedvigim Reginam, et ad prælatos, Baronesque Poloniæ ad procandum virginem præfatam ſuo connubio, transmittit. Qui ad conſilium, quod et præſentia Hedvigis Reginæ, et Conſiliariorum frequentia, ornaverat, introducti, muneribus magnæ existimationis et pretij Reginæ Hedvigi, nomine Ducis Jagellonis præſentatis, verba per Skirgallonis Ducis organum, in hunc modum fuerunt. A longinquiori tempore, et a magnis Principibus, potentibusque Regibus, noster, et Litthuanorum Magnus Dux Jagello sollicitatus est, ut fidem Christianorum, propria, et in qua a parentibus relictus est, deserta susciperet. Nunquam tamen ad id poterat quacunque persuasione, sed nec guerris a Cruciferis de Prussia identidem illatis, molliri. Summo Deo, optima Illustrissimaque Regina hunc tibi et Regno tuo Poloniae honorem, utque praemium in multa saecula duraturum reservante. Verum si tua Excellentia praefatum Dominum nostrum Jagellonem, magnum Ducem Litthuaniae in sponsum accipere dignaberis, non ea tantummodo, quae de fidei Catholicae susceptione ab aliis Regibus et Principibus ab eo petita sunt, sed et his nonnulla, grandiaque pollicetur adducturum. Spondet siquidem inprimis fidem Catholicam Romanam, et eam, quam tu, Regnumque tuum Poloniae praefert et observat, se cum omnibus fratribus suis, Litthuanorum Ducibus, Proceribus, et Primoribus, sed et cum universa Litthuanica, Samogiticaque gente suscepturum. Offert et singulos Christianorum captivos, signanter tamen ex Poloniae Regno sublatos, et iure belli servituti deditos, soluturum. Offert singulas terras suas naturales Litthuaniae et Samogitiae, sed et nonnullas Prussiae, armis quaesitas Regno Poloniae perpetua et irrevocabili unione, et inseparatione incorporaturum. Offert Pomeraniae, Culmensem, Slesiae, Dobrinensem, et Vuielunensem, et quascunque alias terras, a Regno Poloniae alienatas, occupatas, et distractasque, ad possessionem et corpus Regni Poloniae se reducturum. Offert singulos suos, et paternos, aurosque thesauros se in Regnum Poloniae daturum, et non nisi pro commodis Regni Poloniae illos conversurum. Offert postremo ducentorum millium florenorum, de consumando matrimonio, inter virginem Reginam Hedvigim, et Vuilhelmum Austriae Ducem, vadium interpositum, se soluturum. Haec Barbarus. Et legatio etsi Hedvigi Reginae parum grata, Praelatis vero et Baronibus Poloniae accepta foret, ad voluntatem tamen et arbitrium Reginae Vngariae Elizabeth Ludovici relictae, et Hedvigis Reginae genitricis, remissa est. Iidemque Nuncij, Skirgal videlicet et Borzikos Duces, et Hanulo Vngariam remissi, cum quibus et tres Polonorum Barones, videlicet Vulodko de Ogrodzeniecz subpincerna Cracoviensis, Nicolaus Borzuiza Castellanus Zauichostensis, et Cristinus de Ostrow tenutarius Casimiriensis quo res in celeriorem expeditionem veniret, profecti sunt. Qui dum Elizabeth Vngariae Reginam apud Budam offendissent, legationem Cracoviae conia habitam, apud illam, et generum suum, Sigismundum Brandeburgensem Marchionem resumunt. Et quamvis diebus pluribus seriis legationibus huiusmodi digesta fuerit, non tamen satis tutum et efficax medium poterat reperiri, cum hinc fidei Catholicae dilatatio, et caeteri oblati profectus ad suscipiendam conditionem impellerent, hinc religio pacti cum Wilhelmo Austriae Duce per Ludovicum Ungariae Regem, et desponsatio Hedvigis filiae Regiae solenniter celebrata obsisteret, Nuntijs tamen Polonorum consumationem huius rei maximos Christianitati et Poloniae Regno fructus allaturam asserentibus, Elizabeth Ungariae Regina respondit se ad omnia, quae in fidei et Regni Poloniae profectum cederent, benevolam esse, contentamque fore, ut filia sua virgo Regia Hedvigis, Praelatique et Barones Poloniae id agant, quod e Republica Christianitatis et sua, profutura duxerint. Movit Litthuanica legatio plerosque et praesertim Cracovienses Proceres, quibus exterrarum accessione regionum, roborari Poloniae Regni vires, et peregrinos magis quam proprios circumspicere Reges, placebat. Itaque Semovito Mazoviae, Vladislao Oppoliensi, Ducibus neglectis, quod ex eorum assumptione tenuis accessio fuerit, Wilhelmo Austriae Duce repudiato, quod serum et longinquum ex eo speraretur auxilium, in Jagellonem Litthuaniae Ducem, spes deliberationisque Consiliariorum conversa. Is enim tunc apud Litthuanos, Keystuto apud Brewocz extincto, et filio suo Vithaudo Ducibus, in Prussia apud Cruciferos exulanti, praestantiora a natura ultra omnes Litthuaniae Duces ingenia sortitus, et summae rerum praeerat, et ob multiplicitatem germanorum fratrum, licet hebetis ipse et simplicis ingenij vir, ad tractandum venationes quam et regendam Rempublicam Principatuum, celebris habebatur. Quae quidem res et respectus moverunt Polonos, quod hunc potius, quam Vithaudum animo magnanimum et opere gloriosum, Alexandro Macedoni persimilem, in Regem sibi deposcerent

Responsum modestum et benevolum ab Elisabeth Ungariae Regina, Ludovici relicta editum, per Polonorum, Litthuanorumque legatos relatum multorum ex Poloniae Baronibus animos movit, ut de praeferendo Duce Litthuanorum Jagellone in Regem, et de tradenda sibi Hedvigi Regina, novas cogitationes assumerent. Conveniuntque apud Cracoviam

in Octo.

indicto, ad quem ex Baronibus maioris Poloniae, sive quod ea illa nondum ab intestino bello ad plenum quietata erat, sive quod in Semoviti Masoviae Ducis, subeundam ditionem, erat proclivia, paucos quosdam memoratum est venisse, de assumendo Jagellone Litthuanorum Duce in Poloniae Regem plurium dierum deliberatio, concertatioq; habita est. Quare enimvero molestum nonnullis Consiliarijs videbatur, proprijs Principibus et Catholicis neglectis, praeteritisq;, extraneum et barbarum ad fastigium regale evehere. In eamq; sententiam singuli, qui Hedwigis Reginae, Jagellonis connubium fastidienti, familiares erant, ibant. Verum maior et sanior pars, Christianae fidei favore et dilatatione principaliter, et quiete Regni Poloniae, alijsq; conditionibus, quae a Litthuano afferebantur, permota, Jagellonem pro Rege assumendum, adversas sententias, et Reginae Hedwigis fastidium, magnarum gentium atq; populorum ad fidem Catholicam accessione, confutans, decernebat, amplissimum meritum, amplissimamq; commendationem et laudem omni memorandam aevo Regnum Poloniae consequuturum astruens, si per illius operam Catholicae fidei Splendor et puritas, apud Litthuanicas, Samagiticasq; et caeteras barbaras nationes proluxerit. Haec sententia, cum Hedwigis Reginae feminae iam tum devotae et religiosissimae fastidium, solo fidei Christianae respectu temperasset, facile quoq; ab alijs excepta est. Extemploq; Nuntij videlicet Vulodko de Ogrodzieniecz, Subpincerna Cracoviensis, Cristinus de Ostrow, tenutarius Casimiriensis, Petrus Szafranniecz de Luczicze, Hinczka de Koszkowicze Sacres, qui Litthuaniam irent, et Jagellonem Litthuanorum Ducem, nova sponsione de implendis conditionibus ab eo oblatis primum ab eo recepta, Cracoviam, Regnum Poloniae et connubium Hedwigis Reginae sortiturum adducerent, decreti. Proprijs itaq; Ducibus, velut parum utilibus instrumentis abiectis, ad externorum suffragia itum est, peregrinosq; Reges legere, quam proprios placuit. Et cum pars Semovitum Masoviae Ducem, pars Wilhelmum Austriae, pars Wladislaum Opoliensem, Duces, accersendum censerent, occurreretq; Semovitum et Wilhelmum suffragijs tenuis fore, Opoliensem vero Regnum secessisse, et ad Bohemum defecisse, in Litthuanum omnes eo pacto consensere, si fidem Christianam cum terris sibi subiectis susciperet.

Sigismundus filius Caroli Romanorum Imperatoris, et Bohemiae Regis, Brandiburgensis Marchio, cui iam Ungaria riæ Regnum propter sponsalia cum Maria filia Ludovici Vngariæ Regis destinatum erat, propter levitatem morum suorum, quibus socram suam Elizabeth Reginam Vngariæ Ludovici relictam, et primores Vngariæ graviter offenderat, ex Vngaria per eandem Elizabeth Reginam et Consiliarios Vngariæ eiectus, dissolutionem et levitatem morum illi exprobrantibus, in Bohemiam ad germanum suum Vencislaum Bohemiæ Regem in summo moerore confugit, Regina quoque Elizabeth Vngariæ Ludovici relicta procurante et operante, Carolus de Pace ex Apulia accersitus, Vngariam advenit, et in Regnum Vngariæ, et in coniugium Mariæ sponsæ Sigismundi Marchionis Brandeburgensis, ut successio Regni Vngariæ in familia Duracensi continuaretur, successurus

Fama et denunciatione rerum, quæ apud Poloniam agebantur, Vuilhelmus Austriæ Dux, cui Ludovicus Vngariæ et Poloniæ Rex filiam suam natu minorem Hedvigim, dum viveret, dandam pro coniuge decreverat, expergefactus, cum notabili militum comitiva, et omnibus clenodijs thesaurisque suis et universa suppellectili Poloniam se conferens, Cracoviam inopinatus applicuit. Et quamvis Dobeslao de Curoszwanki tunc Castellano Cracoviensi et maiori domino, cæterisque Baronibus, adventus eius non mediocrem nauseam et molestiam parturisset, ne res cum Jagellone Litthuanorum Duce tractari cœpta ad irritum reciderent, Hedvigi tamen Regina illum gratificante, per quam a nonnullis credebatur per Gniewossium de Dalewicze Succamerarium Cracoviensem, qui et ipse præbebat illi conductum, accersitus, longo tempore Cracoviæ suam mansionem continuavit, nemine Baronum audente beneplacitum Hedvigis Reginæ rescindere, quæ et paternam ordinationem impletura, et adolescentijs in annis virtuosis moribus adducta, nubere illi potius noto et viso, quam barbaro ignoto et nunquam viso, quem ex nonnullorum falsa suggestione, non moribus tantummodo, sed et forma agrestem, et moribus gestibusque barbarum crediderat, æstuabat. Sed et propositum suum plerique Barones Poloniæ, ut sunt hominum variæ affectiones passionesque, et signanter Gniewossius de Dalewiczi, Succamerarius Cracoviensis, in quem Vuilhelmus Austriæ Dux omnes suas curas cogitationesque et spes suas, quasi per illum rerum suarum consumatio proventura esset, et in cuius fidem omnes suos thesauros et clenodia contulerat, permulabant. Dobeslao autem de Curoszwanki Castellano Cracouiensi, qui et ipsi arci Cracouiensi et summae rerum praeerat, Vuilhelmo Austriae Duci ad castrum Cracouiense negante prohibenteque ingressum, Hedwigis Regina frequenter cum militibus, virginibusque suis ad Coenobium Sancti Francisci Cracouiae ex castro faciens descensum, in eiusdem Coenobij Refectorio cum Vuilhelmo Austriae Duce praedicto, et chorearum solatijs, parco tamen et castigato atque honestissimo moderamine utebatur. Fama insuper et plurimorum assertione proditum est, adeo Jagellonis Lithuanorum Ducis connubium perosam pertaesamque fore, ut Poloniae Baronibus nequicquam dissuadentibus et prohibentibus, barbari exhorrens coniugium, sponsalia per verba de praesenti cum Vuilhelmo Austriae Duce, in facie Ecclesiae, Ludouico patre iubente dudum contracta, sub frequentia militum suorum et sororum sub id tempus quo Jagellonem Lithuaniae Ducem vulgatum erat, pro accipiendo Regno et consumando matrimonio Poloniam procedere, statuisset. Verum dum ad Cracouiens~~in arcem~~ is arcis, consumare thalami secreta cum Hedwigi Regina suscepturus, cubilia perductus esset, cura et mandato Baronum Poloniae, quibus copulatio ipsa summopere displicebat, tam ex arce, quam ex thalamo, cum dedecore et iniuria exclusus expulsusque est, et ab omni carnali commercio Reginae praedictae sequestratus. Hedwigis autem Regina exclusionem Vuilhelmi ex castro moleste ferens, incunctanter ad illum, facere parabat descensum. Cumque portas castri Baronum cura et mandato clausas offendisset, violare illas, petita dataque securi manu propria nitebatur. Demetrij tandem militis de Goraij precibus expugnata, coeptum omisit, Timens autem Dux Vuilhelmus se aut dehonorari, aut violari, ex Cracouia in Austriam clanculo, paucis conscijs, refugit. Omnibus thesauris et clenodijs magnae aestimationis apud Gnewossium praefatum Subcamerarium Cracouiensem, quos nullo unquam tempore repetijt, et quorum sibi proprietatem et usum praefatus Gnewossius retinuit, relictis. Pro quibus Gnewossius praefatus Subcamerarius de genere et familia Strzegonya, notabiles haereditates, villas, et sortes coemit, quae a filijs suis processu dierum, parum sobrie sumptus facientibus, prodigaliter expensa, in tertiam non venere generationem.

Elizabeth Ungariae et Poloniae regina relicta quondam Ludouici Ungariae et Poloniae Regis, exosum habens Sigismundum Marchionem Brandeburgensem, filium Caroli Romanorum Imperatoris, et Bohemiae Regis, generum suum, et filiae suae Mariae maritum, propter quasdam eiusdem Sigismundi levitates, sequestrare filiam suam praefatam Mariam a consortio praefati Sigismundi conabatur, satagens eam tradere una cum Regno Vngariae Duci Aurelianensi fratri Regis Franciae in consortem. Super qua re confirmanda notabiles nuntios in centum quinquaginta equorum numero ex Vngaria in Gallias destinaverat, matrimonium huiusmodi conclusuros. Sed cassus fuit eorum adventus, iam enim praefatus Dux Aurelianensis, de ducenda filia Ducis Mediolani contractum solennem fecerat. Praeterea autem praefatae Elizabeth Poloniae et Vngariae Reginae nonnulli Pannoniorum Barones, qui partes Sigismundi Marchionis fovebant, habentes molestam, praefatam Reginam aut capere, aut Regno pellere nitebantur, quae sibi consulens, in castrum firmissimum cum eadem filia Maria Sigismundi Marchionis sponsa se recepit. Divisionem autem tam monstruosam in Regno Vngariae exortam, Carolus de Duratio Siciliae Rex intelligens, occupare Regnum Vngariae modis omnibus Regno Siciliae parum contentus, in animum induxit, et contra iusiurandum quod Ludovico tunc Vngariae et Poloniae Regi viventi praestiterat, ne videlicet ullo tempore in praeiudicium filiarum suarum Mariae et Hedvigis Regna Poloniae et Vngariae ambiret, veniens, factus insuper immemor beneficiorum eiusdem Ludovici Regis, cuius gentibus et armis et sumptibus Regnum Siciliae conquisiverat, cum magna militum comitiva de ipso Siciliae Regno in Vngariam properavit, sive sua sponte et arbitrio, sive secundum aliorum assertionem per dictam Reginam Elizabeth accersitus, Atque illuc perveniens, faventibus sibi nonnullis Baronibus Vngaricis, ut est illa gens parcialitatibus dedita, se in Regem Vngariae coronari fecit; Cuius coronationem Elizabeth Regina moleste ferens, verebatur enim filiarum suarum Mariae et Hedvigis de Regno Vngariae exclusionem, multiplicibus insuper nuncijs et persuasionibus Venceslai Romanorum et pro ea tempestate Bohemiae Regis, culpam et facinus germani sui Marchionis Brandeburgensis Sigismundi diluentis, et omnium repromittentis emendationem errorum, Elisabeth Vngariae Regina Ludovici relicta, expugnata, singula errata, quibus in eam Sigismundus Marchio deliquerat, relaxans, eum sibi reconciliat, et revocat ex Bohemia reconciliatum, Non enim filiae suae Mariae posse videbatur coniungi legittimum alium virum cum qua Sigismundus Marchio per verba de praesenti contraxerat, Suadendi et Carolo de pace, quem pro Regno Vngariae regendo acciverat, Baroni Ungarico Forhacz curam mandat, Qui cum non aliter se illum, nisi obtruncationi capitali evasurum respondisset, Nihil, inquit, Regina ad me attinet, quo modo illum evadas, dum illius onere me liberes. Uno autem mane Forhacz Baro ad Carolum se parat, et in suum cubile, gladio exerto, quasi iocabundus, iocari enim cum Carolo solitus erat, ingressus, fingens arte iocum et insaniam quo facilius destinatum exequeretur scelus, Carolum nihil tale suspicatum, et sibi applaudentem in lecto apud Budam obtruncat, Pro quo facinore ipse et posteritas sua castro notabili Gimel donatus est, et matrimonium per Sigismundum Marchionem cum Maria filia Ludovici innovatum et consumatum. Alijs placet dolo Reginae Elizabeth et Forhacz Carolum in cubiculo percussum, inde ad castellum quoddam abductum, cum vulnus haud letale esset, veneno interemptum, praedictoq; Forhacz pro huiusmodi occisionis scelere castrum notabile Gimes prope Nitriam Ungariae perpetuo donavit, et inscripsit. Audiens autem Margaritha Siciliae Regina maritum suum in Ungariae Regem fuisse coronatum, solenni curia, in Neapoli in Contrata quae Regula vulgariter nuncupatur, instituta, chorias et hastiludia spectare coepit. Verum interim illi lugubris nuncius cum literis alatus est, significans maritum suum Carolum Regem apud Panonias trucidatum esse; Quo intellecto et divulgato celebris illa solennitas velut fumus disparuit, et omnibus a tam solenni officio ad luctum conversis, Margaritha Regina pro muliebri more fletibus indulgens, filium unicum superstitem Ladislaum ad ulciscendam indignam patris mortem multifarie hortabatur. Sed nec Forhacz praedictus sugillatione solenni, ex occisione Caroli de Duracio Regis Napuliae et tunc inusta caruit, stirps quoq; sua caret. Quoties enim ab eo tempore usq; nunc ipse Forhacz veniebat, sive etiam stirps sua nunc venit, in Regiam, toties in detestationem sui facinoris tunc in Carolum commissi, gladius Regius de vagina exeritur, et nudus coram Ungariae Rege vibratusq; portatur, quousq; ipse Forhacz aut aliquis ex genere suo aulam fuerit ad plenum egressus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS OCTUAGESIMUS SEXTUS

Regnum Poloniae et connubium Hedvigis Reginae suscepturus Jagello Magnus Dux Litthuaniae, cum fratribus suis et comitatu grandi, quadrigijs insuper thesauros suos et plurimam rerum variarum suppellectilem ferentibus, Poloniam advenit, Et conducentibus eum Poloniae Legatis, primum Lublinense Oppidum ingressus, aliquot diebus ex composito, ut fama adventus sui apud Polonorum primates vulgaretur, illic mansit, Ex Lublin vero gravi et tardo gradu versus Cracoviam tendebat. Paucis autem admodum Baronibus Poloniae occursu suo illum, inter quos Spytho de Melstyn Palatinus Cracoviensis praecipuus erat, et de cuius adventu Jagello Dux enixius gratulabatur, excipientibus, frequens et subitus Praelatorum et Baronum Poloniae ad Hedvigim Reginam in Cracoviam fiebat concursus, A quibus summa cura, summo studio precata, ut magno fidei fructu, qui principaliter a Polonis quaerebatur, pensato, barbari Principis non fastidiret coniugium, diu et graviter propter superius foedus cum Vilhelmo ictum, reluctabatur. Mittit tandem familiariorem et secretum suum Nunciū Zawissium de Olesnicza in Ducis Jagellonis occursum, mandans ut viso eo et forma sua staturaque quam clarius videat, et fideliter eius formam, staturam, et mores enarret, caveatque ne munus aliquod a Duce Jagellone accipiat. Non ignarus Jagello Dux pro digno secunda forma et proportione sui corporis, quam multorum falsa relatio turpem esse confinxerat, Legatum a Regina ad se missum, comiter illum et humane excepit, Et quo plenius non formam solum, sed et singula sui corporis lineamenta exploraret, ad balnea secum duxit. Qui omnibus ad sacietatem visis et contemplatis, muneribus insuper quae a Jagellone ingerebantur neglectis, ad Hedvigim Reginam reversus, corpus Ducis Jagellonis gracile, venustum, et proporcionatum, formam mediocrem, vultum hilarem, faciem oblongam, nulla tamen turpitudine notatam, mores graves et Principe dignos renunciat, et Hedvigis Reginae anxietatem de agresti et deformi Jagellonis Ducis corpore dudum conceptam dissolvit. Mitigato leniterque Hedvigis Reginae maerore, a pluribus Poloniae Baronibus Duci Jagelloni obviam itum est, et ampliori animorum concordia, favoreque singulae res tractari coeptae. Transmisit autem Jagello Dux ex Sandomiria Demetrium de Goray Regni Poloniae vicethesaurarium, qui illi cum caeteris Poloniae Baronibus iam occurrerat, in Prussiam, petens et invitans Conradum Czolner Prussiae sicut Magistrum, quatenus personaliter Cracoviam adveniat, et ipsum Baptismatis unda a spurcitiis barbaricis diluendum de fonte levet, et tam Coronationis suae quam nuptiarum intersit solenniis. Ex Sendomiria deinde egressus die Martis duodecima Februarii Cracoviam non tam Lithuanis et Ruthenis quam Baronum Poloniae multitudine comitatus, cum ingenti gloria et pompa Cracoviam ingressus est, et in Castrum Cracoviense perductus, primum Hedvigim Reginam in thalamo suo cum frequenti virginum et matronarum numero consistentem adit, excipit, et invitat. Cuius speciem et decorem et contemplans et admirans, neque enim ea tempestate in orbe universo parem in pulchritudine estimata est habuisse, altero die illi magnae estimationis dona, in auro, argento, gemmis, vestibusque per Vithaudum, Borzibos, et Switrigalonem Duces transmittit. Iam enim Vithaudus Dux fratri Jagelloni reconciliatus ex Prussia redierat

Ferunt et sub eodem tempore Vuilhelmum Ducem Austriae ex Austria in Cracoviam sub habitu dissimulato mercatoris, non sine amicitia Hedvigis Poloniae Reginae clandestine advenisse, et per omne tempus quo Vladislaus Rex Poloniae Cracoviae morabatur, aut in Lobzow castello, in regia villa, aut in aede Morsztin paucis consciis latuisse. Dumque aedes Morsztin a sollicitis et industriosis perquirerentur scrutatoribus, in camini interiora ad tegmina ad id praeparata abscondisse, et sic investigatores fefellisse Regios, Considerans autem Vuilhelmus praefatus se Regnum Poloniae et Hedvigim Reginam recuperare non posse, Joannam filiam olim Caroli de Duratio et sororem Ladislai Regis Siciliae accepit in uxorem, cum qua brevi tempore commanens, decessit. Quae ad Regnum Siciliae reversa post plures viduitatis annos, Jacobo Comiti Marchiae in Regno Neapolitano nupsit

Sollicitudine deinde et cura multiplici tam Praelatorum quam Baronum Poloniae Hedvigis Regina obsecrata, rogata, et tandem saluberrimo consilio atque suasu, ostendentium ad sponsalia cum Vuilhelmo Austriae Duce in anno et tempore impuberi contracta, eam minime teneri, expugnata est, ut priori foedere irritato, nuberet Duci Jagelloni Lithuaniae; non voluptatis aut libidinis explendae causa, sed fidei Orthodoxae amplitudinem et Christianorum quietem procuratura, consentiret. Eo itaque consensu, apud illam obtento, die Jovis quarta decima Februarii alias festo

Sancti Valentini, Dux magnus Litthuaniae Jagiello primum, deinde fratres sui Litthuaniae Duces, Boyari, et Nobiles in fide Catholica et eius articulis ad legendum edocti, fidem Sanctam Orthodoxam gentili errore abiecto profitentur, et suscipiunt, et in Ecclesia Cracoviensi per Bodzantam Gnesnensem Archiepiscopum, Joannem Cracoviensem Episcopum, cum magna alacritate baptizantur. Abrogatisque barbaricis nominibus, Duci Magno Jagielloni, principum Poloniae praenomen Vuladislaus, item Viguntho Alexander, Corygaloni Casimirus, Switrigeloni Boleslaus, aptata impositaque sunt. Reliqui Litthuaniae Duces fratres Ducis Jagiellonis quia dudum ante, Graecorum ritu, baptisma sortiti fuerunt, ad iterandum, vel ut significantiori verbo utar, ad supplendum Baptisma non poterant induci. Principali autem et primarium Sacramentum Vuladislaus aliâs Jagiello Dux adeptus, die vicesimo eodem alterum sortitus est, et in praedicta Cracoviensi Ecclesia cum virgine decora et insigni Hedvigi Poloniae Regina, moribus ne incertum est an forma venustiore, per Bodzanthae Gnesnensis Archiepiscopi ministerium, matrimonium per verba de praesenti contraxit. Terrasque Litthuaniae, Samogitiae, et Russiae, in quibus habebat naturali iure et acquisito dominium merum et mixtum, detiom suae parentis Regno Poloniae perpetuo inseruisset, univit, inuisceravit, adiunxit, et incorporavit. Ac earum populos se baptizaturum et ad fidem Orthodoxam reducturum iureiurando astrinxit, Et quamvis praefatus Vuladislaus Poloniae Rex, Procerum et Optimatum Poloniae consilio et persuasione instigaretur, ut e charactere Christiano, bino ante quam Regio se insigniri permitteret, dissensit tamen, et denuo baptismatis absque Regio suscipere detrectavit, collisionem veritus. Ferunt et Hedvigim Reginam ne suo iungeretur connubio, diutius obluctatam, et vix tandem prece Optimatum ad consentiendum inductam fuisse, probe enim noverat matrimonium secundum contrahendum, priori obstante, legittimum fieri non posse, Facinus quoque adulterij exhorrescens, alterius nuptijs suam contaminare pudicitiam amarius morte putabat. Neque enim a plurimorum notitia sciebat ignoratum, quod cum praefato Vuilhelmo Austriae Duci, post contracta de praesenti sponsalia, quindecim diebus in thoro, carnali copula etiam subsequunta, manserat. Timor quoque et vis conscientiae mentem suam quasi quodam exagitantes terrebant. Ex eo insuper fulmine a pro ceribus Polonis, pro ea tempestate, in contemptum Christianae religionis patrato, qui Catholico Principi Vuilhelmo Austriae Duci a legittima uxore ignominiose exclusa, faeminam renitentem Jagelloni barbaro, non abhorrendo adulterij facinus, iungi procuraverat, Creditus est omnipotens ultionum Dominus, pluribus flagellis Polonos per inordinatum regimen, et Regis Litthuanis quam Polonis propensius faventis plurimum afflixisse.

Duobus Sacramentis Vuladislaus aliâs Jagello Magnus Litthuanorum Dux, pro Regno Poloniae consequendo, die uno initiatus, rursus die quarto Solis videlicet decima septima Februarij quae in Dominicam Quinquagesimae cadebat, ad percipiendum coronationis et unctionis insigne, quod solis Regibus praestari solet, ex thalamo cum ingenti gloria et solennitate et Ducum militariumq ac populi multitudine copiosa procedens, in Cracoviensem Ecclesiam advenit. Ubi sponsa sua nobilissima Hedvigi Regina praesente, spectanteq, novo Diademate ex auro et gemmis pridem fabricato, cum vetus et priscum Ludovicus Ungariae et Poloniae Rex, praecavens ne quisquam alius quam prolis sua in Poloniae Regnum succederet, in Ungariam transtulisset, per Gnesnensem Archiepiscopum Bodzantham, assistentibus sibi Joanne Cracoviensi, et Dobrogostio Posnaniensi Episcopis, in Poloniae Regem unctus et coronatus est, et ex gente Litthuanorum primus apud Polonos et eorum favore, sub uno et eodem tempore tria amplissima decora, quod nemini praedecessori contigisse, Sacrum Baptisma, splendidissimū matrimonium, et nobile Diadema consequutus, Quae quidem ornamenta pro eo feliciora magis iudicanda sunt, quod proprijs et naturalibus Poloniae Principibus, a Catholicis parentibus genitis durantibus, divina permissione, propter eorum excessus et demerita reprobatis et neglectis, in barbarum et alienum principem collata. Quae quidem Principum et Regum naturaliū mutatio quantum accessionem terrarum profecit, tantum destructioni introitum novit Regalium. Temperati siquidem nobilitatis Polonicae ea cupidine in eam dum mores, tum primum Vuladislao Litthuano regnante consurgere et se erigere ceperunt, Regnū Poloniae impetrationibus immoderatis lacerare, quousq in nostra tempora, minus virtutis plus ambitionis habentia, ventum est, et Regij omnes sibi sumptibus, omnibus introitibus publicis et privatis, quousque ad Sedis Pontificalis caeteraque minutiora beneficia devenitur, adempti. Sub eo itaque tempore stirps et progenies Regum Poloniae, quae a Pyasto Melliceda ortum habuit, sceptrum et Diadema amisit, et illa cadente Litthuanica natio ex Romano sanguine ortum trahens successit, ut non glorietur nisi in patre luminum omnis caro, qui glorificat glorificantes se, et qui illum contemnunt, erunt ignobiles.

Altero coronationis die, Vuladislaus secundus Poloniae Rex iuxta vetustum ritum, Cracoviensi civitate et eius circo in apparatu Regio peragrata, in throno ad praetorium civitatis, in propatulo ad id specialiter erecto, consedit, et a Magistro civium, Consulibus et universa Cracoviensi civitate Omagium accepit. In arcem vero Cracoviensem reversus tertia die nuptiarum solennitatem, diebus pluribus, sub quibus sagittarum et gladiatorij ludi et choreae plaususque celebrantur, excepit. Sub idem autem tempus Conradus Czolner Prussiae Magister, futuram amplitudinem et Regni Poloniae, et terrarum Litthuaniae ex mutuo glutinio et foedere vario livore et suspicationibus astu, ne sibi et Ordini suo fatalis fieret, pertaesus, invitationem per Demetrium de Goray, ut et Vuladislaum Poloniae Regem de fonte levaret baptismatis, coronationis quoque suae et nuptiarum adesset solennijs, habens ostentui Pruthenico et Livonico exercitu congregato, agmine duplici Litthuaniae terras, ex quibus noverat et Jagellonem magnum Ducem, et caeteros Duces fratres suos, principalioresque Barones et milites versus Cracoviam discessisse ingreditur. Habens in sua comitiva germanum Jagellonis Magni Ducis Andream, ritum Ruthenorum professum, qui ad Cruciferos confugerat summa rerum apud Litthuanos et Ruthenos potiri, Cruciferorum auxilio aestuabat, quem temporis processu Vuladislaus Poloniae Rex captum, et in castro Chanciny carceres et vincula pati coactum, velut pestem communem integro triennio multavit. Conradus autem Czolner Prussiae Magister Litthuaniae terram vacuam et desertam reperiens, vastationem eius dispartitis agminibus iussit latius extendi, et in crucis modum atque gyrum eam praedis et incendijs vastavit. Castrum insuper Lukomlya Litthuanicum impugnatum conquirit, et dat illud Duci Andreae in possessionem et tenutam. Poloczenses quoque ab obedientia Vuladislai Regis et fratrum suorum desciscunt, et tam regimen suum quam arcem Duci Andreae dedunt, Quibus Vuladislaus Poloniae Rex cognitis, Skirgallonem germanum et Vitoldum

patruelem

patruelesq fratres, plures numero Polonorum milites eis adiungens, in Litthuaniam resistentiam Cruciferis facturos mittit. Qui dum Saxis vastatione facta in Prussiam redisse comperissent, directiori itinere ad castrum Lukomlya contendunt, et infra dies paucos expugnatum, praesidium inibi Andreae Ducis et Cruciferorum eruunt, captivant, et trucidant, Polocensem postea regionem, quae a fide defecerat, aggressi, neque Cruciferis, neque Duci Andreae faventibus Polocensibus opem, Polocensis ingratam, defectionis authoribus servi perpessi verterunt

Singulos autem primorum Poloniae Wladislaus Poloniae Rex liberalibus donationibus, coronatione sua perfecta, remunerans, in Spithconem de Melsztyn Palatinum Cracoviensem profusiori donatione usus, Sandalia illi sua gemmis, auro, margaritis, unionibus, et lapidibus preciosis superba donat. Hunc enim crediderat vocationem suam in Regnum Poloniae et Coronationem operosiusq quam caeteros procurasse.

Sub idem tempus Dux maior Smolnensis Swyeczslaus cum duobus filijs diem obijt

Circa Quadragesimae medium Wladislaus Secundus Poloniae Rex ex Cracovia descendens in oram maioris Poloniae una cum nova sponsa Hedwigi Regina, ad rescindendas seditiones et guerras civiles diuturno tempore illic radicatas, Praelatis et Baronibus maioris Poloniae summopere id precantibus, armatos milites ex Cracoviensibus et Sendomiriensibus partibus, quo facilius seditionum authores opprimi possent, secum ducens, contendit. Dum autem apud Gneznam consisteret, et a Laicis suggestus, stationem seu procurationem a Canonico Gnesnensi requireret, Capitulo quoq negante, villas Capitulares pignoravit, atq ob id pignorati Coloni cum coniugibus et liberis Gneznam venientes in fletus et lacrymas resoluti clamores plurimos ederent, Nicolaus Strozberg natione Polonus ex Posnania ortus, Praepositus Gnesnensis, posito ob eam rem interdicto, ex Gnezna recessit. Quo malo Hedwigis Regina commota, errore Regis correcto, singula pignora restituit, et interdictum solvi procuravit. Ferturq tunc in amaritudine pectoris sui dixisse, etsi pignora colonis reddidimus, quis illis effusas lacrymas restituet? Pascha autem Domini apud Posnaniam celebrato, primum guerram quae inter Domaratum de Pierzchno Castellanum Posnaniensem et Grzymalitas ab una, et Vincentium Palatinum Posnaniensem, Swidwam de Szamotuly Castellanum Nakelensem, caeterosq Naleczytas partibus ab altera non sine pernicie communi agebatur, extinguit, et dissidentibus pacificatis tificatis, Gnesnensis et Posnaniensis Ecclesiarum bona, quę occupabant, iustis dominis restituit. Joannem Krwawidyabel Haeredem de Venetiis Iudicem Posnaniensem, qui ob impias transgressiones et opera Krwawy Dyabel id est cruentus Sathan appellabatur, genere et familia Pomya notam, sententiis diffinitionibus suis iniquissimis, quibus plures numero iustos et innocentes, eorum haereditariis possessionibus privaverat, retractatis, et quem constabat multa exsecranda facinora commisisse, haereditariis bonis mulctatum in carcerem quem annis pluribus perpessus est coniecit. Bartossium Odolanowski Haeredem de Coszmin, qui et ipse plurimarum seditionum et bellorum civilium fax et origo erat, ad praesentiam sui venire detrectantem, de Regno effugat, et proscribit, et castrum Odolanow in suam Regiam redegit ditionem, brevique tempore guerrarum civilium structoribus penitus enervatis, maioris Polonię oram in pacis optatę amoenitatem, pluribus etiam munitionibus demolitis vindicat, omnique in ordinandis et componendis rebus, quę guerris et seditionibus domesticis afflicta et deformata erant, apud Maiorem Poloniam consumit tempus Autumni et ęstatis. Insignis is apud Polonos annus, Litthuanię Samogitięque terrarum, quę quondam hostiles et infestę erant, accessione, et propriarum a Lituania et domestica guerra quietatione, et quod super omnia excellit et supergreditur Principes exteri et barbari, naturalibusque et propriis abrogatis, mutarunt.

Ianua relicta Vrbanus Papa Sextus de mense Decembri, navali itinere Lucam adveniens, novem menses illic exegit, ubi per Nuncios Regum, Principum, et Praelatorum Germanię, Polonię et Ungarię sollicite rogabatur, quatenus adunandam Ecclesiam Dei intenderet, pertinaci contumacia respondebat se verum Papam esse, nec quenquam posse aliter sentire.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS SEPTIMVS

Gentem et regionem Litthuaniam Vladislaus Polonię Rex, quemadmodum in foedere cum Regno Polonię et Hedvigi Regina icto, iureiurando se astrinxerat, ab idolatria et superstitione gentili ad cultum unius veri Dei et religionem fidei Orthodoxę reducturus, prę cunctis mentis suę desiderabilibus, Catholicę fidei affectans incrementum, Bodzantha Gnesnensi Archiepiscopo, et pluribus viris

Ecclesiasticis, Religiosis et exemplaribus ex Regno Poloniae, quorum doctrina, cura, et opera, Christiana religio apud gentem prophanis ritibus deditam seri et florere posset assumptis, Litthuaniam ire pergit, apud quam Christus hactenus fuit incognitus et invisus. Non contentus autem Ecclesiasticis viris, Hedvigim Reginam, novam patriam, novamque regionem, et gentem sui coniugis visuram, item Semovitum et Joannem Mazoviae, Conradum Olesznicensem Duces, Bartossium de Vyszemburg Palatinum Posnaniensem, Crystinum de Cozieglowy Sandeczensem, Nicolaum de Ossolin Visliciensem, Zaklikam de Myedzygorze Cancellarium, Nicolaum de Moszkorzow Vicecancellarium Regni Poloniae, Vulodkonem de Charbinowicze Pincernam, Spitkonem de Tarnow Succamerarium, et Domkonem Subpincernam Cracoviensem, pluresque alios Poloniae Barones et milites secum ducit. Cum autem Litthuaniam perventum esset, conventum pro die Cinerum apud Vilnam agit, Quò cum fratres Regij Skirgallo Trocensis, Vuitaudus Grodnensis, Vulodimirus Kyoviensis, Corybuth Novogrodensis Duces, et militum populariumque frequens numerus Regio iussu convenisset, pluribus diebus a Vuladislao Poloniae Rege, adiuvantibus illum Catholicis Ducibus qui convenerant, apud milites et populares laboratum est, ut falsis Dijs quos hactenus vano gentilium errore decepti colebant abiectis, unum verum Deum, eiusque Christianam religionem venerari, credere, et colere consentirent. Reluctantibus barbaris et se suaque numina (erant autem hac praecipua, ignis, quem credebant perpetuum, qui per Sacerdotes subiectis lignis nocte atque interdiu adorabatur, Syluae quas putabant sacrosanctas, et aspides serpentesque in quibus Deos habitare et latere credebant) impium et temerarium contra maiorum instituta deserere, et pessundare asserentibus, Vuladyslaus Rex ignem qui perpetuus ab illis putabatur, in Vilnensi civitate, quae caput et Metropolis gentis erat, servatum, et a Sacerdote qui eorum lingua Zincz appellabatur, et qui supplicantibus et de futuro rerum eventu, numen consulentibus, falsa edebat, quasi hac a numine accepisset, responsa, custoditum, et sedula lignorum adiectione nutritum, barbaris inspectantibus, extingui, et templum et aram in quibus hostiarum fiebat immolatio disrumpi, Syluas insuper quae sacrosancta putabantur succidi, et lucos earum confringi, aspides insuper et serpentes, quae et qui in singulis domibus velut penates Dij reperiebantur, interfici et necari, barbaris fletibus tantum modo et lamentis, falsorum suorum Deorum et numinum ruinam, cladem et exterminium, cum mussitare contra Regis imperium non auderent, prosequentibus, disposuit. Confractis autem et exterminatis idolis, dum Deorum suorum falsitatem, a quibus hactenus se ludificatos intellexerunt, oculis pervidissent, universa Litthuanorum gens et natio fidem Christianam suscipere, et vetusto errori renunciare, prona et obediente denotatione consensit. Per dies autem aliquot de articulis fidei quos credere oportet, et Oratione Dominica, atque Symbolo per Sacerdotes Polonorum, magis tamen per Vuladislai Regis, qui linguam gentis noverat, et cui facilius assentiebatur, edocta, sacra Baptismatis unda renata est, largiente pio Rege Vuladislao singulis ex popularium numero, post susceptum Baptisma ex panno de Polonia adducto novas vestes, tunicas, et indumenta. Qua quidem provida liberalitate et largitione efferet, ut rudis illa natio et pannis lineis in eam diem contenta, fama huiusmodi liberalitatis vulgata, pro consequendis laneis catervatim ad suscipiendum Baptisma ex omni regione accurrerit. Et quoniam labor immensus erat, unumquemque credentium baptisare singillatim, concurrentibus ad Baptisma, populi Litthuanici utriusque sexus multitudo, mandante Rege segregabatur in turmas et cuneos, et universis de qualibet turmarum benedicta aqua sufficienter conspersis, cuilibet etiam turmae et universis qui in ea constiterant, nomen Christianum et usitatum, abrogatis barbaricis, videlicet primae turmae Petrus, secundae Paulus, tertiae Joannes, quartae Jacobus, quintae Stanislaus, Feminis vero quae et ipsae proprias faciebant turmas, competentia nomina Catherina, Margaretha, Dorothea, iuxta numerum et quantitatem turmarum imponebatur. Militaribus tamen et natu maioribus specialiter impendebatur Baptismus, qui et ipsi cum consortibus, parvulis, et cognatis, sacrum Baptisma suscepturi, et Christianae fidei articulos cognituri, Vilnam certatim ruebant, De quibus omnibus Christianissimus Rex a Summo Pontifice Urbano Papa sexto commendatus est per huiusmodi scripta

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei

Charissimo in Christo filio Vuladislao Regi Poloniae Illustri, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Gaudemus in domino fili charissime, et de tanto lucrifacto filio paternus animus iocundatur. Gaudemus inquam fili et laetamur cum illuminator omnium gentium, candor lucis aeternae, suae lumina gratiae, tuo et tuorum cordibus per dominum Christum natum clementer infudit. Ex hoc enim altissimo vota persolvimus laborum, quod Sponsam nostram Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam, quae te in aqua regeneravit, et Spiritu, nova semper prole multiplicat tepescerat, et propagatione fidei Orthodoxae facundat, de tenebris ad lucem reducens filios, et evocans de Aegypto, ut Deum Deorum in Sion contemplentur. Sane fili charissime nuper venerabili fratre nostro Dobrogostio Episcopo Posnaniensi nobis referente didicimus, quod post susceptum per te regenerationis lavacrum, Consolator omnium personam tuam gratiae suae dono perfudit, sibique grandem animum praebuit ad sua beneplacita prosequenda, quod tu tanquam Princeps Christianissimus eximiae devotionis, et illustribus titulis insignitus, apud Deum et Sedem Apostolicam gerens reverentiam filialem, Ecclesias et personas Ecclesiasticas regio favore prosequeris, et iacentes in tenebris ad lumen veritatis et ~~vit~~ viam cognitionis divini nominis, ardenti sollicitudine revocas, et reducis, prophana daemoniorum, in quibus infidelium animae illudebantur subvertens, et erigens ibidem et construens templa domini ad honorem praedictae Sacrosanctae Romanae Ecclesiae matris tuae, in cuius charitatis visceribus praecipuum locum obtines inter Principes orbis terrae. Euge igitur, ut servus fidelis, fili charissime, qui pro praemissis, pignus nobile terreni videlicet culmen solij, et procul dubio Regni caelestis acquisivisti. Et merito oportet etiam te fili gaudere, qui cum multis perieras, quasi thesaurus absconditus es inventus. Iocundari etiam debent tua praecordia, quod de tuis studijs talia praedicantur, et quod tam charus et tam acceptus in sinu matris Ecclesiae, cum famosi nominis ubertate, recumbis. Ea propter fili charissime, praemissa cum incrementis virtutum continua, id quod accepisti a Domino, lumen fidei firmiter conservans, ac Ecclesias et personas Ecclesiasticas ut caepisti semper habeas in honore, fratres ad fidem revoca, et in tua operationis ministerio Marthae sollicitudinem assumas, et in altitudinem Mariae contemplationis consurgas, ita, ut thesauros perhennis vitae thesaurizes, in superis, et post huius cursum vitae labilis, optimam partem elegisse laeteris, et cum electis quietis beatitudinem merearis. Caeterum fili charissime quod Serenitati tuae aliâs non scripsimus, hoc non provenit ex patris, sed potius ex nunciorum solemnium negligentia per te non missorum, et ex alijs rationabilibus causis, sed nuper praefato veniente Episcopo a te cum obedientia misso, et grate audivimus et expedivimus gratiose. Datum Perusij XV Calend. Maij Pontificatus nostri anno decimo

Satagens autem devotissimus Rex Vladyslaus ut fides per eum in Litthuania plantata robur et incrementa susciperet, in ~~Vil~~ Vilnensi civitate Ecclesiam Cathedralem in benedictae

Trinitatis honorem, et sub titulo Sancti Stanislai Pontificis et Martyris gloriosi et magnifici fundat et erigit, quatenus Poloniæ et Lithuaniæ populi, quos in unionem tam fidei et religionis, quàm ditionis et imperij unionem et gratiam coniunxerat, uno etiam Præsule et patrono gloriarentur. Et assidua memoria nunquam obliteranda recolerent, ex Polonis, et per eorum curam, subducta errorum caligine, fidei lumen sibi et posteris proluxisse. Principalem autem aram in loco ubi ignis, qui falso perpetuus creditus est, accendebatur, constituit, ut error gentilis fieret cunctis patentior. Constituit insuper quatuor in prædicta Vilnensi Ecclesia a se fundata, et per Bodzantham Gnesnensem Archiepiscopum consecrata, Dignitarios et Prælatos, et octo præbendarios et Canonicos, et sufficientem dotem, villas, prædia, introitus, lacus et notabiles possessiones largiendo, qua Episcopus, Prælati, et Canonici sustentari, et congruum statum ducere possent, largitur, donat, inscribit, et assignat. Virumque spectatæ et raræ religionis Andream Vasilo natione Polonum, genere nobilem, de domo accipitrum seu Jastrzambczonum, professione fratrum Ordinis minorum, olim Elizabeth Vngariæ Reginæ Confessorem, et verbi Dei prædicatorem insignem, Episcopum Ceretensem, in Episcopum ordinari et præfici Vilnensem procurat. Cui, ut Pontificalem statum inter Neophitos et rudes populos honestius posset ducere, Ecclesiam Parochialem in Olcawa Gnesnensis Diocesis, quod notabiles introitus habeat, adiungit. Fundat insuper septem Parochiales Ecclesias in locis oportunis et necessarijs videlicet in Volkonaria, Myszosola, Nyemenczam, Myedniky, Crewa, Obolczi, et Hayna. Item præbendam Sancti Martini in castro Vilnensi altiori, et tam Ecclesijs Parochialibus prædictis, quam præbendæ Sancti Martini bona dotalia inscribit et assignat, et in huiusmodi Ecclesijs Præsbiteros Polonos zelum Dei habentes et sacra celebraturos, et populum Lithuanicum in fidei Christi articulisque et ceremonijs eius instructuros relinquit. Sed et Hedwigis Regina fœmina devotissima ac religiosa, primum Cathedralem Vilnensem, deinde Parochiales Ecclesias Lithuanicas, calicibus, libris, monstrantijs, crucibus, imaginibus, casulis, cæterisque ornamentis et clenodijs vestibusque dotalibus implevit, et quanti esset fervoris in Deum, et in amplitudinem suæ religionis in ætate tenera monstravit.

Luciana

Lucana civitate relicta Urbanus Sextus, de mense Septembris Perusium advenit. Ubi anno integro demoratus, postquam temporale illius dominium consequi non poterat, circa medium Augusti ex Perusio discedens, in Narniam venit. In quo itinere mula cui insidebat corruente, vehementer laesus, Perusium videre fastidiens, Tiburtum vehiculo, et exinde Ferentinum, intentione Siciliam intrandi ferebatur. Verum deficientibus ei pecuniis, propositum mutare coactus Romam prima Octobris venit. Ubi extunc per totum illum annum degens, et in revolutione eiusdem anni per viginti octo dies graviter languens dum obijt, multis asserere volentibus, quod sumpto veneno perierit. Et quanquam et pro guerris et frequentibus itineribus grandes sumptus ferret, nunquam tamen proventus Ecclesiarum gravavit, quinimo Simoniam magnopere exhorrens, et beneficia liberaliter conferens, antiquis iuribus Camerae Apostolicae quantumcunque modicis contentabatur. Hic annum Iubilaeum abbreviaturus, de triginta tribus annis, in annos triginta tres ordinavit. Satagens ut anno millesimo trecentesimo octuagesimo nono annus Iubilaeus Romae sicut evenit inciperet, et duraret. quem tamen morte praeventus non vidit. Sedit annis undecim.

Quamvis autem parum constet, cum id nemo Scriptorum reliquerit, qualiter, quomodo, et quando gens Litthuana et Samogitica, in has, quas modo incolit, Septentrionales regiones venerit, aut a qua gente stirpem et genus ducat, verisimilis tamen praesumptio, et Idiomatis ac linguae eorum sonus ac prospectus ex varijs circumstantijs et rerum qualificationibus sumpta ostendit. Litthuanos et Samogitas Latini generis esse, et si non a Romanis saltem ab aliqua gente Latini nominis descendisse, et sub tempore bellorum civilium, quae primum inter Marium et Sillam, deinde inter Iulium Caesarem et Magnum Pompeium eorumque successores efferbuerant, sedibus veteribus et solo patrio cedentes, omnem Italiae oram clade civili perituram, derelictis, in regiones vastas et solitudines solis feris pervias, quae assiduis fere urguntur frigoribus, quae a Scriptoribus titulantur Indagines, ad plagam Septentrionalem cum coniugibus pecore et familijs venisse, et regionem ex patrio et vetusto nomine Litthalia, genti vero Litthali, quae hodie Litthuania ex Polonorum et Ruthenorum immutatione appellatur, vnam tantummodo literam L. quam etiam Italici hominis ſua adijciunt vulgari locutioni præponendo indidiſſe. Eadem quoq; ſacra, eosdem Deos, eosdem ſacrorum ritus, easdem ceremonias, quæ et qui Romanis gentilibus erant ante ſuſceptam fidem coluiſſe, videntur ſacrum ignē et qui falſa credulitate ab illis perpetuus habitus eſt, et in illo Jouem tonantem per virgines Veſtales Romæ cuſtoditum, cuius neglectam extinctionem capite expiabant. Item Sylvas, quas vocabant ſacroſanctas, et quas ferro contingere prophanum et mortiferum erat, omnes ſiquidem illas ferro contingentes et violantes, Sathanæ dolositas et verſutia in manu, oculo, pede, aut aliquo membrorum, vt cultores ſuos in fide ſacrilega contineret, Deo permittente, offendebat, et niſi arietum et vitulorū holocauſtis placati, ſimulatam reddebant ſanitatem. In Sylvisq; huiuſmodi, Deum Siluanum, cæteroſq; Deos, iuxta illud Poeticum, habitarunt Dij quoq; Sylvas, conſiſtere putans. In aſpidibus vero atq; ſerpentibus Deum Eſculapium in forma anguis, pro peſte Epidemiæ grauiter graſſante, ſeruanda, Romani ex Græcia et Epidauro naui aduectum. Talibuſq; et ſimilibus ſacris etſi non ad liquidem Romanos et Italos exprimebant, pro magna parte tamē imitabantur. Erat inſuper Litthuanis ex patrio ritu conſuetudinarium et ceremoniale, dum illos gentilitatis detineret caligo, ad Sylvas, quas ſanctas putauerant, collectis frugibus, ſub principio menſis Octobris cum coniugibus, pignoribus et familijs venire, et Dijs patrijs boues, arietes, vitulos et cætera animalia per triduum in holocauſta et victimas offerre, et oblatis ſacrificatiſq; ſub eodem triduo, vacando comeſſationibus, ludis, et choreis epulari, conuiuari, et veſci libaminibus, vtq; inter omnia præcipuum et ſolenne ſacrificium, quod nemini negligere licebat, habebatur. Ex hoſtilibus quoq; terris, triumphum aut prædas referentes reuerſi, congeriem de lignis et pyra extructa, ad cuius extructionem vnuſquiſq; lignum iaciebat, præſtantiorem et inſigniorē ex captiuis iniicere et conflagrare, exiſtimantes deos ſuos huiusmodi incenſo prophano quam maxime et gratificari et placari, Id ne a maioribus ſuis acceperint, an, vt ſolet, deluſa gentilitas in errore paſſim graſſari, hunc ritum per ſe quæſiuerit, incertum habemus. Mortuos insuper suos quod non Italis et Latinis tantummodo sed et caeteris nationibus legimus fuisse solenne, comburebant. Litthuani tamen cum sylvarum et nemorum abundarent multitudine, habebant speciales sylvas, in quibus singula villa, et quaelibet domus atque familia, speciales focos, decedentium cadavera soliti erant conflagrare. Adiungebantur autem cremando corpori quaeque potiora, equus, bos, vacca, sella, arma, vestis, cingulus, torques, annulus, et simul una cum cadavere, non habito respectu, quod aurea vel argentea forent, cremabantur. In hunc morem Olgerdus filius Gedimini magnus Dux Litthuaniae, et Vladislai Poloniae Regis genitor, in gentilitatis errore fatis absumptus, in sylva Kokiueitsky prope castrum et villam Myszeboly cum equo optimo, togula margaritis et gemmis intexta, veste ostro et auro superba, balteo argenteo deauratoque amictus exustus est. Tam Litthuanicae autem quam Samagiticae gentes gelidissimum Septentrionis axem magna ex parte spectant, adeoque imbre et frigore rigescunt, ut plerosque vis algoris extinguat, multos nasis, quod illic maxime videtur infestior in quem agat, mutilet. Duobus tantummodo mensibus in utraque regione sentitur magis quam habetur aestas, reliqua anni tempora frigore vigent. Coguntur proinde male matura frumenta igni torrere, et artificioso calore illis maturitatem conferre. Terrae autem quas inhabitant, et caeli sub quo aluntur, proprietas, gentis quoque Ruthenicae connectus et commixtio veterum morum et priscam commutavit in plerisque, non tamen in totum sustulit indolem, qui a peregrinis voluptatibus excepti, contagione et alimento, degenerarant, Populationibus incursionibusque quam dimicatione meliores, Litthuanica Regio in annis superioribus adeo contempta, obscura, et vilis, ut Kyovienses Principes ab ea et eius incolis ob egestatem et soli nativi sterilitatem, sola perizomata et subera in signum tantummodo subiectionis exigerent. Vithenensis Dux Litthuanorum rebellionem primus contra Ruthenos induens, et se ipsum Ducem inter populares constituens, astu Principes Russiae aggressus, conflixit. Sensim quoque adeo crevit viribus, ut iugo Principibus Russiae imposito, etiam in tributa eos redigeret sibi pendenda, quae per plures aetates Ruthenis ipse penderat. Magnam partem servitiorum Litthuani retinent, ex quorum concubitu caeteri in eandem sortem generantur.

Nonnulli qui vel tributa vel iudiciorum pœnas, quæ apud illos excessiuæ sunt, dependere nequeunt, ex liberis in seruitutem redacti, aut venundati, numerum seruitiorum indies multiplicant, ministerijsque et sudore seruorum, et suppellectilem congerunt et opes. Avara sua et Principum, veteri disciplina edocti, mira celant fide.

Litthuani, Samagittæ, et Jaczuuingij, licet appellationem diuersam sortiti, et in familias plures diuisi, unum tamen fuere corpus, a Romanis et Italis ducentes genus, et natio longo et diuturno tempore ignobilis et obscura, tunc primum cœpit. Hi, Italorum et Romanorum feruentibus bellis ciuilibus, inter Julium Cæsarem et Pompeium, exules fuere, qui sub tempore huiusmodi bellorum partes Pompeianas secuti, victo primum in campis Pharsalicis, deinde apud Alexandriam in Ægypto, occiso Pompeio, quoniam et proximi nonnulli ex eis erant cognatione Pompeio, et par~~tis~~tibus Pompeij propensius quam cæteri Romani adhærebant, victorem Julium Cæsarem perosi, et veriti ne in eos veluti sibi hostiliores et magis inuisos et suspectiores crudelius sæuiret, Roma cum omni substantia et seruitijs anno conditæ urbis septingentesimo quarto decimo relicta, Septentrionales regiones, apud quas tuti etiam tunc latere possent, concesserunt. Hoc etiam ipsorum appellatione et vocabulo manifestatur, omnes enim illæ gentes Lythalos se vocabant, ex veteri consuetudine Italici sermonis, qua et hactenus in suo vulgari, Italici et communiter utuntur, literam L addendo in præpositione pluribus verbis. Eisdem sacris, Dijsque, Ceremonijs quibus et Romani in errore gentili usi, Vulcanum in igne, Jouem in fulmine, Dianam in syluis, Esculapium in viperis et serpentibus colunt. In ciuitatibus principalibus tenendo ignem quem vocabant et putabant æternum a Sacerdote custoditum, qui etiam a Dæmone instructus, sacrificantibus et petentibus ambigua dabat responsa, Jouem autem in fulmine venerando vulgari suo illum Perrunum quasi percussorem appellabant. Syluas etiam plerasque non secus quam sacrosanctas colebant, quas et intrare, et per detruncationem aut arboris aut frondis violare capitale fuit, detruncator enim frondium, aut syluæ ingressor, aut iugulabatur, a Dæmone, aut in aliqua corporis mutilabatur parte. Viperas insuper et serpentes fere singulorum hominum continebant domus, quibus et nutrimenta præbebant in lacte, et gallos illis velut hostias placationis immolabant. Litthuani enim qui se primum Lythalos, processu vero temporis V. addita et L. mutata in N. ab alijs gentibus Litthuani appellati sunt, domesticis bellis et seditionibus Romae et Italia pulsi, solitudines vastas inter Poloniam, Russiam, Liuoniam, et Prussiam sitas, furtim occupauere, quas ex magnitudine frigoris pro maiori anni parte hibernale gelu premebat. Ibi primum Oppidum Vuilno, quod et in hanc diem caput gentis est, ex nomine Villij Ducis, quo authore et Italiam deseruerant, et regiones illas ingressi fuerant, condidere, Fluminibus quoque circa ea fluentibus. Villia et Vilno ex eiusdem Ducis nomine indidere nomina. Deinde non intercedentibus finitimis, primum pro libito suo iure vsi viuentes, dum germinando excreuissent, terram inferiorem versus Prussiam, quam ex proprietate sermonis sui Samogitiam, quod sonat terra inferior, ad extremum terram Poloniae contiguam, quam Iaroczones vocauerunt, populati sunt, Principes Russiae et Kyouien., profectibus eorum permoti, ipsos, quoniam sylvas eorum ditionis occupassent, ad tributum vile tamen et modestum, in signum tantummodo ditionis et dominij illos coegerunt. Pendebantque pro tributo annis multis ex quercinis frondibus perizomata, cum crassius ab his ob terrae sterilitatem exigi non posset. Sermo his Latinus modica varietate distinctus, qui iam ex commercio gentium vicinarum ad proprietatem vocabulorum Slauonicorum defluxit. Vestis, et abscisio breuis capillorum et barbae olim mores sui, Exercitus partem maiorem ex seruitijs conficiunt, quibus omnia aedificia et officia domestica explent, illasque pro dote generis tribuunt, in quos nimiam austeritatem et parsimoniam plusquam barbaricam exercent. Nunquam vel raro manu mittere soliti, ac per hoc omnibus seruis nascentibus crescit indies eorum numerus. Frequenter insuper et liberi, debitis aut aere alieno nexi, aut iniurijs damnati solutionem facere nequeuntes, in seruorum conditionem retruduntur, quod et plerisque per violentiam, calumniam, aut iniuriam solet prouenire, in nostra praesertim aetatis tempestate, in qua Princeps Litthuaniae principalis, quem illa gentis more maiorum Magnum vocare solent, qua etiam appellatione Pompeius vocitabatur nullam pro oppressis et grauatis opponebat defensionem. Locupletissimus vt quisque est, ita plures in bellum Principi suo armatos praebet. Cibus genti parcus, et castigatus pastillis et offis ex farina formatis coctus igne magis quam aqua torritus. Inter Septentrionales populos obscurissimi, Ruthenorum servituti et tributis vilibus obnoxij, ut cuivis mirum videatur ad tantam eos felicitatem sive per propriam virtutem, sive per finitimorū ignaviam et desidiam provectos, ut imperent nunc Ruthenis, sub quorum imperio annis prope mille veluti servile vulgus fuere. Funera illis gentilitatis tempore non alia fuere quam Italis, omnia enim cadavera cremabant igne, cum his equum, vestem, ac quae viventi serviebant chariora. Nunc illa terra producit ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia, mendosa et parca, natura taciti, arcana sua et suorum Principum silentio tegunt; in liberos lascivi, in Rempublicam suam intensi et studiosi, in libidinem et ebrietatem et assentationem proclivi, sortilegiorum et divinationum studiosi, et rari saltatores, parsimoniae dediti, et in cibo parci, nisi quoties caenarum apparatus et convivia instruunt pro hospitibus et advenis. In caeremonijs et ritibus ad curam rerum divinarum pertinentibus proceribus et Satrapis gentis praecipua etiam vulgo tenuis est. Foeminae eorum gubernationem et incrementa rerum domesticarum et in procurandis cibariorum et victualium et omnifariā staminum quae ex lino texuntur magno studio et cura calent, et ipsae in ebrietatem pronae. Hos Vuithandus Alexander duabus rebus obedienter parentes habuit, sine quibus irritus est et precarius, utraq; similis apud illos omnis principatus, timore quidem quod esset ad poenam pronus, atrox, et immitis, diligentia quoq; quod in expeditionibus, et in expediendis singulorum necessitatibus erat celer, munificus, et magnanimus

Tanta autem diligentia et tam ferventi atq; sollicita devotione Vuladislaus Poloniae Rex in plantanda fundandaq; in Litthuanis fide et religione Orthodoxa tenebatur ut Hedvigi Regina ad Poloniam remissa, anno integro Litthuaniae versaretur, Regiones, oppida, villas, et quaeq; rura per se adiens, et nondum baptisatos ad culturam veri Dei perliciens, pertrahensq;, et sacra unda per seipsum, et Duces, Baronesq; atq; Sacerdotes Poloniae baptisans, sanctis monitis et salutiferis dogmatibus instruens, ac in pluribus locis Ecclesias, Oratoria, et loca sacra aedificans, erigens, dotans atq; fundans,

ut

Vt non immerito Litthuanicæ gentis conuersor et Apostolus posset censeri. Dedit et tunc Religiosus Rex in fidei fauorem publicas constitutiones atq; edicta, easq; autenticis literis sanciuit, vt Ruthenorum, Schismaticorum et Romanæ Ecclesiæ non auscultantium Litthuani fideles et Catholici vitent et detestentur connubia, quæ si contraxerint, mandauit vxorem Ruthenam fidem fidelis mariti, et Ruthenum maritum fidem fidelis vxoris sequi et profiteri, ritu Græco penitus omisso, oportere, et ad id illos corporali mulcta impelli. Bona insuper Ecclesiarum habita et habenda ab omnibus tributis, datijs, collectis, seruitijs, expeditionibus, stationibus, et contributionibus, et quibuscunq; grauaminibus ordinarijs et extraordinarijs libera perpetuo esse decreuit.

Vltima Decembris Joanna Bohemiæ Regina consors Venceslai Romanorum et Bohemiæ Regis, et filia Alberti Bauariæ et Olandiæ Ducis moritur, et in Ecclesia maiori Pragensi sepelitur

Ramis Palmarum Dominus dux Sigismundus Brandeburgensis Marchio, et Reginæ Elizabeth Vngariæ Ludouici relictæ, et omnium tam Ecclesiasticorum quam procerum Vngariæ primorum approbatione, consensu, et Decreto, apud Albam Regalem in Regem Vngariæ per Archiepiscopum Strigoniensem Dionisium inungitur, et coronatur. Post paucos vero dies Elizabeth Regina et Maria filia sua a Baronibus Vngariæ comprehensæ et vsq; ad Slauoniam Vngariæ deductæ, et in quodam castro firmissimo velut captiuæ habitæ sunt, donec Sigismundus Rex liberaturus illas castrum prædictum potenter obsedit. Sub qua obsidione Elizabeth Regina ab obsessis iugulata, et extra fenestras dicti castri suspensa est, Maria vero vna suo Sigismundo reddita. In vltionem autem socrus suæ Sigismundus Rex triginta duos notabiles Vngaros mortis suæ conscios vna die publico damnauit gladio, cæteros banniuit, proscripsit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS OCTAVVS.

Celebrato apud novam Vilnensem Ecclesiam Cathedralem, Nativitatis die, Vladislaus Poloniæ Rex, Ducibus et Baronibus tam Polonis, quam Litthuanis comitatus, primum in Vitebsko deinde in Polozko regiones Russiæ divertit. Pluribusque diebus illic immoratus, seditiosos motus, qui insurgere nunciabantur, oppressit, extinxitque, sed et seditionis capita carcere et bonorum confiscatione mulctavit. Ad Litthuaniæ deinde oras reversus, composito et ordinato earum statu, constitutoque fratre germano Skirgallone pro Principali Duce, ut summæ rerum in Litthuania præesset, cui singulos alios Duces parere iussit, data insuper sorore germana Alexandra nomine quæ ante baptismum aliud habuit nomen, Duci Semovito Masoviæ, Danutha vero quæ fide suscepta Anna vocata est, sorore Ducis Vuithaudi germana, Janussio altero Masoviæ Duci in consortes, nuptiisque utrorumque apud Vilnam celebratis, in Poloniæ Regnum divertit. Et apud Luczham itinere huiusmodi declinans, castrum Luczsko et omnem regionem ad illa pertinentem Crzeslao de Curoszwanki Castellano Sendomiriensi, quatenus illud suo et Regni Poloniæ nomine gubernaret, contulit in tenutam. Sororis autem suæ Alexandræ maritum Semovitum Masoviæ Ducem, quem noverat ad succedendum in Regem et Regnum Poloniæ iure naturali et per electionem quæsitum habuisse, volens efficere super adempto Regno placatum, Radomiensem terram pro dote perpetua donatione largiturum se illi astringit. Verum cum donationem huiusmodi Barones et milites Poloniæ intelligerent nullatenus toleraturos, terram Belsensem uberrima gleba fecundam, aquis, stagnis et pascuis irriguam, et omnibus conditionibus Radomiensi superiorem non sine Regni Poloniæ, cuius erat terra proprietaria multo sanguine quæsita, gravamine, et præiudicio, perpetua donatione dotis nomine largitur, confert, et inscribit, iniuriam adempti Poloniæ Regni, huiusmodi donatione illi compensans. Ad Regnum posthac Poloniæ reversus, denunciante sibi Gniewossio de Dalewicze Succamerario Cracoviensi, Vuilhelmum Austriæ Ducem secrete Cracoviam introivisse, et sub diebus aliquot, quibus illic immoratus est, clandestinos tractatus cum Hedvigi Regina habuisse, in Hedvigim Reginam falsis quæstionibus accusatam, iras Zelotypiæ vertit. Quæ tandem, prudenti et sollicita Baronum interpositione, simultates huiusmodi inter coniuges exercantium, fuere extinctæ

Mortuo ut praemisimus Urbano Sexto, et in Ecclesia Sancti Petri sepulto, Cardinales conclave ingressi, Petrum de Thomarellis Cardinalem, concorditer in Papam elegerunt, qui Bonifacius decimus appellatus, et in festo Beati Martini coronatus est. Vir procerae staturae, ac decorus faciei, natione Neapolitanus, quadragesimum quintum aetatis tunc agens annum, scribendi et cantandi inscius, ignorans insuper Pontificalis officij gravitatem, in avaritiam et Simoniam proclivis. Et licet Simoniam per annos septem, bonorum Cardinalium reprehensionem veritus, publice exercere ausus non fuerit, bonis tamen Cardinalibus obeuntibus, publice illam practicare coepit, exigens a vacantibus Ecclesijs et Monasterijs anni primi integros fructus, et beneficia vacantia pluribus personis vendens. Hic paulo post, quam assumptus fuit in Papam, Ladislaum filium Caroli de Duracio in decimo septimo anno constitutum in Sicilia Regem coronari fecit, patrem vero suum Carolum in Pannonijs occisum, nec dum tunc sepultum, absolvit. Roberti Ducis Bavariae Comitis Palatini Rheni electionem ad Regnum Romanorum per Archiepiscopos, Maguntinensem, Coloniensem, Treverensem in praejudicium Venceslai Romanorum et Bohemiae Regis factam approbavit, promittens publice Apostolicos se illi favores contra Venceslaum impensurum.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS OCTVAGESIMVS NONVS

Ordo et status terrarum Litthuaniae et Samogitiae, in quibus illas Vladislaus Poloniae Rex in Poloniae Regnum reversurus, providentia industria reliquerat, eo abeunte, mox collidi et labefactari coepit, tum ex pluralitate Principum, tum ex Skirgallonis germani Vladislai Regis ab una Throcensis, et Vuitoldi patruelis fratrum Grodnensis, Ducum, veteri et recenti aemulatione; Quae sensim serpens adeo invaluerat, ut unus alterum gravissimo odio, iuxta ac si infestum et capitalem hostem, persequeretur. Erat enim Skirgallo Trocensis Dux audax et ferox natura, arte manu et lingua ad omnia promptus, [illegible] ducibus omnibus, nisi illam assidua ebrietati ad vilitatem et sui contemptum redegisset, plerosque mortalium, et eos praecipue, qui secum una velut amici et familiares obversabantur, in temulentia ferro violans, quorum vulnera a se inflicta, discussa ebrietate, arte medicina Chirurgica, qua naturaliter praeditus erat, curabat. Hunc Vuitoldus Grodnensis Dux magis modesti, magisque vegeti et semper sobrij vir ingenij, et propter Ru thenorum assistentiam, qui illi propter ritus sui identitatem magnopere afficiebantur, et propter Wladislai Poloniae Regis germanitatem pertimescens, et ex plerisque argumentis praesumens illum in suam et omnium suorum necem, ferro, veneno, et qualibet occisione inferendam vehementer grassari, vitae suae ac suorum consulturus, cum Anna coniuge sua et omnibus Boiaris militibus et familijs suae ditionis Grodno et Brzescz castris, quae suo parebant imperio, forti militum praesidio locatis, ex Litthuania effugit. Et primum ad Janussium Masoviae Ducem, maritum sororis suae Annae alias Danutha, quem affinitatis parum memorem, et in fovendo se plusquam ratus erat, tenaciorem offendens, ad Semovitum alterum Masoviae Ducem pervenit. A quibus dum contra suam et suorum spem parum benigne et humane susceptum se et tractatum prospiceret, Dux siquidem Janussius Masoviae, in quo plus reponebatur, velut in propinquo affine, spei, ius hospitij in exule et amico minus comiter, minusque favorose, quam sorti utriusque conveniebat, exercens, etiam auream pateram illi, quod genus iniuriae, nullo tempore unquam poterat in suo pectore obliterari, fertur ademisse, ad Conradum Czolner Prussiae Magistrum et Cruciferos tunc Wladislao Poloniae Regi et Litthuanis infestos, Masovia et affinibus Ducibus derelictis, quemadmodum in superioribus conscripsimus, altera fuga divertit. A quibus benigne susceptus et habitus est, inque hospitij annis aliquot, sub quibus et Theutonicorum idioma, et disciplinam morum ac rei familiaris condidicit, propensius quam speraverat, fotus et cultus, non tam pro officio, quam rerum suarum, quas eius auspicijs eiusque ductu contra Litthuanos prosperari crediderant, utilitate. Cuius fuga ex Litthuania sequuta, pestifero schismate Litthuania et Samogitia bifariam in Wladislai Regis et Withaudi partes divisa, et externo et domestico bello cladibusque frequentibus labare et affligi coepit. Castro autem principali Vilnensi, quod quandoque a Litthuanis et Ruthenis suae partis ambiguae fidei hominibus, Withaudo Duci et Cruciferis prodi Wladislaus Poloniae Rex verebatur, provisurus, Nicolaum de Moszkorzow Regni Poloniae Vicecancellarium militem, cum bombardis, balistis, et apparamentis bellicis Litthuaniam transmittit. Cuius castrum Vilnense, Skirgallone Duce destituto, et nonnullis Litthuanis et Ruthenis, qui in scelus tradimenti putabantur proclivi, eiectis, dat in gubernationem et tenutam. Sub autem ea fuga et exiliatione Withaudus Litthuaniae Dux, apud Cruciferos degens, et foederis

perpetui atque obligationis cum Magistro et Ordine Cruciferorum pa
ctum iniit, iureque iurando et inscriptionibus firmavit, et baptismū
Christianae religionis, quo solidius foedus fieret, cum nonnullis Bo
iaris secum una exulantibus apud Tossemow, levantibus eum de
fonte Vigando Commendatore de Ragnetha, et Scultetissa de Tap
piow suscepit. Clandestinis autem Nunciis ad Vladislaum Poloniae
Regem ex Prussia Vitoldus Dux missis, Regem sibi non solum
placat, verum etiam conciliat. Ex proscrito suspectum et ex Crucife
rorum apud quos hospitabat ingenio suspecta perfidia, haud sane
aequo animo Litthuaniae Ducatum ambiens, terrebat Regem, et pro
ditionē suorum, qua sola id assequi poterat, Rex verebatur. Et specifi
catus a Rege, quod ipsum debeat Rex magno Ducatui Litthuaniae prae
ficere, latenti agmine Cruciferis non consultis, ex Prussia in Lit
thuaniam descendens, tria Ordinis castra, ad quae velut confoede
ratus et amicus intromittebatur, et singulis procurabatur per Cru
ciferos necessariis videlicet Iurgemburg, Mergenburg, et Naunardz
comprehendit. Fratribus Ordinis ea administrantibus occisis, et
in fossata proiectis, castris quoque praedictis igne conflagratis, cete
ram omnem multitudinem, quam in dictis castris repererat, secum
in Litthuaniam captivam deduxit. Verum cum procedenti tempo
re Vitoldus Dux spes suas per Vladislaum Poloniae Regem de
consequendo magno Ducatu Litthuaniae factas, videret differri, castrū
Vilnense fraude molitus est obtinere, Ordinatis quoque pluribus vehi
culis, in quibus homines armatos incluserat, summitatesque vehiculorum
carnibus ferarum, quasi sororis suae celebraturus nuptias, cooperuit,
et in castrum Vilnense occupaturus illud transmisit. Fraude autem
detecta, metuens sibi, Vitoldus, cum uxore et amicis refugit in Prus
siam, et novo per literas et iuramentum icto foedere, biennio in ca
stris tribus, videlicet Ritterzwerder, Naugard, et Metemburg in
metis Litthuaniae sibi per Ordinem assignatis, mansit, et cum sola
tiis gentium Cruciferorum Litthuanos et eorum terras afflixit
et infestavit

Novo dissidio novaque simultate inter Vladisla
um Poloniae Regem et Hedvigim Reginam frequenter propter nonnul
las suspiciones, quas adulantium serebat malignitas, consurgenti;
dum Consiliariorum industriam, qui coniugalia odia identidem re
nascentia oppresserant, improbitas vinceret, assentatorum, id genus
concordiae per optimos consiliarios pronunciatum sancitumque, et ab utroque
contendentium acceptum probatumque est, ut ab utroque falsus delator
proderetur

proderetur. Compositis siquidem insimulationibus per assentatores, quibus ea res non exigui quaestus erat, inter se execranda gignita odia, non ante quietura, nec delatores improbos defuturos, quam diu credula suppeditabitur audientia, et delatores sinceri per alterutrum non publicabuntur cum singulis quae ore mendaci detulerant. Et cum tam Rex quam Regina Gniewossium de Dalewicze Succamerarium Cracoviensem genere et domo Strzegomitam satorem omnium zizaniarum, cuius procacior lingua et secretorum prodiga, multa odia inter Regem et Reginam seruerat, et qui castam optimae et religiosae feminae Hedvigis Reginae pudicitiam apud virum suum Vladislaum Poloniae Regem mendaci suggestione et affecto crimine insimulaverat, expressisset, coniugibus ipsis ad plenum reconciliatis, pacificatisque, petente et instante Hedvigi Regina Gniewosio Succamerario federum coniugalium insidiatori, in Visliciensi oppido dies dicta est. Qua adveniente, Hedvigis Regina, per Jaszkonis de Thanczin Castellani Voiniciensis organum, is enim causam Reginae, corporali iuramento edoctus certificatusque, nulli illam, praeter Vladislai Regis mariti sui nosse cubile, advocandam susceperat, coram frequenti Baronum iudicio ob eam rem instaurato, queritur, castum suum thorum, castamque pudicitiam, spurcitia Gniewossii et eius mendaci ore, apud maritum suum Vladislaum Regem sugillatam et improbe infamatam esse, Offerens se pudicitiae suae illatum pudorem iuxta iudiciale decretum purgaturam, petens malignum delatorem ad revocationem maledicti compelli. Gniewossio vero neque infitiari facinus obiectum, noverat enim Regis et multorum Baronum convincendum se testimonio, neque refellere quicquam propositioni et petitioni Reginali; astabant enim duodecim milites pudicitiam Reginae oblato duello vindicaturi, audenti, iudices instante Procuratore Reginali Jaszkone de Thanczin reum, ut responderet frequenter petitum, silentem, et non iudicio sed clementia secum agi suppliciter deposcentem, ad revocationem probri in dedecus Reginalis pudicitiae impudici ore prolati, e vestigio inspectante et praesidente corona iudicii in morem canis fundam condemnant. Reginam vero Hedvigim puram et innocentem a probro et suspitione, ex falsa et mendaci delatione Gniewossii exortam pronunciant. Decretum autem sententiae huiusmodi Gniewossius implere extemplo compulsus, subter bancum corpore curvato intravit, et revocatione facta, in qua se profitebatur falso et mendaci probro Hedvigim Reginam insimulasse, publicum etiam latratum edidit. Quo quidem tam severo iudicio Hedvigis Reginae pudori et innocentiae et coniugali concordiae saluberrime consultum provisumque est. Et omnibus assentatoribus calumniatoribusque, ne aliquam suspicionis notam alteri coniugum, contra alterum deferrent, perterritis, sine suspicione, sine iurgiis, rixisque, in amanitati, dulcedineque coniugalis foederis stabili concordia, et charitati vtriusque status permansit

Venceslaus Romanorum et Bohemiae Rex, noua affinitate cum Joanne Bauariae Duce per procos contracta, Sophiam virginem eiusdem Ducis Bauariae Joannis filiam, pro secunda vxore desponsans, nuptias celebrat, apud Pragam. Quas horrendus casus paulo post sequutus est. Sacerdote siquidem ex Parochia Sancti Valentini diuinissimum Sacramentum ad infirmos deferente, Judaeorum caterua, blasphemias in Sacramentum impudico ore euomens, Sacerdotem etiam Sacramentum ferentem proiectione lapidum obruebat. Qua iniuria ad vulgares perlata, seditio mox, iusto Dei permittente iudicio, coorta est, ex qua omnium Judaeorum primum strages, deinde concrematio sequuta est apud Pragā.

Obeunte Conrado Zolner Prussiae Magistro Conradus Vallerodo suffectus est

Jubilaeo anno apud Romam indicto, innumerabilis multitudo peregrinorum ex Almania, Polonia, Vngariae, Bohemiae, Angliae Regnis, caeterisque prouinciis Bonifacio parentibus, Romam aduenit. Ex quorum oblationibus, et Ecclesiae vrbis fuere reparatae, et Bonifacius Papa multifarie ditatus. His tamen oblationibus, licet ad maximas summas ascenderent, ipse Bonifacius parum contentus, misit ad diuersa Regna quaestuarios vendendo dictam indulgentiam, offerentibus tantum quantum essent in Romano itinere expensuri. Concessit insuper diuersis Ecclesiis exorbitantes indulgentias, adeo large et diffuse vt indulgentiis ipse non Ecclesias tantummodo sed et stabula vociferabatur impleuisse. Propter quod tam ipse quam quaestuarii sui, supramodum auro et argento, equis, et caeteris clenodiis extitere ditati. Sub anno autem eodem ex Roma Perusium venit, vbi aliquanto tempore moratus, in Assisium se contulit, abinde vero Romā reuersus plures annos illic exegit.

Vicesima

Viccesima ſexta Decembris Bodzantha de Szeligi Archiepiſcopus Gnesnensis, cum annis ſeptem ſedisset, in villa Archiepiſcopali Chelm moritur, et in Gnesnensi Eccleſia in capella ab eo murata et dotata ſepelitur. Ad quam cum Joannes Cropidlo Vuladislauiensis Epiſcopus, Vuladislai Poloniae Regis et Capitularium Gnesnensium neglecto fauore et conſenſu, in Electionis et Cleri praeiudicium, procurasset ſe, de Vuladislauiensi cui iam ſex annis praeerat transferri per Bonifacium nonum, ſchismate durante, ratus translationem et prouiſionem ſuam ad Gnesnensem, iuxta ac ad duas ſuperiores Posnaniensem et Vuladislauiensem facilem effectum, ob proſapiae eminentiam, et fratrum Ducum Opoliensium ſolatia et aſſiſtentiam habiturum, a magna et alta ſpe decidit. Et Vuladislao Poloniae Rege magno indignationis nubilo contra illum furente, a Gnesnensi excluſus, etiam Vuladislauiensem amiſit. Et Henricus Lignicensis Dux, cui idem Bonifacius nonus per translationem Joannis Cropidlo de illa prouiderat, in poſſeſſionem eius, in odium Joannis Kropidlo admiſſus. Et licet praefatus Joannes Kropidlo ſe Archiepiſcopum Gnesnensem gereret, et titularet, et Praelatos et Canonicos Gnesnenses in genere et ſpecie, et ſignanter Bronislaum Archidiaconum, et ſub omni vacationis tempore in ſpiritualibus et temporalibus Gnesnensis Eccleſiae adminiſtratorem nobilem de domo Grabya varijs Bonifacij noni cenſuris percelleret, non parebatur tamen illis. Sed et ipſe Joannes Cropidlo per Sbigneum de Brzezie Regni Poloniae Marsalcum captus, et omni ſubſtantia ſua exutus, a Rege tamen Poloniae Vuladislao dimiſſus. Cum autem in annum ſeptimum litigium huiuſmodi extractum foret, Joannes Cropidlo magno alieno aere contracto, in magnam etiam deuenerat egeſtatem, a Cruciferis autem de Pruſſia ſuccurrebatur illi, apud quos etiam ſub illa tempeſtate tuto hoſpitabatur.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS NONAGESIMVS

Laborante patria Litthuanorum terra, quae domeſtico bello afflicta, mutuis odijs Litthuanorum et Ruthenorum ſe vehementer aemulantium, et nunc illas, nunc alteras partes ſequentium proprio mucrone conſumebantur, Vuladislaus Poloniae Rex pia motus commiſeratione ſuccurſurus, collecto ex Polonorum militibus exercitu, in mensis Februarij principio, dum hibernandum non bellandum foret, illum contra castra Brzescie, parvum Camyenyecz, et Grodno, quæ a Duce Vitholdo tenebantur, et ex quibus invasiones in regiones Litthuanorum fiebant, educit. Castrumque Brzescie obsidione cingit, quod dum infra decendium conquisivisset, Polonicus exercitus propter victualium penuriam, et defectum, quem equis tabescentibus tulerat, quumque si in ulteriora itum foret, propter regionis sterile et incultum solum se toleraturum non ignorabat, petita et ægre obtenta a Rege licentia, intelligebat enim Rex etiamsi non præstaret licentiam, illum deserturos, in propria remeavit, nonnullis tamen militibus, Curiensibus tamen et exercitatis, numerum centum triginta hastarum tantummodo explentibus, remanentibus cum Rege. Propositum tamen suum Vladislaus Rex expleturus, castro Brzescie milite Polono Hinczcze de hozlowiecze commendato, ad expugnanda duo residua Vitholdi Ducis castra, exercitus, qui cum illo remanserat, paucitate parum pensata, ire pergit, liberandæ siquidem patriæ amore, et ferendi illi subsidij aviditate ductus, etiam cum paucis et infirmis auxilijs proficisci Litthuaniam non dubitavit, quamvis inter Litthuanos plures nosset fidei fluxæ et ambiguæ, milites voluntarios nongentis sane pauciores secum ducit, exercitatos tamen, strenuitate præstantes et robore. Et castro Camyenyecz facili impugnatione conquisito, et Tinczano de Maszkowiecze militi tradito, ad Grodno in Quadragesimæ principio pervenit. Et superato flumine Nyemey obsidione castrum vallavit. Cui obsidionem huiusmodi per omnem Quadragesimam continuanti, fratres sui Skirgallo, Wlodimirus, et alij Litthuanicas et Ruthenicas copias in solatium miserant. Dux Koributh Novogrodensis unus ex germanis Regijs de Græcorum ritu, personaliter advenit, plures, et tam armis, quam equis, insignes milites, quam aliquis Litthuaniæ Principum visus est adduxisse. Non ignarus autem Dux Vitholdus castrum Grodno diuturnam obsidionem ferre non posse, liberationem obsessis præstiturus, cum Cruciferis de Prussia et eorum exercitu advenit, castrisque e regione castri Grodno ex altera fluminis Nyemen parte positis, collem ex terra congerere et in illo arcem novam erigere nitebatur. Is tamen labor irritus fuit, neque obsessis ullum adferebat lenimen, Qui et per expugnationem inferioris castri per regios milites factam, et ex continua bombardarum proiectione plures numero in castro superiori violati et mortui, in pavorem et desperationem versi, non se diutius obsidionem toleraturos Vithaudo nunciabant, Qua re Vithaudus et Cruciferi permoti cathenam ferream per flumen Nyemen distendunt, ad id unum peragendum, dum principale nequirent exequi, solliciti, quatinus adminiculo cathenae hincinde, locatis per amnem navibus, quas cathenae alligaverant, vulneratos et aegros ex castro ad se transferrent, et novos atque recentes cum victualibus, quae et ipsa obsessis defecerant, surrogarent. Sed et ea Vithaudi et Cruciferorum provida machinatio a Regio exercitu damnata est, Milites siquidem Poloni salubri usi consilio, arboribus altis et spissis de pino cum ipsis radicibus atque ramis in notabili numero, et in superiori parte fluminis succisis, eas in flumine proiciunt, quae sua mole et fluminis rapacitate versus castrum celeriter appulsae, cathenam rumpunt, naves quoque nonnullas obterunt, aliquas cum hominibus partis hostilis in eis consistentibus, et contra vim arborum luctantibus submergunt. E quorum numero unus imminentis mortis, ne ab undis suffocaretur, periculum evitaturus in ripam regiorum castrorum tranabat, qui a pluribus de Cruciferorum exercitu in Almanno ut se potius mergi et mori sineret, quam ad castra hostilia veniret, alta et sedula inclamatione monebatur, Uno tamen ex militibus Poloniae Zawisscio de Kuszkow, lanceam sibi porrigenti evadens, suorum omnem positionem et ipsos nocte insequenti stationibus desertis fugituros patefecit, quae quidem fuga, quemadmodum fugitivus praedixerat, sequuta est. Omni autem spe obsessi amissa, quinto festi Paschae die castrum Vladislao Regi dedunt, In ea autem obsidione tanta obsidentes Poloni, Litthuani, et Rutheni milites premebantur vexabanturque fame, ut non nisi grosso et atro panis edulio seipsos, equos vero folijs et frondibus arborum, aut veteri palea ex domorum tugurijs detracta, et vix in quatuordecim milliaribus reperta, reficerent.

Litthuanica expeditione Vladislao Poloniae Rege occupato, Illustrissima consors eius Hedwigis Poloniae Regina, Regni Poloniae provisura profectibus, congregato ex Baronibus et militibus Poloniae, altero exercitu, in Russiae terras processit. Cuius tanta erat apud milites affectio et charitas, ut oēs illi iuxta ac viro parerent, et singula, quae iubebat, obedienter exequerentur. Sub brevi autem tempore castrum Przemysl, Jaroslaw, Grodek, Halicz, Trebowlya, civitatem Leopolim, et castrum in monte, et omnia alia Russiae castra, aut militum expugnatione, aut spontanea deditione, sub milite Ungarico Babah, cuius fidei et regimini a parente suo Ludovico Poloniae et Ungariae Rege commendata extiterant, conquirit. Et omnibus Ungaris atq; Slesitis, qui illam de manu Ludovici Regis Poloniae, et Vuladislai Ducis Opoliae occupaverant propulsis et eiectis, castra conquisita et dedita, Baronibus Poloniae committit, et terras Russiae praedictas perperam et cum iniuria a Regno Poloniae alienatas, eidem Regno Poloniae; sempiternum apud Polonos, pro huiusmodi Heroico opere, habitura recordium, reintegrat et reunit

Sempiternum memoriale, quo clementia Redemptoris nostri genus Slavonicum extulit, et mirifice honoravit, donando illi gratiam spiritualem, ut omnia sacra officia, et res divina tam nocturna quam diurna, ipsa quoq; sacrarum Missarū arcana, idiomate illo possent celebrari, quod nemini alteri linguarum, praeterquam Graeco, Latino, et Hebraeo, vidimus contigisse; quorum excellentiam, etiam bonitas divina Slavonicum aequavit, Vuladislaus Secundus Poloniae Rex cum consorte sua Heduigi foemina devota et nobilissima, volentes etiam in Regnum Poloniae diffundere, et de multiplicibus beneficiis et victoriis divinitus eo anno eis praestitis, ostendere erga Deum gratitudinem, et munificentiam regularem, incitati exemplari simili, quod in civitate Pragensi habet Monasterium Slavorum Ordinis Sancti Benedicti, et sub eius regulari observantia duraturum, sub honore et titulo Sanctae Crucis extra muros Cracovienses in Oppido Kleparsz non longe a fluvio Rudawa, sub Pontificatu Petri Vuisch Episcopi Cracoviensis feria quinta post Sancti Jacobi Apostoli fundant, condunt, et dotant, et pulcherrimo muro latericio circumtum Ecclesiae tam Chori quam corporis, opere sumptuoso et magnifico designant, Chorumq; eiusdem Ecclesiae cum Sacristia perficiunt, et consumunt, Corporis vero Ecclesiae; fundamenta solum iaciunt, quemadmodum usq; in praesentem diem id coram cernere licet. Et domum pro Monasterio ligneam cum

Horto construunt, Fratresq; Monasterij Pragenses Sumptes, in illam introdu~~cturi~~cunt, dantes eis pro dote quamvis tenui, viginti Marcas singulis annis de censibus et proventibus Thelonei Cracoviensis. A quibus usq; ad mea tempora et sub meis oculis Ecclesia Sanctae Crucis, et in re divina, et in matutinis, Horisq; Canonicis, caeterisq; ceremonijs Ecclesiasticis sonoro cantu, et lectione in Idiomate Slavonico, et per Monachos Fratresq; Sancti Benedicti et officiabatur, et administrabatur. Deliberaverat autem Illustrissimus Vladislaus Poloniae Rex cum sua nobilissima consorte Hedvigi Monasterio et loco illi dare amplam dotem, qua triginta Monachos, praeter alios familiares et servitores sustentare potuisset. Deliberaverat etiam et Monasterium cum omnibus cellis et officijs suis lateritio muro fabricare, sed interim Regina clarissima Hedvigis sorte fatali abstracta est, qua obeunte omnis ardor ad quem illum stimulo suo Regina Hedvigis concitabat, extinctus est, et omne opus usq; ad diem hanc omnisq; fabrica Ecclesiae et Monasterium intermissa.

Expugnationem castrorum Brzescie Grodno, Vuitoldus Dux et Cruciferi ulturi, bellumq; Litthuaniae Ducatui illaturi, notabili tam ex proprijs quam ex advenis, inter quos Lanchastro Primogenitus Henrici Angliae Regis, cum Anglicis et Gallicis erat militibus, Item Fridericus Marchio cum plurimis comitibus et militibus Almaniae, collecto, Litthuaniam triplici agmine, quorum unum Magister Prussiae Conradus Vualenroden, forensibus, Anglicis videlicet, Almanis, et Francigenis, alterum Magister Livoniae, tertium Vuitoldus Dux, circa festum Sancti Joannis Baptistae hostiliter introeunt. Et primum apud vetus Kowno, ~~mensa~~ missa militari in magna solennitate ordinata et exacta, adeuntes, oppidum et castrum Trokki succendunt, deinde et castra Vilnensia gravi coarctant obsidione. Posuit autem Vuitoldus Dux stativa sua, et gentium suarum ex Litthuanis et Ruthenis adunatarum, prope castrum curvum, Magister Prussiae a parte fluvij Vilna versus Poloniam, et villam Ponari Capitulum Vilnense spectante, Magister Livoniae post fluvium Vilna versus villam Myszsoli. Necdum visa aliqua ex castris hostilibus fieri in obsessos capta, Litthuani et Rutheni, qui fideles Regi putabantur, in favorem Vuitoldi Ducis, et ex eius subordinatione, castrum curvum

Vilnenſe incendunt. Cuius conflagrato cum ex irruptione hoſtili
non poſſet inhiberi, Caſimirus alias Korigal Dux, frater Wladiſlai
Regis Poloniae germanus, ex medio incendio fugere coepit, ab hoſtibus
tamen in magna multitudine caſtrum incenſum circumſiſtentibus vi
uus capitur, et e veſtigio decolatur. Cuius capite ad altam haſtam
hoſtis impoſito, Poloni, qui ſuperius caſtrum Vilnenſe defendebant,
ad perterrendum eos illud oſtendunt, ſimulque monent, ut Rege eorū
occiſo, ſe et caſtrum illis dedant. Poloniſ autem, quamuis in ca
ſtro curuo per propriorum fraudem perdito, de ſuis Polonis Litthua
nis et Ruthenis quatuordecim prope millia vidiſſent, aut flamma vo
ratos eſſe, aut hoſtili gladio cecidiſſe; terrorem huiuſmodi verbis
et factis incutientibus, et aſpernantibus, continuae fiebant nocte
et interdiu in caſtrum per bombardarum fulmina percuſſiones,
ex quibus caſtrenſes muri ad unius iactum ſagittae comminu
ti et ſolo aequati ſunt. Capitaneus autem Vilnenſis Clemens ali
quam ſpem inſtaurati muri obſidentibus obiiciens, cutes in ea
loca ſuſpendi ordinauit, ut laxa cutium ſinu omnis tormentorum
ictus eluſus fruſtraretur. Occiſus tunc eſt in parte Cruciferorum,
Algardus Comes de Hornſteyn. Fuiſſet autem eadem ſors
de caſtro ſuperiori Vilnenſi, quae et de curuo ſequuta, niſi Po
loni omnia obſeſſorum munera inter ſe partiti; Litthuanos et Ru
thenos propter vehementem ſuſpicionem ea obire vetuiſſent. Ubi
etiam tanta Polonorum animoſitas et conſtantia effulſit, ut locū
omnem per machinas nudatum et demollitum, in die et nocte
ſtando, corpora ad omnia bombardarum tormenta muri loco
exponerent, et hoſtes foramine huiuſmodi ad caſtrum ſummis
conatibus irrumpere ſatagentes, prohiberent. Sed et locum inter
fecti cuilibet, alio alter unus ſupergrediebatur. Duabus itaque
rebus Poloni maxime reſiſtebant, una, exteriorem, terra, fimo, et
corrigijs peronibus obſtruentes, pro diruto, murum, altera, quod in
occiſorum loca ſuccedendo, eruptione etiam ſubita, in opera hoſtium,
et cuſtodias, hoſtes quam infeſtiſſime laceſſebant, Omne enim ar
te efficacior neceſſitas, non uſitata modo praeſidia, ſed quaedam
etiam noua ad~~muuit~~inuenit, reficiendo dirutos muros pellibus animalium,
quae et miſſilia et tormenta impune exciperent. Propter quod utrique
pro victoria magnopere adnitentibus, ſub obſidionis tempore, quod
a feſto

a festo Sancti Joannis Baptistae usque ad feriam sextam post Sancti Michaelis duravit, tanta interfectorum strages ab utraque parte sequuta est, quod canes domestici occisorum hominum cadaveribus saginati et in lupinam rabiem versi, obsidione cessante per villas combustas et vastatas gregatim discurrebant, et plures mortalium etiam equestres sine comitatu pergentes frequenti, humanum lambere sanguinem asuefacti, absorbebant

Magno odio atque furore Vuenceslaus Romanorum et Bohemiae Rex in Vuladislaum, caeterosque Opolienses Duces exardescens, Procopium Marchionem Moraviae et Oppaviae Duces, Nicolaum, et Vilhelmum ad vastandum Opoliensis terras transmittit. Qui cum illas in Autumno cum suis, et a Rege Venceslao datis copiis attigissent, Ducibus Opoliensibus in dimicationem non prodeuntibus, illas igne spoliis et caedibus vastant spoliisque onusti in propria revertuntur. Ex eo autem tempore clandestinis excursionibus Opolienses Duces in Bohemos Moravos et Opavienses usi, variis incommodis dominia ipsa, praedonibus et furibus assidue valescentibus, et stratas turbantibus afficiebant

Bartholdus deinde de Vuitemburk et Venceslaus de Hugwicz oppidum Holszna intercipiunt, et terram Conradi Ducis Olesnicensis vastatione hostili invadentes illam diripiunt, et incendunt. Inter cives quoque civitatis Vuratislaviensis dissidii et seditionis pernicies serpere caepit, et Consularibus adversus inferiores, inferioribus quoque adversus Consulares infestis, et irritatis animis furentibus, plura provenere mala, civitatisque gloria ex intestina collisione notabiliter diminuta, strenuoque bello apud maiorem Poloniam conquiescente, apud Slesiae oram ocium caput, et pectora non militarium tantummodo sed et civium pervasit

Quamvis autem Nicolaus de Moszhorzow Regni Poloniae Vicecancellarius, castrum superius Vilnense cum Polonorum militibus administraret, Dux tamen Skirgello frater germanus regius summae rerum praeerat, et ex castris inferioribus cum Litthuanis Ruthenis imperio suo parentibus magis nocturnis et clandestinis quam diurnis excursionibus hostilem exercitum lacessendo, pluribus hostium caesis aut vulneratis, victor assidue revertebatur in castra. Qua indignitate Vuithaudus Dux permotus, Ducem Narimunth, qui regias acies turbabat, in duellando captum, et in arborem Vuyasz per pedes in prato, in quo bombardas Ruthenicas constituerant, suspensum, sagittis Litthuanorum, Ruthenorum, et Tartarorum in eum iactis, crudelius quam utriusque communicabat conditioni, enecarunt. Cuius uxorem Iulianam sororem germanam Annae consortis Vuitaudi Ducis, Moniuid Litthuanus processu temporis in uxorem habuerat. Sed et Totiuil Dux Vithaudi germanus bombardea ex castro ictus subito interijt, et apud Vuilnensem Ecclesiam accepit sepulturam. Obsidione autem durante crebrae inter partes utrasque altercationes et improperia succrescebant, Polonos Francigenis criminantibus, quod barbaris contra fideles opem ferrent, Polonis refellentibus, sancte et pie se agere, dum Neophitos in fidei favorem defenderent, contra perversos religiosos. Conventumque fuit inter utrosque, ut tam Poloni quam Francigenae ad probandam suae actionis iustitiam in curia Vuenceslai ea tempestate Romanorum et Bohemiae Regis, in equo, quaternarij numero, militarem pugnam et duellum pro die certa Pragae inirent. Qua adveniente ab utrisque pacto paritum, et quatuor militibus pro parte Vuladislai Regis, videlicet Joanne de Vuloszczowo Castellano Dobrzinensi, Nicolao de Vuasosmuntow, Joanne de Zdakow, et Jaroslao Bohemo, pro parte vero Francigenarum alijs quatuor militibus Pragae comparentibus, in hortum ferarum ad experiendam palaestram et vim fortunae itum est. Verum Venceslao Romanorum et Bohemiae Rege mandante, Poloni milites per Joannem Ducem Luczemburgensem germanum Venceslai Regis, Galli vero per Jodocum Marchionem Moraviae a congressu amoti, et retracti, et Polono Gallum, Gallo Polonum associante, ad mensam regiam perducti, primumque separe tractati, post etiam per Vuladyslaum Regem velut mediatorem reconciliati et ad pacem reducti sunt.

Quodam obsidionis tempore, Polonis et Litthuanis prandio occupatis, hostes ex improviso ad castrum inferius

Vuilno

Vilno, in quo est Sancti Stanislai Cathedralis ſita Ecclesia, in eam partem, in qua nunc domus Episcopalis locata est, irruerant, Jamque muro conſcenso, velut triumpho potiti, unus ex militibus Pruſsiae qui murum occupaverant, clamabat hather et hather Sed e vestigio ab uno militum Poloniae ex muro praecipitatusque audaciae et inſaniae ſuae poenas dedit. Sed et caeteri hoſtes ſuo exemplo aut deterriti, aut Polonorum brachio ex muro deiecti ſunt. Videns autem Vithaudus Dux et Cruciferi, conatus ſuos et ſpes non ſuccedere, ſed verti in irritum, feria ſexta poſt Octavam Sancti Michaelis Catholicorum Eccleſijs noviter per Vladislaum Regem Poloniae extructis crematis, parvulis et lactantibus ad palos confossis, diraque et crudeli patrata ultione; obsidione ſoluta, plurimis etiam ſuis desideratis in Pruſsiam revertuntur. Vithaudo Duci, a Magiſtro et Ordine petenti auxilia, noverat enim ſuas vires infirmas, Joannes Rapheyn Commendator de Ragnetha, Conradus de Lithenſteyn, Praefectus de Insterborg cum pluribus Almannis et peregrinis militibus adiuncti ſunt. Quorum fultus auxilio, crebras in terras Litthuaniae et Samogitiae faciebat excurſiones, captivando et occidendo utriusque ſexus homines, exurendo vicos, et ſpolia patrando plurima

Calamitati et desolationi Litthuaniae

a Vithaudo Duce et Cruciferis inflictae, Vladislaus Polonorum Rex ſuccurſurus, in menſe Novembri ducens ſecum armorum, bombardarum, baliſtarum, ſagittarum, pannorum, veſtimentorum, et victualium in quadrigis magnam molem, Litthuaniam pervenit, et res Litthuanicas afflictas et pene exangues ſuo adventu ſuisque largitionibus et liberalitate erexit, et tam Litthuanos quam Ruthenos in deſperationem ſpectantes in fide firmavit. Vilnenſem autem et Litthuaniae Capitaneatum Nicolao de Moſzkorzow Regni Poloniae Vicecancellario, genere Pilawa Regi reſignante, dum neque ipſe ad continuandum, neque quisquam ex Polonis miles ad ſuſcipiendum illius regimen, ſingulis qui ad id ſollicitabantur, potentiam et crudelitatem hoſtium, Pruſsicorum vero tradimenta et perfidiam, Ducis vero Skirgelonis germani Regis tyrannidem metuentibus,

poſſet

possit conduci, Jasczko miles de Oleßnicza, generis quod Dambno dicitur, a Rege precibus convictus, Capitaneatum Vilnensem et totius Litthuaniæ suscepit. Quem et liberius solertiusque gerere possit, Dux Skirgello ad regendam Kiyoviam transfertur. Et Vuladislaus Poloniæ Rex in Poloniam reversus, præfato Jasczkoni de Oleßnicza Capitaneo Litthuaniæ notabiles Barones et milites Regni Poloniæ, novasque gentes in supplementum eorum qui ante ceciderant, aut in Poloniam abierant, item machinas et victualia in defensionem et fulcimentum castri transmittit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS NONAGESIMUS PRIMUS

Novo et forti Vuithaudus Dux, et Prussiæ Magister instaurato comparatoque exercitu, primo æstatis tempore Litthuaniam revertuntur, et ad castra Vilnensia, quæ superiori anno circumsidere et expugnare cœperant properant. Rati, eo Litthuanorum et Ruthenorum tradimento, quod Dux Vuithaudus confecerat, facile et sine quolibet suorum discrimine, se capturos. Capitaneus autem Litthuaniæ Jasczko de Oleßnicza solertis usus industria, Vilnensi civitate, ne hosti venienti foret adiumento et receptaculo, concremata, circulationes ex roboribus, quæ Srzamby appellantur, seu hobylenye, in pluribus locis quo facilius hostis arceri a castris possent, disponit. Venienti autem Duci Vuithaudo et Prussiæ Magistro ac eorum exercitui, agmen ex militibus prædictis tenere usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ occurrens, in exercitum hostilem insilit, et pluribus hostium stratis aut vulneratis, nullo ex suis capto, aut desiderato, in arces incolume reversum est. Intelligens autem Vuithaudus Dux et Prussiæ Magister, per Skirgellonis Ducis dissimulationem, conflata ab eo, in dedendis aut succendendis castris, per Litthuanos et Ruthenos Skirgelloni infestos, fraudem nullo pacto, quemadmodum speraverant, sed neque violentam expugnationem propter frequens et stabile Polonorum militum præsidium proventuram, paucis diebus in obsidione exactis, obsidionem solvunt motisque castris, ne tantus exercitus actibus non aliquod memorabile egiſſe videretur, ad Vilkomiriam et Nowogrodek castra ſupra flumen Vilia, a Skirgellone Duce constructa ire pergunt, quae infra dies paucos, Polonis qui in praeſidio erant nequaquam reſiſtere potentibus hoſtili valentibus, impugnant, et conquirunt ubi pluribus occiſis, Clemens Birowo, Joannes Lyoszczyna et alij plures Poloniae milites capti et Pruſſiam deducti apud castrum Elbiang ſaevam captivitatem integro ſeptennio perpeſſi ſunt. Castris autem praefatis Wilkomiria et Nowogrodek incenſis et demolitis, Magister Pruſſiae et Dux Vithaudus in Pruſſiam divertunt. Sub eiusdem quoq; anni tempore Vithaudus Dux cum Cruciferorum gentibus quas ducebat, Marquardus Crucifer, bis Litthuaniam invadens, Myednike et Vielszan combuſſit, captivos cū ſpolijs abducens.

Aeſtivali expeditione Vithaudus Dux et Conradus de Valrode Magister Pruſſiae, quam in Litthuaniam exercuerant, parum proſpera fortuna uſi, alterum hyemis tempore ſuſcipiunt, et ad castrum usq; Kowno, in quo regium praeſidium erat progreſſi, tria castra in circuitu castri Kowno, ſingula ſupra flumen Nyemen de lignis erigunt, Nomen uni quod vicinius erat castro Kowno Nawgarder quod ſonat nova inſula, alteri Ritherwerder quod ſonat militum inſula, tertio Metemburg quod ſonat castrum metarum imponunt. Et duobus quidem castris nominibus videlicet Nawgarts et Metemburg Pruſſiae Magister forti militum praeſidio impoſito, illa per Commendatores et fratres ſui Ordinis adminiſtrabat. Castrum vero Ritherzwerder Dux Vithaudus in ſuam ſortem et ditionem accipiens, et in illud ſe cum Ducibus, Boiaris, et militibus qui ſuas partes ſequebantur recolligens, frequentibus et clandestinis invaſionibus, Cruciferis illi ex duobus castris faventibus ſolatia, terras Litthuaniae ratus illo ſe hoſtilitatis genere quaeſiturum aut ſaltem ſui patrimonij per Vladislaum Poloniae Regem ademptum recuperaturum, aſſiduis ſpolijs et incendijs laceſſebat. Cuius inſolentia Jaſchko de Oliſnicza Capitaneus Litthuaniae repreſſurus, collecto ex Polonis, Litthuanis, et Ruthenis aliquali exercitu, praefuturus illi in Capitaneum Alexandrum alias Vigunth Ducem Regis germanum ad obſidendum et castrum eius Nawgarts transmittit. Qui illuc nondum ſoluta aere perveniens, adeo constanter et fortiter illud expugnare adorſus eſt, ut parum aberat, quod ex planctu et ululatu virorum et mulierum in castro commorantium imminens periculum deflentium

ſcabatur

significabatur, quum caperentur. Multitudine tamen defensorum abundanti, aegre, quod et Dux Vitoldus saepius expost fatebatur, ea vix defensum est.

Stiborius primus Plocensis Episcopus, cum Plocensem Ecclesiam annis decem et novem gubernasset, infirmatus moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur. Post cuius mortem Capitulares Plocenses vicesima prima Februarij agentes comitia, a Semovito et Janussio Ducibus Masoviae interpellati, Henricum filium Semoviti senioris mortui et germanum Semoviti viventis iunioris Ducum Masoviae in Episcopum eligunt, in Subdiaconatus Ordine constitutum. Cuius electio etsi per Bonifacium nonum fuerit confirmata, ipse tamen statum pontificalem levipendens, biennio se distulit consecrari, Et interim secrete a Vladislao Poloniae Rege ad Alexandrum Vitoldum in Prussia exulantem, et in castro Ritterswerder prope Kowno agentem, destinatus, regali actione inter Regem et Ducem confecta, germanam Vitoldi Ringalam, statu suo pessumdato, uxorem accepit, nuptiasque ex more celebrat. Post paucos dies deinde veneno toxicatus interijt, De cuius morte nova insimulabatur sponsa Ringala, et apud Plocensem Ecclesiam inter Duces Masoviae sepulchrum tumulatus, documentum multa praevaricationis, et spreta religionis futurus.

Necesse autem habebat Vuladislaus Poloniae Rex pro omni tempore, quo inter eum et Ducem Vitoldum guerra durarunt, pro conservatione et subsistentia terrarum Lithuaniae et Russiae castrorumque et munitionum illarum, et omnium personarum sexus utriusque, tam notabilium quam agrestium, non propugnacula tantummodo, milites, et arma, sed et frumenti, lardi, pecoris, milij caeterorumque victualium magnam vim, magnumque numerum mensibus singulis propter vastitatem et concremationem in terra, quam Vitoldus Dux et Cruciferorum exercitus induxerat, ex Polonia proprijs vectionibus Lithuaniam destinare, quae Jaschkonis de Olesnicza Capitanei Lithuaniae provida industria castris et personis partiebantur, Nisi enim Vladislaus Poloniae Rex rem frumentariam providisset, et victualium in Lithuaniam intulisset necessitatem, deserebatur Lithuania et ab agrestibus et militaribus, et facili poterat a Cruciferis et invadi et occupari, nam neque milites consistere in praesidijs, neque agrestes agros serere, nisi omnibus in communi

a qui

a quo provisum ex Polonia foret, potuissent, fames enim horrenda universos pervaserat, qua pressi deserere Lithuaniam, nobilis iuxta ac agrestis firmaverant, nisi illis omni genere victualium ex Regno Poloniae fuisset subventum. Marchiones Misnenses exercitu ex propriis et mercenariis collecto militibus, Regnum Bohemiae hostiliter invadunt, et multis patratis per ignem et spolia damnis, nonnullis vero civitatibus et oppidis expugnatis, et in suum ius ditionemque redactis, Venceslao Romanorum et Bohemiae Rege nullam per se aut militis opponente resistentiam, in propria revertuntur.

Clemens Papa Septimus in sua obedientia nominatus, tredecim et secundum alios quindecim in Pontificatu exactis annis, apud Avinionem civitatem Galliarum moritur. Post cuius mortem Cardinales suae obedientiae conclave ingressi, Petrum de Luna tituli Sanctae Susannae Presbyterum Cardinalem in Papam pro sua obedientia elegerunt, genere Cathelanum de Regno Aragoniae ex Baronibus oriundum, brevis staturae hominem, gracilem, ingeniosum, et ad inveniendum res novas subtilem, quem Gregorius Undecimus in Cardinalem promoverat, Iuris Canonici Doctorem peritum. Is autem ante assumptionem suam in Papatum in singulis legationibus quas apud Francorum Regem et alios Reges et Principes nomine Clementis obibat, in singulis insuper suis sermonibus verbis et tractatibus innuebat, quod si in locum Clementis succederet, omnibus modis unionem in Ecclesia Dei procuraret. Propter quod Cardinales Clementis, credentes ipsum cordi gerere, quod tam frequenter ore depromebat, Clementi illum surrogarunt, qui extunc Benedictus duodecimus in sua obedientia appellatus est. Antequam insuper ad Electionem processissent, voverunt Deo, iurisiurandi astrictione, per scripturamque manus propriae se obligarunt, quod ille qui ex eis eligeretur in Papam, ad requisitionem ipsorum Cardinalium suo cederet Papatui dum tamen et alter Papa iuri suo cederet, omnium tamen praemissorum et iuramentorum factus immemor cessionem huiusmodi toto vitae suae tempore facere detrectabat, se verum et indubitatum Summum Pontificem multis rationibus esse asserens, et chartam obligationis sua manus, quam de cedendo in conclavi subscripserat, a Cardinalibus exigens, quae omnia in subsequentibus latius narrabimus.

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS NONAGESIMUS SECUNDUS

Ferro et armis immani et hostili tam Machinationi quam ambitioni parum respondente, latentibus insidijs in Principum Lithuaniae fratrum Vladislai Poloniae Regis capita saevitum est. In huius quoque anni principio Alexander Dux qui et Vigunth, veneno quod proprij familiares Lithuani cibo miscuerant, in corpus grassante, extinctus, et in Vilnensi Ecclesia sub uno Mausoleo cum corpore germani sui Casimiri Korigal, a Vuithaudo et Cruciferis capite truncati, sepultus, Qui post regenerationis lavacrum in Cracoviensi Ecclesia susceptum, adeo singulos barbaros et patrios gestus et mores in habitu loquela tonsura et omni conversatione a se relegaverat, totumque se Christianorum moribus sanctis et religiosis addixerat, ut non Neophitus aut tyro, sed veteranus fidei et religionis Catholicae miles crederetur, neque moribus tantummodo sed intellectu, facilitate, et industria inter Lithuanos Principes potior censebatur. De cuius morte Dux Vuithaudus a plerisque insimulatus est, et propter mores suos, et prudentiam, quae sua credidit praesenti et futurae amplitudini obstare veneno illum falsone an vere incertum est, vulgatus erat sustulisse. Matrimonium filiae Vladislai Opoliensis Ducis, et ex donatione Vladislai Poloniae Regis, qui illum tenerrimo prosequebatur affectu, Budgostiam et Junivladislaviam caeterasque possessiones et introitus in Regno Poloniae sortitus, nullam prolem reliquit, Princeps nobilis, et inter Regios fratres probitate modestiaque conspicuus

Duodecima mensis Januarij Joannes Episcopus Cracoviensis appellatus minor ob brevitatem staturae Cracoviae moritur et in capella Mansionariorum Cracoviensis Ecclesiae, in angulo, dum annos decem in Pontificatu exegisset, sepultus, vir mansuetus, virtuosus, patiens et modestus. Et quamvis Capitulum Cracoviense electione celebrata Sbigneum de Chmielik Cantorem Vislicensem et Canonicum Cracoviensem nobilem de domo Rosa Canonice elegisset, ad intercessionem tamen Vladislai Poloniae Regis, Hedvigi Poloniae Regina operante, Petrus Vysch de Radolina Decretorum Doctor Praepositus Vladislaviensis, et eiusdem Hedvigis Reginae Cancellarius, nobilis de domo acervorum, cum praefati Sbignej electi derectione et iniuria per Bonifacium nonum suffectus est

Termino

Germano ex omnibus chariori Duce Alexandro Vigunts Vuladislaus Poloniae Rex orbatus, Patria primum Litthuanorum terra, cuius ingenti detinebatur charitati, statui et quieti et reliquorum suorum germanorum incolumitati, ne et ipsi veneno appeterentur, prouisurus, Vuithaudum Ducem sibi reconciliare, et terrarum Litthuaniae et Russiae gubernationem committere cum fratres sui germani, quod plerique eorum in venationis et ebrietatis proclivi, ad regendum populos parum idonei putabantur, in animum induxit. ~~Anno~~ Missus itaque secrete Henricus Masoviae Dux, qui alias fuerat Ecclesiae Plocensis electus, et illius introitibus biennio usus, sed tandem sorte Ecclesiasticae renuncians, germanam Ducis Vuithaudi Ringalam acceperat in uxorem, reconciliationem inter Vuladislaum Poloniae Regem et Ducem Vithaudum, velut fidus mediator celebrauit. Hic primum ad Commendatorem de Balga et Cristburg veniens, benigne habitus in Ritterwerder, ad Vuithaudum destinatus est, et illic tribus manens hebdomadis et matrimonium cum Ringala sorore Vuithaudi contraxit, et nuptias ex more celebrauit, Vuithaudumque Vuladislao reconciliauit Regi.

Vuithaudus autem Dux de clementia et reconciliatione Vuladislai Regis certior effectus, Cruciferis et mercatoribus qui apud illum in castro Ritterwerder morabantur, comprehensis et ligatis, cum omnibus Ducibus, Boiaris, familijs, et cuncta suppellectili, bombardis, balistis, Ritterwerder incenso, in Litthuaniam suam regressus, a Jaszkone de Olesnicz Litthuanico Capitaneo, qui super hoc mandatum a Rege acceperat, benigne acceptus et habitus est. Cognito autem Cruciferi, qui in reliquis duobus castris Vuilhort Kaugard, et Metemburg morabantur, Vuithaudi defectu, sibi armati occurrunt, et certamine inito cum victi succubuissent, Vuithaudus Dux praeda altera potitus, ad castra accedens, ex quibus Cruciferi discesserant, facile capit, et spoliata incendit. Cuius reversione Vuladislaus Poloniae Rex comperta, circa finem mensis Julij Litthuaniam profectus est. Quo apud Ostrow die septima mensis Augusti agente, Dux Vuithaudus cum primoribus suae partis illi occurrit, et frequenti ac lugubri prece lachrimis etiam obortis, similiter sibi et suis omnibus deprecabatur ignosci. Vuladislao autem Rege plenam tribuente de transgressionibus suis veniam in Vilnam itur, Ubi Jaszkone de Olesnicza ex Capitaneatu Litthuanico amoto Vuithaudo Duci illius demandat regimen. Et non solum sortem illi paternam, et castra adempta restituit, sed et universorum castrorum

Litthuaniae

Lithuaniæ et Russiæ, et terrarum prædictarum administrationem plenam suæ tradit ditioni. Obligante se Duce Vithaudo tam iurando quam per literas, terras præfatas pro Rege et Regno Poloniæ fideliter tenere, et Regis atque Regnum Poloniæ nunquam deserere, in prosperis et adversis. Noverat siquidem Vladislaus Poloniæ Rex ex prisco et vetusto contubernio cum Duce Vithaudo in adolescentia habito, Ducem Vithaudum virum solertis et tractabilis ingenij, neque alium ad regendam Lithuaniam et ad instaurandas eius ruinas et desolationes ex superioribus guerris causatas, meliorem. Quapropter illum, quatuor suis germanis, qui supererant, videlicet Skirgelloni, Korybuth, Lubarth, et Switrigello neglectis, terræ Lithuaniæ rectorem præficit. Neque Regem Vladislaum spes fefellit, sub brevi enim tempore Vithaudi Ducis providentia et opera, terræ Lithuaniæ instauratio notabilis sequuta est, feraciorque proventura, nisi Boleslaus Switrigello germanus Regius livore magno, quod sibi Vithaudum prælatum viderat, stimulatus, apud ad Cruciferos perfugisset, quorum suffragio adiutus, bello renovato Lithuaniam lacessebat

Intelligens Bonifacius Papa nonus per geminatam causam, contractum videlicet matrimonium, et deinde per mortem Henrici Mazoviæ Ducis et confirmati Plocensis, videns quoque Capitulares Plocensis Ecclesiæ tardos et negligentes esse, omnem provisionem dictæ Ecclesiæ ad se revocasse, Nam Paulum consanguineum suum natione Italum, genere nobilem Romanum, præficit in Plocensem Episcopum Et quamvis primum literis favorabilibus, deinde formidabilibus censuris, pro habenda possessione apud Duces Masoviæ et Capitulum Plocense institisset, omnes tamen conatus sui, et Schismati et vilitate consiliarum eludebantur. Rexit tamen se consecratione Roma suscepta, Plocensem Episcopum quadriennio, sub quo vita functus in Monasterio ad aram cœli sepelitur.

Die Solis vicesima octava mensis Octobris Jacobus de Haliciensi Ecclesia provisus, in Ecclesia Tarnoviensi per Matthiam Premisliensem Episcopum in Archiepiscopum Haliciensem benedicitur et consecratur

Acerbe ferentes Cruciferi Vithaudi Ducis discessum, et trium succensionem castrorum, cum magna multitudine tam advenarum militum, quam propriorum, sub Ducatu Engelhardi Rauuæ

Marsalci in castrum Sancti Joannis perveniunt. Et pugna conserta cum Lithuanis, qui. Ubi mensa militari ad honorem externorum militum posita, atque strata, in castrum Lithuanorum Besurasz perveniunt. Et pugna conserta cum Lithuanis, qui ex castro ad duellandum descenderant, plures occidunt, castrum quoque per deditionem accipiunt, parumque abfuit, quin Henricus Masoviae Dux gener Vuithaudi in eo caperetur, nisi sibi per fugam tempestive consuluisset. Faciunt et aliam Reysam in hyeme abundante forensium militum multitudine, sub Ducatu Verneri Thetingar, et duo castra sub Lithuanis videlicet Barthen et Stramel conquirunt, et aliquibus per incuriam occisis tria captivorum millia Prussiam de sexu utroque adducunt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS NONAGESIMVS TERCIVS

Externo et fugitivo hosti Boleslao Switrigello alius internus et domesticus, eo periculosior, quo ingenio manu et lingua promptior, Shirgello Dux, germanus alius Vuladislai Regis contra Alexandrum alias Vuithaudum Lithuaniae Ducem accessit, Qui Vuithaudi ad regimen et gubernationem Lithuaniae et Russiae terrarum institutum, graviter et iniquo animo, se neglecto, ferens, plures contra Vuithaudum Ducem rixas et contumelias militum sibi faventium subornabat. Jam quoque eo rixarum processum erat, ut ad notoriam seditionem spectare, inter Duces discordiae viderentur. Quo malo Vuladislaus Poloniae Rex cognito, cum Heduigi Regina Lithuaniam itinere veloci pervenit. Sub quorum praesentia dum ab utroque contendentium Ducum verbis varijs et quaestionibus feria sexta post diem Sancti Michaelis certatum esset, dum appareret Stirgellonis Ducis causam et querelam in Alexandrum Vuithaudum parum iustam esse, opera Regis et Reginae, lis eorum execranda, in perniciem caeterorum, ni celeriter opprimeretur, redundatura, sublata est, et Duces praefati omni indignationis nubilo utrinque remisso, ad charitatis fraternae vinculum reducti, et reconciliati. Et quo plenius ingentis irae et spiritus Principis Shirgello mitescerent, Vuladislaus Poloniae Rex ad Kijoviensem Ducatum, etiam illi Krzemieniec, Starodub, et Starotroky in tenutam adijcit, mandans ut Alexandro Vuithaudo Duci in singulis pareat. Conventum autem erat, utroque probante, ut si novae simultates, rixae et odia inter illos orirentur, ad Hedwigim Poloniae Reginam, quam sibi uterque in arbitrum communem elegerat, pro decidendis quaestionibus exorturis, quod et patentibus literis firmatum extitit, haberetur recursus

Duodecima die mensis Februarij Elizabeth Romanorum Imperatrix et Bohemiae Regina, Caroli Imperatoris relicta, filia Boguslai Stolpensis Ducis et Xptis ex filia Casimiri Poloniae Regis, et genitrix Sigismundi Ungariae Regis. moritur, et in Ecclesia Pragensi sepelitur

Venceslaus Romanorum et Bohemiae Rex suggestione, et suasionibus Baronum suorum Bohemiae instigatus et adductus, Fratres Cruciferos Sanctae Mariae Ordinis Theutonicorum cum nigra cruce, de universo Regno suo Bohemiae, asserens eos inutiles esse, ex omnibus eorum domibus et Monasterijs eicit, eliminat, et expellit, et bona temporalia, castraque hadan civitates villas et quoslibet introitus eis aufert, et aut fisco Regio adiungit, aut inter Barones Bohemicos distribuit, expost tantum aliqua illis restituit

Demollitione castri Litthuanici Barthen, superiori anno per Cruciferos de Prussia facta, Vuithaudus Litthuaniae Dux missis frequentibus copijs et artificibus instaurat, Quo cognito exercitus Cruciferorum per Magistrum Prussiae extremis plenus militibus expeditus, sub ductu Vverneri Thetingar Marsalci advenit, et superato cum magna difficultate fluvio Memel, pluribusque notabilibus illic per aquarum voragines amissis, castrum Barthen conquirit, et illius munitiones incendit, Resumpsit post haec praefatus Marsalcus suum in Litthuaniam viagium, habens in suo comitatu Dominum de Virtemburg et plurisalios Francigenas et Alvaros, et fluvio Memel navibus transito, terram Samogitarum diebus aliquot, caedibus et spolijs vastant, et quadringentas animas in captivitatem deducunt

Conradus Vuolerod Prussiae Magister moritur, cui Conradus de Iungen succedit concorditer electus

Vuladislaus Secundus Poloniae Rex possessione Regni Poloniae adeptus, quamvis donationes singulas, decreta, et actus Vuladislai Opoliensis Ducis, quas in Regno Poloniae, proprietatem Vuielunensem, Ostrzezouiensem et Dobrzinensem nactus, faciebat, exosas haberet, fundationem tamen Monasterij Czystochouiensis ab eo fundati et dotati rescindere noluit, sed illud de nouo vigesima secunda Februarij et fundauit, et dotauit, Et rescindens dotem incertam et languidam quam illi Dux Opoliensis Vladislaus in decimis frumentorum, braseorum, theloneorum, et mellis consignauerat, dotem certam, villas videlicet Regias, antiquam Czystochowa, Krowodrza, Grabowa, Szarlyeowka, Elgotha, Sunt angulum mellificorum villae Tahrzow vocatum Januska Item ferrificium, piscinam, et prædium Monasterio donat perpetua et irreuocabili donatione

Viccesima insuper quarta Februarij fundationem Monasterij Sancti Nicolai extra muros Vuielunensis Ordinis Sancti Pauli innouat, et villam regiam Derszynki in terra Vuielunensi et decimas frumentorum in villis, Trambarzow, Januszonka, Kuniska, Sczytky, item duas vrnas mellis in villa regia Sokolniki illi donat

Humilitatem murorum arcis Cracouiensis moleste ferens Vladislaus secundus Poloniæ Rex, mænia coctili muro in altum erexit. Burgrabijs quoque castrensibus ad salarium quinquaginta Marcarum per Casimirum secundum suum antecessorem illis consignatum decem Marcas annui census ex Suppis Wielicensibus et Bocnensibus singulis adiecit. Eo tamen pacto vt quilibet eorum vnum equum et Sagittarium pro omni tempore Cracouiæ teneat, ad quamlibet necessitatem, in defensionem arcis Cracouiensis Capitaneo Cracouiensi aut eius vice capitaneo, ad repellendum et propulsandum hostilia illum adiuturus.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS NONAGESIMVS QVARTVS.

Defectionem Alexandri alias Vuithaudi Litthuaniæ Ducis ex castro Naugardensi factam, et Cruciferorum captiuitatem violationemque sub eodem tempore patratam, Magister Conradus de Vungen Prussiæ, et Ordo Cruciferorum acerbe ferens, et scelus suum modi quod proditorium appellabant vltum iri satagens, cum nouis copijs et expedito milite, habens in suo comitatu germanum Vladislai Poloniæ Regis Boleslaum Switrigello, quem Litthuanorum et Ruthenorum perfugarum non spernenda multitudo sequebatur, item Francigenas et Almanos plures numero, item Sagittarios de Conciuel centum

tum quinquaginta, Litthuaniam circa finem mensis Junij ingressus est, eam duplici agmine pervastat. Non reperiens autem aliquam resistentiam, neque enim Duci Vuithaudo tantae vires erant, quibus Pruthenico exercitui posset sine evidenti discrimine, propter Litthuanorum et Ruthenorum fluxam fidem, resisti, castra Vilnensia obsidione cingit, et ad illorum expugnationem magnis, sed ad irritum recidentibus conatibus, bimestri spacio utebatur. Observat autem Vuithaudus Dux omnia itinera sylvestria, ex iniquis locis facilius Magistri exercitum oppressurus. Quo a captivis cognito, Magister per loca paludinosa et invia exercitum traduxit pontibus sibi viam sternens. Ubi ex Boiarijs Litthuaniae militem unum Szudimunt intercipiens, per talos in arbore suspensum necat, multa autem iumenta, multos equos a paludibus absorptos aut illaqueatos, multos denique milites, telis stratos Litthuanorum, Cruciferorum exercitui, in quolibet loco iniquo incumbentium, amisit. Praemiserat siquidem Vladislaus Poloniae Rex plures ex Polonis exercitatos milites Litthuaniam, solatia Duci Vuithaudo contra Cruciferos laturos, quos aestate praeterita constabat Litthuaniae bellum, specie quidem ferendi Boleslao Switrigello auxilij, revera autem Litthuaniam occupandi, illaturos. Venerant et plures numero voluntarij ex Polonia milites, plerique etiam Polonorum Barones proprio aere proprias cohortes armatorum miserant. Qui etsi in congressum universae dimicationis, Vuithaudo, quod de suis parum fideret, prohibente, non venirent, in hostilia tamen castra et stationes, tam frequentes et tam fortes edebant insultus, ut certamen assiduum et particulare dimicationem universalem pene aequaret. Restabat Boleslao Switrigello et Magistro Prussiae in Ruthenorum religiosis, quos suo vulgari Caloyros appellant, in castris obsessis obversantibus, proditionis unica spes. Hi siquidem a Boleslao Switrigello, sectae Ruthenicae quam maxime faventi, largitionibus et promissis onerati, incendendorum castrorum curam susceperant. Sed dum haec quoque spes adimpleta foret, Duci Vuithaudo, fraude, per unum ex his Caloyris, qui illam confecturi erant, detecta, Calayros varijs poenis et cruciatibus afficiente, Magister Prussiae obsidionem solvens in Prussiam una simul cum Boleslao Switrigello redijt. In redeundo autem per Ducem Vuithaudum et suas gentes in locis paludinosis et iniquis frequentius invasus, plures de suis amisit. Nam et in noctibus irruebant Litthuani et plurimos caedebant, neque Litthuanis incruenta fuit invasio, quingenti desiderati, plures tamen ceciderunt de militibus Magistri, in crebris enim locis cogebatur interdum, a fronte et a tergo inuasus, decernere, tanta suorum clade insignis, ut expeditiones contra Litthuaniam velut perniciosas sibi et suis, longo tempore intermitteret. Non ob id tamen Vladyslaus Poloniae Rex singulis annis mittere nouos ex Polonia milites in solatium Duci Vuithaudo, cum omne tempus de bello per Cruciferos Litthuaniae inferendo, suspitione plenum esset, intermisit, qua quidem re, et thesauros Regios, Praedecessorum suorum Regum Poloniae, in donatiua militum, Litthuaniam contra Cruciferos tuentium, et in arma, defendentiaque illuc missa, distribuit, et plures enormes, bonorum regalium Regni Poloniae donationes alienationesque militibus, qui in Litthuania meruerant, fundatas decreuit. Ea autem obsidione quam praemisimus durante, gentes Ducis Vuithaudi Litthuani et Rutheni populationem et vastationem hostilem prohibiturae, praelium cum hostibus infesto agmine conseruerant. In quo etsi acriter decertassent, a gentibus tamen Magistri victi, plures eorum fuere desiderati aut capti. Nec de gentibus Magistri pauciores, hi praesertim, qui pabulatum eundo pugnarant insidiis Litthuanorum necabantur

Personalem expeditionem Conradus de Junge Prussiae Magister parum prospere cedens sibi cessisse, Vernerum de Tetingam Marsalcum cum copiis forensium et propriorum militum, plures enim ex Galliarum et Almaniae partibus ipsis in solatium accesserant, in Litthuaniam transmittit, sub tempore hyemali. Qui primum ad castrum Neugarten accedens, exustum illud a Litthuanis reperit, abinde vero usque ad Lidam processit. Sed et Lidenses eius aduentu perterriti, castrum incendunt, et diffugiunt. Marsalcus vero populatione latius extensa, neque enim superiori tempore profundius quisquam in terram Litthuaniam grassatus fuerat, magnam captiuorum utriusque sexus multitudinem cum captiuis congerit, et in Prussiam abducit. Descendit post haec vice altera Ulricus de Jungen aduocatus Szambiensis et germanus Magistri cum forti exercitu propriorum et externorum militum, gloriam et praedam, per vastationem Litthuaniam quaesiturus. Qui cum apud Rossithem consistens praedas ageret, perculsus magno et subito terrore, omissa populatione, et praeda, tumultuario itinere rediit. Dux enim Vuithaudus in frequenti exercitu Prussiam descenderat, et circa Insterburk regionem

nem omnem igne et cæde vastabat, a quo se vinci et intercipi verebatur. Quo abeunte Conradus de Hiborch Commendator de Balga terram Drohicinensem ingreditur, et incautos reperiens, multam prædam congerit, ac trecentos captivos abducit

Viccesima secunda Decembris Henricus Dux Opoliensis, dum ex studio Bononiensi reverteretur, gravi infirmitate correptus, diem obijt

Heduigim Poloniæ Reginam, consortis suæ Mariæ germanam Sigismundus Ungariæ Rex visitaturus, vigesima quarta mensis July die Poloniam advenit. Cuius adventum, Regina Heduigis præfata, aliquot sibi significatum Nuncijs, iusto honore exceptura, circa castrum Ketser illi cum suo celebri et magnifico comitatu occurrit, a qua in Szandecense oppidum deductus, pluribus diebus illic benigne et splendide habitus, singulis etiam et opulentis necessarijs cum omnibus militibus suis tractatus est. Factis autem varijs tractatibus, statum tranquillum Regnorum firmantibus, donis a Regina Heduigi muneratus magnifice in sua rediit.

Mazoviæ Dux Janussius ad flumen Narew in terra et ducatu sortis suæ arcem novam erexit, quam et appellavit Zlotoriam, Et dum pro illius consumatione personaliter illic cum militibus suis, quo celerius et perfectius opus perficeretur, adsisteret, nullas hostiles insidias veritus, supervenerunt repente Comes Rodolphus Commendator de Balga, et Valroder Commendator de Reven cum populo multo, a Prussiæ Magistro Conrado de Iunigen transmissi, et tam in milites Ducis Janussij ipsumque Ducem, quam in eos qui fabricabant arcem, hostiliter grassantes. Et arcem quidem quæ fabricabatur ex ligno, nec dum perfecta fuerat in suam potestatem redigunt, et omnes illius inimicos flammis exurunt. Ducem vero Mazoviæ Janussium in equam impositum, ligatis sub ventrem equæ duralibus pedibus, quamvis termini repræsentationis eximius deposcerent, cum cæteris militibus Mazoviæ æque vinculatis ad præsentiam Magistri Prussiæ Conradi de Iunigen deducunt, Non veriti contumeliam temerariam et iniquam inferre Ducali sanguini, et fundatoris sui primarij Conradi pronepotes, quibus parva videbatur terrarum Chelmensis et Pruthenicæ accessio, Pomeranicæ vero violenta et dolosa occupatio, nisi etiam in Mazoviæ regionis sua arbitria suaque imperia pro libito extendissent. Captivitati illius Vladislaus Poloniæ Rex cognita, missis ad Prussiæ Magistrum Nuntijs, solui illum extemplo, quæstus apud Magistrum de fœderis perpetui violatione obtinuit, Et quamuis acerbo animo captiuitatem Ducis sui Janussij Rex tulerit, continuit tamen se ab omni guerra, quam ob tantam et tam insignem iniuriam, et fœderis rupturam, plures anhelabant Pruthenicæ superbiæ inferri

Dux Trocensis Skirgello Vuladislai Poloniæ Regis germanus, tyrannicum et graue in Ruthenos exercens imperium, plures illorum capite damnauerat, nonnullos vulneribus diris affecerat. Eo quidem subditis intolerabilior, quod crudelitatem ipsam dum magis temulentus foret, depromebat. Quapropter ab vno Ruthenorum religioso, licet et ipse ritus Rutheni esset, in castro Vuyschegrod prope Kiyouiam sito, in poculo, quod prægustatum, digito annulari in quo virus locauerat in vas immisso, infecerat, venenatus moritur, nullam prolem relinquens, et in Pieczari sepelitur. Viro Ruthenis formidabilis, vt etiam post fata timeretur græcum ritum abijcere, et Romanum Catholicumque profiteri, a Vuladislao Rege persuasus, Romam se iturum et non nisi illic vtrumque impleturus deuouit, propositum tamen eius mors repentina dissoluit

Enormes leuitates, exorbitantesque et Tyrannicos mores, quibus Venceslai Romanorum et Bohemiæ Regis pectus refertum fuerat, Barones Bohemiæ, factis, verbali admonitione crebrius ingesta, nullum afferente profectum, ne Rempublicam tam Imperij quam Regni ab eo et Consiliarijs suis, quos ex leuissimis quibusque hominibus legerat, pessundatum iri contingeret, castigaturi, aut saltem restricturi, Præfatum Venceslaum Regem in oppido suo Regio Verona, tribus milliaribus a Praga distante captiuant, honestaque custodia et loco honesto inclusum, leues Consiliarios ab eo remouent, et viros maturos et graues illi adhibent, quatenus ex eorum sententia et decreto singula Imperij et Regni administrarentur negocia. Huius captiuitatis Sigismundus Vngariæ Rex et Marchio Brandeburgensis principalis author ferebatur fuisse, qui per illam sperabat in fratre suo Venceslao Rege, mores, a Regia grauitate abhorrentes posse rescindi Erat enim voluptatum sequax ac laboris fugiens, ebrietatis et crapulæ quam Regni curiosior. Joannes tamen Dux Lasariæ et Procopius Marchio Moraviæ magno Reipublicæ malo eum solverunt. Captus fuit et secundo per Sigismundum Ungariæ Regem, et Alberto Austriæ Duci in custodiam datus. Custodia vero apud Viennam, ædibus, in quibus degebat, Praga nomen reliquit. Sed cum parum diligentius custodiretur, fugam arripuit, Regnoque rursum potitus est, non tamen mores et vitam mutavit.

Animadvertens Joannes Cropidlo Gnesnensis Archiepiscopus, et Opoliensis Dux, et ob Scisma in Ecclesia Dei inter contendentes de Papatu exortum, quod indies grassabatur, et quia Vladislaus Poloniæ Rex hostem suum notorium illum ut erat ostendebat, sedem Gnesnensem consequi non posse; sponte de illa cessit, per Procuratores ab eo constitutos. Ad quam Dobrogostius de Nowidwor in Mazovia Decretorum Doctor, ex patre Przomislao nobilis de domo Nalancz, a Vladislao Poloniæ Rege nominatus, Poznaniensis tunc Episcopus, dum in sede Posnaniensi annos undecim excessisset, per Bonifacium in sua obedientia Papam nonum appellatum, sexto Calendarum Aprilium, in urbe tunc præsentem, Vladislai enim Poloniæ Regis præfati Orator ab eo specialiter destinatus, grandia apud Bonifacium præfatum, et signanter confirmationum fundationis duarum Ecclesiarum Cathedralium in Lithuania, videlicet Vilnensis, et Myednicensis, a se fundatarum expediebat, translatus et suffectus est. Verebatur enim Bonifacius nonus ne si in desideriis suis Vladislaus Poloniæ Rex negligeretur, ad competitorem suum Petrum de Luna deficeret. Providit et tunc ipse Bonifacius Joanni Crospelo, utraque Ecclesia Gnesnensi videlicet et Vladislaviensi orbato, de Ecclesia Camyenensi in terra Stolpensi satis tenui et pannosa, de Ecclesia vero Posnaniensi ad intercessionem præfati Vladislai Regis Dobrogostio de Nowydwor Cantori Gnesnensi et Decano Cracoviensi, Polono nobili genere de familia Nalancz qui apud Hedwigim Reginam Poloniæ familiaritatis fungebatur officio, providit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS NONAGESIMUS QUINTUS

Parvam

Factam et perniciosam terrarum, Vieluniensis, Dobrzinensis, et Ostrzezouiensis alienationem per Ludovicum Poloniae et Vngariae Regem, a corpore Regni Poloniae alienationem, Vladislaus Poloniae Rex, quemadmodum iuramento et inscriptione solenni pollicitus, in assumptione sua in Regnum, fuerat, restauraturus, Vladislaum Opoliensem Ducem, cui de terris praedictis donatio praeiudicialis et iniqua per Ludovicum Regem facta fuerat, honesta requisitione per Legatos identidem missos sollicitat, quatenus terras Regni Poloniae iniuste occupatas redderet, se enim non passurum, vt tam notabilis Regni sui Poloniae portio ab eo debeat divelli. Duce autem Opoliensi Vladislao, requisitionem regiam varijs refellente frustranteque responsis, ac astruente, donationem terrarum praedictarum, sibi et suis proximioribus promeritis, et perpetuo a Rege Ludovico Poloniae et Vngariae factam, non posse a quoquam rescindi, res et quaestio huiusmodi, nihil modeste, nihil quiete, nihil aeque Vladislao Opoliensi Duce respondente, coepit spectare in arma. Quare Vladislaus Poloniae Rex omni conditione honesta vteturus, novis legatis ad eum fatigatis, novam quidem illi conditionem, sed aequissimam, quam non praesumebatur abnuisse, proponit, vt videlicet pro terris praedictis nihil sibi hostile vereatur accidere, Omagium duntaxat Regi Poloniae praestet, et se occasione terrarum praedictarum Regis et Regni Poloniae profiteatur feudalem, orbus enim Opoliensis Dux filijs et filiabus erat, facileque et sine bello apparebat terras Regni Poloniae ab eo occupatas eo mortuo ad Poloniae Regnum posse redire, si vivus oblatam conditionem implevisset. Sed cum tam aequam oblationem aspernatus, superba etiam iactantia vsus, neque Poloniae Regem illius potestatis, neque se illius pusillanimitatis fore responderet, vt propter terras se et suos nepotes et affines solido et optimo iure contingentis, quarum sibi a Ludovico Poloniae et Vngariae Rege simpliciter et omnimoda donata esset, qua in eam diem pacifice vtebatur, proprietas, Regis et Regni Poloniae consentiret esse feudales, et vasalla. Vladislaus Poloniae Rex reintegrationem sui Regni, et praedictarum terrarum restitutionem certo certius expertus, quietis consilijs procurari non posse, ad belli consilia animum demum vertit, et de bello Vladislao Opoliensi.

ensi Duci in sequentibus anni aetate inferendo, in secretissimo consilio, ad quod nonnisi quinque Consiliarii adhibebantur, agitare deliberationem coepit. Wladislao enim Opoliensi Duci tantus ad scindendum terras occupatas a Poloniae Regno inerat ardor, ut plures colles pro gadibus, terras occupatas disterminare a Poloniae Regno satagens, prope oppidum Zebno quae usque in praesens cernuntur, locaverit, quasi in sua potestate situm fuerit terminos et limites in Regno Poloniae pro libito constituendi.

Turcorum genti et illius Cæsari Beyzath Sigismundus Ungariae Rex bellum ultro illaturus, cum ad id multorum Catholicorum principum et signanter Franciae Regis et Burgundiae Ducis, militiam suam sibi in solatium mittere repromittentium, assidua sollicitaretur instantia, multiplicem ex variis gentibus et nationibus militiam accersit, et tam propriis copiis, quam exteris, frequentissimo comitatu stipatus, ad Turcorum terras et dominia ire pergit. In cuius solatium Franciae Rex insignem militum suorum cohortem misit, Dux vero Burgundiae Joannes personaliter cum gente sua venit. Copiis autem variarum linguarum atque gentium collectis in unum, tam multiplex et numerosus Catholicorum erat exercitus, ut in eo quintuplex numisma a principibus cuderetur. Verum tanto et tam fortissimo exercitui Dux deerat, et disciplina militaris, nihilque consulebatur in commune. Sed et ipse totius exercitus princeps Sigismundus Ungariae Rex ad quem a singulis habebatur respectus, nihil quod tanto exercitui salubre esset providebat, sed robore tot gentium tot legionum fretus, hostem adeo contempserat, ut arma sua neque loco, neque tempore, crederet, idque publice vulgaret, sustineri a Turcis posse. Dum itaque ad oppidum Romaniae, quod ditionis Turcorum erat, Nicopolim ventum foret, nunciatur subito Turcorum Cæsarem Beyzath aliâs Calapinum, cum potentiis suis ad decernendum instructum, vix duobus milliaribus abesse. Sed neque haec denunciatio Sigismundum Ungariae Regem ad providendum de summa rei, ad instruendam, dum tempus pateretur, aciem, permovit, sed in tabernaculo curando corpus, et quieti ac solatiis operam dando gloriabatur se tanto exercitu septum esse, quem nedum Turcorum Cæsar sed nec omnes Orientales tyranni invasuri sunt. Quo tam ampullosum parumque modestum apud suos concionantem sermonem, Turcorum Cæsar Beyzath aliâs Calapinus cum multitudine armatorum adveniens, Catholicorum et Sigismundi Regis sine

ligi

lege, ſine ordine, ſine armis, ſparſum exercitum reperiens, quod plerique levitati petulantiaeque Gallorum, et praecipitanda pugna inſolenti ſtupiditati actum affirmant, tanquam in gregem bidentium errantem et Ungarorum primoribus cum Sigiſmundo Rege ad vada Danubij qui in propinquo circa Nicropolim decurrit, ut eo navibus ſuperato imminens periculum declinarent, fugientibus, Galli, Poloni, Almani, Bohemi, Burgundi, Hiſpani, et nonnulli Ungari cum Turcis congreſſi facile ab eis debellati et conflicti ſunt. Et paucis fuga evadentibus, ceteri aut occiſi aut capti, Caſtra exercitus Catholici maxima opulentia a Turcis direpta, Dux Burgundiae Joannes, dum faedum et turpe fugere putaret, cum multis militibus per ducis militiae cuſtodientibus captus, et non niſi biennio centum florenorum millibus redemptus, Capti aut deſiderati Galli, Poloni, Bohemi, Almani, Hiſpani, Ungari, tantaque clades Chriſtiani exercitus ſequuta, ut invalidae ſint ad ſcribendum literae; quantum robur Catholici exercitus, a barbaris deletum, quanti milites capti, et in miſerabilem ſervitutem abducti, quanta fortuna intercepta. Ex Polonis militibus vir Heroicus Salinus Caſtellanus Viſſegradenſis, cum optimo filio Rolando adverſo pectore fortiſſime dimicans, occiſus, Stiborius de Stiborzicze de domo Oſtoya et Thomas Kalſki de domo Roza, milites in comitatu Regis Sigiſmundi ſalvati, Swantoslaus vero miles ex terra Siradienſi et domo Lyada ortus Sczenya appellatus, dum navim in qua Sigiſmundus Rex cum militibus primoribus vehebatur conſcendere non poſſet, repulſus, cum et manus eam intrare nitentibus ab his qui in illa conſtiterant amputarentur, verentibus ne navis multitudine onerata praecipitaretur, in profundum, de virtute et robore corporis confiſus, in undas Danubij ut erat armatus ad praelium ferro onuſtus inſiliit, et alveum Danubij in illo loco torrentem et protenſum tranando ſibi incolumitatem quaeſivit. Ungariae Rex Sigiſmundus omnia turbata videns, veritus ne et ipſe vivus in Turcorum veniret manus, pavens et deſperans, dit, et trepida fuga Ungaris pleriſque deſperantibus, equori ſe credi evaſurum, nuſquam tutum, amne ſuperato, conſiſtere auſus, incolumis Conſtantinopolim divertit: Ubi anno uno obverſatus, beneficio et claſſe Venetorum Dalmatiam advectus, in Pannoniam rediit. Hac tam ingens clades, tam grandis ignominia, magnas profecto vires et ingens robur Turcorum animis viſa eſt addidiſſe, ut ſine inſtau ratis animis audaciores efferatioresq; effecti, ad maiora patranda animum sumpserint. Subsequenti enim hyeme præfatus Bayzath Turcorum Cæsar copiosum exercitum in Vngariam mittens, eam cædibus et spolijs vastavit, et plura Christianorum vtriusq; sexus ætatis florida millia in miserabilem servitutem abduxit

Cænobio extra muros Cracoviensis in arena, et Ecclesia in titulum et memoriam Visitationis virginis benedictæ Mariæ Vladislaus Poloniæ Rex et Heduigis Regina, singulari devotione, ad amplitudinem honoris et virginis gloriosæ, et festi visitationis noviter instituti, permoti, erectis, Ecclesiam præfatam regali sumptu de muro principiant, et in notabili parte consummant, quam cum illius Cænobio fratribus Sanctæ Mariæ de monte Carmeli ordinis mendicantium consignavit, quem Albertus Patriarcha Hierosolimitanus Anno gratiæ Millesimo Ducentesimo quarto in monte Carmeli instituerat

Die Lunæ decima septima mensis Maij Maria Vngariæ Regis Sigismundi consors, et germana soror Heduigis Poloniæ Reginæ Budæ moritur. Qua absumpta Vngarorum primates ad sufficiendum sibi novum Regem, quasi Sigismundus coniuge mortua Rex eorum desierit, animos intendebant. At ego valde iniquum reor, ut cuiquam fœminæ quantumcunq; insigni nomen debeat aptari Mariæ, cum id solum excellere et Dominæ nostræ debeat congruere

Francorum Rex Scisma in Ecclesia Dei moleste ferens, cum cerneret vtrumq; contendentium de Papatu, videlicet et Bonifacium nonum, et Benedictum duodecimum, ea conditione in Papatum assumptos vt requisiti, de Papatu pro vnione Ecclesiæ cederent, per Electores Imperij et Principes Almaniæ Bonifacium nonum requirit de cedendo. Qui cum se spontaneum ad cedendum offerret, etiam Benedictum duodecimum vt cederet requirit. Quo renitente, et Christianitati maxima imminere dispendia, si cederet, respondente, tenta fuit in Francofordia supra Menum, ad procurandam vnionem in Ecclesia Dei, generalis Dieta. In qua cum vnio propter contumaciam et ambitionem vtriusq; contendentis de Papatu provenire non posset, captivatur Benedictus duodecimus per proceres Franciæ, et in Avinione triennio, subtracta sibi obedientia, detinetur captivus. Post triennium vero in habitu dissimulato ex palatio Avinionensi fugiens, ad fauces Rodani in naviculam, ad galeras ex Aragonia ad conducendum eum præparatas veniens, Aragoniam deductus est, Et licet processu temporis per medium Ducis Aurelianensis Gallicam obedientiam recuperasset. Duci tamen

Aurelianens.

Aurelianensi occiso, quoniam dolis et fallacijs utendo, unionem facere dissimulabat, iterum sibi sunt subtracta.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRECENTESIMUS NONAGESIMUS SEXTUS

Anno plusquam uno dudum agitatumque secreto consilio bellum Vuladislao Opoliensi Duci, ad recuperandum terras ab eo occupatas, inferendum, Vuladislaus Poloniae Rex ad consumationem votivam perducturus, Expeditione generali Regno suo indicta, Cristinum de Ostrow Castellanum Sendomiriensem cum aliqua copiarum parte ad conquirendum terram Dobrinensem, simulato consilio, vulgata fama, quasi illum cum reliquis copijs subsequuturus, transmittit, quatenus ab eo, quod parabat, bello, in alterius rei curam, animum Opoliensis Ducis Vuladislai converteret. Qui militibus et terrigenis Cuiaviensibus in sui adiumentum reassumptis, castrum Bobrownicki terrae Dobrinensis quod nomine Vuladislai Opoliensis Ducis, Slesita Szari tenebat, obsidione arctavit. Quae res sibi celeriter principiata, Ducem Vuladislaum Opoliensem, ne castris terrarum Ostrzeszoviensis, Vieluniensis, et alijs, quae primum Rex Poloniae impugnare decreverat, provideret, distinuit, et ab omni suspicione belli ad terras Vieluniensem et Ostrzeszoviensem transferendi avertit, pro constanti credulitate Poloniae Regem cum militibus suis, quos arma induisse audierat, non alium locum, quam Dobrinensem terram petiturum. Aliquanto autem tempore Cristino de Ostrow Castellano Sendomiriensi obsidionem castri Bobrownicki continuante, Magister Prussiae Conradus de Iunngen cum notabili exercitu laturus obsessis solatium advenit. Cuius potentiae Cristinus de Ostrow se sciens parem non esse soluta obsidione discedit. Rex interea Poloniae Vuladislaus omnium communi et vulgari iudicio pro conquisitione terrae Dobrzinensis processurus, copijs convenientibus, reflexo mutatoque itinere ad castrum Holstyn quod etiam hostis Opoliensis Dux tenuerat, Spythcone de Melstyn Palatino Cracoviensi cum alijs copijs ad obsidendum castra alia Vieluń, Ostrzeszow, Boleslawiecz transmisso contendit. Vbi Semovitus et Janussius Mazoviae Duces cum notabili exercitu venientes exercitum regium suapte fortem fortiorem efficiunt. Quamvis siquidem Vuladislaus Opoliensis Dux Offham germanam sororem Semoviti et Janussij Mazoviae Ducum in matrimonio habuerat, ferre tamen contra affinem, Poloniae Regem et Regno arma veluti feudales coacti sunt. Impetu contra castrum quamvis in rupe altissima situm, tertio die ex quo obsideri coeptum est, a militibus iussu Regis facto, castrum, Borzisincz eius Capitaneo cum fratribus et familiaribus nequicquam fortiter et animose resistente, conquisitum. Borszinczones, qui omnia sua studia pro illius defensione intenderant, capti. Quorum conditioni Vladislaus Rex miseratus, cum abunde foret, vitam conducere, chambona haereditaria in terris Russiae circa oppidum Clumarz largitur

Expugnato conquisitoque castro Olstin, rapacissimo itinere ad Krzepicze, Vielun, Boleslawiecz, Ostrzeszow, Brzeznicza, Bobolicze et Grabow castra, quorum nonnulla a gentibus Regiis obsidebantur, magis discursum quam itum est. Exigua fere apud omnes resistentia Regi, nimio pavore singulis qui castra obtinebant consternatis, consiliique inopibus, obiecta est, neque aliquorum castro Olstyn fortissimo expugnato, vires fuerunt. Infra dies septem omnia castra et civitas Vielun, praeter unum castrum Boleslawiecz per Regem aut suos praefectos, per deditionem accepta. Stanzik de Ruda Capitaneus Vielunensis de genere et domo porcaria, apri caput manu humana illud distrahentis, deferentis, quoniam civitate dicta, aliquamdiu resistens, aliquos ex arce saxis offenderat, castro expugnato, gladio percuti iussus, clementia Regis in ipso necis articulo, quo carnifex iam mucronem libraverat, incolumitati donatus est. Serenus Dux Vladislaus Opoliensis, post omnium fere castrorum, et duarum terrarum amissionem, quae illi sub unum pene diem acciderat, expergefactus, arma, milites, et victualia ad defendendum Castrum Boleslawiecz, flumine Prosna undique circumseptum, et tam arte quam situ munitissimum, transmittit. Ubi Regius exercitus, forti resistentia reparatus, septennio illud, constructis et erectis in circuitu pluribus castellis, ex quibus in obsessos iaculabantur bombardae, obsedit. Sub quo quidem tempore etsi Vladislaus Opoliensis Dux morte absumptus fuerit, castrum tamen Boleslawiecz pro sua relicta Ducissa Offka tenebatur, quae tandem reconciliatione obtenta Vladislao Regi illud tradidit. Si quis autem huius expeditionis felicem et compendiosum exitum scrupulosius vellet metiri, profecto reperiet quantum bonum, quamque sublime sit publicas et Regias actiones, eas praecipue quae armis et ferro administrandae sunt, strictissimo secreto occulere. Non enim alia acquires quam

Regij consilij secreta observatio Vuladislaum Poloniæ Regem et suum exercitum in tam breviusculo tempore et tam tenui impendio duarum terrarum et plurimorum castrorum fecit victorem. Et quod exercitus fortissimus vix conquisivisset, consilij publici stricta observatio contulit. Discant Poloniæ Reges, Principes et Barones, non in armis et fortitudine, sed in Dei brachio et prudentia atque secreto consilio, omnium istarum rerum, quas efficere satagunt, felicem successum consistere. Vuladislaus Opoliensis Dux nimia vexatus amaritudine et dolore, terram quoque Dobrzinensem, quæ in ditione sua permanserat, veritus sibi ut cæteras ereptum iri, illam et castra eius Dobrzyn, Bobrowniki, Rypin, ~~p~~ Lypno, Zlotoria, Magistro Conrado de Junygen, et Ordini Cruciferorum de Prussia et in suæ acerbitatis solatium, et in regni opprobrium, in quadraginta florenorum millibus obligat. Quæ quidem obligatio et expressam usuram et manifestam iniuriam et præiudicium Regni Poloniæ redolens, a Magistro et Ordine Cruciferorum, si per illos et ad divinum præceptum et ad fœdus pacis perpetuæ cum Regno Poloniæ ictum, iustus habitus fuisset respectus, nullo pacto nulla causa poterat aut debebat acceptari. Continuas autem septem æstatis totiusque hyemis castrum Boleslawiecz, circumsessum, tandem fame sitique obsessos urgente, per relicta Vuladislai Opoliensis officiales deditum est, quo uno perseverandi genere, quantumcunque munitissima, sive artem spectes, sive naturam expugnatum iri vidimus loca.

Ad benedictæ Trinitatis præcipuam laudem et genitricis Dei Virginis Mariæ, beatissimi quoque Stanislai Cracoviensis Episcopi et Martyris decus et memoriam, Vuladislaus Poloniæ Rex et Hedwigis consors sua Regina Collegium de sedecim præsbiteris mansionariis in Ecclesia Cracoviensi iugi iubilatione, cantu Ordinario cessante, Psalmos Davidicos bini et bini in dextro et lævo Choro, vicibus et horis inter se ex æquo partitis cantaturos fundant, ordinant et constituunt. Et cuilibet pro dote decem et octo Marcarum summam de introitibus Zupparum Vuieliciensium et Bochnensium donatione perpetua largiuntur. Quarum collationem, substitutionem, provisionem, et omnimodam dyspositionem in Episcopum et Capitulum Cracoviense transfundunt

Bomfarius

Bonifacius Papa nonus, durum et parum possibile perpendens Mampscolum Italum provisum suum Plocensem, Episcopatus Plocensis possessionem, et propter linguae imperitiam, et generis invidiam, et Schisma assidue gliscens consequi posse, ipso etiam Mampsiolo sponte renunciante, et post renunciationem dum obeunte, Jacobo de Korzkow Decretorum Doctori Polono, nobili de domo Szirokomlya Palatij sui auditori famoso in Subdiaconatus Ordine constituto, Praeposito Wratislaviensi secundo Calendas Augusti, Romae providet, ex patre Floriano milite de Curdwanow et matre Catherina de Cracoviensi provincia ortus. Quem etsi Masoviae Duces, Semovitus et Janussius, Capitulares quoque Plocenses aliquamdiu recusassent admittere, virtute tamen sua, probitate, et doctrina permoti, illum cum benigno favore admiserunt. In quo per omnem vitam tam probe et laudabiliter versatus est, ut et Duces, et Capitulares teneret penitudo, quod virum tam virtuosum, utilem, doctum, et optimum motibus proprijs non optassent

Commendabili donatione narrata, reprehensibilem et perniciosam, cum sub eodem tempore acciderit, subnectemus. Precibus Spythonis de Melstin Palatini Cracoviensis, Vladislaus Poloniae Rex permotus, terram notabilem, melle, lacte et pecore refertam Podoliam, quam Casimirus Secundus Poloniae optimus Rex, armis et ferro de Tartarorum potestate et manibus quaesierat, praefato Spythoni Palatino Cracoviensi inscriptione perpetua sed feudali, Hedwigi Poloniae Regina, Praelatis quoque et Baronibus Regni nequicquam improbantibus et dissuadentibus, ea tamen conditione ut ex illa Regibus et Regno Poloniae, ut feudalis et vasallus assidua praestet obsequia, donat. Quae quidem donatio Hedwigi Reginae et toti consilio, gravis, iniuriosa, et onerosa, ab omnibus etiam odio et ludibrio habita est, propter quod durare non potuit, sed velut fumans stipula extincta perijt, et praefata terra Podoliae cum omni dominio suo mero et mixto proprietati Poloniae Regni reddita

Clandestina, et si fas dicere sit, furtiva hostilitate, Vladislaus Opoliensis Dux, cum aperta et iusta nequiret, contra Regem et Regnum Poloniae usurus, mercatores Regni Poloniae ad nundinas Wratislavienses in Quadragesima medio celebratas transeuntes intercipit, spoliat, atque captivat, et varia rerum, pecuniarum,

cuniarum et mercium Suppellectili potitus, gloriabatur se iniurias in terrarum Vuelunensis et Ostrzezouiensis ademptione, vtcunque vltum esse. Vuladislaus autem Poloniae Rex, quo iustius aduersus tam infestum et iniustum hostem arma indueret, feciales primum ad illum mittit, quibus nullam ablatorum restitutionem referentibus, assiduis de nouo spolijs per latrones proscriptos, perfugas, et a reali cno et iniurijs damnatos Polonos, qui apud illum tutum repererant diuersorium, infestabat. Inter quos famosior erat Petrus Jos-Sowka de Curow nobilis de genere Janyna, qui ex eo quod castrum Lowinicza iratus in illius Sacerdotem Coltzhonem, quia illi venationibus dante operam partem cassium, modicam terram suae Sacerdotalis occupantium, confregisset, incenderat, proscriptus. Miles insuper innocens Raphael Grodzietzski de domo Griffonum cum duobus filijs Martino et Joanne in curia sua Grodziecze a latrunculis Ducis praefati Vuladislai Oppoliensis, quos ad infestandum Regem Poloniae milites et mercatores furtiuo ingressu submittebat, et qui ad eum nuntio praemisso sub fratrum et amicorum specie se venire ementiti erant, ut facilius incautum fallerent, in Sabbato magno captus, et in Oppoliam deductus, Illicque dum senex et valetudinarius foret, et captiuitatis molestias sufferre nequiret, et a fautoribus Oterquellinij, in quod illum Vuladislaus Opoliensis Dux ut altiorem depactationem praestaret prouexerat notabiliter languidatus, et infectus mori coactus, et in Monasterio Czarnowases sepultus. Ad reprimendas itaque Vuladislai Opoliensis Ducis insolentias. et ad cohercendum duplex suum facinus in obligatione terrae Dobrinensis et spolio mercatorum Regni admissum, valido congregato exercitu et suas et nepotum suorum terras inuadit, et plerisque castris et oppidis suae et suorum nepotum ditionis conquisitis, ciuitatem Opoliense et duo castra eius obsidione coarctat, murorumque et turrium illius propugnacula, assidua bombardarum proiectione conterit, et ponit in ruinam, villas vero et rura in flammam. Dum autem Vuladislaus Opoliensis Dux Venceslai Romanorum et Bohemiae Regis, et per se ipsum et per nuncios imploratum defensionis solatium intelligeret sibi prouenire non posse, respondente Venceslao Romanorum et Bohemiae Rege iustissime illi propter praedas et spolia vexationem praesentem accidisse, Caduceatores ad Vuladislaum Poloniae Regem Conradum Olesnicensem, et Bernardum Nyemodlinensem Duces Slesiae mittit, Quorum intercessione Vuladislaus Poloniae Rex placatus, omnium spoliorum, pro singulis mercatoribus, satisfactione ad plenum percepta, obsidionem quidem solvit, sed castra iure belli quaesita, videlicet Sublinecz, Strzelcze, et alia in sua ditione, dans illa Spythoni de Melstyn Palatino Cracoviensi in tenutam, retinuit. Quorum restitutio non aliter sequi poterat, donec Bernardus Dux Nyemodlinensis nepos Vuladislai Ducis Opoliensis germanus, castro Bolheslawiecz Regi dedito, Heduigim filiam Spythonis de Melstyn Palatini Cracoviensis sibi matrimonio iungeret, quae pro dote, quam secum ad virum latura erat, favore Regio castra conquisita Duci Bernardo restituit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS NONAGESIMVS SEPTIMVS

Dobrinensis terrae obligationem per Vuladislaum Opoliensem Ducem, Magistro et Ordini Cruciferorum de Prussia factam, Vuladislaus Poloniae Rex moleste ferens, foedus quoque pacis perpetuae per Magistrum et Ordinem violatum iri prospiciens, tam animo quam corpore, et omni nisu spectabat in bellum. Sed cum hoc consilio, Consiliarijs retinentibus, sibi negaretur, gerendi enim cum Cruciferis belli magis ob liberandam excutiendamque de illorum manibus Samogitiam, quam ob recuperandam terrae Dobrinensis iniustam occupationem, occasio quaerebatur, ne praedicta terrae Dobrinensis occupatio neglectum iri et in oblivionem verti a Rege et Consiliarijs putaretur, conventus de ea re cum Magistro et Ordine in Iunivladislavia Sabbato conclusus est. Ad quem Heduigim Reginam potius quam Vuladislaum Regem, ne animus ob superiores et recentes Litthuanicae patriae vastationes exulceratus, duriori sermone effuso, bellum cuius eventus magnopere vitabatur, conflaret, ire placuit. Quae illuc in magnifico apparatu et Praelatorum ac Baronum frequenti numero adveniens, cum Conrado de Iungingen Magistro et Commendatoribus Prussiae de restituenda Dobrinensi terra per dies aliquot varijs tractatibus casso labore placitatum, aspernantibus Magistro et Commendatoribus omnes iustas et aequas, quae ab Heduigi regina et Consiliarijs Poloniae exhibebantur conditiones, et pro more suo, nunc illas, nunc alias excusationes eo pacto interponentibus, ut terram Dobrinensem occupatam a Ducibus detinendo, iuxta ac Pomeraniam, aliasque Regni Poloniae terras per usurpationem temporis vendicarent. Obiurgatis autem Magistro et Commendatoribus, quod tam cupidi forent, et appetitores alieni, etiam fœmina benedicta cælesti quodam inspirata sensu adiecit, se quidem vivente, bellorum ob præsentes et præteritas iniurias, Poloniæ Regno illatas, suppressum fore furorem, fatis vero absumpta, scirent maximas sibi clades eventuras, ex iustissimo Dei decreto, quod dominis et patronis fundatoribusque suis, quorum stipe, eleemosyna, et donatione vivere(n)t, spirarentque, tam infesti forent hostes, et pro acceptis beneficiis, pro collatis terris, et dominiis, iniurias rependerent, et transacta occupatione Pomeraniæ terræ ad Regnum Poloniæ a primæva fundatione spectantis, parum contenti, ad occupandum terram Dobrinensem avarum et inexplebilem animum intendissent, ad integritatem corporis Regni Polonici, iuxta ac terræ Vielunensis, et Ostrzeszowiensis, nisi ipsi callidum et iniquum præstarent impedimentum redituram. Et quamvis Conradus de Iungingen Magister cum Commendatoribus suis, in Diata Sumbmodæ, cum Wladislaviensibus, obiurgatorium sermonem Hedwigis Reginæ veritati subnixum non diffiterentur, et ipsi Hedwigi Reginæ gratias tunc egissent, quod tam illam ad pacem communem retinendam qualificatam offendissent, immensas, reddere tamen terram Dobrzinensem, nisi sub iniquis conditionibus, si illis primum quadraginta florenorum millia redderentur, non poterant adduci. Propter quod animis infestis et magis irati, ex Sumbmode Diata Consiliarii Poloniæ discedebant

Boleslao Switrigel germano Regis reconciliato et locato in Polonia, ne seminarium novæ seditionis per illum concitaretur, Alexander Vuithaudus Litthuaniæ Dux aliquantulum quietis ab intestino et externo bello nactus, primam, Catholicum se demonstrans Principem, in Tartaros agit expeditionem. Et notabili exercitu ex Polonis, Litthuanis, et Ruthenis congesto, terras et regiones ingreditur Tartarorum. Quos etsi ultra fluvium Don, qui Latine Thanais, et prope maximum fluviorum Volgam vagantes peragrasset, nullam tamen resistentiam reperiens, in Tartarorum stationem, quæ Orda appellatur, irruens, plura millia Tartarorum cum uxoribus parvulis et pecore cepit, et usque in Litthuaniam deduxit. Quorum medietatem Wladislao Regi et Prælatis Baronibusque Poloniæ, in victoriæ signum pro munere misit, reliquam medietatem sibi retinuit.

Et Tartari quidem in Poloniam translati, deposito gentilitatis errore fidem Christi professi sunt, et unus populus cum Polonis, iungendo mutuum matrimonia, effecti, Si vero qui in Litthuania residerant, secta spurcissimi detinentur Mahumeti, atque in uno angulo terrae Litthuaniae a Vuithaudo Duce locati, suis moribus, suoque detestando ritu vivunt

Pridie Calendas Martij Henricus cognominatus Sperling Dux Glogoviensis, dum apud Ligniczam hastis luderet, graviter vulneratus occumbit, in Monasterio Lubensi sepultus

Plantationem fidei Orthodoxae novellam in Litthuaniae terris a Vladislao Poloniae Rege pio et religioso studio institutam, Hedvigis Poloniae Regina in Pragensi studio tunc florenti, domum muratam, optimis stubis, caminis, et officinis refertam, in antiqua civitate Pragensi, non longe a Regia et prope curiam Reginalem sitam, cuius posterius in fossam versus novam civitatem tenditur, propinquam Collegijs Sancti Venceslai et Nationis, emendo, speciale collegium pro Litthuanorum natione in huiusmodi domo operam studijs datura colligenda die decima mensis Decembris instituit, ac censu perpetuo ducentarum sexagenarum latorum grossorum Pragensium de speciali concessione et licentia Venceslai tunc Bohemiae Regis, emendo certas et liberas villas pro notabili pecuniarum summa, prope Pragam, quae habitantes refervent, dotavit. Quod etiam in hanc diem meritorium, et egregium foeminae Illustris praefatae opus, testans in sua essentia et dote, post plurimas clades, eversiones et ruinationes aliorum piorum locorum, a rabie haeretica in Praga et Bohemia datorum, incolatum perseverat, appellatione sua assidua, Collegium etenim illud vulgato et communi sermone vocitatur collegium, fundatricis suae memorabile factum divulgans, collegium sive domus Reginae in eam diem

Duodecima Decembris Henricus Episcopus Vladislaviensis et Dux Legnicensis cum annis circiter novem Vladislaviensi Ecclesiae praefuisset, obijt, In Ecclesia Maiori Vratislaviensi perosus, ut praesumitur, Vladislaviensem, sub tumba aerea, intrando chorum post limen sepultus. Hic pro insigni pro armis in Clipeo per quadrum in duabus partibus aquilas nigras, in caeruleo, et in alijs duabus partibus Shahalem tabulam deferebat, in rubeo campis

Sigismundus Vngariæ Rex sola ciuilitate, nulla cum mutatio præcesserat, motus, Cracouiam ad Vladislaum Poloniæ Regem venit, et amplissima humanitate benignitateq; a Vladislao Poloniæ Rege et Hedwigi Regina pro tam humanissima affectione exceptus, et pluribus diebus splendide et abundanter omnibus necessariis cum vniuerso suo comitatu et militia tractatus. In cuius etiam decus et amplitudinem curia solenni per Vladislaum Poloniæ Regem, proposito præmio victoribus indicta, Sigismundus Vngariæ Rex ab omnibus militibus propter Regiæ dignitatis eminentiam, et armorum splendorem, qui in palestra certauerant, asscitus, hastis lusit. Acceptis autem a Vladislao Rege Poloniæ donis regiis et ornata liberalitate remissus, Vngariam hilaris remeabat

Ambitioni suæ Bonifacius Papa decimus, nec non et Magistri et Ordinis Cruciferorum de Prussia et Liuonia satisfacturus ciuitatem Rigensem in Liuonia, quæ in spiritualibus et temporalibus dominio quoq; mero et mixto ad Metropolitanam Ecclesiam Rigensem pertinebat, cum suis castris, territoriis, et pertinentiis vniuersis, inuito et contradicente Archiepiscopo, et Capitulo Rigensi, Magistris et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Teutonicorum nigræ crucis de Prussia et Liuonia venditione perpetua vendidit pro quindecim millibus florenorum auri, præter aliquas florenorum summas quæ inter mediatores seu proxenetos huiusmodi transactionis et venditionis fuerant diuisæ. Et cum Ecclesia ipsa Rigensis a primæua sua fundatione tam in Archiepiscopo, quam in prælatis et Canonicis fuerit regularis, de ordine Sancti Augustini Canonicorum Regularium, ipse tamen Bonifacius auro huiusmodi illectus, ipsam in alium statum et ordinem dictæ nigræ crucis ordinis Teutonicorum transtulit inuitam. Licet prædictus Archiepiscopus et Ecclesia Rigensis per annos quinquaginta et vltra in curia Romana cum eisdem Magistro et Ordine litigando, ne a statu priori in crucem nigram transferretur, aliquot sententiis diffinitiuis triumphauit. Ea nimirum Magister et Fratres prædicti in emptione Ciuitatis Rigensis prædicta et territorii sui, vsi fallaci dolositate et versutia, qua terram Pomeraniæ ab Othone et Joanne Marchionibus Brandeburgensibus, qui nihil quicquam in ea iuris proprietatis tituli vel dominii habebant, sed sola intentione abstrahendi illam a corpore Regni Poloniæ vsi fuerant.

Ex morte Henrici Vuladislaviensis Episcopi et Ducis Lignicensis erexerat se Joannes Cropidlo Episcopus Caminensis et Opoliensis Dux in magnam spem, intercessione fratrum suorum Opoliensium Ducum et favore Bonifacij noni ad Vuladislaviensem Ecclesiam restituendum. Vuladislaus tamen Poloniae Rex indignationem suam continuans, multis varijs obsecrationibus Ducum Opoliensium ad pietatem flecti non potuit. Cuius propositum Bonifacius Papa nonus exploratum habens, et a restitutione Joannis Cropidlo se continuit, et Nicolaum Curowszki Episcopum Posnaniensem quadriennio in sede Posnaniensi pontificantem, pro quo Vuladislaus Poloniae Rex intercedebat, ex Posnaniensi in Vuladislaviensem transtulit; Ad Posnaniensem vero eodem Rege operante Albertum Jastrzabiecz de Lubancz Scholasticum Cracoviensem genere nobilem de domo Accipitrum sextodecimo Calend. Maij promovit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRECENTESIMVS NONAGESIMVS NONVS

Celebritatem suae famae et nominis apud Catholicos et barbaros Princeps Alexander aliâs Vuitoldus Litthuaniae Magnus Dux, cui eodem anno per Vuladislaum Poloniae Regem, Magni Ducatus Litthuaniae donatus et ad vitae tempora precario concessus fuerat, quaesiturus, alteram in Tartaros expeditionem felici successu precibus acerrimis, Vuladislao Poloniae Regi et Hedvigi Reginae magnopere nequicquam dissuadentibus, movet. In qua frequentissimus ex Polonica gente numerus se militaturum armaverat, nisi Hedvigis Poloniae Regina spiritu revelante Alexandri Magni Ducis Litthuaniae et Catholici exercitus ruinam, barbarorum vero victoriam praevidens, pene universos Poloniae milites paucis exceptis ab illa avertisset. Dux tamen magnus Litthuaniae Alexander revelationem sui casus, Hedvigi Reginae Poloniae factam, credens phantasticam, nullis precationibus, nullis ingenijs, a prosequutione illius poterat averti. Apud Kijoviensem itaque civitatem per totum mensem Junij militari posita mensa et propriorum et exterorum militum praestolabatur adventum. Quibus ex varijs Catholici orbis regionibus, ad militiam tam insignem capessendam confluentibus, praefatus Alexander, Magnus Litthuaniae Dux ex Kijowia castris motis, ratus, grandem et fortem se, et ad quemlibet cum Tartaris conflictum sufficientem exercitum congessisse, in regiones Tartarorum processit, habens ex Polonis, Almanis, Litthuanis, Ruthenis, plures expeditas legiones, expeditosque milites. Nam et Spytko de Melsztyn Palatinus Cracoviensis, cum insigni terrae Podoliae exercitu, Sandivogius de Ostrorog, Dobrogostius de Schamotuly, Joannes Glowacz de Loszenicze Masoviae Palatinus, Hanusz de Dambrowa cum pulcherrima militia ex Polonis advenerant. Erat praeterea in comitatu Ducis Magni Litthuaniae Alexandri, Tartarorum Caesar Tahtamisz quem plura millia Tartarorum sequebantur. Dum itaque fluviis Nyepr, Szimna woda, Pszlo, et Sula superatis, ad campestria, planitiem in singulas partes diffusa, porrectam habentia, circa flumen Vuorzkla quartadecima Augusti die feria videlicet tertia post festum beati Laurentii perventum fuisset, acies Tartarica, quam non Caesar Tartaricus Temerlin, sed unus ex Ducibus, Ediga, Caesaris etiam instituere, destituereque solitus, ducebat, cuius quantitas et numerus ad liquidum non potuerat aestimari, et in cuius comparatione Alexandri, Magni Litthuaniae Ducis et Catholicorum exercitus, pusillus coetus est reputari, apparuit, et magno pavore Catholicum exercitum concussit. Spytko de Melsztyn Palatinus Cracoviensis vir solertis ingenii, ad quantum periculum, si decerneretur, res Christiana, recideret auscultans, oraculo etiam Hedvigis Poloniae Reginae quae ipsum in id bellum, laevo auspicio gerendum, ire vetuerat, revocato in animum, de pace agendum, Duci etiam magno Litthuaniae Alexandro propositum suum probante duxit. Neque Ediga Tartarici exercitus Dux pacem aspernatus, sub certis conditionibus pertractatis vicissim factos consensurum se in illam astrinxit. Verum cum conditiones ab Ediga Tartarorum Duci propositae parum honestae viderentur, Spytko de Melsztyn, a nonnullis Polonicis, Almanicis, Litthuanicis, et Ruthenicis militibus, celeriora magis quam tutiora diligentibus consilia, de pavore exprobratus, agere de pace omisit, et de innocentia suarum actionum paululum disserens, postquam inconsultam et temerariam pugnam magis, quam certam pacem malle mi placebat, se omnis culpae, omnis sanguinis fundendi, omnis infelicis pugnae, postquam monuisset, nec impetrasset, in rem sacius fo ret testabatur, exortem viderent, utraque manus in certamine, iuxta ac linguam in surgendo promptas et pugnaces ostenderent. In Paulum tamen Sczukowski Poloniae militem genere nobilem de domo Gryffonum, qui ferox rapidusque lingua, immodestusque, illum mordacius carpendo dixerat, ut si amore patriae, coniugis, et multiplicitate bonorum temporalium, mori metueret, caeteros aequo animo in praelio mortem appetituros, a pugna non distraheret, acrius invectus, et frumenti indigentia accensus, Prospicio, inquit, Deo, et te hodie una die turpiter fugiturum, et me honeste moriturum confido. Nec secus quam praedixerat Spythconi honesta mors, Sczukowskio foeda fuga obtigit. Quapropter utroque exercitu praelium expetente, infestissimis signis concursum, et aequo Marte ab utrisque aliquanto tempore pugnatum. Abundante tamen multitudine Tartarica, Christianorum res deteriori loco esse coepit. Alexander Vuithaudus Magnus Dux Lithuaniae aciem suorum inclinatam videns, militibus ad custodiam sui corporis Sandivogio de Ostrorog et Dobrogostio de Schamotuly relictis, hortantibus ne unius in hostium potestatem veniens cladem diei illius insigniorem efficeret, equos mutando effugit, exercitus vero suus a multitudine Tartarica fusus atque deuictus est. Fugientes autem, Tartari in plura milliaria, iubente Duce suo Ediga sequebantur. Captus in eo praelio miles Polonus Raphael de Tarnow, filius Joannis Palatini Sendomiriensis, Suezka de Vuayschino de Prandotaru, Spythcus vero de Melstyn Palatinus Cracouiensis de Dlinna Kalinna, Joannes de Lyaszenycze de Maczez, Varsius de Michow de Rawa, Sorsa Plocensis, Pylch Vuarsouiensis Palatini, Hanusz de Dambrowa de Vadwicz, desiderati. Thomas Vngerzniy filius primi Vngerzniy de domo Lyagoda, Petrus de Miloslaw miles de Dotuna, Bolislao Switrigello germano Regis, Sandiuogio Ostrorog, Dobrogostio de Schamotuly cum Duce Alexandro euadentibus. Tartaricus Caesar Temerlin, cum cuius gente infideli contra Catholicos pugnatum est, varia bella cum finitimis gerens prospera semper fortuna usus est. Nam et Turcorum Caesarem cum quo apud Nicopolim, ut in superioribus narrauimus, Sigismundus Vngariae Rex infeliciter pugnauerat, exercitu Turcorum deleto, cepit et in captiuitate extinxit. Adeoque per terram circa mediterraneum mare, subijciendo sibi nationes et terras grassatus est, ut et Damascum in Siria, Soldani Babiloniae exercitu conflicto vasta uerit. Hortatus Spytko Melstinski Palatinus Cracouienſis ab Alexandro Vuitholdo Duce magno Lithuaniæ, acie Christiana iam inclinata ſpectante in fugam, ut impendens periculum declinando, ſecum una fugiens, ſibi per fugam conſuleret, nihil illum propterea alterius dedecoris, ſed magis gloriæ, ſi principem exercitus ſalvaret, contracturum, fugere turpiſſimum ratus remanſit et intrepide ut militi et viro et Christiano congruebat, in hoſtes ſe infundens, et plurimos obvios ſternens, multis tandem telis confoſſus, et iaculis barbaricis, magnanimum ſpiritum effudit. Præclare etenim ego ſecum actum reor, qui alijs per fugam vitam ſervantibus, ipſe et præſentis ævi diuturnam gloriam, et futuræ beatitudinis perhenne bravium occupavit. Rogatus inſuper et multifarie monitus ab Edyga Tartarorum Duce, ne prælio futuro ſe miſceret, aut ſi in propoſito perſeveraret, pileum ab eodem Edyga ſibi deſtinatum in capite geſtaret, quatenus huiuſmodi inſignis a militibus ſuis, quibus id diſtrictiſſime præceperat cognitus, ſervaretur potius quam violaretur. Utrumque deteſtatus et peroſus, vitæ mortem præferens, nobiliſſimam mortem, et quæ cum perennitate temporis celebrabitur oppetijt, et glorioſior aliquanto occubuit, quam vixit. Plures ex familiaribus ſuis in eo prælio deſiderati ſunt, videlicet Bernardus Marſalcus, Nicolaus Pincerna, Procopius Notarius, Przeczslaus Vicethezaurarius, Dobrogoſtius Sczepieczski Fricz Joannes Odrski et plures alij. Paulus Goſczy de Szandziſlow, de domo Jaſtrzembecz, alter ex ſuis vicethesaurarijs ſalvatus per fugam, quoniam in Poloniam veniens plures hæreditates emerat, theſauros ſuos tuliſſe, et ſibi vendicaſſe inſimulabatur

Intelligens Vuladislaus Poloniæ Rex conſortem ſuam nobiliſſimam fœminam Hedwigim concepiſſe, ingenti exultans iubilo, Bonifacio Papæ nono, et nonnullis Regibus et Principibus Catholicis, conceptu huiuſmodi ſignificato, ad futuri pueri proſpera divinitate edendi illos Baptiſmales, ſpecialibus Nuntijs et literis corrogat et invitat. Sed et universum Poloniæ Regnum gratulatione Reginali percrebeſcente, mira impletum hilaritate lætabatur ſe per uteri Reginalis fœcunditatem, feliciſſimum hæredem Regno Poloniæ in præſens et in futurum utiliſſimum accepturum. Bonifacius itaque Papa nonus voto Regio satisfacturus Albertum Jastrzembiecz de Lubrza Scholasticum Cracoviensem vice sua, ad futura solemnitatis solennia plena authoritate suffultum, nomen suum futurae proli, aptato in utrumque sexum vocabulo, libens imponi transmittet. Idem quoque faciunt alij Reges et Principes invitati, de quo specialis litera praefati Papae Bonifacij talis extabat.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo filio Vladislao Regi Poloniae illustri, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad Serenitatem tuam, cum sis pugil et athleta fidei nostrae pro fortitudinis bravium singulare gerens, non immerito et ad statum tuum praecipuae dilectionis affectum, et ad Charissimam in Christo filiam nostram Heduigim Reginam Poloniae consortem tuam, ac sentientes eandem ex te intra uteri claustra sui semen prolis vivificum, Domino sit honor et gloria, suscepisse, ac creatorem omnium, ad quem preces et rogamina nostra, de nostri arcano cordis inter Missarum solennia ingerimus ut Serenitatem tuam, suamque filiae prolis parentem efficere dignaretur, effudimus fuimus non immerito exultati, ut ad futuram posteritatem superillustrante divina gratia, ad Omnipotentis Dei laudem, et gloriam, Orthodoxae fidei augmentum, nostrum et Ecclesiae nostrae sponsae statum, nominis tui propagationem, Regnorum et dominiorum tuorum salutem transmittere valeas, ex tuo suoque corpore Reges successores, Deum timentes, nosque et successores nostros, Romanos Pontifices, legittime intrantes, Romanam Ecclesiam sponsam nostram, Ecclesias, Ecclesiasticasque personas, propter dominum cordialiter venerantes, et praefatum Regnum in pacis pulchritudine et subditos universos, prostratis in virtute altissimi barbaris Christiani nominis hostibus, in finitimis et remotis partibus nationibus gubernantes. Et quia iam tandem ad futurum Regium partum, praemissis, et nonnullis alijs conditionibus paternaliter afficimur, et pro incremento tui nominis atque status dispositi sumus casibus quibuscunque, quantum cum Deo poterimus, exponere, totius diligentiae nostrae curam proponimus, ut futura prolis tua, quam praefata Regina ex te, praestante Domino, fuerit enixa, ultra nomen quod ex sacro regenerationis lavacro reportaverit, de nostro Bonifacij nomine binomium sumat nomen, prout secundum sexus emergentiam fuerit accommodum. Nec non ad proterenda fortiter ac potenter bella hostis humani generis, pro armatura sacri misterij Chrismatis, ac proferenda feliciter in exhibitione ac impressione huiusmodi misterij nostro nomine, facere iuxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae retinere, ac compaternitatem cum Serenitate tua, et ipsius Reginae Serenitate contrahere salutationem. Circa quae loco et tempore celebranda Dilectum filium Albertum Jastrzembiecz Clericum Posnaniensem Oratorem tuum, tuique status et nominis, sicut manifeste cognovimus, ferventissimum zelatorem, in praemissis et eorum quolibet dependentibus et connexis cum plenae facultatis officio, tenore praesentium, nostrum procuratorem et Nuntium specialiter deputamus. Rata et grata quae in praemissis, aut circa ea, necessaria, utilia, vel opportuna per eundem facta fuerint, habituri. Datum Romae apud Sanctum Petrum in Nonis Maij Pontificatus nostri anno decimo

Partus tempore appetente, monet Wladislaus Poloniae Rex consortem suam Hedwigim Reginam, nuncijs et literis, ut pro futuro puerperio lectum et thalamum, cortinis, tecturis, et velaminibus, auro, gemmis, et margaritis intextis, adornare non negligat. Quae Regi respondendo rescribit, se pompam saeculi dudum a se abdicasse, sed nec ea, in mortis articulo, quae saepius partus consuevit causare, uti velle, neque Deo caeli, qui sterilitatis opprobrio ablato foecunditatem praestitit, in gemmarum et auri nitore, sed in humilitatis mansuetudine placere. In quo uno fervens sua in Deum devotio potest notari, quae etiam licita et Regio statui congrua, verita illis Deum offendi, abnuebat. Die vero partus adveniente Hedwigis Regina duodecima Junij filiam enixa est, quae in Cracoviensi Ecclesia a Petro Vysch Cracoviensi Episcopo baptizata, binomine nomine videlicet Elizabeth Bonifacia appellata est. Qua edita ab aegritudine vexari Hedwigis Regina coepit, puella vero nata infra triduum decedens obijt, cuius obitum in eo momento quo animam exalabat, matronis eam observantibus, et celare, ne ex dolore aegritudo augeretur, satagentibus, nunciavit. Ex post vero infirmitate grassante, procurata Sacratissimo Eucharistiae viatico, et oleo benedicto peruncta, devotissime et religiosissime, quemadmodum beato sanguini conveniebat, decima septima Julij in castro Cracoviensi sanctis et devotis plena operibus, sub meridianis horis defuncta et in Cracoviensi Ecclesia ad partem laevam altaris maioris deposita de prope Sacrarium sepulta. Fuit venustissima, sed moribus et virtutibus venustior, Catholicae fidei in Lithuania plantatrix. Haec studium generale a Casimiro secundo Poloniae Rege in oppido Casimiriensi fundari ceptum instauravit, Haec Psalteristarum collegium in Cracoviensi Ecclesia iugiter laudes creatori cantantium constituit, Haec duo altaria in Ecclesia Cracoviensi, unum sub titulo Sanctae Annae, alium sub titulo visitationis Sanctae Mariae; Haec Monasterium Sanctae Mariae visitationis extra muros Cracovienses in arena fundavit, Haec Monasterium fratrum Sclavorum sub titulo passionis Christi fundare, dotare, et murare ceperat, quod eius morte imperfectum remansit. Haec in Quadragesima et Adventus domini diebus cilicio et mira abstinentia corpus domabat, inegenos, viduas, advenas, peregrinos, et quaslibet miserabiles et indigentes personas largitione liberali profusissima, nulla incaliditas, nulla ira, nulla poterat notari superbia, invidia, vel simultas, summa in ea devotio, immensus amor Dei, Omnibus mundanae pravitatis fastibus a se relegatis abdicatisque, tantummodo ad orationem et lectionem librorum divinorum, videlicet veteris et novi testamenti, Omeliarum quatuor Doctorum, vitas Patrum, Sermonum et passionum de Sanctis, meditationum et orationum beati Bernardi, Sancti Ambrosii, revelationum Sanctae Brigidae, et plurimorum aliorum de Latino in Polonicum translatorum animum et cogitationem intenderat. Haec plures ingeniosos adolescentes Gimnasiis dantes operam aluit, Haec omnia clenodia sua, vestes, pecunias, et omnem regiam suppellectilem in relevamen miserabilium personarum, et in fundationem universitatis studii Cracoviensis eroganda, executoribus sui testamenti a se constitutis, videlicet Petro Episcopo et Jaschoni de Tharnz Castellano Cracoviensi mandavit. Haec Cracoviensi Ecclesiae Casulam cruce, margaritis, et lapidibus preciosis intextam, et Racionale margaritis plenum reliquit. Haec universo orbi Catholico adeo propter claritatem morum grata et celebris, ut omnes illam velut sanctitatis simulacrum in vita venerarentur. Quod ut legentibus clarius pateat, Summi Pontificis Bonifacii Papae noni epistolam illi in vita scriptam subiicio

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei.
Charissimae in Christo filiae Heduigi Reginae Poloniae Illustri Salutem et Apostolicam benedictionem

Significamus Serenitati tuae, quod nos in nostrae mentis intuitu considerantes, eximiae et sincerae devotionis affectum quem ad nos, et Romanam geris, prout hucusque laudabiliter vestigiis recolendae memoriae progenitorum tuorum inhaerendo gessisti, Ecclesiam, eidem Serenitati tuae plurimum afficimur. Et semper fuimus et sumus dispositi eandem Serenitatem prosequi specialibus gratiis et favoribus opportunis, ac petitiones tuas, maxime honorem et statum tuum, et charissimi in Christo filii nostri Vladislai Regis Poloniae viri tui ac ipsius Regni concernentes, quantum cum Deo possumus, benigne exaudire. Adeo, quod si merita humana progenitorum tuorum cumulata gratiosa meruerint, maiora in vestris et vestrorum personis intendimus ampliare. Hortantes eandem Serenitatem, ut dictum Regem virum tuum, in quo scimus etiam totam fidem ipsorum Regnorum et omnium ipsorum partium consistere, tuis prudentibus et sanis consiliis velis continue inducere et allicere, ut in fidelitate et devotione nostra, prout laudabiliter consuevit, velit perseverare, et de bono in melius ut confidimus continuare, et a fide deviantes ad fidelitatem et devotionem ac obedientiam huiusmodi sollicite reducere, ut proinde praeter retributionem divinam, quam exinde consequemini, humanam laudem et gloriam ac nostram et Apostolicae sedis benevolentiam merito consequi mereamini affluenter. Praeterea, quia, ut scimus, saepe contingit, Serenitatem tuam propter importunitatem petentium, et ad preces multorum, quibus cum honore Regiae Maiestatis non vales resistere, super aliquorum promotione nobis scribere, praeter et contra affectionem mentis tuae, cum potius alios promoveri et ipsis praeferri affectares, de quo multoties non valemus certiorari, propter quod contigit saepe nos aliter providere, quam Serenitas tua vellet, hortamur eandem Serenitatem tuam, ut aliquod signum speciale nobis velis destinare per nos custodiendum, sub quo ea quae affectuose et specialiter volueris nos facturos, nobis, quoties occurrerit, valeas significare, et nos votis tuis huiusmodi, ut appetimus, gratiose annuere, ad quod dispositi sumus toto corde, et omnia talia cum Dilecto filio Magistro Petro de Raudolina Protonotario nostro, honoris et status tui Zelatore fervido, ac nobis et eidem Serenitati tuae fidelissimo communicare

nuare, ut per eum etiam clare valeamus de affectibus tuis huius
modi informari. Cui in referendis eidem Serenitati tuę super pręmissis
et nonnullis alijs ex parte nostra Serenitas ipsa credere velit, ac si ab
ore nostro proprio audires, sicut nos sibi credere voluisti, quia de eo
prout tu fiduciam sumpsimus specialem. Datum Romę apud San
ctum Petrum quarto Calend. Januarij Pontificatus nostri anno tertio

Huius pręterea devotissimę benedictęque mu
lieris Sanctitas post mortem et cineres apud nos declarata et mon
strata est, et in eam declaratur etiam, et apud futura saecula, refrige
scente multorum charitate, declarabitur. Ipsius siquidem patrocinio
et meritis, mortui vitam, claudi gressum, cęci lumen, muti linguam,
a dęmonio obsessi liberationem, languidi a varijs ęgritudinibus
afflicti in multifarijs pressuris consolationem receperunt et sanitatem
Quę etiam infrascriptis celebrata est Epitaphijs

I.

Sydus Polonorum iacet hic Hedugis, eorum
Regina nobilis generosa quippe fuit
Hanc tamen Vngarica Scintillam esse fatetur
Quam sibi natura gratia grata dabat
Haec quasi de testa Ludovici Regis egesta
Nucleus insignis nobilitate clarens
Prodijt de porta regalis stirpis et orta
Francia nido domus denique iuncta viro
Fibula facta fuit Lithuaniaeque Polonorum
Foederis amplexu dissona Regna ligans
Caeco Paganorum coetui lumenque ministrans
Fidei, credenti et operanti Deo
Sed more Gigantis animum ratione frenabat
Se sibi subijciens nota pusillum erat
Dos cleri vos miseri fuit Ecclesiaeque columna
Gratia nobilium civium tutrixque pij
Quid gestus humilis, quandoque superbia nocet,
Nolunt esse potens, malunt esse mitis
Illa premit hostem celitus in austeritate
Haec mundi pretium imputate vocat

Hac bonis similis, malis fueratque suavis
Et liberis et grata cunctis aequalis erat
Non ibi delituit scintilla fastus et irae
Sed mitis et parcens et sine felle fuit
Teneris in annis calcata cupidine carnis
Mentis in arcano obsequiturque Deo
Lectores format, quos artis virtutibus ornat
Quo sui memoria iugis in orbe viget
Caetera non esse credo narrare necesse
Obsequia multa praestitit ipsa Deo
Si rerum pondus ratio bene consulat omnis
Floruit in illa non temerata fides
Tandem foeminea prole foecunda regali
Hanc parit, exultans, sed protinus inde venit
Res mala, res flebilis, res omni digna moerore
Nam parens et nata occubuere simul
O quantos populo lux attulit illa dolores
Qua sydus insigne luce reducta fugit
Mille trecentesimo anno nonagesimo nono
Luna in aquario lucente, Cancro Soli
Hora tertia, Julij die septima decima
Subijt occasum Seu reginale sydus
Occubuit inopum solamen, et miserorum
Et mater, et domina spesque fidesque simul,
Quiet, quae floruit, quam nosti servire
Somnum lethalem patitur, lethali labe carens
Quid renascimus vita praesentis occasum
Quod oritur, occidit, fit foenum quod floruit
Pessima pravorum, mors optima vita piorum,
Non obijt, abijt, obiens quae vitam adit
Et quia non plangenda sed prece iuvare necesse
Orate supplices cordeque voce simul
O Rex Polorum Reginam Sanc Polonorum
Suscipe locandam in paradiso tuo

Spirat vbi Nardus, nascunt aromata, nectar
Confecta sudant balsama, mella fluunt
Dulcia mella fluunt, resonat harmonia cantus
Pellitur vnde fames, tollitur vnde calor
Odor vbi flagrat, rosa pululat, scaturit amnis
Ver vbi non glacies nec vbi regnat hyems

S. Hedvigis Reginæ Poloniæ Epitaphium secundum, eiusdem cū priori sententia:

Hoc iacet Hedvigis tumulo Regina, Poloni
Quæ merito Regni, nobile sydus erat
Hæc Pannoniæ quondam filia, iniquum
Cum nondum ferret Cæsaris alta iugum
Extitit hæc quondam Ludouici clara propago
Qui Rex Pannoniæ Sarmatumq; fuit
Cuius in amplexum venerat Iagello decorum,
Dux Lithuanorum, Sauromatumq; fuit
Hedvigis thalamo iunxit duo regna pudico
Copula Lithuanos, facta Lechisq; simul
Hæc quoq; serpentes, sylvas, ignemq; colentes
Duxit ad immensi numina magna Dei
Si ratione regens, magnorum ex more virorum
Subdita pene sibi fastu abeunte fuit
Improba forte aliquos si quando pressit egestas
Hanc larga semper sustulit ipsa manu
Magnanimosq; pios facientes sacra tonanti
Non est passa sitim, non tolerare famem
Templa decorabat magnorum sacra Deorum
Adiuuit ære tuam sic pie Christi domum
Ciuibus hæc tutrix mitissima, gratia Diuis
His qui fulgebant nobilitate viris

Vt bene, quid possit pomposa superbia, norat
Sic quo mitia sint pectora habenda loco
Novit utrumque licet, tamen est moderata superbum
Fastum, sic mitis, sic pia semper erat
Adde pietatis studium, virtutis amorem,
Illius Heduigi maxima cura fuit
Propterea est populi multum celebrata per ora
Inclyta nil virtus, nil pia facta negant
Hac favente, viget qua nunc Academia doctis
Fundamen cepit, principiumque suum
Advocat hac doctos peregrina sede magistros
Colligit et celebres qualibet arte viros
Praemia Lectori dat sufficientia docto
Sic clarum spargit nomen in orbe suum
Ista bonum summum coluit de pectore toto
Quod tonat in caeli nubibus atque micat
Recta fides omni florebat tempore casta
Hadwigis, spernit quae mala cuncta fremens
Post ubi magnanimo fuerat coniuncta marito
Compleratque uterum semine casta Viri
Tempus erat nondum maturae prolis, ab alvo
Cum venit, matris Regia nata sua
Venit et exultans in corde puerpera toto
Nescit quo genitam fata sinistra trahant
Nec natam tantum teneram, ast cum prole parentem
Sub tacitos manes invida Parca rapit
Sed occubuit tenera hac cum matre puella
Sic geminas animas abstulit una dies
Abstulit, ast populumque in acerbo funere mersit
Una dies mortis bina venena tulit
Quis populi gemitus caligine volvuntur atra
Quanti singultus denti sonanti strepunt
Heu quantos populo lux attulit ira dolores
Qua Regina solo transiit ad astra ruens

Ardens littorum Cancerum Sol igni cremabat
Sylvestres lepores Sydera luce premens
Cum Reginæ   et dulces filia somno
Mortifi   lumina mæsta gravant
Divis par   est sublata salutes
Solam   sustulit atra dies
plangite   quibus est fortuna sinistra
Occidit   spesque salusque rei
Quod prius   micabat
Reginali   fugit
Scilicet summa texuntur stamina vitæ
Atque retexuntur, fata ubi dira volunt
Credo equidem fatis Reginam ad tecta vocatam
Splendida, divum quos summus Olympus habet
At vos quos nondum triplices rapuere sorores
Reginam votis oro iuvate piis
Quam tu summe Deus, nostra spes una salutis
Parteque spem Regni fac precor esse tui   Anno 1399 die Julij 12

Tristi Nuntio Vuladislaus Poloniae Rex de morte consortis suae Hedvigis Reginae accepto, gemens Cracoviam advenit, et diebus aliquot in luctu et moerore absumptis, accersitis Praelatis et Baronibus Regni funeras regio apparatu illi in Cracoviensi Ecclesia quartadecima Augusti die celebravit. Justaque quoque funeri persolvens in terras Russiae, in quibus longo tempore immoratus est ex Cracovia abijt. Venerat etiam sub eadem tempestate in Cracoviam Vitoldus Alexander Dux Litthuaniae cum Anna Ducissa consorte sua prima, Hedvigim Poloniae Reginam in puerperio visitaturi, et insignibus honoraturi muneribus, sed solutis funeri iustis exequijs otius in Litthuaniam redire. Tunc etiam morte Hedvigis Reginae secuta, non vulgaris metus Vuladislaum Poloniae Regem pervaserat, de Regno Poloniae secedendum fore, quapropter parabat assidue discessionem ex Regno, asserens non congruere sibi in alieno Regno, postquam haeres eius Hedvigis Regina sublata foret, immorari. Id cum etiam in auribus Consiliariorum vulgasset, et remittendi in Litthuaniam peteret licentiam, a proposito tam meticuloso et pusillanimi Consiliariorum sano consilio reductus est et confirmatus in regno metu omni depulso, differentium extare aliam haeredem Hedvigi propinquiorem Annam videlicet Comitis Ciliae filiam, Casimiri secundi Poloniae Regis ex filia neptem copula matrimoniali illi consociandam.

Veneris die quintadecima Augusti mulier quaedam de Posnania procurata in Monasterio Fratrum Praedicatorum Posnaniae divinissimo Eucharistiae Sacramento, illud ex ore sustulit, Judaeis Posnaniae commorantibus venditura. Quod in pratis civitatis Posnaniensis repertum magna mortalibus praestare beneficia in loco inventionis coepit. Cuius rei devotione Vuladislaus Poloniae Rex motus in loco eodem Fratrum Carmelitarum erigit Coenobium sub titulo Corporis Christi. Et Choro Monasterij de cocto latere pulcherrimo opere fabricato, molendinum Regium pro sustentatione fratrum dat praedicto Coenobio in dotem.

Decima sexta die mensis Junij Otha Chelmensis Episcopus, languore correptus, dum annis septem in Sede Chelmensi praesedisset moritur et in Ecclesia Chelmensi Cathedrali debito et iusto honore ſepultus. Alter ex nobili familiâ Polonorum ortum ducens, per Electionem Canonicam ſcrutinij via celebratam ſuccedit, a Summo Pontifice Clemente Papa Sexto confirmatus.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS

Conthorali ſua fœmina nobili et beata Hedwigi Poloniæ Regina, et hærede orba, ex cuius connubio noverat ſe Diadema et Poloniæ Regnum ſortitum et adeptum fuiſſe, Vuladislaus Poloniæ Rex orbatus, ſpretum ſe et abiectum iri a Prælatis et Baronibus Poloniæ Regni, nulla prole extante metuens, quam maxime conſternatus, destitutusq, ſimulis affectus, totus ad regressum in Litthuaniam ſpectabat, ratus Prælatos et Barones Poloniæ aliũ ſibi Regem quæſituros. Comperto astu Vuladislaum Poloniæ Regem fluctuantem Consiliarij primores adorsi, de ſumma rerum diffiſum et dubium confirmant, et illum ſe pro Rege et domino habituros, ſinceraq fidei illi ſubiectionem præstituros repromittunt. Monent insuper ne unius consortis et hæredis Regni Poloniæ fatis abſumptæ, deijciatur conſternaturq, et ſe a Regno Poloniæ resiliſſe, permansurumq fore præsumat, mærore. Superesse aliam hæredem Regni Poloniæ æque iuſtam virginem nubilem Annã Comitis Ciliæ Vuilhelmi filiam, quam illi Anna Casimiri ſecundi Poloniæ Regis filia pepererat. Ad cuius patrem procos mittendos perſuaſerunt, nihil priori inferius, quod etiam Hedvigis Regina e vita exceſſura aſſumendum rogaverat connubium habiturum. Summo conſenſu ſummaq hilaritate Vuladislao Rege id probante consilium, proci extemplo Ciliam mittuntur, Joannes aliâs Junan de Obiechow Castellanus Suemensis de domo Vynyawa, Hinczka de Rogow de domo Dzalosza, et Joannes de Ostrowczi de domo byſennium. Quorum legatione Comes Ciliæ Hermannus patruus virginis cum enim pater ſuus Vuilhelmus diem obierat, audita, in lachrymas quas magnitudo gaudij eliquabat, reſolutus, neptem ſuam absq ulla cunctatione legatis Regijs tradidit, felicem ſe et domum ſuam profeſſus, postquam tam alta meruit illustrari affinitate. Qua per Pannoniorum terras in Poloniam adducta, sexta decima die mensis Julij Cracoviam introivit, quam Wladislaus Poloniae Rex Principum et Baronum magnifica comitatus caterva in occursum eius extra portam egressus, honorifice excepit. A processionibus insuper omnium urbis Ecclesiarum obviam illi itum est, Et quanquam virgo praefata nullam linguam praeter Almannam noverat, ordinatione tamen Regia octo prope mensibus Cracoviae, sub quibus Polonico imbuebatur idyomate, stetit, quod postquam intelligere magis didicisset, quam sonare, Regio thoro coniuncta est. Venerat autem conducendo virginem praefatam Annam militis ex Cilia, Vulchart Ulricus Schenkh de Osterwicz, Albertus de Hossyak, Andreas Puxer, Conradus Perner, Fridericus Lindeker, Ludovicus Szaltzsz et Nicolaus Wolker, Qui feria sexta post Omnium Sanctorum cum Petro Cracoviensi, Nicolao Wladislaviensi Episcopis, et Baronibus Joanne de Thenczin Castellano Cracoviensi, Joanne de Tarnow Palatino Sendomiriensi, Petro Kmitha Lublinensi, Nicolao de Michalow Woinicziensi, Clemente de Moskorzow Regni Poloniae Vicecancellario et Zegotha Vexillifero Cracoviensi, conventu apud Burz habito, desponsationem apud Ciliam factam innovant, et matrimonium inter Wladislaum Regem et Annam virginem novis pactis, novisque foederibus, innovant, stabiliunt, et confirmant. Abnuere enim et refugere illud Wladislaus Poloniae Rex aliquanto tempore, quod Anna virgo parum praestantis forma sibi appareret, moliebatur, unde et in procos suos Joannem de Obichow, Hinczham de Rogow, et Joannem Naschan, quod visa virgine, conclusionem sanxerant matrimonij, fuit iratior, nec indignationem pristina conceptam, nisi post annos aliquot, multorum Consiliariorum precibus expugnatus remisit.

Imperij Electores videntes Regnum Romanorum ex segnitia et levitate Venceslai Romanorum et Bohemiae Regis decus suum sensim amittere, Conventu apud Francofordiam supra Moenum in festo Beati Bartholomei habito, Rubertum Bavariae Ducem vocatum Clema in Regem Romanorum eligunt. Qui de se Electioni factae parum profuit, cum Venceslaus nisi iudicio Superiori deponi non posset, contendens, se Romanorum Regem et scripsit et gessit, Imperio abdicatus, domi torpens, et ex prisca consuetudine vino ciboque marcens, vitamque dormiendo noctu coniungens illaudatum egit annum

Amplitudinem fidei et religionis Christianae honorem divinum cultumque, ac gentis Poloniae et Litthuaniae Vuladislaus Poloniae Rex zelatus profectum, in civitate Regia Cracoviensi Polonorum capite et Metropoli, feria secunda post Sancti Jacobi Apostoli Studium erigit fundatque generale, Cuius fundationem Hedwigis Regina magna instantia, maximoque conatu et opere dum viveret procurabat. Doctoribus autem et Magistris cuiuslibet facultatis et professionis ex Pragensi Universitate, Poloniae, Bohemiae, et Almaniae idiomatis accersitis, Universitati nonnulla pro dote census regios in Zupparum qui Sal gignunt montibus, villis, theloneisque introitibus, etiam Praelaturas et Praebendas omnis collationis et Iurispatronatus Regii Sancti Floriani, sola praepositura sibi reservata largitur. Ex domo autem lapidea Alierstorff in platea Sanctae Annae artistarum et Theologorum, ex domo vero Sandivogii de Subino Palatini Posnaniensis in platea castrensi sita Canonistarum et Medicorum Collegia, quarum utraque pecuniis Hedwigis Reginae in opus Gymnasii derelictis per exequutores comparata est, eriguntur. Caepit autem Studium generale Cracoviense per Vuladislaum Poloniae Regem et Hedwigim Reginam primarie fundatum, et a Summo Pontifice Joanne vicesimo tertio, et expost a Martino Papa quinto confirmatum, extunc in suppositis et variis scientiis, artibus, et doctrinis, vehementer florere, ac crescere, et viros de genere Polonico doctos industrios et sensatos producere, Poloniaeque Regni famam et gloriam diffundere, et dilatare. Cuius etsi prospera diuturnitati numerentur plura extentque decora, nullum tamen reor Polonico generi aeque magnificum et necessarium, aeque fecundum et utile, aeque gloriosum ac illustre, pro confutandis opprimendisque haeresibus et erroribus, pro conservandis virtutibus, pro eliminandis vitiis, pro discernenda iustitia, pro illustranda veritate. Quod etsi dudum per Casimirum secundum Poloniae Regem ordinatum fuit, et Collegium muro in Casimiria erectum, non tamen consumatum

Etenim

Zelum et deuotionem viri nobilis Joannis de Tharnow Palatini Sendomiriensis, quibus laudis diuinae cultusque sui amplitudinem in dominio suo Tarnouiensi procurare subditibus suis magnopere aestuabat, Petrus Cracouiensis Episcopus supplici instantia ab eo rogatus, impleturus, in oppido eiusdem Joannis Palatini Sendomiriensis haereditario Tarnow, sub titulo beatissimae virginis Mariae ex Ecclesia Parochiali, titulo eius extincto, fundat et erigit collegiatam. De prouentibus autem Ecclesiae praedictae Tarnouiensis tres Praelatos creat, Praepositum, cui curam animarum et Vicariorum committit, Custodem, et Primicerium siue Cantorem et cuilibet certos prouentus in dotem assignat. Item duos Canonicatus et Praebendas, quorum vni prouentus praebendae Castrensis in Tharnow, alteri prouentus altaris Sancti Bartholomei annectit. Et tam dignitatum quam Praebendarum praesentationem et collationem, praefato Joanni Palatino Sendomiriensi, et posteritati suae sexus duntaxat masculini reseruat. Item quinque Vicarios horas Canonicas nocturnas et diurnas cantaturos, per Praelatos et Canonicos salariandos. Processu autem temporis sub Alberti Jastrzambiecz Pontificatu, ad petitionem Joannis de Tarnow Palatini Cracouiensis, filij Joannis praedicti Palatini Sendomiriensis, alij duo Canonicatus praebendati in eadem Tarnouiensi Ecclesia fuere creati et instituti

Vuenceslaus Romanorum et Bohemiae Rex propter lasciuiorem vitam et segnitiem, ab Electoribus ab imperio deponitur.

Circa fundationem autem Vniuersitatis et studij Cracouiensis per Vladislaum Regem Poloniae factam, fuerunt praesentes Petrus Visch Cracouiensis, Nicolaus Kurowski Vladislauiensis, Albertus Jastrzambiecz Posnaniensis Episcopi, Joannes de Tharczin Castellanus Cracouiensis, Joannes de Tarnow Cracouiensis, Jacobus de Koniecpole Siradiensis, Joannes Ligenza Lanciciensis, Sandziuogius Calisiensis, Matthias Gniewkouiensis, Crzeslaus Brestinsis Palatini, Petrus Kmitha Lublinensis, Crystinus de Koziglowy Sandecensis, Imramus Sanctoslinsis Castellani, et Clemens de Moskorzow Regni Poloniae Vicecancellarius

Prima die Januarij Przemislaus Oswanciensis Dux iunior filius Przemislai Senioris vocati Noszak filij Semouiti Ducis Theschinensis, dum vehiculo vectus ex Glawicze in Theschin procederet, ex subordinatione Joannis Ratiboriensis Ducis, per Martinum Bohemum dictum Chrzan et suos complices occisus est, et in Theschin apud Monasterium fratrum Praedicatorum sepultus. Tantus autem Przemislao seniori Duci Theschinensi sanguinis filialis iniusti effusi fuit ulciscendi ardor, ut apud Bohemos et Moravos et signanter apud Baronem Moraviae de castro Zampach, in quorum obsequijs morabatur, praefatum Martinum Chrzan sex millibus marcarum lattorum grossorum Pragensium sexagenis redimeret, et per terrigenas Theschinenses et Oswiecimenses numerum sexingentorum equorum explentes, in Theschin deductum, sic et magna populi multitudine inspectante, in equo aeneo vivos carbones intus habente per singulos vicos, plateas, et forum Theschinense vectum, tribus carnificibus igneis forcipibus corpus eius per partes frangentibus, et ad extremum viscera illius effundentibus, vario et raro mortis genere excarnificaret. Reliquit autem Przemislaus iunior unicum filium Casimirum, Simili damnationis genere complices praefati Chrzan, videlicet Petrus Mantropha, Joannes Trzeczyn, et alij quatuor occisi sunt.

In Quadragesima principio stella crinita seu Cometes apparuit, quae caudam versus Occidentem protendens, per dies quadraginta vel circiter duravit. In illius vero anni aestate conflictus pergrandis inter Themerlinum Tartarorum, et Bayzethum Turcorum Imperatores commissus est, In quo Themerlino Tartarorum vincente, Bayzethus Turcorum Caesar conflictu captus et occisus est

Conventu in Francfordia supra Manum Imperij Electoros celebrato, Wenceslaum Romanorum et Bohemiae Regem, moribus suis, actionibusque, et eo praecipue quod in petenda corona imperij cunctatius se quam sat erat gessit, et morum suorum levitate offensi, a Romanorum Regno et iure ipsius destituunt, et Rupertum Clemam Ducem Bavariae et Comitem Palatinum Rheni, concordi electione substituunt. Qui cum prima coronatione apud Aquisgrani percepta, pro residuis consequendis Italiam maturasset, a Duce Mediolani

Galeati

Galeatius nomine, quem Venceslaus Bohemiæ Rex ex Barone Ducem Mediolani creaverat, molestius ferente a suo creatore fastigium imperiale rescindi, ne Mediolanum ingrederetur prohibitus, in Alemaniam coepto irrito rediit. Utroq; autem se pro Romanorum Rege gerente, annis sex quibus Rupertus Clima vixit, Schismati execrabili Romanum imperium rotari non desiit. Et quasi parum esset Ecclesiam Dei scissam esse, similis quoq; pestis, non tam diuturno tamen tempore grassatura in imperium irrepsit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS PRIMVS

Tempus hyemis fere universum in ora Litthuaniæ Vladislaus Poloniæ Rex immoratus, in Poloniæ Regnum ducens secum sylvestrium carnis ferarum varij generis, quas apud Litthuaniam venatione ceperat, divertit. et Cracoviam pro diebus Carnisprivij venit. Ubi virgine Anna Comitis Ciliæ filia et Casimiri Poloniæ Regis nepte, solenni voto in Cracoviensi Ecclesia desponsata, solennitatem etiam celebrat nuptiarum, Ducis Magni Litthuaniæ Alexandri et suæ consortis Annæ et multorum Principum, Comitum, ex varijs terris, qui invitati convenerant, præsentia personali honoratam. Curia autem regia proclamata pluribus diebus per Duces Comites et milites hastis dimicatum et lusum est. Solennitate vero nuptiarum expedita, tam Magnus Dux Litthuaniæ Alexander et consors sua Anna, quam cæteri Principes, Comites, et hospites, per Vladislaum Poloniæ Regem magnificis honorati muneribus, et singula necessaria in abundantia advenientibus, præsentibus et recedentibus per Regios præfectos administrata

Mores et actiones Sigismundi Ungariæ Regis Barones et milites Ungariæ vehementer perosi, conventu apud Budam indicto, præfatum Sigismundum Regem ultima Aprilis die in Budensi castro capiunt, & facinore autem et dedecore mortis suæ, quam illi accidere æstuabant, se satagentes ostendere immunes, Nicolao de Gara filio. N. palatini Ungariæ, eo præcipue impulsi respectu, quod in sola

cium

cum nece paterna esset illum quamprimum extincturus, tradunt. Patrem enim præfati Nicolai de Gara Palatinum Vngariæ, ob quædam demerita, et signanter quod Carolum de Pace Sigismundo repulso Vngaris Regem præficere conatus est, Maria consorte sua procurante, et ultum iri perfidiam Palatini æstuante, capite damnaverat. Frequentibus autem literis et nuntijs Vladislai Poloniæ Regis Prælati et Barones Vngariæ pro relaxatione Sigismundi Vngariæ Regis, quibus æstuabat honori eorum non convenire, ut proprius Rex detineatur ab illis captivus, sollicitati, Conventu in Thopolczany undecima Junij celebrato, Henricum militem ad Vladislaum Poloniæ Regem transmittunt, allegantes plures causas, quibus urgentibus impulsi, voluntati suæ vim inferendo, Regi suo Sigismundo captivitatem, quam vocabant Arestum intulerant. Poloniæ tamen Rex Vladislaus etiam post expositas captivitatis causas procurare dimissionem Sigismundi Regis magnopere perseverat. Fidelissimus autem Sigismundo Vngariæ Regi miles Stiborius de Stiborzicze, Polonus genere de domo Ostoya, in quem omnes curas cogitationesque suas et liberationis spem Sigismundus Rex verterat, ex castris Trenczin, Nitra, et alijs, cum frequenti Polonorum et Bohemorum armata, in universum Vngariæ Regnum hostiliter grassatus, multas arces munitissimas, multosque Barones ceperat, relaxationi domini et Regis sui studio vigilantissimo intendendo. Pro qua fide Sigismundus Rex ipsum et semen suum usque in diem mortis suæ maximo dignatus est tam præmio extollere, quam honore. Consulente autem solerti et provida matre Palatini Relicta, ne filius quicquam grave in captivum et sibi traditum Sigismundum Regem consuleret, cum ex circumscripto Rege sempiternam sibi et domui suæ ignominiæ notam, nullo solatio de parentis nece, qui amplius vivificari non posset, quæsito, foret inusturus, præfatus Sigismundus Rex eadem agente et precante matre, ut filius paternæ necis injuriam beneficio penderet, a captivitate, a prædicto Nicolao de Gara, quem altius processu temporis efferre non destitit honoribus, benigne habitus et fotus est, et finaliter dimissus. Pertulit et ipse Sigismundus eodem anno grandi sui status dispendium. Nam Bonifacius nonus Siciliæ Regem Ladislaum satagens amplius extollere, omnem censum, in quo Ecclesia Romanæ obligabatur, indulgens, et biennalem decimam in Regno Siciliæ sibi concedens, etiam illum in Vngariæ Regem per Angelum Cardinalem Episcopum Hostiensem appellatum Florentinum in ciuitate Dalmatiæ Zadra, in qua corpus Sancti Simeonis Iusti asseritur quiescere, sub præsentia aliquorum Baronum Vngariæ coronari, in præiudicium veri Regis Sigismundi procurauit. Quo agnito Sigismundus Rex cum forti exercitu Dalmatiam ingressus, Ladislaum ex illa turpiter depulit, fautores vero illius tam Ecclesiasticos quam sæculares pœnis grauibus mulctauit

Nouis simultatibus inter Litthuaniæ Magnum Ducem Alexandrum et Cruciferos Prussiæ et Liuoniæ coortis, Magister Liuoniæ cum hostili exercitu Litthuaniam ingressus eam multifarie peruastat, Cui Alexander Vutsaudus Magnus Dux Litthuaniæ, quod se viribus inferiorem, et subditorum suorum animos fluxos et fidei ambiguæ nosceret, resistentiam facere non audebat. Milites tamen et pugnatores suos in Vilno conuenire iussos continebat, Liuonitis autem vastatione peracta, in propria absq; hostili metu de Litthuania regredientibus, Alexander magnus Litthuaniæ Dux solatio militum quod illi Vladislaus Poloniæ Rex transmiserat, coauctus, Liuonitas adeo silenti agmine persequi cæpit, ut quoslibet eorum custodes falleret, et in statiua eorum hesterna, in quibus focos ardentes et fæni atq; auenæ reperiebat reliquias, pedetentim de altero succedebat. Liuonitico autem exercitu in propria pertingente, et in varia loca ad reuidendum coniuges et pignora præcipiti cursu distracto, Alexander Litthuaniæ Magnus Dux Liuoniam ingressus, pluribus villis et oppidis cæde spolio et igne vastatis oppidum munitum Diunall cæpit. Quo in prædam militi concesso, arcem, ad quam plures oppidanorum confugerant, quã nisi illius difficilis et periculosa conquisitio videretur, expugnare adorsus, per deditionem Cruciferorum et militum illud tuentium, qui cum diuinissimo Sacramento processionaliter egressi

tantum

tantummodo ne in eos saevirent, precabantur, capit, ex cuius spolijs, plurima enim in illo de varia materia congestae erant opes, exercitus ditatus est. Petrus Rethorski de Pisari Polonicus miles de domo Byzennium in ea expugnatione telo ictus, dum ferrum extrahi Chirurgorum industria nequiret, triennio illud gravissima vexatione perferens gestavit, quod tandem carnem perforando in pedis planta erupit. Oppido autem et arce igne conflagratis, Vithaudus Litthuaniam, veritus ne ab hostili praeoccuparetur exercitu, incolumis et felix repetijt

Jodocus Moraviae Marchio, ob quasdam simultates contra Venceslaum Romanorum et Bohemiae Regem, spiritu indignationis et furoris exagitatus, inito et percusso cum Misznensibus Marchionibus foedere, ac eorum personali adiutus praesentia, Bohemiam cum hostilibus ingreditur exercitibus, et magna eius parte vastata, in vituperium et opprobrium hostis sui Venceslai Regis in ferarum horto e regione Castri Pragensis sito, castra sua simul cum Marchionibus Misznensibus ponit, et diebus aliquot illic stativa continuat, Venceslao Romanorum et Bohemiae Rege in castro Pragensi cum suis militibus praesente et inspectante.

Octava Maij mensis die Vladislaus Opoliensis Dux vocatus Ruszki nulla prole relicta apud Oppol moritur, et in Monasterio Fratrum minorum Oppoliensi in Choro sepelitur, Casimiri secundi Poloniae Regis nepos secundum carnem ex sorore germana

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS SECVNDVS

Nuptiarum solennitati Vladislaus Poloniae Rex, quam anno superiori transegerat, Coronationis adiecit solennitatem, et in Dominica Quinquagesimae in Cracoviensi Ecclesia per Dobrogostium Gnesnensem Archiepiscopum Annam consortem suam in Poloniae Reginam coronari et inungi procurat. Confluxerat autem in eam diem, Pontificum, Principum, Comitum, et Baronum, a Rege Vladislao specialibus nuntijs vogatorum multitudo. In quorum ampliorem honorem diebus aliquot a militibus dimicationis ludus habitus est, et Athletae a Vladislao praemiati. Advenerat etiam in coronatione hanc genitrix Reginae coronatae Anna filia Regis Casimiri, quae primo viro Comite Ciliae Vuilhelmo mortuo, Comiti de Dek nupserat, a Vuladislao Poloniae Rege invitata, et immenso perfusa explicataque gaudio, quod illi et patrium invisere Regnum et prolem suam in throno Regio locatam spectare contigerat, pluribus a Vuladislao Rege honorata muneribus ad virum rediit.

Molestias captivitatis sue Aresti Sigismundo Ungariae Rege perferente, notabiles Nuntij a Praelatis et Baronibus Ungariae destinati ad Vuladislaum Poloniae Regem, decima octava mensis Junij die Cracoviam perveniunt, et varietatibus causis ex quibus iustam se rebantur captivitatem Regi suo Sigismundo intulisse, precabantur Vuladislaum Regem, quatinus Regnum Ungariae, cuius sibi iusta ratione Hedvigis Reginae filiae Ludovici Regis debebatur successio, susciperet Dyadema. Qui ea legatione permotus in Novam Sandecz ex Cracovia, nullo Ungarorum Nuntijs edito responso venit. Ubi novis et gravibus ab Ungarorum Legatis de assumendo Ungariae Regno sollicitatus instantijs, respondit, neque suae neque illorum convenire honestati iusto et vivente Rege Regnum adimi, solverent potius Regem quem ceperant vinculis, et se probro, eo uno facili negocio suae et Regni sui necessitati et indigentiae honestius provisuri. Neminem eo dementiae labi, ut se lubricorum nodis, quibus alium tractari conspicit, involvat. Eo responso Ungaris tam ingens pudor incussus est, ut reversi illico Sigismundum Regem solverent. Ad quem nuncij Vuladislai Poloniae Regis missi, quibus se significabat pro illius solutione omni officio intendisse, et ni sequuta fuerit armis et ferro eam effectivam fuisse, magna Sigismundum Regem hilaritate impleverant.

Dobrogostius Gnesnensis Archiepiscopus exactis in Gnesnensi Pontificatu annis circiter octo, in villa sua Archiepiscopali Chelm, prope Unieiowien oppidum moritur et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur. Cui Nicolaus Curowski Cracovita de domo Szreniawa Vuladislaviensis Episcopus anno eodem per Canonicam electionem et regiam intercessionem succedit, et integro biennio utramque sedem fructusque utriusque percipiens tenuit, donec Joannes Cropidlo Opoliensis Dux ad Vladislauiensem sedem, a qua pulsus, et annis multis exclusus, ob perfidiae facinus fuerat, quod cum Cruciferis de Prussia contra Regem et Regnum sensisse ferebatur, Regi placato, restitui obtinuit. Cui in exilio agenti Magister et Ordo Culmensem sedem conferri procurauerant. Fuit tamen de Cholmensi, processu dierum in Camyenen translatus, in quo tenuem et tristem statum ducens, annis aliquot degit

Venientibus Romam solennibus nuncijs Petri de Luna alias Benedicti duodecimi, et in publica audientia humiliter et submisse Bonifacio nono supplicantibus, quatenus cum eorum domino Benedicto duodecimo ad id optime disposito, inueterato scismati finem poneret, Bonifacio superbe et ample huiusmodi petitioni respondente, et se verum Papam, Benedictum vero duodecimum Antipapam arroganter dicente, praefati Nuncij respondendo dominum suum Benedictum duodecimum asserebant Simoniacum non esse, innuendo typice, Bonifacium Simoniacum esse. Quo verbo Bonifacius ipse plus quam credi potest offensus, et in cholleram immoderatam accensus, calculi morbo agitari coepit, atque in lectum aegritudinis decidens, tertia ex post die immediate sequenti, prima videlicet Octobris efflauit animam, dum annos quatuordecim sedisset. Captiuati autem fuerunt praedicti Nuntij Petri de Luna, violato saluo conductu et iure gentium per Capitaneum castri Sancti Angeli, quasi occasionem morbi Bonifacij praestitissent, nec prius nisi solutis quinque millibus florenorum ex castro Sancti Angeli in quo detinebantur, dimissi. Sepulto autem corpore praefati Bonifacij, in Ecclesia Sancti Petri, Nuntij Petri de Luna, Cardinales Bonifacij conclaue ingressuros accedentes summopere rogabant, ut se ab alterius Pontificis electione abstinerent, pacemque afflictae procurarent Ecclesiae, gratissima nova post paucos dies si se continuerint audituri. Sed repudiatis huiusmodi precibus Cardinales praedicti conclaue ingressi, primum iurauerunt omnes et vouerunt, ut quicunque ex eis eligeretur in Papam, unionem omnibus procuraret viribus, et Petro de Luna cedente cederet. Deinde ad electionem noui Papae procedentes, Cosmam tituli Sanctae Crucis in Hierusalem Presbiterum Cardinalem elegerunt in Papam qui vocatus est Innocentius Papa septimus, Vir modestus, pacificus et probus, ex oppido Salmone in Sicilia de mediocri statu oppidanorum natus, casta vita, Canonum Doctor, et in Poesi sufficienter instructus, per Bonifacium nonum dum esset Episcopus Bononiensis in Cardinalem promotus. Sub eo autem tempore ablatum fuit dominium temporale urbis, a Papa, et per septem Romanos qui prudentes appellabantur, regebatur. Quod moleste ferens nepos dicti Innocentij Ludovicus de Melioratis, praefatos septem regentes occidit, Ob quorum necem seditione exorta Cortisani plures numero 20 violati et occisi. Innocentius vero Papa cum Cardinalibus Roma velut a fugiens, Viterbium pervenit, Papalis cuius Palacium per Joannem de columna et gentes suas spoliatum et direptum Romae

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMꝰ TERCIVS

Congesto ex Polonorum Litt[illegible]orum et Ruthenorum militum exercitu Alexander Vitholdus, magnus Dux Litthuaniae procedit ad conquirendum terram Smolnensem, regionem opulentam et fecundam a Ruthenis inhabitatam, quam annis decem bellis vexare non destitit assiduis, In qua illi Vladislaus Poloniae Rex annis singulis novas Polonorum cohortes mittere solitus fuerat, et sine eorum solatijs aliquam expeditionem contra Smolnenses non obibat. Regione autem Smolnensium spolijs et incendijs vastata, castrum Smolensko caput et metropolim gentis in quod Smolnenses coniuges, liberos, fortunas, et quaeque preciosiora pignora congesserant, obsidione vallat. Ad cuius expugnationem omni studio et conatu intentus, primum bombardarum proviidione illius structuras quatit, et comminuit, mox deinde universo exercitu ad moenia illius succedere iusso, Smolnensibus imminens periculum nequicquam strenue et probe repellentibus, structuris castri audacia militum violatis, castrum capit. Non tamen ea conquisitio militibus Alexandri parvo impendio et cruore provenit, multi desiderati, sed multo plures numerabantur vulnerati. Ex Polonis miles notabilis Joannes Castellanus Calisiensis occisus, Vuirzbientha Campyenski vexillifer Vuielunensis in facie gravissime vulneratus, Vuaszilo Smolnensis Dux castri sui principalis conquisitione audita, ex Smolnensi ora in Ungariam profugit, et annis pluribus in obsequijs Sigismundi Ungariae

Regis versatus, in cuiusdam castri conquisitionem intrijt. Smolnensium primi non ultra Duci Alexandro resistere ausi, se suasq; reliquas munitiones illi dedunt, Ab illoq; tempore Smolnensis Ducatus Litthuaniae Ducatui addictus et in provinciae formam redactus est. De thesauris autem et rebus magnae opulentiae, vasis quoq; et clenodijs aureis, argenteis, gemmis et unionibus preciosis castro conquisito in ditionem Alexandri Ducis Magni Litthuaniae ex integro relatis, Alexander Dux partem insigniorem Vladislao Poloniae Regi transmisit, partem residuam in eos milites qui amplius meruerant et quorum virtus clarius spectata est, erogavit

In fine Martij et Aprilis Principio Cometes inter Orientem et Septentrionem in vespera apparuit, quae facem seu caudam suam a meridie in Septentrionem flammando porrexit

Diffidato Regno Poloniae Krotis de Slupcza ex genere Rawitarum ortus, qui ob indignam necem in Joanne de Ossolin Castellano Visliciensi, de domo Bipennium, ob limites villae Ecclesiae Sendomiriensis Dwyeczoszy, cuius Joannes filius suus erat Canonicus iuste defensos, apud eandem villam Dwyeczoszy patratam, et Joannes Rogala Castellanus Vladislaviensis de genere Rogalitarum ob suas factiones de Regno Poloniae banniti et proscripti, Regnum praefatum ex castro Moraviae Szounstein, ubi sibi receptaculum quaesierant, multifarie nobiles, mercatores, et subditos Poloniae captivando et in praedictum castrum importando lacessebant. Quod Vladislaus Poloniae Rex graviter ferens, dum querelis suis ad Jodocum Moraviae Marchionem ob id factis nulla aequa responderet restitutio, Cracoviensium tantummodo suorum mittit in Moraviam exercitum, qui castrum praefatum Szounstein facta forti impugnatione conquirit et incendit. Joannemq; Rogala Castellanum Vladislaviensem hostem et exulem Regni cum suis omnibus captum in Poloniam reducit. Hic annis multis carceres et vincula perpessus intercessione Zawissij nigri de Garbow militis, qui et ipse aliquot captivos in Ungaria Polonos sua parte solverat dimissus est. In ultionem vero sceleris Krotis de Slupcza qui captivitatem causaverat, bona sua omnia mobilia et immobilia publicat, et perpetuo illum exilio condemnat. Castrum suum Corany in terra Sendomiriensi situm Vladislaus Poloniae Rex a militibus exquisitum, in locis frequentibus mandavit, quoniam petra aedificatum erat, perfodi et ruinari, decernens in poenam praefati Krotis et suorum facinorum ut nullo unquam tempore absq; suo et suorum Successorum Regum Poloniae instauraretur, aut repararetur, speciali consensu. Captivaverat autem Krotis Slupeczki praefatus Andream

Nehanda, appellatum Sbroszek, nobilem de domo Bezenninum in curia sua in Szczekowicze, et Petrum Sborowski nobilem de armis Jastrzambecz in domo sua in Zborow, et in castrum Szowsten deportaverat, qui castro conquisito soluti sunt. Ad depopulationem insuper Regni Poloniae et publicarum stratarum cives et Mercatorum depraedationem atque spolium, in quibus varia hominum contingebant captivitates et homicidia manum truculentam laxaverat

Comparato de proprijs et externis militibus Magister Prussiae Conradus de Jungingen et Cruciferi notabili exercitu habentes in suo comitatu Boleslaum Switrigel germanum Vuladislai Poloniae Regis, qui fluxi et magnae varietatis vir ingenij ad novandum res proclivus, de Litthuania, per Alexandrum Ducem, Vuladislao Regi inquietudinem prohibenti ejectus, ad Cruciferos se contulerat, Litthuaniae terras circa festum Sanctae Dorotheae hostiliter ingrediuntur. Duci autem Vuithaudo ex castro Vilnensi spectanti et cernenti quod viribus esset inferior, et de fide suorum ambiguus, nihil prohibenti, primum ad castrum Merecz applicant, quo conquisito et incenso, dum versus Grodno ituri crederentur, itinere reflexo versus Trokki divertent, et una nocte apud stagnum Daugen immorati, promoto in Szamienki gradu duobus diebus illic tenuerunt stativa. Abinde in locum Olanna uno milliari a Trokki distantem perveniunt. Et quamvis Vuithaudus Dux magno aestus fuisset metu, ne ex Olanna ad castrum Trokky obsidendum descendissent, dimisso tamen castro Trokky in dextra parte ad villam Stoiginch penes fluvium Strauua sitam applicant. Ex qua per Sodmiliszky, Stohlliszky, et Nevonucna septimis castris omnia loca per quae ibant et quae attingere poterant igne et spolijs vastando ad flumen Nyemen perveniunt. Quo facile, glaciebus enim constrictus erat, transito, in terras suas circa Ragnith ducentes secum permixti sexus ex Litthuanis mille animas captivas redeunt, quae Duce Vuithaudo instante, et pro eorum repraesentatione promittente, fuere dimissae. Sed et Dux Vuithaudus similem et ampliorem captivorum numerum ex terris Prussiae Magistro petenti et cautionem praestanti laxavit. Prussiae autem exercitu de terris Litthuaniae egresso, recenti novus exercitus Magistri Livoniae eas ingressus et factis multis spolijs, exustionibus, et damnis, in crastino sanctæ Agnetis circa Thuronium et Lahonarij pluribusque hominibus captiuatis in Liuoniam rediit

Tredecima Nouembris Albertus Jastrzambiecz Episcopus Posnaniensis fundat Collegium Mansionariorum pro decantandis horis Beatæ Virginis Mariæ in Posnaniensi Ecclesia conferens pro dote eorundem aliquot Altariorum eiusdem Ecclesiæ introitus, item decimas mensæ Episcopalis circa Calissiam, Odolanow, in villis Glogowa, Bandzeschino, Crassa, Sczurij utrisque, Galuschky, Janckowo, Nabosczycze, Lanckoczinij, Wirzbno, Dambsczino, Gutschowo, Burgamno, Raszkowo, Pogrzibowo, Rgischowo, Przygodzicze, Oczanschow, Golenchowo, Bonino, Lewkowo, Boczkowo, Goyaszowo, Gorzno, et Bunino. Ordinans ut Vicarij Posnanienses habeant huiusmodi Mansionarias, et tertia pars eorum horas, missas, et officia Mansionariorum expleat

Infestationem terrarum Litthuaniæ per Bohuslaum Switrigal hactenus procuratam, Wladislaus Poloniæ Rex amoturus, missis Nuncijs ipsum a Prussia, solutis magnis pecuniarum summis, quibus se ille stando inuoluerat, reuocat. Cui pro manutenendo statu suo terram Podoliæ, a Relicta Spythkonis de Melsztin Elizabeth et filijs suis Joanni et Spithkoni, solutis ex pacto quinque marcarum latorum grossorum Bohemicalium millibus liberatam, item terram Zudaczouiensem, item districtus, Strij, Schydlow, Stobniczam, Drugniam assignat. Ea tamen beneficij et largitionis magnitudo leuem Swithrigelli animum stabilire non potuit, quin castris Podoliæ præsidio Polonorum et Ruthenorum locatis, nulla lacessitus iniuria, ad Cruciferos, potiundi Ducatus Litthuaniæ, qui illi a Cruciferis repromittebatur, in dolo possessioni perfugerit. Post cuius fugam dicastris Podoliæ Wladislao Poloniæ Regi ea sibi resignari requirenti, a Polonis et Ruthenis ea tenentibus aperta rebellione insultatum est.

Innocentius Papa Septimus frequentibus Romanorum precibus expugnatus Romam ex Viterbio in Dominica Reminiscere reuersus, et magna lætitia populari exceptus, Ladislaum de Durazo Regno Siciliæ priuat, propter impressiones plurimas quas et urbi et Regno intulit. Sollicitabatur et tunc præfatus Innocentius per notabiles Nuntios Petri de Luna de unione consummanda, quo negante contrarias sibi scribebant epistolas, certando ad inuicem, et scripturis huiusmodi populum Christianum ludificando.

Correptus deinde fuit dictus Innocentius morbo Paralytico, a quo post paucos dies liberatus, iterum circa finem secundi anni sui Pontificatus de mense Novembri in eandem infirmitatem relapsus moritur. Ortaque extunc fuit magna perplexitas inter Cardinales, an alium eligerent, an ab electione abstinerent. Sed tandem sanius visum est ad electionem procedere, qua in conclavi celebrata Angelum de Corona natione Venetum tituli Sancti Marci Presbiterum Cardinalem, quem ipse Innocentius in Cardinalatum promoverat, praestito tamen per prius et voto et iuramento, quod quilibet eorum si in Papam eligeretur, pro bono unionis, Papatui cederet, concorditer ultima die Novembris in Papam elegerunt. Credentes illum omnibus habiliorem ferventioremque per quem sublato scismate unio in Ecclesia Dei sequeretur. Erat enim Theologiae Magister et aetate grandaevus, octuagesimum vel citra credebatur annum tunc habuisse. Gregorius duodecimus nuncupatus. Qui coronationis acceptis insigniis, in publica sessione et votum et iuramentum de cedendo, lacrimis etiam effusis repetiit, sed utramque pollicitationem parum fideliter servavit, cognominabaturque a nonnullis Errorius.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS QVARTVS

Festo Pentecostes adveniente, Dieta generalis in oppido Episcopali Raczansz pro stabilienda inter Regnum Poloniae et Ducatum magnum Litthuaniae ab una, et Cruciferorum terras partibus ab altera, pace, sedandisque differentiis super occupatione Dobrinensis et Samogitiae terrarum exortis, tenta est. Ad quam cum et Vuladislaus Poloniae Rex cum Polonis et Litthuanicis Consiliariis, et Magister Prussiae Conradus de Junigen cum Commendatoribus suis personaliter advenissent, tractatores pacis et simultatum moderatores per partem utramque dati sunt. Ex parte quidem Vuladislai Poloniae Regis Niclaus Gnesnensis Archiepiscopus, Petrus Cracoviensis, Albertus Jastrzambiecz Posnaniensis Episcopi, Jascho de Thanczin Castellanus, Joannes de Tarnow Palatinus Cracovienses, Michael de Bogumilowicze Lublinensis, Clemens de Moskorzow Vislicensis Castellani, Gnievosius de Dalewicze

Succamerarius Cracoviensis, et Nicolaus Praepositus Sancti Floriani Regni Poloniae Vicecancellarius. Ex parte vero Magistri Prussiae et Ordinis sui Arnoldus Culmensis, Joannes Pomezaniensis Episcopi, Conradus de Leychtinstein Magnus Commendator, Joannes de Rumpheim in Elbingo, Fadericus de Vuendon in Thorun, Commendatores, Frater Joannes de Rogitilen Canonicus Vuarmiensis, Petrus de Lapide, Petrus de Barszen milites et Gotthfridus Reber Magister civium de Thorun. Hi diebus aliquot deliberatione habita, pacem sub his conditionibus confirmant, ut Vuladislaus Poloniae Rex, et Alexander Vuitoudus magnus Dux Lithuaniae Magistro et Ordini Cruciferorum de terra eorum naturali Samogitiae excedat, et illi per literas patentes renuncient, Samogitasque dare Magistro et Ordini filios obsides et omagium praestare compellant. Item quod Vuladislaus Poloniae Rex terram Dobrinensem in quadraginta millibus a Magistro et Ordine redimat, et donationes per Magistrum in terra Dobrinensi factas ratificet. Item quod profugos et exulatos hinc inde non foveant, neque recipiant, et captivos solvant et manumittant. Hae pacis conditiones etsi graves viderentur, Vuladislaus tamen Poloniae Rex et Vuitoudus Lithuaniae Dux, guerrarum anfractus toto nisu declinaturi, eas accipiunt literasque super confirmatione repromittunt. An vero armis expugnari terra Dobrinensis, an pecuniis redimi deberet, consultatio Vuladislai Regem et Consiliarios eius aliquanto tempore distinuit, ne expugnata belli causa redempta ad caetera per iniquitatem occupanda irritamentum foret, Redimi tamen illam quamvis cum dedecore Regni et gravamine, quam occasionem praebere bello placuit

Ex Ratzansz Vuladislaus Poloniae Rex per Magistrum Prussiae Conradum de Iungingen et suos Commendatores multis literis precum instantia rogatus, cum maiore Consiliariorum suorum parte descendit in Thorun, ubi per triduum splendide a Magistro tractatus est, et in eius honorem ludi hastarum instituti. In quibus Dobeslaus de Olesznicza aliâs de Sienno Polonicus miles omnium in se propter animi et corporis vigorem spectantium oculos converterat, undi et ultra omnes certantis, ~~athle~~ athletae illi honos cum praemio delatus est. Dum enim Vuladislaus Poloniae Rex suos Polonos parum prospera uti fortuna videret, Dobeslao praedicto ut hastiludieret imperavit. Ad Regis itaque iussum equo conscenso adversus certantes contendit et ex campo omnes deturbare coegerit, Circa horam quoque noctis tertiam solus et unicus visus est in palaestra remansisse, quamvis viribus aliquot recentis et novi milites de curia Magistri Prussiae contra eum surrogarentur. Sub illo insuper triduo Vuladislao Poloniae Rege per oppidi Thorunensis plateas cum Magistro Prussiae pro contemplando situ oppidi obequitante, faemina quaedam ex coquina squaloribus coquinalibus Vuladislaum Regem perfudit, quae Magistri iussu comprehensa et suffocationi undarum addicta, beneficio Regis servata est. Quae utrum consulto an fortuito facinus id peregerit incertum habetur, multorum tamen ferebatur praesumptione, faeminam praedictam ex subordinatione Cruciferorum squalores praedictos in Regis ignominiam consulto iecisse, postquam in tanta hominum multitudine qui Regem et Magistrum praecedebant, et comitabantur, non alium quam Regem Vuladislaum aspersio ipsa contigerit

Commendatores et Cruciferi de Prussia nulla iniuria aut molestia laesi, sed sola livorosa et superba alti malitia, terras Masoviae et Ducatum Ioannis alias Ianussij Ducis Masoviae Czirnensem et Varsoviensem cum magno exercitu clandestine nulla diffidatione praemissa hostiliter ingrediuntur, et praefatum Ducem Ianussium in curijs suis cum consorte filijs et Baronibus curiensibusque suis famulis et militibus secure et fiducialiter veluti sibi nihil conscium, et Cruciferis in nullo obnoxium, habitantem, invadunt, et tam ipsum quam omnes Barones milites et Consiliarios suos ac Curienses captivant. Omnis quoque humanitatis et honestatis obliti Ducem praefatum Ianussium virum nobilem, virtuosum, et optimum, omitto suum et sui Ordinis fundatorem et dotatorem, privato etiam officio illis colendum, et omnes suos turpiter funibus ligatos, in arces et oppida suae ditionis faede tractatum duxerunt. Quem Vuladislaus Poloniae Rex, novitate huiusmodi per celeres nuncios ad se perlata, missis ad Magistrum Prussiae Ulricum de Iungingen notabilibus nuntijs, suam et totius Regni sui Poloniae in captivitate praefati Ducis Ianussij et suorum quaestus violationem et iniuriam, liberationem suam et suorum celerem, praefato Magistro Prussiae licet iniquiter et mendose praeter suum scitum admissum inficiante facinus, procurat

Ad providendum de solutione quadraginta millium florenorum Magistro et Ordini Prussiae, in liberationem et redemptionem terrae Dobrinensis repromissa, Vuladislaus Poloniae Rex ex Thorun discedens, et in terris maioris Poloniae universa aestate mansione figens, Conventus particulares agi ordinavit, et in illis universa nobilitas, de suis privatis introitibus ad solutionem huiusmodi impendendam suffragium per numerarium conferret. Ex terris vero Maioris Poloniae in Autumno descendens, in nova civitate Korczin pro die Sancti Martini totius Regni sui generalem tenuit Dietam. In qua de universorum Praelatorum Baronum et militum totius Regni gratificatione et consensu, pro redemptione terrae Dobrinensis sancitum est, ut de quolibet lanneo possesso duodecim grossi, usualibus duobus regalibus inclusis, Regi solverentur. Ita tamen quod huiusmodi gratuita subventio nequaquam praeiudicialis esset iuribus et libertatibus militum, neque ad debiti necessitatem in posterum traheretur. Coeptaque extunc subventio ipsa exigi et in manus collectorum a Vladislao Poloniae Rege deputatorum in civitatibus principalioribus consignari, pro conditione colonorum et villarum et fidelitate exactorum ad centum marcarum millia comperta, inito calculo, ascendisse.

Frequentibus nuncijs et literis Wenceslai Romanorum et Bohemiae Regis de conveniendo secum Vladislaus Poloniae Rex sollicitatus, in nova civitate Korczin, Consiliariorum super ea re tenuit conventum. Ubi ad illum Ioanne Opaviae Duce nomine praefati Wenceslai Romanorum et Bohemiae Regis veniente, et invitante ad conveniendum, conventio apud Wratislaviam pro festo Sancti Iacobi Apostoli accepta est. Quo venientes, ambo Reges illic convenerunt, tanto tamen Praelatorum, Baronum, et militum, Vladislaus Poloniae Rex frequentissima caterva stipatus erat, ut in suo comitatu plusquam millia quinque de selectissimis militibus creditus est habuisse. Sed et Sbigneo de Brzezie Regni Poloniae Marsalco ad distribuenda hospitia Vladislaum Poloniae Regem cum familiaribus Baronum numero sexcentis praecedente, Wenceslaus Romanorum et Bohemiae Rex ratus Regem Poloniae esse illi occurrerat. Stabat autem Vladislaus Poloniae Rex Wratislaviae diebus octo, singulis necessarijs a Wenceslao Rege abunde procuratus. Causa autem conventionis erat, instabat Wenceslaus Romanorum et Bohemiae Rex, instabant et Principes Baronesque Bohemiae et Slesiae, instabat et Misznensis Marchio, ut foedus perpetuum Reges et Regna inirent firmarentque, et pro quolibet sua et Regni Bohemiae necessitate, et praecipue contra germanum suum Sigismundum Ungariae Regem altera vice illum captivante, quadraginta lanceis Poloniae Rex ipsi auxilio foret. Offerens se Regi et Regno Poloniae universam terram Slesiae cum illius Ducatibus iniuste a Regno Poloniae alienatam, et civitates Regias Wratislaviam, Namslaviam, Swidniczam, Vradz, Iawor, Szrodam, et alias restituturum. Eam conditionem etsi Wladislaus Poloniae Rex contentus esset accipere, Praelatis tamen et Baronibus Regni Poloniae improbantibus, et Seminarium bellorum inter Regna ex ea oriri verentibus, repudiata est. Dederunt autem Reges sibi mutuo amplissima munera, inter quae crux aurea in pectoralis modum, particulam de spinea corona et ligno vitae continens Regi Poloniae a Bohemo donata pretiosissimum et insigne munus censebatur. Ea conventio salutaris erat Regnis utrisque et subditis, cum ex unione et charitate Regum, subditorum etiam census, commoda, et profectus, succrescerent. Non repudiasset autem Wladislaus Poloniae Rex conditionem de reddenda sibi Slesiae regione per Wenceslaum Romanorum et Bohemiae Regem oblatam, quippe qui sciebat Slesiam sui Regni Poloniae nobile membrum esse, et Regno suo Poloniae per dolos et iniuriam ademptam, nisi genus servitutis, quo quadringentis lanceis pro singulis bellis, Regibus Bohemiae solatio adesse stringebatur, horruisset, ad singularem referens iniuriam, si Regi aequi pari iniuncta ferre solenne se obligasset, potuisset et id genus servitii moderari, sed Joannes Smirzyczki Vng ex Baronibus et Consiliarijs Bohemiae in Vuratislaviam superveniens, restitutionem Slesiae primo iam compositam et conclusam in pectoribus Wenceslai Regis et Consiliariorum Bohemiae infecit

Ex Vuratislaviensi Dieta Wladislaus Poloniae Rex reversus, in Podoliae terram, de manibus Polonorum et Rutenorum illam nomine Bolislai Switrigelonis Ducis occupantium, recuperaturus processit. Quem advenientem civitas Kamieniecz continuo illum velut iustum dominum portis patefactis excepit, quam ingressus illico ad castrum Camieniecz expugnandum operam navat, bombardisque illud quatit. Capitaneus autem castri -X. et scelus perfidiae, et captivitatis periculum, iam siquidem nimium coarctatus erat incursurus, obtenta primum apud Regem et literis firmata conditione, quod castrum et terram Podoliae nulli Principi sed tantummodo uni ex Polonis militi in tenutam committeret, castrum dedit. Quam deditionem caetera ~~Poloniae~~ Podoliae castra sequuta in ditionem Regis venere. Castris autem et terrae Podoliae Wladislaus Rex Petrum Safraniecz praefecit, quo post annos plures destituto, Petro dicto Czarnaczian Castellano Dobrinensi, eo vero amoto Andreae de Danczin Pincerno Cracoviensi, quo cedente Petro Vulodkowicz Subdapifero Charbinowski terram et castra Podoliae committebat

Non implente Vuitoldo Lithuaniae Magno Duce

Duci conditionem de terra Samogitiae Magistro et Ordini Prussiae dedenda, in Dieta apud Racziansz habita firmatam, Magister Prussiae et Cruciferi cum forti exercitu terram Lithuaniae ingressi hostiliter illam quatiunt et devastant. Duci Vitoldo lacessenti quidem ex insidiis hostilem exercitum, sed in conspectum et congressum propter discrimen imminens venire detrectanti. Cuius necessitati Wladislaus Rex comperta, non parvum illi ex Polonis militum numerum in solatium destinat, qui non nisi per obliqua et invia itinera, Duci Vitoldo comperto, ad experiendam cum hostibus belli fortunam coanimabant. Verum Magister Prussiae et Cruciferi, percepto Polonorum exercitum Duci Vitoldo in suffragium advenisse, fortiorumque et frequentiorum quam pro numero rati, illico a coepto cursu in propria delabuntur.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS QVINTVS

Ad Festum diem Pentecostes, tam Wladislao Poloniae Regi, cum suis Consiliariis quam Conrado de Iungingen cum suis praeceptoribus in oppidum Kunewhow ad firmandum literas Conclusionis pro pace terrarum anno superiori in Racziansz digestas convenientibus, nova difficultas et quaestio circa compactatorum sigillationem a Magistro et Ordine inducta est. Producebant enim literam Casimiri secundi Poloniae Regis die Sancti Luciani millesimo trecentesimo quadragesimo tertio in Calisz scriptam, per quam iuri et titulo terrae Pomeraniae renunciabat, promittens eo amplius non uti, et illius ex maiestatis sigello facere abrasionem, iuxta quam petebat ut Wladislaus Poloniae Rex titulo huiusmodi uteretur, ac de sigello maiestatis mandaret illum deponi, cum nullatenus fieri possent ut sigello regio titulum Pomeraniae habenti literae confirmanda et parti eorum tradenda sigillarentur, cum sigillatio ipsa ius eorum notabiliter perimeret, et cessionem Casimiri Regis de terra Pomerania in dubium revocaret. Addiderunt sui propositi esse ut Pomerania tam re quam nomine Ordinis terra censeatur, nec sibi in illa quisquam vendicare iuris posset quicquam, sed nec tituli additamentum. Wladislao autem Poloniae Rege et Consiliariis suis, petitionem Magistri et Ordinis magnopere et aspernantibus et refellentibus, re infecta discessum est.

Tertio

Tetrior aliquanto alterius Conventionis, quam Alexander Vuitoldus Magnus Litthuaniae Dux cum praefato Conrado Magistro et Cruciferis de Prussia ad fluenta Nyemyen in loco qui dicitur Salin, infra Cowno sito, pro Die Sanctorum Petri et Pauli tenuerat, fuit eventus. Ad quam Vuladislaus Poloniae Rex duos e Consiliarijs suis videlicet Clementem de Moszkorzow Castellanum Vuislicensem et Nicolaum de Brzesze Regni Poloniae Marsalcum, ne Dux Vuitoldus dolo Cruciferorum circumveniretur, transmiserat. Post multos siquidem tractatus pro pace et terra Samogitarum per Vuitoldum Ducem Ordini facienda cessione habitos, non sine animorum irritatione discessum est, approbantibus Duci Vuitoldo nonnullis Cruciferis, et signanter Crucifero Marquuardo de Szalczbach Commendatore de Brudeburg et Sesimborg crimen perfidiae, et qui tam ipsum quam genitricem suam varijs probris et maledictis incessere. Cam tamen Vuitoldus modeste tulit iniuriam, maluit et illas et plures alias indignitates perpeti, quam bellum Litthuanicis viribus gerendum Cruciferis movere, aut motum refellere quod superioribus annis tentatum secus cesserat

Alterum deinde Alexander Litthuaniae Dux, cum Magistro et Ordine Cruciferorum celebrans conventum, assiduis Cruciferorum pressus defatigatusque vexationibus, pacem necessariam magis quam honestam componit, de terraque cedere Samogitiae, et armis Samogittas in ditionem et Magistri et Ordinis impellere, Vuladislao Poloniae Rege nequicquam abnuente, inhibentique consentit, terramque praefatam Samogitiae per literas publicas geminato idiomate, Latino videlicet et Almanico scriptas, Magistro et Ordini Prussiae donatione perpetua, quae Duci Alexandro interpellanti etiam a Rege Poloniae Vuladislao confirmata, donat et inscribit. Imperium autem Magistri et Ordinis Cruciferorum, Samagitis aspernantibus Alexander Vuitoldus ex foedere cum Magistro et Ordine icto, Samogitiam cum suis copijs, in qua iam Magister et Cruciferi cum suo exercitu constiterant, armatus venit, et Samagittas in obedientiam et iugum Magistri et Ordinis venire coarctabat. Reluctabantur tamen pro viribus Samagitae, et nocturnis insidijs Pruthenorum exercitum vehementer lacessendo, magnam cladem, sed maiorem pavorem, adeo ut excubias duplicari oporteret, Pruthenico exercitui intulerant. Sed et Alexandrum Ducem, eiusque exercitum luctuosa prece et eiulatu alloquebantur ex sylvis, ne eos a suo principatu et Litthuanis cum quibus una gens et unus populus tam linguae idemptitate, quam morum cognatione forent, sequestratum, et Cruciferis subiectum, ne quoque illos amplius tanquam proprios et fideles subditos et amicos, quoniam nullo pacto Vahlis & Sudlis id est Cruciferis Theutonicis vellent subiecti esse, vastatum et oppressum iri sinerent, Cum Samogitia lingua eorum sonet terra inferior ad differentiam Litthuaniæ quam utraque gens superiorem appellat, id vocabulum sortita. Histam lamentabilibus vocibus etsi Vuithaudus Litthuaniæ Dux pia commiseratione moveretur, satius tamen ratus pactis standum esse, terram Samagitiæ Magistro et Ordini Prussiæ subiicit, Samagitasque obsides filios Cruciferis dare cogit, Et quo Cruciferis possessio illius esset et quietior et diuturnior, duo castra in flumine Nyewyasz et tertium in flumine Nyemyen, ubi Dubessza fluvio Nyemyen miscetur construxit. Ad cuius gubernationem Michael Kuchmeyster Crucifer quod lingua Litthuanicæ et Samogiticæ gnarus esset, a Magistro et Ordine in advocatum et Capitaneum relictus est

Marsiliam usque ad Petrum de Luna nunciis notabilibus Gregorius duodecimus missis, eam captat conclusionem ut in civitate Saonensi riparia Januensium in subsequenti festo Sancti Michaelis aut ad ultimum in festo Sanctæ Mariæ Purificationis amborum contendentium de papatu, teneretur pro celebranda unione conventus. Sed termino appropinquante, Gregorius duodecimus conclusionem elusurus, quintadecima Augusti Roma egressus Viterbium et exinde Senas pervenit, Illicque longo tempore moratus, utrumque terminum, licet Petrus de Luna cum suis Cardinalibus pro constituto die venerit, neglexit. Et quamvis a pluribus Cardinalibus et Prælatis zelum unionis habentibus ad transeundum in Saonam instigaretur, figmentis tamen usus, ire propter insecuritatem detrectavit. Propter quod a Curialibus suis non Gregorius sed errorius vocitari cœptus est, Ex Senis ultro in Lucam divertens, plures menses illic exegit, pluribusque artibus, ingeniis, et tergiversationibus utens, nullam operam pro consequenda unione impendere voluit, Nec minoribus ingeniis, tergiversationibus, et dolis, Petrus de Luna utebatur, ne unionis negotium prosequi cogeretur.

ANNUS DNI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS SEXTUS

Janussius Mazoviae Dux et dominus Cirnensis, de consensu Alberti Jastrzembiecz Episcopi Posnaniensis, in Ecclesia Parochiali Sancti Joannis in Vuarschouia fundat Collegiatam Ecclesiam die Mercurij, quinta mensis Januarij, et tres praebendas de capella Sanctorum Petri et Pauli castri Czirsko in illam transfert. Item de Ecclesia Parochiali Tarczin, fundat Praepositurum, de Ecclesia in Vuarka Custodiam, de Ecclesia Vuarschouiensi Decanatum. Item abstulit et dismembrat praefatus Albertus Episcopus, ab Archidiaconatu Czirnensi in Ecclesia Posnaniensi sito, de consensu Alberti, ipsius Archidiaconatus tunc Archidiaconi decem decimas manipulares, videlicet in triplici Czarnowo, in Bruuynowo, Kaloy, Inrohowo, Borowa, Kranycze, Swianczicze, et Byenyewicze, et creant ex eis praebendam quam suae reseruant prouisioni. Ipsum vero Archidiaconatum Czirnensem cum reliquis prouentibus praefatae uniuerant Ecclesiae Vuarschouiensi. Item fundant septimalias praebendas Canonicales super villis censibus et decimis manipularibus, quas et quos praefatus Joannes Dux cuilibet deputant praebendarum. Quarum quidem decimarum proprietatem a Dobeslao Plocensi Episcopo et Capitulo pro certis bonis consuetudinario modo permutatis praefatus Dux Janussius habuerat. Item fundant quatuor decem Vicarios perpetuas horas nocturnas et diurnas in eadem Ecclesia Vuarsouiensi expleturos. Ordinant quod Praepositus Vuarschouiensis duarum Cancellariarum, videlicet Zakroczimensis et Vuischegrodiensis prouentus perpetuo percipiat. Et quod nullus Praelatorum dignitatem seu personatum cum Praebenda in eadem Ecclesia simul obtineat

Vsurpationem castri Drasim a Cruciferis Joannitis occupati Vladislaus Poloniae Rex, ne processu temporis invalesceret, etiam proprietatem, quemadmodum de castro Santhok contigit, quod aequè a corpore Regni Poloniae per eosdem Cruciferos Joannitas, abstractum est, non sinens esse diuturnam, ad Magistrum Ordinis praedicti Nuntios destinat. Qui moneant aut castrum Regni Poloniae Vladislao Regi reddere, aut ex illo feudum Regno et Regi praestare. Sed Magistro utramque conditionem aspernanti Thomas de Vanglischin dictus Kozlerogi de domo Jelitonum Castellanus Sendomiriensis et Capitaneus Maioris Poloniae a Rege mittitur in illius expugnationem. Qui iussa

Regis peragens, infra quatriduum robore militum illud, Cruciferis nequicquam defendentibus, conquirit, quod ab illo tempore in obedientia et ditione Regni Poloniae perseverat

Infesta et assidua Cruciferorum de Prussia invasione, perfactus otium, Alexander Vuitoldus Magnus Dux Litthuaniae solutus, in terras Moszquitarum et eorum Ducem collecto ex Polonis Litthuanis et Ruthenis exercitu, primam expeditionem facit. Quam ingressus, castrorum expugnatione omissa, praedas tantummodo et spolia agere contentus, populationem iussit extendi. Verum cum nec ea iniuria Moszkwitae ad certamen elici possent, terra Moszquitarum validissime vastata, multis praedis et spolijs onustus, Litthuaniam remeavit, multis Polonorum militaria referentibus insignia, quae ad flumen Vsza, quod in Moszquitarum terra censetur principalius, Duce Alexandro donante acceperant

Iudaeorum Cracoviensium unus nomine Selber vocatus, Ducum, Principum Slesiae nummos, Regijs illos miscere atque exinde magnum sibi captare lucrum, Rei vero publicae incommodum, deprehensus et convictus, iudiciali sententia damnatus, in corona, cui nummi adulterini ab eo veris qui immiscebantur, erant insuti, per fora et plateas civitatis Cracoviensis, publicantibus praeconibus scelus suum, igni publice damnatus est

In Sanctae Crucis exaltationis profesto Communitas civitatis Vratislaviensis furorem quem diu contra Consulatum conceperat rustuans, sumptis multisque, armis in seditionem versas in praetorium in quo consistebant clausi, extrema veriti, Consules, irruunt, et ostijs dum sponte non aperiebantur, per vim effractis, destitutos seditione populari viribus, tanquam superbe, avare, inutiliter et negligenter Rempublicam administrassent, Consulibus, et de praetorio excedere, magistratumque abdicare coactis, novos ex se lectos instituit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS SEPTIMUS

Magnus

Magnis opibus, usuraria pravitate tantummodo quesitis, et
usque ad insolentiam atque invidiam Judaeos in civitate Cracoviensi fre
quentes et locupletes, nonnullaque impietatibus patrantibus impune scelera,
humana coercere atque rescindere potestate negligente, severior aliquanto
ultio divina, humanum neglectum supplicij gravitate pensatura, sedi
tione populari, ex levi, ut fit, momento, coorta mulctavit. Feria siquidem
tertia post festum Paschae quae erat vicesima septima dies Martij, Ma
gister Budek Canonicus Vislicensis pronunciato in Ecclesia Sanctae
Barbarae ad populum sermone, e Cathedra descensurus, subinferebat
se per chartam in Cathedra locatam rogatum et admonitum esse, qua
tenus quandam novitatem abominandum facinus continentem populo
intimaret, se huiusmodi rogationem cum ex pari augmento gran
dem seditionem in civitate Pragensi prodisse cogitabat, consulto sup
pressisse. A multitudine deinde, avidius occulta cognoscere cupi
ente, et gestiente, ut quidnam rei esset, edicere non cunctaretur
magna instantia rogatus Cathedra resumpta levius quam et
Magistro et Praedicatori conveniret, rogationem nefandam publicat.
Continebat autem rogatio ipsa, Judaeos in Cracoviensi urbe habitan
tes, nocte quae praecesserat, Christianorum infante necato, in illius san
guine abominationis impietatibus egisse, et in Sacerdotem ad aegrotum
dignissimum Eucharistiae Sacramentum deferentem lapides iecisse.
Qua re audita universus populus quasi signo dato in seditionem
versus, in Judaeos ultione gravi debacchari coepit, et unam Judaeorum
plateam plurimis eorum interfectis spoliavit. Clemens deinde
de Moszkorzow Castellanus Vislicensis et Capitaneus Cracovi
ensis cum Nicolao Lithnoß Procuratore generali et armatis
militibus accurrens, tam seditionem quam spolium restrinxit.
Cum autem omnis seditio et tumultus, populi multitudine, quae ad
spolia aut spectaculum convenerat, abacta, et in domos reversa, qui
evisse videretur, plateaque Judaeorum a militibus servarentur, cam
pana Praetorij, ut Consules et Magistratus Civitatis pro castigandis
seditionis et spoliorum authoribus conveniret, sonanti, etiam
vox ab uno e vulgo inter populares emissa sonuit, Consules et
Magistratum urbis sono campanae Judaeorum spolium et stra
gem imperare. Ad hanc vocem maximo omnium consensu ex uni
versa civitate a plebe concursum est, et spoliatio direptioque atque
strages Judaeorum, quam inhibere nemo ausus erat, ex integro in
staurata, vulgique furiosa temeritas in potestatem necandi atque
praedandi.

praedandi simul progressa, nulla subitum poterat averti. Quae ut facilius conquiesceret, Iudaeorum domus, a Christiano ne an a Iudaeo incertum est incensa; et latius manante dum nemo restringeret incendio, aedes Sanctae Annae et aliquot plateae urbis conflagratae, collegium vero Artistarum maximo nobilium studentium conatu et labore aegre defensum, Iudaeorum nonnulli discrimen mortis vitaturi in turrim ianuae, ad Cerdonum Sabetarula spectantem, vicinam se receperant, In qua cum prope crepusculum se defendissent, igne ab subito succensi se ultro dedunt. Duravit autem strages huiusmodi ab hora ~~vel~~ diei sexta usque ad crepusculum, sub qua plures numero Iudaei fuerunt caesi aut capti, multi tandem ex eis superstites, sponte baptizati Omnes insuper Iudaeorum pueri, quibus Christiani pepercerant, aut quos de mediis flammis servaverant, sacro fonte, Christianorum cura, renati. Thesaurorum et rerum nobilium magna supellex in domibus eorum reperta, direpta est, ex quibus plerique Christianorum divites effecti, in statu et fortunis vehementer aucti sunt. Sed et in domibus eorum quaesiti subitum plures thesauri in zabulo aut cloacis celati reperiebantur. Annus hic insignis Iudaeorum strage, quae pro uno et eodem die non in Cracoviensi tantum urbe, sed et in Nissa et Francofordia duobus Zlesiae oppidis, item in Cantuaria Anglicana civitate anno eodem iusto Dei permittente iudicio provenerat

Duodecima Octobris Vladislaus Poloniae Rex zelotypiae spiritu actus quem in pectore eius duo Consiliarii favi assentatores secreto accenderant, Iacobum de Kobylani militem de domo Grzimalitarum, quasi stupri cum Anna Regina habiti reum captivat, et castro superiori Leopoliensi, compeditum vinculis, quae annis prope tribus perferre coactus est, includit. Alius insuper miles Nicolaus Chrzanstowski de domo Strzegomya eodem insimulatus probro, in voluntarium exilium abiit. Alterius autem captivitate, alterius vero exilio, Anna Poloniae Regina, vulgari infamiae, quam stuba Reginalis in castro Cracoviensi nullo impetu ruinatae casus, paucis ante diebus accidens portenderat, parum sensati et multorum opinione innocenter addicta est, quoniam et Vladislaus Poloniae Rex de levitate quam in infamanda consorte sua egerat, a Consiliariis in conventu apud Xupolomicze eodem anno habito argutus

cam

eam per organum Nicolai Curowski Gnisnensis Archiepiscopi declaravit immunem, et anno insequenti accusatores Reginae gravi ultione divinitus immissa mulctati. Sed nec Andreas Thaczynski miles de domo Bipennium suis notae expers fuit, quippe et ipse in tempore et loco secreto in castro Cracoviensi deprehensus, de commercio Annae Reginae, modestius tamen et minus vulgatius, quam duo reliqui, insimulabatur. Clemens de Moskorzow Castellanus Visliciensis et Capitaneus Cracoviensis insimulationis huiusmodi primarius autor, iure, quod Regina Anna contra illum instaurari obtinuerat, de falsa infamatione convictus, probrum Reginae a se vulgatum et auribus Vuladislai Regis infusum revocare coactus est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS OCTAVVS

Iniuriarum et discordiarum seminario, sensim inter Litthuaniae et Prussiae dominia gliscenti, Vuladislaus Poloniae Rex, quieti patriae suae Litthuaniae prospecturus, cum Ulrico de Iuningen Prussiae Magistro in oppido Litthuaniae Kowno pro die festo Assumptionis Mariae tenuit dietam. Et quamvis cum Vuladislao Poloniae Rege Praelati et Barones Poloniae primores in huiusmodi dietam descendissent, et cum Prussiae Magistro Ulrico de Iuningen et suis Commendatoribus, qui se in una insula prope Kowno oppidum locaverant, de reformandis abrogandisque iniuriis et discordiis plures dies in tractatibus absumpsissent, Magistro tamen Prussiae iam tunc gerente spiritum furentem et inflatum, et a quietis consiliis per facti evidentiam et sermonum, quos ampullose fundebat, iudicatum, abhorrente, infensioribus et magis quam ante irritatis animis, nulla salubri conclusione edita, ab invicem discessum est. Non tamen adeo infesti, ut pro hostibus se gererent, cum Vuladislaus Rex et munera Regi digna Magistro Prussiae misisset, et alia rursus a Magistro remissa accepisset, gliscentem furorem et in bellicam cladem spectantem voluntatem in tempus aptius protelaturi.

Alteram expeditionem contra Vuasilonem Mosquensem Ducem generum suum, filiam suam, quae ei unica erat, Anastasiam habenti, Alexandro Vuithaudo Magno Duci Litthuaniae, pro nonnullis iniuriis et occupatione limitum paranti, Vuladislaus Poloniae Rex, quinque banderia, mille lanceas continentia, ex militibus Polonorum probatis et exercitatis in Solatium transmittit, praeficiens genti a se missae Sbigneum de Brzezie Regni Poloniae Marsalcum in Capitaneum et ductorem. Multi vero Barones et milites Poloniae in bellum, aut voluntarij ipsi ibant, aut gentes expeditas mittebant, Sed et a Magistro Prussiae Ulrico de Juningen Marquardus Crucifer cum uno gentium expeditarum bandero missus advenit. In crastino etiam Sancti Joannis Baptistae die, Alexander Vuithaudus ex Vilno descendens cum forti et numeroso Polonorum, Litthuanorum, Cruciferorum, Ruthenorumque exercitu, in Mosquitarum terram irrumpens eam hostiliter igne et gladio vastare coepit. Sed mox illi alter hostis coortus, Dux Sigismundus Switrygal germanus Vuladislai Poloniae Regis, vir instabilis et ad novandum res procliuis ingenij, castris Bramsko et Starodul, quae ex Vuladislai Poloniae Regis et Alexandri Ducis magni Litthuaniae donatione in Litthuania obtinebat, succensis, in odium et contumeliam Alexandri Vuithaudi cum nonnullis Polonis, Litthuanis et Ruthenis partes suas sequentibus ad Basilium Ducem Mosquinensem transfugit, et ex insidijs locisque iniquis exercitum Alexandri Vuithaudi nocte et interdiu lacessijt, varijsque incommodis gentes Ducis Vuithaudi vexabat pro Mosquitis. Unde et exercitum Ducis Alexandri Ohham fluvium maiorem in meditullio terrae Mosquitarum situm, superare contendentem, Mosquitis in castra et loca munita diffugientibus, fluvium transire prohibent. Legati interim Ducis Mosquinensis Vuaszlonis veniunt, pacem petentes, quae post multos tractatus tandem sub aequis conditionibus, restitutis ad plenum possessionibus, quas Dux Mosquensis usurpare nitebatur, firmata est. Dux quoque Basilius Mosquinensis Socero suo Duci Alexandro Vithaudo ad plenum reconciliatus, pace conclusa et firmata, Alexander Vuithaudus vix terra Mosquensi relicto, cum in voluptates venereas esset nimium, exercitu suo in praedis et proelijs, ad uxorem suam equos permutando velocissime cucurrit. Propter quod exercitus suus nullo duce, nulla lege gubernatus, plurimis incommodis in redeundo laborare coepit. Primum siquidem et in homines et in equos fames in regione, quasi sylvis et nemoribus obsita, paucas villas et has ipsas aut ab hoste aut pro milite spoliatas et afflictas habente, Tartaris insuper quos Dux

Mosquensis in sui solatium acciverat, pabulationem prohibentibus saevissime grassata est. Quae tandem quadrigijs, in quibus nonnulla habebantur victualia, in nemore deficiente subvectione, relictis, in homines pervenit, quam cum quidam gloriantes gestiebant excludere, tenendo in ore glorianter animam, tabescentem exhalabant. Multi quoque in hunc modum mortales fame consumpti. Accessit et itineris tam immensa, et ex pluvijs superne provenientibus, et quod Regio Moszquensis nimis bassa est, lubricitas, ut pene omnes equos fame tabescentes sua asperitate deleverit. In una quoque sylvarum longiori, tanta erat limi immensa profunditas, ut cogerentur milites in plerisque locis ex cadaveribus equorum mortuorum et deficientium sternere viam, et constituere pontes, neque enim aliter poterant itineris illius difficultatem superare. In his angustijs et pressuris exercitum Ducis Alexandri constitutum, acies Tartarorum a tergo invadit, et a Polonis, Cruciferis, Litthuanisque militibus pedestri magis quàm equestri certamine pugnatum est, victique Tartari in latebras sylvarum diffugerunt. Milites Poloniae, armis, equis, et plerisque servitoribus in ea expeditione amissis non nisi pro die Sancti Martini ad Vladislaum Poloniae Regem in Nyepolomicze, ea quae in expeditione huiusmodi amiserant, sua liberalitate repetituri, revertuntur. Quorum iacturis, fatigae, et damnis, Vladislaus Poloniae Rex compassus, et militiam eorum splendide praemiavit, et singula damna quae illis acciderant liberalius quàm voto expetebant, non secus quàm si pro Regni Poloniae defensione et amplitudine militassent, restituit

Intelligens Vladislaus Poloniae Rex oram Litthuaniae gravi et infesta fame, pereunti, ex nimio imbrium descensu tam hyemali quàm vernali sacione, oppressam esse, Alexandri Vuithaudi Magni Ducis Litthuaniae precibus et Nuntijs sollicitatusque trituratis in terra Cuiaviensi, omnibus regijs allodijs et horrey, quae ab annis aliquot, facultatibus et industria Zaklicze de Myedzigorze Regni Poloniae Cancellarij de domo Bipennium et Joannis aliâs Giwan de Obichow Castelani Srzemensis, Capitaneorum Cuiaviensium, frumentis oneraverat, mittit in Litthuaniam viginti naves grossas frumento plenas, flumine Vistla usque ad Ragneth, abinde vero flumine Nyemen sursum ascendendo curras. Quae in Ragneth perducta, mandato Prussiae Magistri Ulrici de Juningen, in excusationem quidem et colorem facinoris a se patrati allegantis, quod in navibus illis arma barbaris et infidelibus contra Christianos et fideles deferentur, re autem vera invidentis stomachantisque, frumenta sua et Ordinis, a longis temporibus in granariis servata, a Litthuanis emi in pretio alto, quemadmodum superioribus annis contingebat, speratum iri. Haec autem frumenti iniuriosa receptio originem magnamque causam praestitit bello inter Regnum Poloniae et Ducatum Litthuaniae ab una, et Cruciferorum Ordinem partibus ab altera, in annis subsequentibus agitato. Moverat summe offensae magnitudo Vladislaum Poloniae Regem et totus in bellum Cruciferis movendum spectare coepit, Sed a Consiliariis Regni Poloniae coercitus, ferendam potius iniuriam, quam properandum in arma, Nicolaum Kurowski Gnesnensem Archiepiscopum, Nicolaum de Michalowo Sandomiriensem, Janussium de Thuliskowo Calisiensem, et Vincentium de Granowo Nakelensem Castellanos, ad Ulricum de Juningen Prussiae Magistrum, rogans et requirens, ut frumentorum receptorum plenaria sibi praestaretur restitutio, transmittet. Ulricus autem Prussiae Magister vir pectoris alti et in seditiones rixasque praeceps, legatione tam notabili et submissa nequicquam emollitus, respondet, non se frumenta, sed arma contra se et Ordinem suum, caeterosque fideles infidelibus missa intercepisse; et nullatenus se illa restituturum, Regem autem et Polonos improbe agere, quod et barbaros armis iuvent, et missa atque intercepta repetant. adiecit. ~~Adiecit.~~ Post haec Ulricus de Juningen Prussiae Magister alteram iniuriam Alexandro Duci Magno Litthuaniae infert, et violatis captisque Litthuaniae mercatoribus, qui apud Ragnetham negotiabantur, etiam eorum fortunas et merces variarum marcarum diripuit. Non tulit Alexander Vitowdus Litthuaniae Dux eam iniuriam, neque de repetendis ablatis per Feciales agendum duxit, sed tam superiori iniuria in receptione frumentorum, quam altera adlatus, clandestino Vladislai Regis Poloniae obtento consensu, Samagitiae terram Magistro et Ordini Cruciferorum donatam et inscriptam auferendam repetendamque duxit. Missoque Rumboldo Litthuaniae Marsalco cum gentibus, Michaelem Kochmeister advocatum Samagitiae caeterosque Cruciferos

feros et universum eorum in castris noviter erectis praesidium, captivat, cedit, et expellit, et prona devotione Samagitys in fidem et obedientiam Ducis Alexandri aspirantibus, in priscam suam redigit terram Samagitiae ditionem.

Ultima mensis Junij Gregorius duodecimus ex Luca progressus, iterum Senas pervenit. Sub quo tempore ab omnibus fere Cardinalibus suae obedientiae, propter dolos et fallacias, quibus ne unionem faceret utebatur, desertus est. Qui Scisma amplius dilataturus novos creavit stando Senis Cardinales videlicet Antonium nepotem germanum, Gabrielem de Condulmario ambos Venetos et nonnullos alios. Ex Senis in Ariminum se contulit ubi hyemando in Quadragesimae tempore ad terram civitatis Austriae Aquilegiensem Diocesim accessit, et Conciliabulum circa festum Pentecostes in paucissimo numero Ecclesiasticarum personarum celebravit. Petro de Luna aliud Conciliabulum in Regno Aragoniae sub frequentiori tamen numero Praelatorum Ecclesiasticorum per plures sessiones celebrando, et decreta pro suo libito edendo.

Die Solis Dominica Ramispalmarum Anna Poloniae Regina filiam ex Vladislao Poloniae Rege conceptam effudit. Quae post in Dominica tertia post festum Paschae in qua cantatur Vocem iucunditatis per Petrum Visch Cracoviensem Episcopum in Cracoviensi Ecclesia baptizata est, et nomen illi inpositum Hedwigis, solemnitasque baptisteriorum diebus pluribus continuata

Quintadecima Augusti dum Cardinales utriusque Papae tam videlicet Gregorij quam Benedicti per diversa vagarentur loca, nec haberent locum determinatum et securum, in quo pro facienda unione Concilium possent tenere generale, iam etenim a Petro de Luna aliâs Benedicto duodecimo ad Regnum Aragoniae de territorio Januensium transire disponenti, novem Cardinales suae obedientiae desciverant, et se Cardinalibus Gregorij coniunxerant, Baltsasar de Cossa tituli Sancti Eustachij Diaconus Cardinalis Bononiensis Legatus, Petrus de Candia Ordinis Minorum et Joannes nepos olim Innocentij, per Bonifacium nonum Cardinales creati obtinuerunt a Florentinis civitatem Pisanam ad celebrandum generale Concilium eis concedi. Ubi extunc Cardinales utriusque obedientiae convenientes Concilium tenere inceperunt, citando personaliter Gregorium duodecimum Senis residentem, Petrum vero de Luna per edictum. Ad quod et Petrus Visch Cracoviensis Episcopus utriusque Iuris Doctor ex Cracovia in frequenti notabilique comitiva et splendido apparatu accessit, et pro omni tempore, quo Concilium duravit, illic pro honore Dei et Ecclesiae ac Regni Poloniae, et pro tollendo Schismate stetit, faciens sumptus magnificos et liberales. Venerat etiam personaliter Joannes Episcopus Lubucensis, provinciae Gnesnensis. Comparuerunt autem in Concilio Pisano praefato per suos notabiles procuratores Albertus Posnaniensis, Jacobus Plocensis, Wenceslaus Wratislaviensis, Arnoldus Culmensis Episcopi. Item Universitas Studii Cracoviensis, item Capitulum Ecclesiae Plocensis, item Mscislaus Abbas Thirczunensis, item Clerus civitatis et Dioecesis Wratislaviensis. Convenerant autem in Concilium huiusmodi Cardinales amborum de Papatu contendentium videlicet Gregorii duodecimi, et Benedicti tredecimi, et utroque deposito, pro reunienda Ecclesia Dei, Petrum de Candia natione Graecum Fratrum Ordinis minorum anno proxime subsequenti elegerant, qui Alexander quartus est appellatus. Rebus autem Concilii et Ecclesiae Dei stabilitis Petrus Visch Cracoviensis Episcopus Sepulchrum et incunabula Salvatoris nostri et Sanctam terram visitavit. Qua peregrinatione exacta, dum Venetias incolumis redisset, a forti laxativo iuxta consilium medici sumpto multifarie debilitatus morbum Latargicum contraxit, a quo in diem mortis suae ad plenum non poterat absolvi. Depositione autem huiusmodi per Cardinales utriusque obedientiae et Praelatos Concilii Pisani, de Benedicto tredecimo et Gregorio duodecimo facta, nequaquam obstante, uterque se pro Papa gerere non destitit. Gregorius insuper duodecimus a suis Cardinalibus unionem zelantibus destitutus, novem novos Cardinales in eorum supplementum qui se deseruerant ~~creat~~ creat. Propter quod Schisma, quod se Concilium Pisanum extinxisse credebat, non solum reintegratum est, sed etiam vehementer auctum, dum duobus pro Summis Pontificibus se gerentibus, videlicet Benedicto et Gregorio, tertius videlicet Petrus de Candia in sua obedientia Alexander quartus appellatus accessisset. Praefati insuper duo contendentes de Papatu, videlicet Benedictus tredecimus et Gregorius duodecimus, praesidentiae libidine caeci ab unionis tractatu

impudenter

imprudenter dissidentes, ad perpetuationem Schismatis, et Concilij Pisani, quod tunc agebatur, enervationem, nova Conciliabula in locis et temporibus varijs indicebant, novosque creabant Cardinales. Et licet Gregorius duodecimus, ut debitum suum erga Deum et Ecclesiam peragerit, et iuxta pollicitationem suam, pro sedando Schismate ad Concilium Pisanum, quod pro unione indictum erat personaliter veniret, per Aquilegiensem et Mediolanensem Cardinales fuisset rogatus et requisitus, auribus tamen ad omnia salutaria monita obturatis, quod pollicitus iureiurando fuerat, temeravit. Licet insuper ex Schismate huiusmodi, Civitatis et populi Ecclesiae Romanae plures strages, rapinas, vexationes et incommoda pertulerint, ipse tamen Gregorius duodecimus nulla super his compassionis pietate movebatur, Sed ut scripta Cardinalium iam unitorum Vladislao Poloniae Regi missa continebant, immobilis stabat iuxta ac si furens foret. Et quanto plura et maiora scandala videbat succrescere tanto sapidiori cibo saturari credebatur. Quapropter Vladislaus Poloniae Rex literis Cardinalium permotus, obedientiam Gregorio duodecimo, zelatus et ipse unionem Ecclesiasticam, abstraxit, et cum Regno Poloniae, Ducatuque Magno Lithuaniae Alexandro quarto ab utraque parte Cardinalium electo adhaesit. Audientes autem Gregorius et Benedictus, depositionis sententiam contra se in Concilio Pisano datam fuisse, vehementer uterque parti suae timere caepit. Et Petrus quidem de Luna praedictus, ira excandescens, ad dilatandum Schisma novos Cardinales in Hispania et Aragoniae Regnis ut praemisimus creavit. Gregorius vero in habitu dissimulato cum duobus tantummodo pedestribus ex civitate Austriae ubi Conciliabulum celebraverat, pedester et ipse diffugisset, ac per hoc insidias quas sibi Antonius Patriarcha Aquilegiensis, ex eo, quod ipsum nulla interveniente rationabili causa Patriarchatu Aquilegiensi in sua privaverat, instruxerat, evasit, et ad duas galeas quas sibi Ladislaus Siciliae Rex transmiserat perveniens, beneficio maris in Aprutium, deinde in Gaietam, ubi longo tempore sub protectione dicti Ladislai Regis degebat, pervenit.

Sigismundus Ungariae Rex expeditione contra Bossnense Regnum, quod a fide et obedientia sua defecerat, indicta, in virtute potenti illud invadit, habens in suo exercitu de Polonorum gentibus milites insignes et praestantes, videlicet Zawischium nigrum de Rosznow, Domaratkum de Cobilani, Zawischium de Olschnicza, Joannem Farurey de Garbow, Skarbkonem de Gora, Joannem Vuarszowski et plures alios, et multa castra, quae faciebant resistentiam gladio conquirit, multos Bosznenses aut damnat capite aut deiicit de muro, Regnumque universum redigit in obedientiam et tributum.

Secundo Ecclesiae Vuilnensis Pontifex Jacobo Fratre Ordinis minorum Vuilna Vilnae in Carnisprivio diem obeunte, Nicolaus de Gorzkow Decanus Sancti Floriani ante Cracoviam Canonicus et Officialis Cracoviensis, nobilis de domo Oszmarang propter eius virtutes plurimas et vitae sanctitatem in Vilnensem Episcopum assumitur. Et quamvis esset vir tam senio quam laboribus confectus et obtineret ex patrimonio, et beneficijs, amplam dotem, redditus Vilnensis Episcopatus excedentem, in favorem tamen et dilatationem fidei, penatibus et beneficijs relictis, regimen Ecclesiae Vilnensis suscepit, et Ecclesiam illam optimo ordine et exemplari vita plurimum regulavit. Vir pietate, zelo, et devotione plenus, sub cuius regimine Vilnensis Ecclesia in fide et religione Christiana et in spiritualibus et temporalibus notabilia suscepit incrementa, Hunc quidem virum Hedwigis Poloniae Regina dum viveret pro dilatatione fidei sollicita, mortuo primo Episcopo Vilnensi Andrea, pro sua virtute substituere decreverat, sed eius piissimum propositum immatura mors impedivit, quapropter non fuit nisi secundo Episcopo Jacobo mortuo, Vilnensi Ecclesiae, operante devotissimo Rege Vladislao et optimam intentionem consortis suae prudentissimae Hedwigis exequente, praefectus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS NONVS

Transeunti Vladislao Poloniae Rege per maiores Poloniae oram et in oppido Oborniki sub frequentissimo militum numero agenti, venerunt ad illum feria quinta ante festum Sancti Joannis Baptistae Vlrici de Juningen Prussiae Magistri Nuntij, videlicet Thoruniensis, et de antiquo castro Commendatores, quos Prussiae Magister Vlricus callide miserat, magis ut suum propositum deceret et quod tandem cerneret, quam spe, impetrandi quod exigebat posse. Qui cum gravi querela et mentis anxietate questi sunt, Alexandrum Vitoldum

Ducem Magnum Litthuaniae, terram Samogitarum, quamvis eam Magistro et Ordini, perpetua donatione patentibus literis inscripsisset, et omni iuri sibi in illa competenti renunciasset, abstulisse, et suos atque Ordinis praesides atque Capitaneos cum dedecore et ignominia expulisse aut necasse aut captivasse. Et licet Magister et Ordo per plures Nuncios praedictum Alexandrum Vuitaudum de reddenda terra occupata, et reddendis captivis, multifariam precibus et instantia sollicitassent, nunquam tamen fatigiis et precibus eorum alicuius effectus responderet, Alexandro Duce Litthuaniae eorum instantias et requisitiones eludente. Cum itaque ipsi ex necessitate iniuriae eis illatae cogerentur bello et armis repetere terram eis ablatam, et damna eorum atque iniurias ultum iri, supplicabant Regi instantia vehementi, declararet se, vellet ne fratrem suum Alexandrum Ducem Litthuaniae in ea causa adiuvare, quatenus Magister et Ordo exploratam habentes suam voluntatem, tempestive rebus suis providerent. Vladislaus autem Poloniae Rex huius tam perplexae legationi, quia non satis in promptu habebat quid responderet, legationem ipsam iniuriarum et diffidationis tenorem continere intelligens, respondet non se pro ea vice, propter pondus et gravitatem legationis, et Consiliariorum suorum paucitatem quicquam illis respondere posse. Institutuum autem pro Die Sancti Alexii in Lancicia Dietam generalem et ex illa propriis nunciis Magistro et Ordini responsurum. Qua responsione Ammemoratores non contenti, apud coetum militum, Procerum atque vulgus Regni Poloniae publicas protestationes facere ceperunt, declarando qualiter Magister et Ordo parati essent cum Regno Poloniae foedera pacis perpetuae inter Casimirum Secundum Poloniae Regem et Magistrum atque Ordinem firmata servare. Sed quoniam Vladislaus Rex Poloniae nollet dimittere fratrem suum Alexandrum Ducem Litthuaniae, et in causa iniusta vellet illi auxiliari, milites et Proceres Regni Poloniae non succenserent Magistro et Ordini, si bellum Regno Poloniae intulerit, gravi iniuria lacessitus. Ea autem protestatione in publico edita, etiam responso non audito, furore et ira pleni discedebant, et prorsus ex gestibus, bilique immoderatius quam Nunciis conveniebat, et superba iactantia effusa, constiterit illos bellum Poloniae Regno quamprimum occasio temporis adesset, moturos ex ademptione secundum Samogitiae per Alexandrum Vuitaudum Ducem

Magnum Litthuaniae factae, et Vladislai Poloniae Regis in reddendo responso tergiversatione, constabat Magistrum et Ordinem quam maxime fuisse offensum, ut bellum non quidem aperte adversus Polonos decerneret, sed tacitis animis, et deinde ebulliente ira et indignatione subesse bellum, quamprimum oportunitas affulsisset, monstraret. Vladislaus etenim Poloniae Rex quasi ancipiti constitutus in bivio, Magistri et Ordinis ligatione interrogatus, quo se verteret, et quali ad ligationem huiusmodi ederet responsionem, parum in prospectu habebat. Nam neque Ducem Vithaudum et Litthuanos in eorum adversis periculisque deserere, neque a Litthuanis in se Regnumque suum volebat bellum dirum, Polonorum Consiliariis id maxime execrantibus, maximoque studio et cura ne exoriretur, et exortum ne adolesceret adnitentibus, transferre.

Die Sancti Alexij advenerunt, Praelatis et Baronibus Regni Poloniae in multiplici numero Lanciciam convenientibus. Diaeta generalis ad edendum Magistro et Ordini Prussiae responsum, habita est. Ex qua Nicolaus Kurowski Archiepiscopus Gnesnensis, Nicolaus de Michalow Palatinus Sendomiriensis et Iannussius de Tholiszkowo Castellanus Calisiensis, ad Ulricum de Iuningen Magistrum et Ordinem Prussiae destinantur. Qui cum illum apud Marienburg offendissent, in eam responsionem sententiam pronunciant. Nihil, inquiunt, Vladislaus Poloniae Rex te et Ordinem tuum ignorare putat, Alexandrum Vithaudum Ducem Magnum Litthuaniae, contra quem super ablatione terrae Samagitiae caeterisque iniurijs quaestus es, etsi primarium Principem vinculo quoque Proximi germani sanguinis Regi coniunctum, Regno tamen Poloniae et Regi subiectum esse. Terram quoque et Ducatum Litthuaniae non nisi ex donatione et concessione Regis ad tempora vitae suae obtinere. Quapropter non licet Regi et in guerra a vobis Alexandro et terrae Litthuaniae movenda et in quocunque alio casu adverso illum deserere, quinimo omnibus potentijs et suffragijs illum iuvare. Placeat itaque continere se ab omni guerra, et in Conventu die competenti conventionem agere, in qua Vladislaus Poloniae Rex curaturum se offert, omnia praeter iustitiam et aequitatem acta, reformare, et rescindere, et fratrem suum Alexandrum Ducem Magnum Litthuaniae velut Principem sibi.

sibi et Regno Poloniae subiectum, ad singula quae pacem et aequitatem redolent, stabilire. Magister autem Prussiae nihil tam leni humili responsione motus, continuas apud Nuncios Regios, contra Ducem Alexandrum ampullosis verbis exaggerabat ingeminabatque querelas, astruens se non ultra iniuriam suam et Ordinis toleraturum, sed cum omnibus potentiis suis in Litthuaniam extemplo iturum. Nicolaus autem Kurowski Archiepiscopus Gnesnensis unus ex nunciis Regiis terrores Magistri tanto tempore ingestos non ferens, indigestum et minus cautelosum contra Regis et Consiliariorum prohibitionem, misit ad Magistrum sermonem, Desinas, inquit, Magister terrere nos bello Litthuaniae inferendo, quoniam si illud agere in animum induxeris, te Litthuaniam petente non dubites Regem nostrum Prussiam invasurum, Litthuanorum nos hostes pro nostris ducimus, conversuri in te arma si illos lacesseris. Id utrum Archiepiscopus sua sponte per inconsideratum sermonem dixerit, an quod ita iussus fuerit non tam certum est, quam asseritur. Laetus eo sermone Magister, subintulit, Gratias, inquit, tibi habeo Pater Reverendissime quod propositum Regis tui non celasti, ego siquidem tuo sermone tam doctus, quam certificatus, caput potius petam quam membra, terram possessam potius quam desertam, et oppida atque villas quam nemora, guerram et arma contra Litthuaniam destinata, in Regnum Poloniae conversurus. Plus enim me et Ordinem meum iuvat verticem quam pedes, et culta, quam deserta agros quam sylvas et dumeta impetere. Nec moram dictis fecit, nunciis enim Regiis ab eo discedentibus arma corripit, exercitum parat, et in vigilia Assumptionis Sanctae Mariae Vladislao Poloniae Rege apud novam Civitatem Korczin agente, missis literis diffidatoriis castrum Dobrzyn circumvallat, et continuis quassationibus bombardarum, etiam provectione ignearum sagittarum frequentius iactarum, incendit, conquirit, et exurit, militesque Poloniae, qui illud defenderant, capite plectit. Quo facto, oppida Ripin, Lypno, Dobrzin vastat, ac multas virgines et matronas in illis repertas, obtruncat. Ita sermo Gnesnensis Archiepiscopi Nicolai parum concinne, parumque caute prolatus, bellum quod differebatur adolevit, et pacis medius ac belli sequester, bellum sermone intempestivo accendit. Castro Dobrinensi conquisito, Jacobum de Slonin nobilem de domo Prusy Capitaneum Dobrinensem captum, capite truncavit, plures quoque crudelitates in milites Polonos, et agrestes ferociter edidit

Deinde versus castrum Bobrownik procedens, illud similiter continua expugnatione, per deditionem conquirit. Notabiles siquidem Polonorum milites, quos Vuladislaus Poloniæ Rex pro præfati castri defensione transmiserat, et quorum Capitaneus erat Vuarcislaus de Gotthartowicze, de domo et familia vulpium, nulla angustia aut gravitudine acti, cum victualium copia illis sufficeret, et fere omnes muri præter unam portionem et mœnia integra forent, Magistro illud dedunt, propter quod præfatus Vuarcislaus et captivitatem expost longo tempore pertulit, et in turri obscura angustias carcerales. Milites autem cæteri videlicet Bartossius Plomyslowski de domo Pomyany, Nicolaus Ragoszowicz et cæteri qui castrum prædictum dederant, omnes apud Regem Vuladislaum privati erant fama et reputatione. Quarepropter præfatus Bartossius Plomyslowski verecundia ob id vexatus, et vario æstu mentis fluctuans, factus erat ab illo tempore delirus, qui tamen postea in conflictu magno in die Divisionis Apostolorum Sabbato, altam de se exhibebat strenuitatem, nunquam tamen sanus erat ab illa dementia, nam post annos multos Cracoviæ equo insidens catenam plateralem voluit transilire, propter quod de equo prolapsus, gladio quo erat cinctus ex impetu saltus prosilienti de vagina, vulneratus, et transverberatus est atque ex illo vulnere mortuus. Nec solum ipse, sed et prolis sua illam dementiam contraxerat

Castro Bobrownik in Prussia Magister Ulricus conquisito, castrum Slotoria circumvallat, et octo diebus stetit in eius obsidione. Sub quibus diebus ducebantur matronæ et virgines de Thorun, et in eorum præsentia impetus et expugnationes fiebant contra castrum. Octavo autem obsidionis die traditur Magistro castrum, quoniam maior pars militum castrum defendentium, ex proiectione bombardarum erat interfecta, nec poterant se amplius sustinere, unde omnes residui per Cruciferos erant capti. Inter quos erant Dobislaus Oliwinski Hibernints, Giwan de Gory et alij qui notabili tempore tenebantur per Cruciferos in captivitate. Et quamvis Dux Alexander Lithuaniæ in relaxatione militum apud Slotoriæ castrorum, certos captivos Cruciferis relaxasset, Cruciferi tamen non servaverunt fidem, et Polonorum milites captos tenuerunt. Castro autem Slotoria sic conquisito

quisito, castrum Bidgostia, quod per Thomam de Vuangleszin Maioris Poloniae Capitaneum tenebatur, quoniam situ est munitissimum, videntes se conquirere nullatenus posse Burgrabium castri N. pecunia corruptum ad deditionem pellexerunt. Quo audito Thomas prae nimio dolore mortuus est. Post cuius obitum Capitaneatum Maioris Poloniae Vuladislaus Rex Vincentio de Granow Castellano Naklensi contulit in tenutam

Vuladislaus Rex Poloniae amare et molestissime ferens tot et tam graves sibi per Cruciferos illatas iniurias et tot sibi castra ablata, expeditionem mox totius Regni sui communet, et omnibus Regni sui subditis mandat, quatenus in Vuolborsz in Octava Nativitatis Sanctae Mariae conveniant exercitualiter, abinde in Prussiam processuri. Duci autem Alexandro Magno Litthuaniae per literas et nuncios crebro intimat, quatenus cum gentium suarum pont potentia sibi prope metas Prussiae occurrat. Convenit itaque iuxta Regis imperium magnus exercitus in Volborsz pro die instituta, de omnibus terris Regni Poloniae videlicet Cracoviensi, Sandomiriensi, Lublinensi, Russiae et Podoliae. Cum quo Vuladislaus Rex egressus procedit versus Lanciciam, et prope Lanciciam in Gaijs, quatuor diebus praestolando residuos exercitus, agit stativa. Abinde vero discedens, prima stativa in campis villae Syedlecz, secunda in campis villae Cozanuye, tertia prope Radziow supra lacum, et ibi exercitum per vexilla ordinat, quarta in campis villae Sarley quinta in Tirzno, supra lacum ultra Juniwladislauam per milliare, sexta in Bidgostia. Et in die Sancti Michaelis castrum Bydgoscza gravi fortitudine circumvallat, et scutis seu pallijs quasi muris in circuitum supra vallum saepit, bombardis concutit, Ex quarum continua proiectione, Commendator et Capitaneus castri fuit interfectus. Sentiens autem Magister Prussiae castrum Bydgoscza conquirendum esse, mittit ad Vuladislaum Regem Conradum Olesnicensem Ducem postulans ut Rex obsidionem solveret, et offerens castrum Bydgoscza in manus Venceslai Bohemiae Regis se resignaturum, et in illum compromissurum Cui legationem suam Sabato in crastino Sancti Francisci exponenti responsum est, si Magister similem resignationem de terra Dobrinensi et castris eius in manus praefati Venceslai Regis effectualiter se facturum pollicitus fuerit, non abnuere Regem discedere ab obsidione. Stabat autem Rex cum exercitu suo in eiusdem castri obsidione octo diebus in Borra, et octavo die castrum armis et potentia conquirit, et reparatis eius ruinis dat illud Matthiae de Labischin Palatino Brestensi in tenutam. Sub diebus autem obsidionis, Magister Prussiae gentes suas circa Swetze convenire praeceperat. Quo intellecto Vuladislaus Rex, aliquot gentium suarum banderia illuc mittit, quorum intellecto adventu gentes Prussiae fugiunt, et exercitus Regis omnia territoria derelicta occupat, et spolijs multis hostilibus potitur. Iniurijs autem tam frequentibus tamque atrocibus Vuladislaus Poloniae Rex lacessitus, a Cruciferis, ad varios Reges et Principes Catholicos super gravaminibus suis scribit quarelam per literas speciales, quarum literarum exemplar inferius inserimus

Dux insuper Alexander Litthuaniae sub diebus illis mittit ad Vuladislaum Poloniae Regem Jacobum Czyzmany de Lublin notarium suum, significans suae Serenitati in secreto, quod pro tempore illo nullatenus potest cum gentibus suis venire sibi in succursum. Rogans et supplicans quatenus non sibi aegreferat, consulensque quatenus cum hostibus inducias confirmat usque ad aestatem futuram; ut interim singulis pro guerra ordinatis possit cum ampliori gentium robore et bellico apparatu venire armacior atque paracior sibi in succursum

Castro Bidgoscza conquisito Vuladislaus Rex cum suis deliberat, quid sibi facere expediat, Plerique siquidem censebant ut Vuladislaus Rex postquam tam fortem collegit exercitum, in terram Pomeraniae procedat, et eam igne et gladio devastet, Alijs visum est salubrius factis treugis redire, et bellum pro futura aestate instaurare, attento, quod exercitus tantus hyemis asperitatem in campo nullatenus posset sufferre. Interim veniunt Nuncij Venceslai Romanorum et Bohemiae Regis, videlicet Dux Conradus antiquus Olesnicensis, et Jenko Capitaneus Swidnicensis et Vratislaviensis, et bellum huiusmodi nomine eius intercipiunt, petentes Vuladislaum Regem quatenus sufferentijs pacis ad diem Sancti Joannis Baptistae acceptatis, a bello desistat, et ipsum Venceslaum Regem in arbitrum assumat, pro omnibus differentijs quomodolibet exortis inter Regem et Magistrum iuste arbitraturum. Et pro die Dominica Invocavit Pragam nuncios suos plene instructos, pro habendo arbitramento destinet. Precibus itaqꝫ dictorum Nunciorum Romanorum Regis et suorum consilijs Vuladislaus Poloniæ Rex devictus, Treugas cum Cruciferis usqꝫ ad diem Beati Joannis Baptistæ ad Solis occasum inscribit et firmat, et diem Dominicam Invocavit pro tractanda pace et confirmanda perpetua per Regem Romanorum, acceptat. Turpia hac sufferentiarum pacta videbantur, ad potentiam exercitus quem Rex ducebat, habendo respectum, sed tempori congruebant. Consiliarij tamen Regij graves contumelias et improperia a vulgaribus, quasi Treugas ipsas auro Cruciferorum corrupti admisissent, non poterant effugere. Nec formidinis autem sed neqꝫ levitationis ea, sed cautionis erat perpensa moderatio, quamvis nonnulli illam velut meticulosam et auro expressam carpebant.

Regis Poloniæ Vuladislai literarum ad Christianos Principes exemplum

Vuladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, Dux supremus Litthuaniæ, hæres Pomeraniæ et Russiæ dominus et hæres etc.

Juste Deus, iudex fortis almus scrutator cordium, te invoco, et imploro, ut me in pronunciatione necessitatum ingruentium aberrare non permittas, seu contra veritatem quicquam calumniari, fulminare. Noscite igitur et attendite, perspicite universi et singuli Reges, Principesqꝫ tam Spirituales quam sæculares, Comites, Barones, nobiles, milites, Communitates civitatum etc. et omnes qui inhabitatis terram sacrosanctæ fidei Catholicæ professores, quomodo in factis, quæ inter nos et Fratres Cruciferos de Prussia ventilantur et occurrunt, per ipsos erga nos nullus penitus pietatis assensus adhibetur, ex quo pacem tam, ad quam ex præcepto Jesu Christi Regis pacifici servandam sumus obligati, in nobis dilacerant, et violant, ipsam a nobis pretendentes sequestrare. Quamvis enim nobiscum firmissimo pacis fædere ex literarum robore fuissent colligati, quod utiqꝫ

fedus

foedus nullis prorsus occasionibus violari sperabatur, ipsi tamen contra foedus huiusmodi sic firmatum, sub colore fictae amicitiae, innocentiam nostram iniquis accusationibus, et confictis adiunctionibus, coram aliquibus Principibus, et multis probis, detulerunt, proditorie asserentes, quod temporibus nostris et Ducis Vithaudi Alexandri Litthuaniae, non multum fides Catholica per Baptismum gentis nostrae Litthuanicae fuisset roborata, quod nullus gentis nostrae ad fidem Christianam per nos fuisset conversus et attractus, et quod illi de fide Ruthenica, qui per nos fuere baptizati, sub colore fidei Catholicae, sectam ipsorum tenerent secrete et occulte. Sed quia Ecclesia de occultis non iudicat, sufficit nobis purae devotionis diligentia, quam in augmento fidei Catholicae adhibemus, Si enim sciremus tales, qui fidem tenerent palliatam, nunquam sine poenali vindicta ipsos dimitteremus incorreptos. Et si perfecta charitas maneret in cordibus Cruciferorum, aut si in foedere nobiscum facto fideliter stare vellent, hos quos sciverant aut sciunt de nostris a fide exorbitantes, nobis ipsos sinceriter debuerant indicare. Et si ipsos non correxissemus, iuxta Evangelium testes debuerant assumere, et nos inducere ad correctionem eorundem, et demum si noluissemus stare inductioni eorundem, tunc primo debuerant nunciare Ecclesiae. Sed ipsi ordine praepostero, dimisso principio a fine incipientes, contra nos, et fratrem nostrum charissimum Ducem Vitthaudum iniustas querelas inceperunt fulminare, Nec sperandum est, quod ipsi religionem mundam et immaculatam sectentur, ex quo habenas linguae laxantes ad vaniloquia, noluerunt vera loqui, et libertate linguae potiti, elegerunt loqui adversum nos non vera, sed iniqua. Non enim nos animadvertimus iustificationem nostram multiplicitate verborum ostentare, sed per realem effectuatam clarificare volumus nostrarum opera factionum. Imo ad subijciendam rem oculis nos realiter volumus immittere, et hac ~~reali~~ realiter ostendere, quod cultus Christianae religionis per Nepositos nostros in terris Litthuaniae Christo Duce laudabiliter exercetur, quia ibidem de gratia Dei Cathedrales et alias multas Parochiales et Conventuales ereximus Ecclesias, ipsas de bonis patrimonialibus haereditantes perpetuo, sufficienterque dotantes. De quo quilibet certus reddi poterit, qui pro experientia habenda easdem partes Litthuaniae thuaniæ per nos de gentilitatis errore eductas, vellet visitare, et ea quæ ſcribimus non aliter ſic habentia, propriis oculis contueri. Sed ipſi proh pudor pudorem ſqualidum tegunt, proprium alieno ſibi ficto pudore culpas proprias in alios transferentes, bene quidem facerent, ſi prius de propriis trabem eicerent, antiquam de alienis feſtucam eycere feſtinarent. Ipſi enim ſcientes et videntes contrarium, aſſerunt, quod pauca infra viginti quatuor annorum decurſum, a tempore baptiſmi noſtri, in augmento fidei Catholicæ accreviſſent, dicant ergo ex adverſo quæ quantaque in terris Pruſſiæ per ipſos occupatis forte a ducentis annis vel ultra per eos accreverunt, pro certo reſpectu eorum quæ in terris Litthuaniæ facta ſunt, poſſent minima reputari, cum et eos, quos baptizaverunt Ruthenos, utique bene conſtat, ſub annuentia ipſorum, quaſi ſub quodam palliato rigore, ritus gentiles minime poſtpoſuiſſe, et revera neminem huiuſmodi gentilium fideliter ad fidem invitant Catholicam, prout de Samagitis experientia teſtatur, quos ad baptiſmum allicere debuerant, quorum tamen nullum infra quinquennium, licet baptiſmi gratiam plurimum affectantes ad fidem Catholicam vocaverunt. Sed ſolum namque in eo curſu gratulantur ſui propoſiti, ut terras taliter qualiter poſſideant alienas. Unde probabili rationis colligimus argumento, quod ſi tali tamque perverſo modo cum cæteris principibus circuibunt, quemadmodum erga nos nunc procedunt, pro certo difficulter aliquis poſſet ſubſiſtere, nec dubium quod in poſterum, niſi ope Dei refrenentur, omnes principatus et dominia ipſorum ditioni ~~taliter~~ totaliter ſubiugabunt. Illud quoque circa diſpoſitiones ipſorum eſt valde doloroſum, deteſtabile, et deflendum, quod poſitionis ſuæ curſum ſemper habent retrogradum, in nullis penitus cum legum inſtitutionibus et Canonum ſanctionibus concordare volentes, hoc etenim ipſe curſus eorum non admittit, ut voluntas ſequatur rationem, ſed hoc prætendit potiſſime, ut ratio cedat et ſubſit ſemper imperio voluntatis. In hoc namque ipſorum tota fundamentaliter conſiſtit intentio et voluntas, ut propria teneant, aliena recipiant, aut concupiſcunt, de alienis ſemper utilitatibus ſemper uti volunt; propria ſingulis prohibentes, Nec in acquisitione alienorum iuris ordinem nec iustitiæ modum attendunt, dum modo violenter valeant occupare, De occupatis etiam nullo modo cedere volunt, nec cuipiam iuri ſeu iudicio parere, et ſubmitti pro eisdem. Et quicunque prætextu huius ob pacis amorem, virtuti patientiæ, ipsis ſe quanto magis humiliat, tanto magis horum humilitate contempta per arrogantiam pede calcare nituntur. Et quamvis ita in ſumma patientia virtutes Dei ipsi Creatori devotionem nostram voluiſſemus humiliter commendare, et ipsius clementiam in pacis dulcedine libentius exorare, illud Scriptum ſemper retinentes in conceptu, quod nisi in pace bene coli potest author pacis, pacem cum eisdem fratribus Cruciferis constitueramus perpetuam atque firmam, per quam pacem ipsi Salvatori nos duplicem ſperabamus fecisse ſervitutem, quarum una in eo consistit, quod cum proximis et domesticis fidei pugna cessasset, et sopita fuisset omnium materia iurgiorum, Alteram autem in hoc posueramus ſtabilitam, quod durante pacis fœdere Christianam potuissemus ampliare religionem, et incredulos quoscunque per baptismum Catholicæ adducere unitati, Ob quod abiectis et evulsis cordis rancoribus, locum puræ præbuerimus charitati, omnisque iniuriarum flammas pia mansuetudine suffocantes. Imo pro reductione constantioris fœderis, et propter bonum pacis, terram Dobrinensem ad Coronam pertinentem per ipsos Cruciferos iniuriose a nobis et Corona nostra ablatam, et aliquot annis, contra fœdus tempore piæ memoriæ Casimiri olim Regis Poloniæ inter Regnum Poloniæ ictum, et per Ordinem ipsorum fratrum occupatam, in multa pecuniarum liberavimus quantitate. Nec hoc quidem profuit nobis, cum pacem in pace invenire non potuimus quia mox post firmata pacis fœdera, ipsi gravioribus plus, quam præteritis iniuriarum aculeis infestare et afficere nos cœperunt, dum præter alias quamplurimas nobis illatas iniurias, castra nostra videlicet Drzezno et Santok cum territoriis etiam aliquibus, ad nos, et ad Ducem Ioannem Masoviæ fratrem nostrum ſpectantibus, aliisque nostris utilitatibus, omni iure, et iustitia modo postpositis, frivole occupantes, Quas huiusmodi iniurias non ſine magna patientia ſustulimus, fœdere tali, quod omni guerra durius reputavimus, involuti firmiter, et ligati. Et quamvis multiplicatis instantijs per literas et solemnes nuntios affectuose ipsos hortati fuerimus, ut iuxta inscriptiones nobiscum stabiliti fæderis, iniurias ipsas æquitatis temperamento moderassent. Ipsi tamen per hoc facientes de nobis ridiculum, nulla facere ratione voluerunt, interdum tamen quasi delusorie intimabant nobis se velle easdem iniurias rigore iustitiæ moderare, quod et demum ad effectum, sicut alias, omnino deducere renuerunt. Ideoq; ad querelas contra ipsos prorumpere nos oportet, et iniuriarum nostrarum animo turbato gravedines explicare, quas in chartula speciali singillatim vestræ claritati describimus. Eandem vestram petentes attentius claritatem, quatenus dictis et relationibus, imo et accusationibus eorundem Cruciferorum, si quas contra nos, et fratrem nostrum Ducem Vithaudum levitati lingua emiserit, fidem velitis subtrahere creditivam, iniquis enim et dolosis accusationibus nos depravant, soli pravitatis vitio claudicantes. Velitis etiam quæsumus ab ipsorum hortamentis iniquis, avertere mentes vestras, et dum et si aliquas sibi gentes Dominiorum vestrorum in subsidium contra nos et prædictum fratrem nostrum Ducem Vithaudum venturas evocaverint, et postulaverint, imperetis vestris hominibus illis transitum prohibere. Ipsi enim verissime contra fideles Catholicæ fidei professores et contra eos qui ad fidem Catholicam promoveri dudum aspirant, se armant, gentis armatæ suffragia postulantes. Datum Opatoviæ ipso die Sancti Laurentij Martyris gloriosi Anno Dm̄ M° quadringentisimo nono

Antequam autem conclusio Treugarum huiusmodi Duci Magno Litthuaniæ Alexandro esset per Vladislaum Regem intimata, miserat prædictus Dux Alexander germanum suum Ducem Sygismundum cum Litthuanorum aliquanto exercitu latenter in terras Prussiæ. Qui illas ingressus exustis et spoliatis plurimis villis, oppida etiam Dzoldow, Thamiaw, Newerhoy spoliat et exurit, et magnum numerum hominum utriusq; sexus in Litthuaniam abducit. Quod factum licet fuisset per Ducem Magnum Alexandrum tanquam ignarum de Treugis, attentatum, Cruciferi tamen nullatenus poterant adduci ut id ad magnam non aſcriberent iniuriam, et Duci Magno Alexandro ad doloſitatem. Obſeruabant itaq; aptum tempus quo poſſent Duci Magno Alexandro prout ſoliti erant reddere vicem. Collecto itaq; clandeſtino exercitu illum per ſolitudinem ſitam inter Grodno et Bielsko per loca Rzepno, Stokly, Jaszker et fluuium Nutulsza transmittunt. Et hominibus Ducis qui in ſolitudine excubias faciebant, fumus enim illos prodiderat, circa Jaszker comprehensis, et interfectis, die Dominico Ramispalmarum in Vuolkowiska vbi non paruus populus Litthuanorum ad diuina audienda conuenerat irrumpunt; adueniunt, et omnem populum vtriusq; ſexus de Litthuanis et Ruthenis, ſpoliato et exusto loco illo captiuant, et cum captiuis per viam qua venerant, celerrime reuertuntur. Qua nouitate Dux Magnus Alexander qui in Vsloniny ſeptem milliaribus distabat a loco illo, turbatus et pauore nimio conſternatus, illico tantummodo conſorte ſua Anna recepta in denſas ſyluas, et aquoſa lutuoſaq; latibula versus Zeditow ſe contulit, vbi manſit donec eſſet de receſſu Cruciferorum certificatus. Locus autem per quem Cruciferorum in Vuolkowiska ibat et redibat exercitus, magnam efficit ſtratam in huius modi ſolitudine, quae in ſignum facti huius etiam in hanc diem apparet et perſeuerat. Abinde obſeruari ſolitum est ut excubiatores non niſi de corticibus quercinis, quae fumum non dant, ne prodi poſſint, focos extruant

Vicesima tertia Junij Cardinales vtriusq; obedientiae Conclaue ingressi, Fratrem Petrum Ordinis Minorum tituli duodecim Apostolorum Praesbiterum Cardinalem in Papam concorditer vt ſupra legitimus elegerunt, aetatis ſeptuagenarium, Alexandri quinti appellationem ſortitus, Nonis Julij Pisis coronatus. Hic natione Graecus ex Creta oriundus, nunquam parentes, cognatos, aut aliquos carnis consanguinitate coniunctos, quemadmodum relatione ipsius compertum est, dignoscens, ſed quaerentem cum in pueritia per mendicitatem victum, quidam

Frater Ordinis Minorum Italicus recolligens in Latino sermone instructum, regulari habitu induit, et ad Italiam perduxit. Ubi artibus liberalibus eruditus, primum in Oxonium, deinde in Perusium studia destinatus, insignis Magister in Theologia evasit, Post haec Lumbardiam veniens, favore Ducis Mediolani plures Ecclesias Cathedrales et postremo Mediolanensem rexit, Homo benignus et liberalis, omni petenti se nihil negare sciens, ob quam rem curia Romana sub brevi tempore per inexperientiam, simplicitatem, et liberalitatem ipsius, fuit notabiliter deformata, Fratres minores ad Episcopatus et Praelaturas promovens, Balthasaris de Cossa Cardinalis, qui illius electionem in Papatum, se neglecto persuaserat, in singulis agendis, Consiliis directus. Excepit autem praedictus Alexander Ludovicum Ducem Andegavensem filium quondam Ludovici ad se in Pisas venientem magno honore, et ipsum de consilio Cardinalium in Siciliae Regem sublimavit, Circa finem autem mensis Octobris propter pestem Epidemiae ex Pisis recedens, in Pratum, deinde in Pistorium, ubi aliquanto tempore mansit, se contulit. Bohemiae quoque Regem Wenceslaum pro Rege Romanorum et non Rubertum nominare coepit, ex quo ille Rubertus offensus, obedientiam suam in Germania turbare non destitit

TREUGIS CONFECTIS, quae tamen vulgaribus et rerum ignaris erant plurimum displicibiles et molestae, quia illas corruptis largitione Consiliariis calumniabantur interpositas, exercitu licentiato Poloniae Rex Wladislaus a Bidgoscza discedit, et per Znenam, Posnaniam vadit, Et abinde indicta generali conventione in villa Niepolomirze procedit versus Cracoviam, et in festo Sancti Martini agit conventionem generalem in Niepolomirze, Ubi convenientibus Praelatis et Baronibus Regni instauratur iudicium horrendum contra Varcislaum de Gotkartowirze, qui infideliter agens castrum Bobrowniki nulla pressus necessitate Cruciferis tradiderat, Et quamvis praedictus Varcislaus pro excusatione facinoris sui allegasset, quod resignationem castri praedicti de scientia Nicolai Cirowski Archiepiscopi Gnesnensis et eius mandato fecisset, et fuissent literae super hac materia productae et scrupulosius examinatae, Compertum tamen fuit finaliter eundem Varcislaum inique egisse, et merito culpabilem esse. Propter quod traditus fuit Vladislao Regi tanquam reus et culpabilis puniendus, qui illum in castrum Chanciny in captivitatem perpetuam tradi mandavit. Verum expost anno sequenti de Cruciferis obtenta victoria, illum sicut et omnes alios captivos absolvit. Sed post illam absolutionem pauco tempore idem Varcislaus supervixit

In eadem Conventione nominati fuerunt et electi Nuncij notabiles Praelati et Barones in Pragam pro die Dominica Invocavit ad audiendum sententiam arbitralem inter Vladislaum Poloniae Regem et Cruciferos proferendam, ituri, et omnes eis tunc fuerunt Instructiones ad eam rem praebitae.

Haeresis Vikleps quae ante annos multos Angliae Regnum gravissime infecerat, in Regno Bohemiae et in civitate Pragensi, ubi tunc generale vigebat Studium, per Joannem Husz Bohemum reaccensa et resuscitata est, permittente occulto Dei iudicio, et in brevissimo tempore, dissimulante Vencislao Bohemiae Rege. Sed Sophia de Bavaria Regina Bohemiae cum aliquibus Consiliarijs eam nutriente, serpens, totum Regnum Bohemiae infecit. Solo autem livore et invidia dictus Joannes Husz, quia per impetrantes quosdam de Praebenda Pragensi fuit iure exclusus, huiusmodi Viklepsistarum fabricare Haeresim coepit. Et quia erat homo magnae scientiae et eloquentiae, singularis quoque et exemplaris vitae et propter suam praedicationem et expressiva, plurimum dilectus a vulgo, facile estimatione sua in Bohemorum pectoribus suapte ad novandum res et in arrogantiam singularitatisque proclivibus, haeresis huiusmodi virus plantavit. Quae fimbrias suas sensim dilatante, Studium generale mandato

Sedis Apostolicae dissolutum, et practicari in Praga prohibitum est. Et omnes exterarum gentium Scholares, item omnes religiosi et sacerdotes qui haeresim ortam abominabantur, de Studio et civitate pulsi, plerique etiam trucidati. Seditiones magnae in populo exortae; bella intestina et latrocinia aucta, et omnis unitas ordo pulchritudo et decus Regni Bohemiae pessundata. Invalescente siquidem haeresi praefata fuerunt passim per laicos temporalia Ecclesiae Dei et ministris eius ablata, et omnes spirituales qui haeresi consentire nolebant aut occisi et violati aut expulsi, templa incensa, prophanata, et diruta. Ossa et insignis Sancti Wenceslai patriae illius principis et patroni, aliorumque Sanctorum disiectae et conculcatae reliquiae. Gloriosum Cartusiensium Monasterium ac plures aliae aedes sacrae usque ad solum, ruinatae, et omnibus bonis partim trucidatis, partim exclusis, et diffugientibus, malignans quisque illic habuit receptaculum et cubile. Multiplicatis autem scelestis viris plurimae iniquitates studiis malignorum hominum in Bohemia pullularunt, eoque malignitatis ventum fuerat, ut etiam nonnulli Sathanae satellites sectam picardorum publicos et permiscuos concubitus permittentium aliquanto tempore exercuerint. Auxerat dogma perversum Petri Anglici in Pragam adventus qui ex eo tempore usque ad diem mortis suae illic degens Anglicana venena quae ex libris Wiclefi didicerat Bohemicae nationi propinabat. Quae omnia mala proh dolor Bohemico Regno praestiterunt Magistrorum inflatorum et Doctorum prurientium, et plus sapere quam oportet sapere nitentium, in opinionibus divisiones et interpretationes improvide ex superbiae tumore promoventes Scripturarum. Ita ut eximie patria gloriosa et natio praeclara Slavonica redderetur foeda, turpis, et ingloria

Stante Vladislao Poloniae Rege in Neupolomicensi Conventione venit ad suam Maiestatem Nuncius Cardinalium Romanae Ecclesiae Nicolaus de Volavia cum literis eorundem Cardinalium significantibus, qualiter ipsi unionem Ecclesiae diuturno iam tempore scissae zelati, Gregorium de Venetiis de Corario Duodecimum, et Benedictum

Tredecimū

tredecimum, aliâs Petrum de Luna de Papatu contendentis, et sua contentione Scisma pestiferum nutrientis, communi ipsi in unam obedientiam, deposuissent, et Alexandrum de Candia Papam indubitatum elegissent. Petentes Wladislaum Poloniae Regem quatinus et ipse cum ipsis sentiat, et obedientia Gregorio duodecimo subtracta, in Alexandri de Candiâ Papae quarti obedientiam concedat. Qua re ad Consilium relata, decernentibus Consiliarijs Wladislaus Poloniae Rex Gregorio duodecimo, quamvis sibi amicissimo, is enim Decanatum Cracoviensem et Praeposituram Gnesnensem conferendi, ius duntaxat ad vitam Wladislao Regi contulerat, deserto, Alexandro quarto in Pisano Concilio quod tunc agebatur, canonice, in Summum Pontificem electo, obedientiam professus est. Erat insuper inter Alexandrum quartum et Wladislaum Poloniae Regem familiaris notitia, Alexandro quarto, dum in minoribus ageret, et terras Russiae visitaret, Wladislao vero Poloniae Regi adhuc in gentilitatis errore constituto, contracta.

Discessu a Niepolomicze facto Wladislaus Poloniae Rex versus Lithuaniam contendit, Conventionem in Brzescu Ruthenali cum Alexandro Duce Magno Lithuaniae, quam sibi denunciaverat, acturus. Festo autem Sanctae Catherinae apud Lublin celebrato, pridie Sancti Andreae venit in Brzescu, ubi Suam Maiestatem Dux Lithuaniae Alexander uno milliari occursu facto, debita reverentia excepit. Ibi omnem progressum belli futuri contra Cruciferos gerendi Wladislaus Poloniae Rex, cum Alexandro Duce Magno Lithuaniae, solo Nicolao Traba Regni Poloniae Vice-Cancellario conscio, secretissime conferunt. Imperatorem denique Tartarorum, quem Alexander Dux Lithuaniae in Brzescze adduxerat, pro futuro bello, cum gente Tartarica eis solatia laturum, perliciunt. Illic insuper componunt, quo die quove loco copiae Polonicae et Lithuanicae conveniant, et quo pacto Wislam superent, disponunt. Insuper fieri pontem sublicium, nunquam aliâs visum ex navibus, cuius fabrica Dobrogostio nigro de Odrzywol Capitaneo Radomiensi nobili de domo Xalyncz a Wladislao Rege fuit mandata. Parabatur autem pons huiusmodi expensis regijs in Kozienicz silvis per quendam subtilem artificem Jaroslaum, et tota hyems illa in eius perfectione absumpta.

Ex Brzescze rebus omnibus pro instaurando bello futuro prudenter ordinatis, Wladislaus Poloniae Rex vadit in Camyenyecz Ruthenalem, Alexandro Duce Magno Litthuaniae eum comitante. Ubi ad suam Serenitatem Bullae Alexandri quarti speciali nuncio allatae sunt, quibus et significabat suam concordem electionem, et rogabat ut sibi tanquam universalis Ecclesiae indubitato Summo Pontifici a Cardinalibus utriusque de papatu contendentium electo praestare obedientiam non negaret. Quod et Wladislaus Poloniae Rex iuxta deliberationem in Nyepolomycze factam una cum Alexandro Duce Magno Litthuaniae respondit se facturum. Ex Camyenyecz Wladislaus Poloniae Rex processit ad venationes in Bialowyesze ultra fluvium Lszna, Alexandro Duce Litthuaniae cum Tartarorum Imperatore, quem pro toto hyemis tempore et usque prope festum Sancti Ioannis Baptistae in terris suis cum gente sua et uxoribus tenuit in Litthuaniam divertente. Wladislaus autem Poloniae Rex venationi dans operam apud Bialowyesze octo diebus, sub quibus multas feras silvestras cepit, et sale infusas, in vas per Narew et Wyslam in Ploczko pro futuro bello asservandas transmisit, demoratus, in terram Regni sur Chelmen per Kamyenyecz, Hobry, et Jaszli perveniens, dies natalis Christi apud Lubomlya egit. Ubi etiam uno die Ecclesiam Parochialem pro Catholicis illic degentibus ex lignis fabricat, dotat, et per Gregorium Wladimiriensem alias Lucensem Episcopum fratrem Ordinis Praedicatorum consecrari procurat. Iddirco autem hyemem illa Wladislaus Poloniae Rex in Litthuaniam iuxta consuetudinem assidue observatam ire distulit, quoniam difficile fuisset Alexandro Duci Magno Litthuaniae et statoribus Regem procurare et expeditioni rerum in bellum necessariarum intendere. Sed et Wladislaus Poloniae Rex necesse habebat in Regno suo Poloniae, curam de multis intendere, quae illum non permiserunt Litthuaniam procedere iuxta morem

Landulfus Cardinalis Barensis ex Concilio Pisano Germaniam missus, pro diu Episcopatum

Francofordiam supra Menum pervenit, ubi Rubertus Romanorum Rex cum Maguntinensi et Coloniensi Archiepiscopis, Henrico Duce Brunsuicensi, Hermano Langravio Hassiae, Friderico Misnensi, et Friderico Brandeburgensi Marchionibus, caeterisque Almaniae Principibus, item Francorum et Angliae Regum Oratoribus Dietam ad procurandam unionem in Ecclesia Dei tenebat. Ubi dum sex dibus practicando modos unionis exquirerent, venit ex parte Gregorij duodecimi nepos suus Antonius Cardinalis, et prolixo sermone usque ad fastidium usus, factum Gregorij iustificans, et Cardinalium, qui Pisis congregati erant opera impugnans. Rubertus itaque Romanorum Rex precio incertum est corruptus an precio, contra ptis saluberrimis Principum Almaniae, et Oratorum Franciae et Angliae Regum consilijs, unionem per medium Concilij Pisani procurari suadentibus, partis Gregorij notabiliter favere coepit, Notabilesque Ambasciatores videlicet Archiepiscopum Rigensem, Episcopum Wormaciensem et Electum Verdensem ad Gregorium praefatum destinavit. Ex quo Gregorius ipse obstinatior factus est, placita enim sibi, prout iussi erant, et non unionem promoventia, loquebantur, propter quod Gregorius ipse placere amplius Ruberto volens Episcopum Wormaciensem creavit in Cardinalem, quem tamen ne Episcopatu privaretur suscipere detrectavit. Electus deinde Verdensis in Pisis ad Concilium accedens, persuadere Cardinalibus et Principibus in eo congregatis, quemadmodum per Gregorium instructus erat, nitebatur, ut alium locum Gregorio aptum pro Concilio deligerent, Quod cum obtinere non posset in appellationem prorupit, asserens nomine dicti Ruberti Regis Concilium generale in casu Schismatis, nisi authoritate Imperiali congregari non posse. Fuerunt autem ipsi, Romanorum Rex Rubertus et Consiliarij atque Ambasciatores sui a doctis et gravibus viris non secus quam delirantes irrisi, ut unionem quam promovere debuerant, varijs et infestis modis perturbabant

Explicit Liber Decimus.